TTAWIENSIS

UNIVERSITAS
O. M. I.
OTTAWIENSIS

Don
de l'Institut Catholique
DE PARIS

ELENCHUS
AUCTORUM ET OPERUM
QUI IN HOCCE VOLUMINE CONTINENTUR.

CORNELIUS A LAPIDE.

In Numeros Commentarium (à capite 26 usque ad finem).

IDEM.

In Deuteronomium Commentarium.

CALMETUS.

Dissertationes in Numeros. — De Moabitarum Diis. — In Deuteronomium. — De Politiâ, etc., apud Hebræos. — De Suppliciis quorum in sacrâ scripturâ mentio. — De Connubiis Hebræorum. — De Divortiis Hebræorum. — De naturâ animæ ex sententiâ Hebræorum. — De Gigantibus. — An veteres legislatores, etc., è Scripturâ leges hauserint. — De Moysis obitu et sepulturâ.

BIBLIA DICTA DE VENCE.

Anidmadversiones in caput 21 Numerorum. — De Balaami prophetiis. — De XLII Mansionibus Israelitarum. — In prophetiam Moysis de prophetâ à Deo promisso.

BIBLIA CAHEN.

De Muliere hebræâ et de Connubiis apud Judæos recentiores.

BIBLIA DICTA DE VENCE.

Instructiones et mysteria Pentateuchi.

D. HIERONYMUS.

In universum Pentateuchum.

MASIUS.

In Josuam commentarium (à capite primo usque ad decimum).

INDEX RERUM.

EXCUDEBAT E.-J. BAILLY, IN FORO SORBONICO, 2.

SCRIPTURÆ SACRÆ
CURSUS COMPLETUS,

EX COMMENTARIIS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS,
ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM
EUROPÆ CATHOLICÆ,
UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS,
UNICÈ CONFLATUS,

Plurimis annotantibus presbyteris
ad docendos levitas pascendosve populos altè positis.

ANNOTARUNT VERO SIMUL ET EDIDERUNT
FR. J.-P. ET V.-S. M**.**

TOMUS SEPTIMUS.

IN NUMEROS. — IN DEUTERONOMIUM. — IN JOSUAM.

Universitas
BIBLIOTHECA
Ottaviensis

PARISIIS
APUD EDITORES,
IN VIA GALLICÈ DICTA
RUE DES MAÇONS-SORBONNE, N° 7.
—
1838.

ANNEXE DE LA BIBLIOTHÈQUE
uOttawa
LIBRARY ANNEX
UNIVERSITAS
O. M. I.

Don
de l'Institut Catholique
DE PARIS

BS
640
.L3M5
1837
N. 7

SEQUITUR
IN NUMEROS COMMENTARIUM.

CAPUT XXVI.

1. Postquàm noxiorum sanguis effusus est, dixit Dominus ad Moysen et Eleazarum, filium Aaron, sacerdotem : — 2. Numerate omnem summam filiorum Israel à viginti annis et supra, per domos et cognationes suas, cunctos qui possunt ad bella procedere. — 3. Locuti sunt itaque Moyses et Eleazar sacerdos in campestribus Moab, super Jordanem, contra Jericho, ad eos qui erant — 4. à viginti annis et supra, sicut Dominus imperaverat, quorum iste est numerus : — 5. Ruben primogenitus Israel ; hujus filius, Henoch, à quo familia Henochitarum ; et Phallu, à quo familia Phalluitarum ; — 6. et Hesron, à quo familia Hesronitarum ; et Charmi, à quo familia Charmitarum.—7. Hæ sunt familiæ de stirpe Ruben : quarum numerus inventus est, quadraginta tria millia et septingenti triginta. — 8. Filius Phallu, Eliab. — 9. Hujus filii, Namuel, et Dathan, et Abiron ; isti sunt Dathan et Abiron principes populi, qui surrexerunt contra Moysen et Aaron in seditione Core, quandò adversùs Dominum rebellaverunt ; — 10. et aperiens terra os suum devoravit Core, morientibus plurimis, quando combussit ignis ducentos quinquaginta viros. Et factum est grande miraculum, — 11. ut, Core pereunte, filii illius non perirent. — 12. Filii Simeon per cognationes suas : Namuel, ab hoc familia Namuelitarum ; Jamin, ab hoc familia Jaminitarum ; Jachin, ab hoc familia Jachinitarum ; — 13. Zare, ab hoc familia Zareitarum ; Saül, ab hoc familia Saülitarum. — 14. Hæ sunt familiæ de stirpe Simeon, quarum omnis numerus fuit, viginti duo millia ducenti.—15. Filii Gad per cognationes suas : Sephon, ab hoc familia Sephonitarum ; Aggi, ab hoc familia Aggitarum ; Suni, ab hoc familia Sunitarum ; — 16. Ozni, ab hoc familia Oznitarum ; Her, ab hoc familia Heritarum ; — 17. Arod, ab hoc familia Aroditarum ; Ariel, ab hoc familia Arielitarum. — 18. Istæ sunt familiæ Gad, quarum omnis numerus fuit, quadraginta millia quingenti. — 19. Filii Juda, Her et Onan, qui ambo mortui sunt in terrâ Chanaan. — 20. Fueruntque filii Juda, per cognationes suas : Sela, à quo familia Selaitarum ; Phares, à quo familia Pharesitarum ; Zare, à quo familia Zareitarum. — 21. Porrò filii Phares : Hesron, à quo familia Hesronitarum ; et Hamul, à quo familia Hamulitarum. — 22. Istæ sunt familiæ Juda, quarum omnis numerus fuit septuaginta sex millia quingenti. — 23. Filii Issachar, per cognationes suas : Thola, à quo familia Tholaitarum ; Phua, à quo familia Phuaitarum ; —24. Jasub, à quo familia Jasubitarum ; Semran, à quo familia Semranitarum. — 25. Hæ sunt cognationes Issachar, quarum numerus fuit sexaginta quatuor millia trecenti. — 26. Filii Zabulon per cognationes suas : Sared, à quo familia Sareditarum ; Elon, à quo familia Elonitarum ; Jalel, à quo familia Jalelitarum.—27. Hæ sunt cognationes Zabulon, quarum numerus fuit, sexaginta millia quingenti. — 28. Filii Joseph per cognationes suas, Manasse et Ephraïm. — 29. De Manasse ortus est Machir, à quo familia Machiritarum. Machir genuit Galaad, à quo familia Galaaditarum. — 30. Galaad habuit filios : Jezer, à quo familia Jezeritarum ; et Helec, à quo familia Helecitarum ; — 31. et Asriel, à quo familia Asrielitarum ; et Sechem, à quo familia Sechemitarum ; — 32. et Semida, à quo familia Semidaitarum ; et Hepher, à quo familia Hepheritarum. — 33. Fuit autem Hepher, pater Salphaad, qui filios non habebat, sed tantùm filias, quarum ista sunt nomina : Maala, et Noa, et Hegla, et Melcha, et Thersa. — 34. Hæ sunt familiæ Manasse, et numerus earum quinquaginta duo millia septingenti. — 35. Filii autem Ephraïm per cognationes suas, fuerunt hi : Suthala, à quo familia Suthalaitarum ; Becher, à quo familia Becheritarum ; Thehen, à quo

familia Thehenitarum. — 36. Porrò filius Suthala fuit Heran, à quo familia Heranitarum. — 37. Hæ sunt cognationes filiorum Ephraïm, quarum numerus fuit triginta duo millia quingenti. — 38. Isti sunt filii Joseph per familias suas. Filii Benjamin in cognationibus suis : Bela, à quo familia Belaitarum; Asbel, à quo familia Asbelitarum; Ahiram, à quo familia Ahiramitarum; — 39. Supham, à quo familia Suphamitarum; Hupham, à quo familia Huphamitarum. — 40. Filii Bela : Hered, et Noeman. De Hered, familia Hereditarum; de Noeman, familia Noemanitarum. — 41. Hi sunt filii Benjamin per cognationes suas, quorum numerus fuit quadraginta quinque millia sexcenti. — 42. Filii Dan per cognationes suas, Suham, à quo familia Suhamitarum; hæ sunt cognationes Dan, per familias suas. — 43. Omnes fuêre Suhamitæ, quorum numerus erat, sexaginta quatuor millia quadringenti. — 44. Filii Aser per cognationes suas, Jemna, à quo familia Jemnaitarum; Jessui, à quo familia Jessuitarum; Brie à quo familia Brieitarum. — 45. Filii Brie, Heber, à quo familia Heberitarum; et Melchiel, à quo familia Melchielitarum. — 46. Nomen autem filiæ Aser, fuit Sara. — 47. Hæ cognationes filiorum Aser, et numerus eorum quinquaginta tria millia quadringenti. — 48. Filii Nephthali per cognationes suas, Jesiel, à quo familia Jesielitarum; Guni, à quo familia Gunitarum; — 49. Jeser, à quo familia Jeseritarum; Sellem, à quo familia Sellemitarum. — 50. Hæ sunt cognationes filiorum Nephthali per familias suas : quorum numerus, quadraginta quinque millia quadringenti. — 51. Ista est summa filiorum Israel, qui recensiti sunt, sexcenta millia, et mille septingenti triginta. — 52. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : — 53. Istis dividetur terra juxta numerum vocabulorum in possessiones suas. — 54. Pluribus majorem partem dabis, et paucioribus minorem singulis, sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio : — 55. ita duntaxat ut sors terram tribubus dividat et familiis. — 56. Quidquid sorte contigerit, hoc vel plures accipiant, vel pauciores. — 57. Hic quoque est numerus filiorum Levi per familias suas : Gerson, à quo familia Gersonitarum; Caath, à quo familia Caathitarum; Merari, à quo familia Meraritarum. — 58. Hæ sunt familiæ Levi : familia Lobni, familia Hebroni, familia Moholi, familia Musi, familia Core. At verò Caath genuit Amram, — 59. qui habuit uxorem Jochabed filiam Levi, quæ nata est ei in Ægypto; hæc genuit Amram viro suo filios, Aaron et Moysen, et Mariam sororem eorum. — 60. De Aaron orti sunt, Nadab, et Abiu, et Eleazar, et Ithamar, — 61. quorum Nadab et Abiu mortui sunt, cùm obtulissent ignem alienum coram Domino. — 62. Fueruntque omnes qui numerati sunt, viginti tria millia generis masculini, ab uno mense et supra : quia non sunt recensiti inter filios Israel, nec eis cum cæteris data possessio est. — 63. Hic est numerus filiorum Israel, qui descripti sunt à Moyse et Eleazaro sacerdote, in campestribus Moab supra Jordanem, contra Jericho. — 64. Inter quos, nullus fuit eorum qui ante numerati sunt à Moyse et Aaron in deserto Sinaï. — 65. Prædixerat enim Dominus quòd omnes morerentur in solitudine. Nullusque remansit ex eis, nisi Caleb, filius Jephone, et Josue filius Nun.

---

1. Après que le sang des criminels eut été répandu *par la plaie dont le Seigneur les avait frappés, et par la main de ceux qui eurent du zèle pour la gloire de Dieu*, le Seigneur dit à Moïse et à Eléazar, grand-prêtre, fils d'Aaron : — 2. Faites, *pour la troisième fois*, le dénombrement de tous les enfants d'Israël, depuis vingt ans et au-dessus, en comptant par maisons et par familles tous ceux qui peuvent aller à la guerre. — 3. Moïse donc et Eléazar, grand-prêtre, étant dans la plaine de Moab, le long du Jourdain, vis-à-vis de Jéricho, parlèrent à ceux qui avaient — 4. vingt ans et au-dessus, selon que le Seigneur l'avait commandé, dont voici le nombre : — 5. Ruben fut l'aîné d'Israël : ses fils furent Hénoc, de qui sortit la famille des Hénochites; Phallu de qui sortit la famille des Phalluites; — 6. Hesron, de qui sortit la famille des Hesronites; et Charmi, de qui sortit la famille des Charmites. — 7. Ce sont là les familles de la race de Ruben : et il s'y trouva le nombre de quarante-trois mille sept cent trente hommes, *au lieu de quarante-six mille cinq cents qu'ils étaient au second dénombrement.* — 8. Eliab, fut fils de Phallu, — 9. et eut pour fils Namuel, Dathan et Abiron; ce Dathan et cet Abiron, qui étaient les premiers d'Israël, furent ceux qui s'élevèrent contre Moïse et contre Aaron, dans la sédition de Coré, lorsqu'ils se révoltèrent contre le Seigneur; — 10. et que la terre s'entr'ouvrant, dévora Coré, *Dathan et Abiron;* plusieurs *de leurs familles* étant morts en même temps, lorsque le feu brûla deux cent cinquante hommes, *que Coré avait entraînés dans sa révolte, il* arriva

alors un grand miracle, — 11. qui est que, Coré périssant, ses fils ne périrent point *avec lui; Dieu leur ayant conservé la vie, parce qu'ils n'étaient point entrés dans la révolte de leur père.* — 12. Les fils de Siméon furent comptés aussi par familles, savoir : Namuel, *ou Jamuel*, chef de la famille des Namuélites; Jamin, chef de la famille des Jaminites; Jachin, chef de la famille des Jachinites; — 13. Zaré, *autrement Zoar*, chef de la famille des Zaréites; Saül, chef de la famille des Saülites. — 14. Ce sont là les familles de la race de Siméon, qui *ne faisaient plus* en tout *que* le nombre de vingt-deux mille deux cents hommes, *au lieu de cinquante-neuf mille trois cents qu'ils étaient dans l'autre dénombrement, la plupart de ceux de cette tribu ayant péri à cause des crimes qu'ils avaient commis avec les Madianites.* — 15. Les fils de Gad furent comptés par familles; savoir, Séphon, *ou Séphion*, chef de la famille des Séphonites; Aggi, chef de la famille des Aggites; Suni, chef de la famille des Sunites; — 16. Ozni, *ou Ezébon*, chef de la famille des Oznites; Her, chef de la famille des Hérites; — 17. Arod, chef de la famille des Arodites; Ariel, chef de la famille des Ariélites.—18. Ce sont là les familles de Gad, qui faisaient en tout le nombre de quarante mille cinq cents hommes, *au lieu de quarante-cinq mille six cent cinquante qu'ils étaient dans le dénombrement précédent.* — 19. Les fils de Juda furent Her et Onan, qui moururent tous deux dans le pays de Chanaan. — 20. Et les *autres* fils de Juda, distingués par leurs familles, furent Séla, chef de la famille des Sélaïtes; Pharès, chef de la famille des Pharésites; Zaré, chef de la famille des Zaréites. — 21. Les fils de Pharès, furent Esron, chef de la famille des Hesronites; et Hamul, chef de la famille des Hamulites. — 22. Ce sont là les familles de Juda, qui se trouvèrent au nombre de soixante-seize mille cinq cents hommes, *au lieu qu'ils n'étaient que soixante-quatorze mille dans l'autre dénombrement.* — 23. Les fils d'Issachar, distingués par familles, furent Thola, chef de la famille des Tholaïtes; Phua, chef de la famille des Phuaïtes; — 24. Jasub, *ou Job*, chef de la famille des Jasubites; Semran, chef de la famille des Semranites. — 25. Ce sont là les familles d'Issachar, qui se trouvèrent au nombre de soixante-quatre mille trois cents hommes, *au lieu de cinquante-quatre mille quatre cents qu'ils étaient auparavant.* — 26. Les fils de Zabulon, distingués par familles, furent Sared, chef de la famille des Sarédites; Élon, chef de la famille des Elonites; Jalel, chef de la famille des Jalélites. — 27. Ce sont là les familles de Zabulon, qui se trouvèrent au nombre de soixante mille cinq cents hommes, *au lieu de cinquante-sept mille quatre cents qu'ils étaient auparavant.* — 28. Les fils de Joseph, distingués par familles, furent Manassé et Ephraïm. — 29. De Manassé sortit Machir, chef de la famille des Machirites; Machir engendra Galaad, chef de la famille des Galaadites. — 30. Les fils de Galaad, furent Jézer, chef de la famille des Jézérites; Hélec, chef de la famille des Héléites; — 31. Asriel, chef de la famille des Asriélites; Séchem, chef de la famille des Séchémites;—32. Sémida, chef de la famille des Sémidaïtes; et Hépher, chef de la famille des Héphérites. — 33. Hépher fut père de Salphaad, qui n'eut point de fils, mais seulement des filles, dont voici les noms : Maala et Noa, Hegla et Melcha, et Thersa. — 34. Ce sont là les familles de Manassé, qui se trouvèrent au nombre de cinquante-deux mille sept cents hommes, *au lieu de trente-deux mille deux cents qu'ils étaient auparavant.* — 35. Les fils d'Ephraïm, distingués par familles, furent ceux-ci : Suthala, chef de la famille des Suthalaïtes; Bécher, chef de la famille des Bécherites; Téhen, chef de la famille des Téhenites. — 36. Or le fils de Suthala, fut Heran, chef de la famille des Héranites. — 37. Ce sont là les familles des fils d'Ephraïm, qui se trouvèrent au nombre de trente-deux mille cinq cents hommes, *au lieu que dans l'autre dénombrement ils étaient quarante mille cinq cents.*—38. Ce sont là les fils de Joseph, distingués par familles. Les fils de Benjamin, distingués par familles, furent Béla, chef de la famille des Bélaïtes; Asbel chef de la famille des Asbélites; Ahiram, *nommé aussi Echi et Aharah*, chef de la famille des Ahiramites. — 39. Supham, *ou Mophin*, chef de la famille des Suphamites; Hupham, chef de la famille des Hupphamites. — 40. Les fils de Béla furent Héred et Noéman. Héred fut chef de la famille des Hérédites; Noéman fut chef de la famille des Noémanites.—41. Ce sont là les enfants de Benjamin, divisés par familles, qui se trouvèrent au nombre de quarante-cinq mille six cents hommes, *au lieu qu'auparavant ils n'étaient que trente-cinq mille quatre cents.* — 42. Les fils de Dan, divisés par familles, furent Suham, *ou Huzin*, chef de la famille des Suhamites. Voilà les enfants de Dan divisés par familles. — 43. Ils furent tous Suhamites,

et se trouvèrent au nombre de soixante-quatre mille quatre cents hommes, *au lieu de soixante-deux mille sept cents qu'ils étaient auparavant.* — 44. Les fils d'Azer, distingués par familles, furent Jemna, chef de la famille des Jemnaïtes; Jessui, chef de la famille des Jessuites; Brié, chef de la famille des Briéites. — 45. Les fils de Brié, furent Héber, chef de la famille des Hébérites; et Melchiel, chef de la famille des Melchiélites. — 46. Le nom de la fille d'Azer, fut Sara. — 47. Ce sont là les familles des fils d'Azer, qui se trouvèrent au nombre de cinquante-trois mille quatre cents hommes, *au lieu qu'auparavant ils n'étaient que cinquante-un mille cinq cents.* — 48. Les fils de Nephthali, distingués par familles, furent Jésiel, chef de la famille des Jésiélites; Guni, chef de la famille des Gunites; — 49. Jéser, chef de la famille des Jésérites: Sellem, chef de la famille des Sellemites. — 50. Ce sont là les familles des fils de Nephthali, distinguées par leurs maisons, qui se trouvèrent au nombre de quarante-cinq mille quatre cents hommes, *au lieu de cinquante-trois mille quatre cents qu'ils étaient auparavant.* — 51. Et le dénombrement de tous les enfants d'Israël, ayant été achevé, il se trouva six cent un mille sept cent trente hommes, *au lieu que dans le dénombrement précédent, il y en avait six cent trois mille cinq cent cinquante.* — 52. Le Seigneur parla ensuite à Moïse, et lui dit: — 53. La terre sera partagée entre tous ceux qui ont été comptés, afin qu'ils la possèdent selon leur nombre et la destination de leurs noms *et de leurs familles.* — 54. Vous en donnerez une plus grande partie à ceux qui sont en plus grand nombre, et une moindre à ceux qui seront en plus petit nombre; et l'héritage sera donné à chacun selon le dénombrement qui vient d'être fait: — 55. mais en sorte que la terre soit partagée *en douze lots qui seront distribués* au sort entre les tribus et les familles; — 56. et tout ce qui sera échu par le sort, sera le partage ou du plus grand nombre, ou du plus petit nombre. — 57. Voici aussi le nombre des fils de Lévi, distingués par familles; Gerson, chef de la famille des Gersonites; Caath, chef de la famille des Caathites; Mérari, chef de la famille des Mérarites. — 58. Voici les *principales* familles de Lévi, *descendantes de ses trois fils:* la famille de Lobni, *descendant de Gerson;* la famille d'Hébroni, *descendant de Caath;* la famille de Moholi, *et* la famille de Musi, *descendant l'un et l'autre de Mérari;* la famille de Coré, *descendant encore de Caath, par Isaar;* mais Caath, *outre Isaar et Hébroni,* engendra *encore* Amram, — 59. qui eut pour femme Jochabed, *petite*-fille de Lévi, qui lui naquit en Égypte. Jochabed eut d'Amram, son mari, *deux* fils, Aaron et Moïse, et Marie leur sœur, — 60. Aaron eut pour fils Nadab et Abiu, Eléazar et Ithamar. — 61. Nadab et Abiu ayant offert un feu étranger devant le Seigneur, furent punis de mort. — 62. Et tous ceux qui furent comptés *de la famille de Lévi,* se trouvèrent au nombre de vingt-trois mille hommes, depuis un mois et au-dessus. *On les comptait ainsi*, parce qu'on n'en fit point le dénombrement entre les enfants d'Israël, et qu'on ne leur donna point d'héritage avec les autres. — 63. C'est là le nombre des enfants d'Israël, qui furent comptés par Moïse et par Eléazar, grand-prêtre, dans la plaine de Moab, le long du Jourdain, vis-à-vis de Jéricho: — 64. entre lesquels il ne s'en trouva aucun de ceux qui avaient été comptés auparavant par Moïse et par Aaron, dans le désert de Sinaï. — 65. Car le Seigneur avait prédit qu'ils mourraient tous dans le désert. C'est pourquoi il n'en demeura pas un seul, hors Caleb, fils de Jéphoné, et Josué, fils de Nun.

Vers. 1. — Postquam noxiorum (fornicantium cum filiabus Moab et Madian c. præced.) sanguis effusus est, dixit Dominus ad Moysen, et Eleazarum. *Dixit* scilicet per columnam nubis, incubantem ostio tabernaculi, non autem ex propitiatorio et Sancto sanctorum: licet enim Moses illud ingredi posset, quoties de aliquo dubio Deum consulere debebat, tamen Eleazarus pontifex illud non nisi semel in anno, puta in festo Expiationis, ingredi poterat, juxta legem Levit. 16, 2 et 19.

Vers. 2. — Numerate omnem summam filiorum Israel, a viginti annis et supra. Fuit hic tertius census generalis totius populi: primus enim habitus fuit in fabricâ tabernaculi, Exodi 30, 12; et 38, 25. Secundus, cùm ordinatæ sunt acies ad pugnandum, et ad castrametandum, Numer. 1 et 2. Uterque actus est anno secundo ab egressu ex Ægypto, in Sina. Tertius hoc loco factus est, anno quadragesimo, cùm jamjam ingressuri essent terram promissam, ut scilicet illa inter tribus congruè pro numero cujusque dividi et distribui posset. Ridiculum enim est, quod ait Rabbi Salomon, Deum hîc fecisse, uti facit pastor, qui gregem numerat, quem lupus vastavit, ut ex numero superstitum, sciat quot oves perierint, et raptæ

sint. Quare omnes qui hîc numerantur, alii sunt ab iis, qui anno secundo numerati sunt, Num. 1 et 2. Nam omnes illi jam interierant, ob murmur exploratorum in Cadesbarne, de quo c. 14, ut patet ex hoc c. v. 64.

Præter hos tres, fuit quartus census, sed specialis, primogenitorum et Levitarum, de quo c. 3, v. 15 et 40.

A VIGINTI ANNIS ET SUPRA, quia hi soli apti erant ad arma et bella, jamjam cum Chananæis, in ingressu Chanaan, gerenda. Numerantur ergo hîc soli bellatores, et hi soli inter se diviserunt terram Chanaan: minores ergo viginti annis, uti non numerantur, nec apti erant ad bella, ita nec terræ Chanaan hæreditatem per se adiverunt, ut patet v. 53.

VERS. 3. — LOCUTI SUNT ITAQUE MOYSES ET ELEAZAR, scilicet, id quod dixerat Dominus, ut videlicet disponerent se omnes numerandi per turmas et familias, ut commodè possent numerari. Census hic ita videtur peractus, ut primò singularum tribuum familias, deinde singularum familiarum domos, ac denique singularum domorum capita numerarent.

SUPER JORDANEM, juxta Jordanem: sic dicitur, Jesus stans super, id est, juxta eam imperàsse febri, Lucæ 4, 39.

VERS. 5. — RUBEN PRIMOGENITUS ISRAEL. In hoc censu servatur ordo vexillorum et acierum, qui constitutus fuit c. 2, ita tamen, ut primum vexillum sit Ruben cum suis, utpote primogeniti; secundum sit Judæ, qui senior erat cæteris; tertium sit Ephraïm, qui ex matre liberâ, puta ex Rachele, erat prognatus; quartum sit Dan cum suis, qui ex ancillâ, puta Balâ, erat genitus.

VERS. 10. — ET FACTUM EST GRANDE MIRACULUM. Hebr. est, *fuerunt in signum*, quod Chald., Vatabl. et alii ad præcedentia referunt, quasi dicat: Core, Dathan, Abiron, etc., fuerunt in signum, id est, fuerunt exemplo aliis filiis Israel, quo ipsi docerentur non esse murmurandum et rixandum contra Mosen et superiores. Verùm, quia sequitur in Hebræo: *Et filii Core non sunt mortui*, hinc sagaciùs noster interpres, videns hæc verba connecti præcedentibus, intellexit *signum* hoc, tam ad sequentia hæc verba, quàm ad præcedentia pertinere, sensumque esse, q. d.: Core, Dathan et Abiron facti sunt in signum, id est, in exemplum, non quale quale, sed portentosum et miraculosum, non tantùm ex eo quòd terra absorbuit eos, sed etiam ex eo quòd, Core perennte, filii ejus non perierunt, sed penduli in aere hæserunt; quia scilicet, patris rebellioni non consenserunt. Per miraculum enim servatos esse filios Core patet ex eo quòd omninò videantur tunc fuisse cum patre Core in tabernaculo, æquè ut filii Dathan et Abiron, qui cum parentibus perierunt. Cùm enim Moses adiit eos, omnes filii et famuli eorum, domum ad rem et litem tantam confluxerunt, nec parentes passi fuissent, filios in hoc schismate à se avelli, aut domo abire.

De hoc miraculo, et de hisce Core filiis, dixi cap. 16, 31.

VERS. 12. — FILII SIMEON. Genes. 46, 10, et Exodi 6, 15, numerantur sex filii Simeonis: hîc verò et 1 Paral. 4, 24, tantùm quinque numerantur; omittitur enim Ahod sextus; quia mortuus est sine liberis. Unde non habuit familiam, nec sortem in terrâ Chanaan. Rursùm, filius ejus primus, qui hîc vocatur *Namuel*, in Genesi et Exodo vocatur *Jamuel*; et qui ibi vocatur *Sohar*, hîc vocatur *Zare*: ex Hebræo enim *Sohar*, per metathesin, simulque mutando litteram *isade* in affinem *zain*, fit *zerach* sive *zare*; sic in aliis nominibus similis est variatio: qui enim hîc v. 30, vocatur *Jezer*, Josue 17, 2, vocatur *Abjezer*; et qui hîc v. 24, vocatur *Jasub*, alibi vocatur *Job*.

Nota hîc, valdè decrevisse tribum Simeonis, nam in censu priore, qui actus est anno secundo, numerata sunt capita hujus tribûs 59 millia et trecenta, ut patet Num. 2, 13; hîc verò tantùm numerantur viginti duo millia et ducenta; diminuta ergo fuit tribus 37 millibus et centum capitibus, quod plerique tribuunt ultimæ plagæ, ob fornicationem cum Madianitis immissæ, cap. 25, 9, quæ maximè in hanc tribum sævierit, eò quòd ex eâ plurimi ducem suum Zambri, quem Phinees occidit, secuti, cum Madianitis fornicati sint. Idque satis insinuatur cap. præced. v. ult., ubi jubet Deus invadi Madianitas ob insidias et scelus Cozbi, cum quâ fornicatus est Zambri. Ita Abulens.

Hinc rursùm, tribus Simeon, utpote exigua, juncta fuit cum tribu Juda, atque in ejus sorte sortem suam accepit, ut patet Josue 19, 9. Tribus enim Juda fuit maxima et validissima; continebat enim capita 76500, ut patet v. 22. Post Juda numerosissima fuit tribus Dan, 64400 capitum, v. 43. Post Dan fuit Issachar, capitum 64300, v. 25, etc.

VERS. 38. — FILII BENJAMIN. Hîc tantùm numerantur quinque filii Benjamin, cùm tamen decem habuerit, ut patet Genes. 46, 21; quin-

que ergo reliqui ejus filii mortui sunt sine liberis, aut in posteris eorum familia interiit.

Vers. 44. — Jessui, a quo familia Jessuitarum. Hoc loco nuper quidam appositè obstruxit os ignorantis hæretici, more solito societatem Jesu et Jesuitas abominantis, eò quòd nomen eorum non inveniretur in sacris Bibliis.

Vers. 53. — Istis dividetur terra, juxta numerum vocabulorum, in possessiones suas. Ut scilicet pro numero familiarum et capitum quæ diversa solent habere vocabula, id est, nomina, terra dividatur, et possideatur à singulis: est metonymia: *vocabulum* enim sive nomen sumitur pro re, sive personâ nominatâ.

Vers. 54. — Singulis, sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio. *Singulis*, scilicet, tum hominibus, tum tribubus, tum familiis, tum potiùs capitibus familiarum (hoc enim magis consonat textui Hebræo) ut ipsi ulteriùs, in singulos suæ familiæ, qui viginti annorum sunt, sortem acceptam dividant.

Vers. 57. — Hic quoque est numerus filiorum Levi, per familias suas. Hîc tantùm numerantur quinque familiæ Levi, cùm fuerint octo, ut patet Exodi 6, v. 17, 18, 19; et 1 Paralip. 23 et sequ., quia præcipuas tantùm hîc recenset: hîc enim familiæ Leviticæ ex professo non numerantur, uti cætera, eò quòd non essent accepturæ sortem cum aliis tribubus, in Chanaan, ut dicitur v. 62.

Vers. 62. — Fueruntque omnes (Levitæ) qui numerati sunt, viginti tria millia, generis masculini, ab uno mense et supra. Nota. Ex eo quòd jusserat Dominus c. 3, 41 et 43, commutari primogenitos Hebræorum in Levitas unius mensis et supra, idque ad paucitatem Levitarum multitudini primogenitorum adæquandam, et simul ad dignitatem Levitarum declarandam. Hâc de causâ jubet hîc eos rursùm numerari ab uno mense et supra, tanquàm suos, utpote qui olim eâdem ætate servierant redemptioni primogenitorum: nam qui necdùm mensem expleverant, non serviebant redemptioni huic, unde non censebantur Levitæ, nec ad Deum pertinebant, ac proinde hîc non numerantur. Tribus Levi parùm fuit propagata: paucissima enim inter omnes tribus habuit capita, tam in hoc censu quam in priore, Num. 3, 43.

Vers. 65. — Nullusque remansit ex eis, nisi Caleb filius Jephone, et Josue filius Nun. Excipe Levitas: nam ex eis supererant Moses, Eleazar, Ithamar, et fortè multi alii, qui numerati fuerant in Sina, et maturæ ætatis erant tempore exploratorum, facilèque superabant annum vigesimum. Caleb hoc tempore erat 78 annorum, ut colligitur ex Josue 14, 7; Josue verò, ut minimum erat 83 annorum. Nam hæc omnia gesta sunt anno 40 et ultimo peregrinationis Hebræorum in deserto, quo mortuus est Moses, cui statim successit Josue, qui ut summum præfuit populo 27 annis: mortuus est autem Josue annò ætatis 110, ut patet Josue ult. v. 29. Deme ab his 110 annis vitæ annos 27 principatûs ejus, habebis 83 ejus annum jam dictum, quo mortuus est Moses, ipseque Mosi in ducatu successit.

Hinc patet hisce 38 annis, emortuis patribus totidem plenè filios succrevisse, qui vigesimum annum complentes, vel superantes, apti erant ad bella. Nam in hoc censu inventa sunt bellatorum sexcenta millia, et mille septingenti triginta, ut dicitur v. 51, in priore verò censu, ante 38 annos initio, inventa sunt bellatorum sexcenta tria millia, quingenti et quinquaginta, ut dicitur c. 1, 46. Prior ergo census superat hunc tantùm mille octingentis et viginti capitibus.

CAPUT XXVII.

1. Accesserunt autem filiæ Salphaad, filii Hepher, filii Galaad, filii Machir, filii Manasse, qui fuit filius Joseph, quarum sunt nomina, Maala, et Noa, et Hegla, et Melcha, et Thersa, — 2. Steteruntque coram Moyse, et Eleazaro sacerdote, et cunctis principibus populi, ad ostium tabernaculi fœderis, atque dixerunt: — 3. Pater noster mortuus est in deserto, nec fuit in seditione, quæ concitata est contra Dominum sub Core, sed in peccato suo mortuus est. Hic non habuit mares filios. Cur tollitur nomen illius de familiâ suâ, quia non habuit filium? Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri. — 4. Retulitque Moyses causam earum ad judicium Domini, — 5. Qui dixit ad eum: — 6. Justam rem postulant filiæ Salphaad; da eis possessionem inter cognatos patris sui, et ei in hæreditatem succedant. — 7. Ad filios autem Israel loqueris hæc: — 8. Homo cùm mortuus fuerit absque filio, ad filiam ejus transibit hæreditas. — 9. Si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos. — 10. Quòd si et fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris ejus. — 11. Sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his qui ei proximi sunt; eritque hoc filiis Israel sanctum lege perpetuâ, sicut præcepit Dominus Moysi. — 12. Dixit quoque Dominus ad Moysen, ascende in montem istum Abarim, et

contemplare inde terram quam daturus sum filiis Israel. — 13. Cùmque videris eam, ibis et tu ad populum tuum, sicut ivit frater tuus Aaron : — 14. Quia offendistis me in deserto Sin contradictione multitudinis, nec sanctificare me voluistis coram eâ super aquas; hæ sunt aquæ contradictionis in Cades deserti Sin. — 15. Cui respondit Moyses : — 16. Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc : — 17. et possit exire et intrare ante eos, et educere eos vel introducere, ne sit populus Domini sicut oves absque pastore. — 18. Dixitque Dominus ad eum : Tolle Josue, filium Nun, virum in quo est spiritus, et pone manum tuam super eum : — 19. Qui stabit coram Eleazaro sacerdote, et omni multitudine. — 20. Et dabis ei præcepta cunctis videntibus, et partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel. — 21. Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur et ingredietur ipse, et omnes filii Israel cum eo, et cætera multitudo. — 22. Fecit Moyses ut præceperat Dominus. Cùmque tulisset Josue, statuit eum coram Eleazaro sacerdote et omni frequentiâ populi : — 23. Et impositis capiti ejus manibus, cuncta replicavit quæ mandaverat Dominus.

---

1. Or, les filles de Salphaad, fils d'Hepher, fils de Galaad, fils de Machir, fils de Manassé, qui fut fils de Joseph, dont les noms sont Malaa, Noa, Hegla, Melcha et Thersa, — 2. se présentèrent à Moïse, à Eléazar, grand-prêtre, et à tous les princes du peuple, à l'entrée du tabernacle de l'alliance, et elles dirent : — 3. Notre père est mort dans le désert : il n'avait point eu de part à la sédition qui fut excitée par Coré contre le Seigneur; mais il est mort dans son péché, *comme les autres qui avaient murmuré*, et il n'a point eu d'enfants mâles. Pourquoi donc son nom périra-t-il de sa famille, parce qu'il n'a point eu de fils? Donnez-nous un héritage entre les parents de notre père, *afin que celui qui nous épousera, fasse revivre le nom de notre père dans les enfants que nous aurons.* — 4. Moïse rapporta leur affaire au jugement du Seigneur, — 5. qui lui dit : — 6. Les filles de Salphaad demandent une chose juste. Donnez-leur des terres à posséder entre les parents de leur père ; et qu'elles lui succèdent comme ses héritières, *en recevant la part qui lui serait échue, s'il vivait encore.* — 7. Et *afin que cela soit réglé pour toujours*, voici ce que vous direz aux enfants d'Israël : — 8. Lorsqu'un homme sera mort sans avoir de fils, son bien passera à sa fille, qui en héritera. — 9. S'il n'a point de fille, il aura ses frères pour héritiers : — 10. que s'il n'a pas de frères, vous donnerez sa succession aux frères de son père : — 11. et s'il n'a point non plus d'oncles paternels, sa succession sera donnée à ses plus proches. Cette loi sera gardée inviolablement à perpétuité par les enfants d'Israël, selon que le Seigneur l'a ordonné à Moïse. — 12. Le Seigneur dit aussi à Moïse : Montez sur cette montagne d'Abarim, et considérez de là le pays que je dois donner aux enfants d'Israël : — 13. et après que vous l'aurez regardée, vous irez aussi à votre peuple, comme Aaron votre frère y est allé; — 14. parce que vous m'avez offensé tous deux dans le désert de Sin, au *temps de* la contradiction du peuple, et que vous n'avez point voulu rendre gloire à ma puissance et à ma sainteté devant Israël, au sujet des eaux : de ces eaux de la contradiction, *que je fis sortir lorsque vous étiez* à Cadès, au désert de Sin, *et que vous frappâtes deux fois le rocher, au lieu de lui parler simplement, comme je vous l'avais ordonné.* — 15. Moïse lui répondit : *Je me soumets à ce que vous ordonnez.* — 16. *Mais* que le Seigneur, le Dieu des esprits de tous les hommes, *qui connaît leurs dispositions les plus intérieures*, choisisse lui-même un homme qui veille *en ma place* sur tout ce peuple, — 17. qui puisse marcher devant eux et les conduire; qui les mène et les ramène, de peur que le peuple du Seigneur ne soit comme des brebis sans pasteur. — 18. Le Seigneur lui dit : Prenez Josué, fils de Nun, cet homme en qui l'esprit de *sagesse* réside, et imposez-lui les mains. — 19. En le présentant devant le grand-prêtre Eléazar et devant tout le peuple. — 20. Donnez-lui des préceptes à la vue de tous, *et* une partie de votre gloire *et de votre autorité*, afin que toute l'assemblée des enfants d'Israel l'écoute *et lui obéisse comme à celui que j'ai choisi pour les conduire et les gouverner selon mes ordres.* — 21. C'est pour cela que lorsqu'il faudra entreprendre quelque chose, le grand-prêtre Eléazar consultera le Seigneur. Et selon la réponse d'Eléazar, Josué fera toute chose, et avec lui tous les enfants d'Israël, et le reste du peuple. — 22. Moïse fit donc ce que le Seigneur lui avait ordonné. Et ayant pris Josué, il le présenta devant le grand-prêtre Eléazar, et devant toute l'assemblée du peuple. — 23. Et après lui avoir imposé les mains sur la tête, il

lui déclara ce que le Seigneur avait commandé.

Vers. 1 et 2. — Accesserunt autem filiæ Salphaad, etc., steteruntque coram Moyse, et Eleazaro sacerdote, et cunctis principibus populi, ad ostium tabernaculi. Quia juxta ostium tabernaculi erat tentorium Mosis, atque ad illud, vel certè ad vicinum atrium tabernaculi, conveniebant seniores populi, convocati à Mose ad concilium.

Vers. 2 et 3. — Atque dixerunt : Pater noster, etc., in peccato suo mortuus est, scilicet, ob peccatum murmuris, tempore exploratorum, quod peccatum fuit commune totius populi. Omnes enim à vigesimo anno et supra, ob hoc peccatum mortui sunt in deserto.

Vers. 3. — Hic non habuit mares filios; cur tollitur nomen illius de familia sua, quia non habuit filium? date nobis possessionem inter cognatos patris nostri, q. d. : Date nobis filiabus hæreditatem in Chanaan; pro patre nostro mortuo sine masculâ prole, ut per hæreditatem hanc nostram, maneat nomen et familia patris nostri in Israel. Sic enim filii nostri, saltem aliqui, ab hâc hæreditate Salphaad, denominabuntur posteri, vel familia Salphaad : aliqui enim filii nostri sequentur nomen et hæreditatem sui patris, alii verò sequentur nomen et hæreditatem suæ matris, sive avi materni, puta nostram, et patris nostri. (Hæreditas enim inter Hebræos erat immobilis et perpetua, ac consequenter et familia cujus ipsa erat, et à quâ denominabatur, erat perpetua.) Alioqui enim, si nulla detur nobis hæreditas, filii nostri, non patris nostri, sed mariti, cui nubemus, uti hæreditatem, ita et nomen sortientur, itàque nomen et familia patris nostri interibit. Ita Abulens. Ex hoc loco colligitur, quòd apud Hebræos, si proles aliqua esset mascula, illa omnium erat hæres, ita ut filiæ nullam hæreditatis partem adire possent : ratio erat, quia per masculos, non per feminas, nominantur, distinguuntur et conservantur familiæ. Fuit autem per Dei providentiam in veteri Testamento tanta cura conservationis et distinctionis familiarum, tum propter jura primogenituræ, et propter certitudines omnium familiarum, secundùm successiones hæreditatum : ut scilicet certò constaret, unâ familiâ emoriente, quænam illi sanguine esset proxima, ut in hæreditatem ejus succederet : tum ut liquidò constaret Christum ex Judæis, et ex Judâ natum esse, uti Deus promiserat Jacobo Genes. 49, 10. Atque hæc una inter alias causa fuit, cur voluerit Deus beatam Virginem nubere Josepho, ut scilicet Judæis, qui putabant omninò eam ex Josepho concepisse et genuisse Christum, probari posset Christum descendere ex Davide et Judâ. Nam ex eis descendere Joseph sciebant omnes Judæi.

Vers. 4. — Retulitque Moyses causam earum ad judicium Domini, q. d. : Moses super hâc quæstione consuluit Dominum, ad ostium tabernaculi (ibi enim Deus per columnam nubis loquebatur) vel ad propitiatorium in Sancto sanctorum.

Vers. 5. — Qui (Dominus) dixit ad eum (Mosen) : Justam rem postulant filiæ Salphaad : da eis (jube eis dari in Chanaan. Nec enim Moses ingressus est Chanaan, ac consequenter nulli in eâ hæreditatem actu et reipsâ dare potuit) possessionem inter cognatos patris sui. Adierunt ergo hæ filiæ possessionem, non jure suo, sed paterno : unde dicuntur patri succedere in hæreditate, scilicet illâ, quam habuisset pater in Chanaan, si vixisset eamque ingressus fuisset; quia feminæ Hebrææ nullum habebant jus ad hæreditates, nisi unico hoc casu, si videlicet pater earum defunctus esset sine prole masculâ, ideòque nomen ejus periturum : tum enim filiæ patri succedebant, aliisque agnatis omnibus præferebantur (uti decernit Deus versu sequ.), sed ita ut unam duntaxat haberent sortem patris sui, quæ inter omnes filias æqualiter dividebatur, cùm masculi filii singuli, à vigesimo anno et supra, suo jure singulas in Chanaan possessiones adirent et dividerent. Dico à vigesimo anno, quia minores anno vigesimo non adibant hæreditatem in Chanaan jure proprio, sed alieno, scilicet paterno, si pater esset mortuus : unde sicut pater, si vixisset, tantùm habuisset jus ad unam sortem, ita hi filii, licet multi essent, tamen ad unam tantùm sortem, quæ patris eorum fuisset, jus habebant, idque ad hoc ut haberent unde viverent, ne fratribus essent oneri, et ut nomen eorum non periret de stirpe suâ. Ita Abulens. q. 10. Singulæ ergo filiæ, in patris sui sortem divisam et sibi attributam succedentes, ex filiis, qui ex se nascebantur, aliquem nomine patris sui nuncupabant : isque in ejus hæreditatem succedebat : alii verò filii mariti et nomen et hæreditatem cernebant, eamque æqualiter dividebant. Excipio primogenitos. Hi enim duplicem adibant hæreditatis portionem, ut patet Deuteron. 21, 17. Hæc intellige de hæreditate propriè dictâ, seu de bonis immobilibus; nam de mobilibus Hebræi

disponere poterant ad libitum, eaque dare filiabus, non masculis, uti passim ex iis dotem consignabant filiabus. Plura de juribus successionum apud Hebræos, vide apud Abulens. hic.

Vers. 11. — Dabitur hæreditas his qui ei proximi sunt, masculi scilicet. Loquitur enim lex de successione, quæ fit ex parte patris. Nam si quis matri, et avo materno in hæreditate successisset et moreretur sine liberis, succedebant ei cognati matris, non patris: quia bona hæc erant familiæ matris, vel avi materni (non autem patris) unde in eâ manere debebant, nec poterant transferri ad aliam, puta patris, familiam, uti docet Abulensis qu. 33, idque ne familiarum et tribuum fieret permixtio et confusio. Ad hoc enim jussit Deus hæreditates ex unâ familiâ vel tribu in aliam non transferri, ut ex hæreditate certò constaret cujus familiæ vel tribûs quisque esset.

Vers. 12. — Dixit quoque Dominus ad Moysen: Ascende in montem istum Abarim. Tum ut ex eo videas terram promissam, tum ut in eo moriaris; patet ex seq. Mons hic Abarim, saltem secundùm diversas partes et juga, varia habet nomina. Nam vocatur Phasga, Phogor, excelsa Baal, Nebo: in Nebo enim dicitur mortuus esse Moses, Deuteron. ult. v. 1. Voluit Deus Mosen mori in monte, non in castris, ne Hebræi proni ad idola, ejus corpus quasi numen colerent.

Contemplare inde terram, quam daturus sum filiis Israel, ut saltem aliquâ voluptate fruaris in visione terræ, quam tantoperè ingredi petiisti et optâsti, ut patet Deut. 3, v. 24 et 25. Nam ex eo loco patet Mosen ardentissimè orâsse Deum pro ingressu in terram promissam; sed Deo id abnuente, et indicente ei silentium, petiit sibi designari successorem, ut ex hoc c. v. 16 patet.

Vers. 13. — Ibis et tu ad populum tuum, morieris, ô Moses, in Moab, et ibis ad limbum patrum, sive ad sinum Abrahæ.

Vers. 16 et 17. — Provideat Dominus Deus spirituum, q. d.: Tu qui es Deus spirituum, id est, qui solus spiritus et animas creas (hinc enim Apostolus Hebr. 12, 9, Deum vocat *patrem spirituum*, parentes verò, patres carnis) quique nôsti omnium hominum spiritus et corda, ac consequenter optimè nôsti, quis sit aptissimus tantæ moli; ut videlicet mihi in gubernatione talis et tanti populi succedat, provide et signa hominem, qui sit super multitudinem hanc, et possit exire, et intrare ante eos, id est, possit esse dux et ductor eorum in omni opere, tam bellico quàm civili. Hoc enim hebraicè significat hæc metaphora, sumpta à pastoribus educentibus gregem: hi enim ante eum exeunt et intrant, itàque eum pascunt et regunt.

Vers. 18. — Tolle Josue filium Nun, virum in quo est spiritus. *Spiritus Dei*, id est, prudentia, pietas, fortitudo, et cæteræ virtutes tali principi necessariæ.

Et pone manum tuam super eum. Ut hâc cæremoniâ Josue instituatur tuus successor, et dux populi, et consequenter à me majori spiritu et gratiâ ad id munus opportunâ, donetur, uti dicitur Deut. ult. v. 9. De hâc cæremoniâ dixi 1 Timoth. 4, 14.

Vers. 20. — Dabis ei præcepta de modo regendi populum, maximè ut eum in verâ unius Dei religione ac lege conservet et promoveat.

Et partem gloriæ tuæ, q. d.: Communica, ô Moses, cum Josue cornua, id est, splendorem et radios vultûs tui, uti sol facit lunæ, inquit Rabbi Moses. Unde Chald. vertit: *Dabisque de splendore tuo super eo.* Hinc et Hebræi passim Mosen comparant soli, Josue lunæ, quæ à sole lumen accipit: sed nusquàm Scriptura aut veteres, hos radios dant Josue: nec eos Josue afflare poterat Moses. Ita Abulens. qui pluribus idipsum confutat.

Alii per gloriam accipiunt mansuetudinem et humilitatem Mosis, quæ eum populo mirè amabilem et laudabilem reddiderunt; ipse enim ex eo quòd cum Deo loqui soleret quasi amicus cum amico, nihilo superbior factus, erga omnes pium et mitem se exhibuit. Verùm nec hanc suam mansuetudinem Moses afflare poterat ipse Josue.

Dico ergo: Da Josue partem gloriæ, id est, honoris et auctoritatis tuæ apud populum, ut eum, quasi futurum populi principem, reverenter compelles, eumque ut talem toti populo proponas et commendes, ut populus eum pro te acceptet ut ducem, eumque revereatur, utpote quem à te honoratum, et auctoritate donatum viderit. Unde sequitur: *Ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel.* Addit Cajetan. juberi hîc Mosi, ut insignia magistratûs et principatûs sui communicet cum Josue, v. g., ut tradat ei suam virgam, quæ erat quasi sceptrum, ideòque insigne principatûs: ut partem famulorum ei consignet, ut det ei annulum signatorium, paludamentum, etc. Hisce enim insignibus solet decorari, et quasi inaugurari novus magistratus et princeps. Aliter

vertit Oleaster, scilicet : *Da Josue partem dejectionis*, vel *humilitatis tuæ* : radix enim *iada*, unde *hoda*, significat projicere, dejicere, q. d. : Doce Josue tuam humilitatem et mansuetudinem, ut illa eum populo reddat acceptum, sicut te reddidit. Hic sensus non est incongruus, prior tamen est germanior, estque Septuag., Chald. et aliorum passim. Cur filii Mosis ei in ducatu populi non successerint, hanc causam dat auctor de Mirabilibus S. Scripturæ lib. 1, c. 25, apud S. Aug. tom. 3, quòd *ipsi*, ait, *gentili matre* (de Sephorâ Madianitide) *peregrinationis* (exilii Mosis) *causâ generati sint*. Successit ergo ei Josue, qui tam ex materno quàm paterno genere erat Hebræus. Adde, ducatus hic populi ex Ægypto unicus fuit et extraordinarius, non hæreditarius : electione ergo Dei is delatus est Mosi, ejusque ministro Josue. Denique posteri Mosis fuerunt degeneres, Judic. 18, 30.

Vers. 21. — Pro hoc (pro Josue) si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum. Hebr. *Eleazar interrogabit pro eo, in judicio Urim coram Domino*, q. d. : Eleazar pontifex indutus ephod et rationali, cui inscriptum est Urim. Itaque existens in pontificalibus, et fungens quasi munere pontificio, de rebus dubiis Josue occurrentibus, interrogabit Dominum, itàque ab eo de omnibus erudietur et instruetur. De hoc oraculo Urim vide dicta Exodi 28, 30.

Ad verbum ejus egredietur, et ingredietur ipse, et omnes filii Israel. *Ejus*, scilicet *Josue*, inquit Abulensis. « Hic enim, ait, proponitur Josue, quia erat princeps secularis, « summo sacerdoti directè, ita ut teneretur « Eleazarus obedire Josue in omnibus quæ juberet, sicut cæteri de populo : et sic fuit tempore Mosis, quia ipse non erat sacerdos : « Aaron tamen, quia erat summus sacerdos, « obediebat illi, quia erat princeps populi. Et « sic fuit in veteri Testamento, quòd sacerdotes summi essent sub regibus : nunc autem « estè contrario, quia omnis secularis potestas « obedit summo pontifici, qui est inter omnes « viros ecclesiasticos, sicut summus sacerdos « inter omnes sacerdotes et Levitas Hebræorum; » hucusque Abulensis.

Verùm τὸ *ejus* non respicere Josue, sed Eleazarum, clarè patet ex Hebræo. Sensus ergo est : *ad verbum ejus*, id est, juxta oraculum ejus, scilicet Eleazari, qui præcessit, *ingredietur et egredietur*, id est, aget quidquid agendum erit, tam *ipse*, scilicet Josue, quàm *omnes Filii Israel*. Licet enim Mosen speciali privilegio delegisset Deus in prophetam, legislatorem et consecratorem sacerdotum : ita ut in Mose esset utraque potestas, scilicet civilis et sacra, sive sacerdotalis, eaque per eminentiam et superintendentiam (Moses enim erat summus sacerdos et pontifex, sed extraordinarius, eratque dignior Aarone, imò Aaronem debebat dirigere. Unde dicitur Ps. 98 : *Moses et Aaron in sacerdotibus ejus*), tamen postea Deus has potestates divisit, ita ut Mosi in sacerdotio succederet Eleazarus, in principatu Josue, tumque Josue et civiles principes per pontifices direxit, eosque pontificum oraculo et definitioni stare jussit, ut ecclesiastica potestas legis novæ significaretur, quæ civili præstat, eamque non rarò dirigere debet : atque ex hâc causâ rex Saül, quia scilicet Samueli Levitæ et Prophetæ inobediens fuit, regno æquè ac vitâ excidit.

Discant hic principes et prælati officia et beneficia, non in filios et cognatos, sed in digniores conferre. Ecce Moses principatum resignavit jussu Dei in Josue oriundum ex aliâ tribu, scilicet Ephraim : pontificatum verò, non in filios quos duos habebat, sed in Aaronem resignavit ; idque « ut disceremus, ait S. « Hieron. in c. 1 ad Titum, has dignitates non « sanguini deferendas esse, sed vitæ. At nunc, « ait, cernimus plures hanc rem beneficium « facere, ut non quærant eos in Ecclesiâ erigere columnas, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse : sed quos vel ipsi amant, vel « quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit : et, ut deteriora taceam, qui ut Clerici fierent, muneribus impetrârunt. » Idem etiam ponderavit Origenes hom. 22 in Numer. : « Nulla, inquit, « hic populi acclamatio, nulla propinquitatis « habita contemplatio est. Et certè, quid est « aliud pontificatum dirigere ad familiam ditandam, quàm rem tam sacram, tamque divinam omninò profanare, et ad secularem « usum adhibere, ut fecit Balthazar ille in « convivio? Quod quidem sacrilegium magno « luit, statim et regno exutus et vitâ. »

Cœlestinus V, ut narrat Alvarus, cùm audisset fratris filium in curiam venisse, ejici statim jussit, et cùm multi Cardinales deprecatores se interposuissent, multo labore ac precibus hoc ad summum impetrârunt, ut ei simplex ac tenue quoddam beneficium concederet : quo ille accepto, statim remissus est domum. Ita Alvarus lib. 2 de Planctu Eccles.

c. 15; et Hieron. Platus de Dignitate Cardinalium c. 25. Nihil illustrius quoad hanc rem Clemente IV, summo pontifice, qui anno 1775, Ecclesiæ pastor electus, hanc eamdem constantiam mirabiliter tenuit. Sic enim memoriæ proditum est, eum duas habuisse filias ex legitimo matrimonio susceptas, et harum alteri, ut in monasterio collocaretur, 30 libras Turonenses; alteri, ut nuberet, trecentas numerari jussisse, eâ lege ut æqualis conditionis viro nuberet. Quin etiam cùm nepotem haberet, cui ipse nihil unquàm dederat, sed Galliæ antistes in gratiam pontificis tres contulerat in eum canonicatus, multis deinde rogantibus, ut aliquâ eum dignitate cohonestaret, non modò nunquàm adduci potuit, ut id faceret, sed eum ultrò compulit, ut ex tribus illis beneficiis unum, quod mallet, retineret, reliqua resignaret. Ita Platus ibidem.

Addit Platina in ejus Vitâ, ipsum in hæc verba amicis pro nepote jam dicto intercedentibus respondisse : « Ego Deo, non autem carni et « sanguini acquiescam : Deus ita vult, ut sua « in pias causas erogentur. Dignus Petri suc- « cessor non est, qui plus cognationi, quàm « pietati et Christo tribuit. » Porrò ipsius Clementis hâc de re Epistolam ad unum è cognatis, recenset Onuphrius et Ciacconus in Clemente IV, quæ, quia rara est, et æternâ memoriâ ac imitatione dignissima, eam hic attexere placuit; ea sic habet : « Multis de nostrâ pro- « motione gaudentibus, nos soli sumus, qui « certiùs immensitatem oneris experimur, et « idcircò quod aliis gaudium, nobis metum « subministrat et fletum. Sanè ut scias qualiter « his auditis te debeas habere, scire te volu- « mus, quod humilior solito debeas esse. Ne- « que enim, quod nos vehementer humiliat, « debet nostros extollere, maximèque cùm ho- « nor hujus seculi momentaneus sit, et sicut « ros transeat matutinus : nec ad nos te vel « fratrem tuum, vel ex aliis nostris aliquem « venire volumus sine nostro speciali mandato, « quia spe suâ frustratus, si secùs venire præ- « sumeret, oporteret redire confusus. Sed « nec in tuæ sororis nuptiis gradum quæras « propter nos altiorem, nec enim nos haberet « propitios, nec in aliquo adjutores. Si tamen « eam filio militis simplicis desponsaveris, in « trecentis libris Turonensibus tibi proponi- « mus subvenire. Et si altiora quæsieris, nec « à nobis denarium speres; et hoc ipsum se- « cretissimum esse volumus, et tibi et matri « solummodò notum esse. Illud etiam scias, « quòd nullum nullamque de sanguine nostros « sub nostrî sublimationis obtentu inflari vo- « lumus : sed tam Mobiliam, quam Cæciliam « illos viros habere volumus, quos haberent « si essemus in simplici clericatu. Sibyllam « visita et dic ei, quòd locum non mutet, sed « remaneat apud Susam et omnem maturita- « tem, et habitûs honestatem observet, et pre- « ces nobis pro aliquo non præsumat assu- « mere. Nam et ei pro quo fierent, essent « inutiles, et ipsis qui rogaverint damnosæ. Et « si fortè per aliquos ex hâc causâ munera « offerrentur, ea respuat, si vult nostram gra- « tiam retinere. Saluta matrem et fratres. « Datis Perusii, in festo SS. Perpetuæ et Fe- « licitatis. » Macte animo, Clemens, hoc facicinore magis quàm ullo marmore æternâsti nomen tuum. Vivet semper grata et sancta tuî memoria. Hanc tuam bullam nulla ætas obliterabit; hoc tuum decus, hanc gloriam loquentur futura secula, laudabunt tuam sapientiam posteri, celebrabunt tuam integritatem cœlites coram Deo et toto orbe, in ultimo et decretorio illo magni judicii die, ac deinceps per omnem æternitatem, qui si bona, non tua, sed Christi, consignâsses, obliviosis, brevi interituris, et sæpè ingratis hæredibus, jampridem inglorius et incognitus cum tuis perpetuâ oblivione (ut taceam offensam Dei et hominum) sepultus jaceres. Nec enim permittit Deus familias bonis ecclesiasticis erectas et exaltatas diù perdurare, uti frequens docet experientia. Dicas ergo quod vivens speransque dixisti, nunc autem possidens et fruens dicis : *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei; tu es qui restituisti hæreditatem meam mihi.*

Marcellus pontifex etsi paucissimis diebus pontificatum tenuit, tamen hoc brevi tempore specimen præbuit ejus virtutis, quam deinceps sine dubio tenere decreverat. Hic enim pontifex factus neminem suorum Romam venire passus est, ne fratrem quidem Alexandrum : cujus etiam filios duos, quos ipse Romæ educabat, à nemine salutari rarò in publicum, nec nisi ad Sacrum ferè audiendum prodire permisit. Narrat etiam Onuphrius, qui fuit ei familiarissimus, ejusque intima consilia nôrat, fuisse ei deliberatum et fixum, tantùm fratri, ejusque liberis elargiri, quantùm nobili alicui eo loco nato habere conveniret : non tamen ut ultra privatam conditionem se efferrent, nec ad ullam proveherentur dignitatem. Imò verò de Ecclesiæ fructibus, ne assem quidem

donare constituisse, nisi ex Cardinalium omnium sententiâ. Ita Platus de Dignit. Cardin. c. 25. Extitit etiam nostris ferè temporibus memorabile factum Adriani VI, quem in propinquos universos ita moderatum fuisse ferunt, ut etiam quibusdam durior videretur. Nam patruelis filium in Senensi gymnasio litteris studentem, quòd non vocatus Romam venisset, confestim meritorio equo impositum remisit; et alios satis arctâ affinitate conjunctos, qui ex Germaniâ ad eum accurrerant, cum singulis sagum laneum, et mediocre viaticum donâsset, pedibus item uti venerant, reverti jussit. Idem ibidem. S. Richardus episcopus Cicestrensis consanguineos suos, etiam maturos et habiles ad beneficia ecclesiastica admittere noluit ullâ ratione, sciens pastorum principem Dominum nostrum Jesum Christum, non B. Joanni Evanlistæ ipsius cognato, sed B. Petro, sanguine illi minimè conjuncto, regni cœlorum claves tradidisse. Ita habet Vita ejus apud Surium 3 april. O quàm multis hodie beneficia sunt maleficia, quàm multi officia quasi offas lethiferas glutiunt! Qui enim ea cognatis vel amicis indoctis, impuris, vitiosis et indignis conferunt, non beneficia sed veneficia eis largiuntur, quibus ipsi suas et suorum animas occidunt, et ad tartara mittunt. Hi ludunt in patrimonio Christi et reipubl. quasi illud propria et avita foret hæreditas, neque cogitant ejus se tantùm esse dispensatores, non dominos: non cogitant quòd dispensationis hujus sibi creditæ strictam ab eis rationem exiget Christus; non cogitant se, utpote pastores, pascere debere totam Ecclesiam Dei, non hunc illumve cognatum cum tanto multorum et boni communis dispendio. Væ prælatis, væ principibus!

Vers. 23. — Replicavit, retulit, enarravit; hebr. est, *præcepit*.

CAPUT XXVIII.

1. Dixit quoque Dominus ad Moysen: — 2. Præcipe filiis Israel, et dices ad eos: Oblationem meam et panes, et incensum odoris suavissimi offerte per tempora sua. — 3. Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis: agnos anniculos immaculatos duos quotidiè in holocaustum sempiternum: — 4. unum offeretis manè, et alterum ad vesperum: — 5. decimam partem ephi similæ, quæ conspersa sit oleo purissimo, et habeat quartam partem hin. — 6. Holocaustum juge est quod obtulistis in monte Sinaï in odorem suavissimum incensi Domini. — 7. Et libabitis vini quartam partem hin per agnos singulos in sanctuario Domini. — 8. Alterumque agnum similiter offeretis ad vesperam, juxta omnem ritum sacrificii matutini, et libamentorum ejus, oblationem suavissimi odoris Domino. — 9. Die autem sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, et duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, et liba, — 10. quæ ritè funduntur per singula sabbata in holocaustum sempiternum. — 11. In calendis autem offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos; — 12. et tres decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio per singulos vitulos: et duas decimas similæ oleo conspersæ per singulos arietes; — 13. et decimam decimæ similæ ex oleo in sacrificio per agnos singulos; holocaustum suavissimi odoris atque incensi est Domino. — 14. Libamenta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt: media pars hin per singulos vitulos, tertia per arietem, quarta per agnum; hoc erit holocaustum per omnes menses, qui sibi anno vertente succedunt. — 15. Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocaustum sempiternum cum libamentis suis. — 16. Mense autem primo, quartâ decimâ die mensis, phase Domini erit, — 17. et quintâ decimâ die solemnitas; septem diebus vescentur azymis. — 18. Quarum dies prima venerabilis et sancta erit: omne opus servile non facietis in eâ. — 19. Offeretisque incensum holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem. — 20. Et sacrificia singulorum ex similâ quæ conspersa sit oleo, tres decimas per singulos vitulos, et duas decimas per arietem; — 21. Et decimam decimæ per agnos singulos; id est, per septem agnos. — 22. Et hircum pro peccato unum, ut expietur pro vobis. — 23. Præter holocaustum matutinum quod semper offeretis. — 24. Ita facietis per singulos dies septem dierum in fomitem ignis, et in odorem suavissimum Domino, qui surget de holocausto, et de libationibus singulorum. — 25. Dies quoquè septimus celeberrimus, et sanctus erit vobis: omne opus servile non facietis in eo. — 26. Dies etiam primitivorum, quando offeretis novas fruges Domino, expletis hebdomadibus, venerabilis, et sancta erit: omne opus servile non facietis in eâ. — 27. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, et agnos anniculos immaculatos septem. — 28. Atque in

sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, per arietes duas; — 29. per agnos decimam decimæ, qui simul sunt agni septem; hircum quoque — 30. qui mactatur pro expiatione præter holocaustum sempiternum et liba ejus. — 31. Immaculata offeretis omnia cum libationibus suis.

---

1. Le Seigneur dit ensuite à Moïse : *Afin que les Israélites n'oublient pas de m'offrir les sacrifices que je leur ai prescrits :* — 2. ordonnez ceci *de nouveau* aux enfants d'Israël, et dites-leur *de ma part* : Offrez moi aux temps que je vous ai marqués les oblations qui me doivent être offertes, les pains et les hosties d'une odeur très-agréable qui se brûlent devant moi. *Vous n'avez pu jusqu'à présent satisfaire exactement à ces devoirs, à cause des mouvements continuels où vous avez été dans le désert; mais vous allez bientôt entrer dans la terre que le Seigneur vous a promise; et alors vous pourrez aisément exécuter sur cela ses ordres.* — 3. Voici *donc* les sacrifices que vous devez offrir *au Seigneur :* Vous offrirez tous les jours deux agneaux de l'année, *qui soient* sans tache, *c'est-à-dire, sans défauts,* comme un holocauste perpétuel; — 4. l'un le matin, *avant tout autre sacrifice;* et l'autre le soir, *après tous les sacrifices. Vous les offrirez* — 5. avec un dixième d'éphi de farine, qui soit mêlée avec une mesure d'huile très-pure, de la quatrième partie du hin. — 6. C'est l'holocauste perpétuel que vous avez offert sur la montagne de Sinaï, comme un sacrifice d'une odeur très-agréable au Seigneur, qui était consumé par le feu. *Vous l'offrirez de même, à perpétuité.* — 7. Et vous offrirez pour offrande de liqueur, une mesure de vin de la quatrième partie du hin, pour chaque agneau, dans le sanctuaire du Seigneur. — 8. Vous offrirez de même au soir, l'autre agneau avec toutes les mêmes cérémonies du sacrifice du matin, et ses offrandes de liqueur, comme une oblation d'une odeur très-agréable au Seigneur. — 9. Le jour du sabbat, *outre le sacrifice perpétuel qui s'offre le matin et le soir,* vous offrirez *encore* deux agneaux de l'année, *qui soient* sans tache, avec deux dixièmes de farine, mêlée avec l'huile, *comme il se pratique* pour le sacrifice; et *vous ferez* les offrandes de liqueurs — 10. qui se répandent selon qu'il est prescrit chaque jour de la semaine, pour servir à l'holocauste perpétuel. — 11. Au premier jour du mois, vous offrirez au Seigneur en holocauste deux veaux du troupeau, un bélier, sept agneaux d'un an, *qui soient* sans tache; — 12. et trois dixièmes de farine mêlée avec l'huile, pour le sacrifice de chaque veau, et deux dixièmes de farine mêlée avec l'huile, pour chaque bélier. — 13. Vous offrirez aussi la dixième partie d'un *éphi, qui est le* dixième *d'un coré* de farine mêlée avec l'huile, pour le sacrifice de chaque agneau. C'est un holocauste d'une odeur très-agréable et d'une oblation consumée par le feu, à la gloire du Seigneur. — 14. Voici les offrandes de vin qu'on doit répandre pour chaque victime : une moitié du hin pour chaque veau, une troisième partie pour le bélier, et une quatrième pour l'agneau. Ce sera là l'holocauste qui s'offrira tous les mois qui se succèdent l'un à l'autre dans tout le cours de l'année. — 15. On offrira aussi au Seigneur un bouc pour les péchés, outre l'holocauste perpétuel, qui s'offre avec ces oblations de farine et de liqueur. — 16. Le quatorzième jour du premier mois sera la pâque du Seigneur : — 17. et la fête solennelle sera le quinzième. On mangera pendant sept jours des pains sans levain. — 18. Le premier jour sera particulièrement vénérable et saint. Vous ne ferez point ce jour-là d'œuvre servile. — 19. Vous offrirez au Seigneur en sacrifice d'holocauste deux veaux du troupeau, un bélier, et sept agneaux d'un an, qui soient sans tache. — 20. Les offrandes de farine pour chacun, seront de farine mêlée avec l'huile; trois dixièmes *d'un éphi* pour chaque veau, deux dixièmes pour le bélier, — 21. et une dixième partie d'un *éphi, qui est le* dixième *d'un coré,* pour chaque agneau, c'est-à-dire pour *chacun des* sept agneaux; — 22. avec un bouc pour le péché, afin que vous en obteniez l'expiation; — 23. sans compter l'holocauste du matin, que vous offrirez toujours. — 24. Vous ferez chaque jour ces oblations pendant sept jours, pour entretenir le feu *de l'autel,* et l'odeur très-agréable au Seigneur, qui s'élèvera de l'holocauste et des oblations qui accompagneront chaque victime. — 25. Le septième jour vous sera aussi très-célèbre et saint : vous ne ferez point en ce jour-là d'œuvre servile. — 26. Le jour des prémices, où, après l'accomplissement des *sept* semaines depuis *pâques,* vous offrirez au Seigneur les *pains faits de* nouveaux grains, vous sera aussi vénérable et saint : vous ne ferez aucune œuvre servile ce jour-là. — 27. Et vous offrirez au Seigneur en holocauste d'une odeur très-agréable, deux veaux du troupeau, un bélier, et sept agneaux d'un an, qui soient sans tache *et sans*

défaut, — 28. avec les oblations qui doivent les accompagner dans le sacrifice, savoir : trois dixièmes de farine mêlée avec l'huile pour chaque veau, deux pour les béliers; — 29. et la dixième partie d'un *éphi, qui est le* dixième *d'un coré*, pour les agneaux ; c'est-à-dire, pour chacun des sept agneaux. — 30. Vous offrirez aussi le bouc, qui est immolé pour l'expiation *du péché*, outre l'holocauste perpétuel, accompagné de ses oblations. — 31. Toutes ces victimes que vous offrirez avec leurs oblations seront sans tache *et sans défaut*.

Nota. Hoc cap. et sequenti, passim per sacrificium, intelligitur farreum, puta mincha : incensum verò vocatur, non thymiama, sed victima incensa et cremata Deo : holocaustum denique sempiternum vocatur juge sacrificium agni.

Vers. 1.—Dixit quoque Dominus ad Moysen. Non constat quando et ubi hæc dixerit Deus : verisimile tamen est hic servari ordinem temporis et narrationis (nihil enim obstat eum servari) ac proinde hæc dicta esse Mosi, paulò ante mortem ejus, anno quadragesimo exitûs ex Ægypto, in ultimâ mansione. Ita Abul.

Vers. 2. — Oblationem meam et panes, et incensum odoris suavissimi offerte. Per *oblationem, panes,* et *incensum* intelligit, non panes propositionis, nec thymiama, sed tantùm victimas Deo oblatas et incensas. Hæ enim sunt panis, id est, cibus Dei, id patet ex Hebræo, qui sic habet : *Oblationem meam* (scilicet) *panem meum* (id est, victimas meas) *per ignitiones meas* (quibus scilicet, hæ victimæ per ignem Deo igniuntur et cremantur) *in odorem suavitatis offerte*.

Vers. 3. — Agnos anniculos immaculatos duos quotidie. Describitur hîc sacrificium quotidie bis, scilicet semel mane, secundò vespere offerendum, quod proinde *juge* dicebatur. Victima offerenda erat non vitulus, nec hædus (qui in paschate offerri poterat), sed agnus. Hunc enim tantùm significat Hebr. *kebes*.

Nota primò : agnus hic debebat totus Deo, quasi summo omnium Domino, cremari fieri que holocaustum. Secundò, unus cremabatur mane, alter vespere, ut tam in initio, quàm in fine diei, Deum hâc latriâ colerent, cum eoque sicut orsi erant, ita et finirent diem. Quis ergo Christianus negligat orationem matutinam et vespertinam, quâ Deo vespere pro beneficiis diurnis, mane pro nocturnis gratias agat, eique se suaque omnia commendet? Tertiò, agnus debebat esse anniculus, id est, annum non excedere; unde putat Abulensis anniculum, sive unius anni dici, etiamsi tantùm esset octo dierum; nam post octo dies Deo sacrificari poterant agni, hædi et vituli, ut patet Exodi 22, 30. Quartò, debebat esse immaculatus, id est, integer, et sine vitio corporis; poterat tamen esse albus, niger, et habere maculas albas, vel nigras. Quintò, cuilibet agno loco libaminis addi debebat decima pars, sive assaron similæ, conspersæ oleo, quod habebat mensuram quartæ partis hin; etiam quarta pars hin vini, quod pariter libandum, id est, effundendum, erat super agnum et similam, cum iisque cremandum; intellige hæc de parte vini, et de pugillo farinæ, seu mincha. Hic enim solus cremabatur cum agno, reliquum verò similæ et vini cedebat sacerdoti offerenti, uti dixi c. 15, 5, et docet hîc Abulens. Assaron similæ sunt circiter quatuor libræ ; quarta pars hin sunt tres scyphi tredecim unciarum aquæ vel vini.

Vers. 6.—Holocaustum juge est, quod obtulistis in monte Sinai. Hinc satis colligitur Hebræos in deserto non obtulisse hos agnos, nec sacrificâsse post discessum è Sina per annos 38, in Sinai autem oblatum esse juge sacrificium, patet Levit. 9, 17. Exodi 29, 38. In Sina enim institutum est sacerdotium et sacrificia, ibique Aaron et filii ejus suas primitias sacrificando celebrârunt.

Incensi. Hebr. *ignitionis*, id est, sacrificii igniti, et cremati Deo. Vide dicta v. 2.

Vers. 9. — Die autem sabbati offeretis duos agnos. Hæ sunt victimæ pro festo sabbati, scilicet duo agni. Mane ergo sabbati tres agni immolabantur, scilicet unus pro jugi sacrificio, duo pro sabbato ; patet ex Hebræo, ut mox ostendam.

Et duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, ad sacrificium, puta ad mincha; hoc enim passim in Levitico significat *sacrificium*, scilicet ut sit farreum, non carneum.

Vers. 9 et 10.—Et liba (libamina similæ, olei et vini) quæ ritè funduntur per singula sabbata, in holocaustum sempiternum. Hebr. et Chald. est : *Holocaustum sabbati in sabbato suo*, id est, quolibet sabbato offerentur agni duo, jam dicti, *præter holocaustum juge, et libamen ejus*. Itaque quod noster vertit, *et liba*, etc., eodem modo intelligendum est, q. d. : Præter sacrificium sabbati, offeretis et liba, id est, libamina, quæ ritè funduntur juxta legem per singula sabbata, id est, per singulos dies (hos enim sæpè signi-

ficat sabbatum) in, vel ad, holocaustum juge et sempiternum. Ita Abulens. Unde patet in sabbato, uti et in aliis festis, servatum fuisse juge sacrificium diurnum, sed præter hoc proprium festi sabbati fuisse, ut ob sabbatum immolarentur alii duo agni, qui mane uti et cæteræ victimæ, post oblationem jugis sacrificii, simul immolabantur. Ita Abulensis. Pari modo, si duo festa in unum diem coinciderent, fiebant eo die sacrificia propria singulorum festorum, atque insuper sacrificium juge, quod primum erat, cæteraque præibat. Sic festum tubarum incidebat semper in neomeniam, puta in calendas mensis septimi, fierique poterat, ut hic primus dies esset sabbatum, et tunc victimæ tam sabbati quàm tubarum et neomeniæ, post juge sacrificium offerri debebant. Sic pascha et pentecoste incidere poterant in sabbatum, non tamen in calendas, quia pascha nunquàm in primum, sed semper in decimum quartum diem mensis primi : pentecoste verò semper in sextum diem mensis tertii incidebat.

Vers. 11. — In calendis autem offeretis holocaustum. Calendæ erant prima dies mensis, quæ et neomenia sive novilunium dicitur, eò quòd Hebræi menses suos computarent secundùm cursum lunæ, videlicet ab uno novilunio ad aliud, ita ut prima dies mensis semper incideret in novilunium. Hæc prima dies mensis propriè non erat festum : quia in illâ non cessabatur ab opere servili ex præcepto Dei; licet fortè ex devotione multi ab opere cessarent, quod innuit S. Augustinus, cùm ait : « Meliùs facerent Judææ mulieres, si in neo« meniis nerent, quàm in iis impudicè salta« rent. » Unde Levit. 23, inter festa non numeratur neomenia. Erat tamen ipsa clangore tubarum et sacrificiis solemnis, ut patet ex hoc loco, et ex Num. 10, v. 10; et ex Psal. 80, 4 : *Buccinate*, inquit, *in neomeniâ tubâ, in insigni die solemnitatis vestræ*. Porrò novilunium et prima dies mensis, licet in eamdem diem inciderent, tamen non semper incidebant in eamdem horam : nam cùm ab uno novilunio ad alterum interfluant 29 dies et 12 horæ, dies verò quælibet habeat 24 horas : hinc factum est ut mensis Hebræorum alternis vicibus haberet nunc 29, nunc 30 dies, junctis videlicet 12 horis excrescentibus utriusque mensis, puta præsentis et præteriti, ad conflandum trigesimum diem. Quare si ponamus, verbi gratiâ, primo mense, qui 29 est dierum, eâdem horâ incipere novilunium, et primam diem mensis, necesse est, sequenti mense, qui 30 habet dies, novilunium, non primâ primæ diei horâ, sed post 12 horas, puta vespere ejusdem diei, incipere. Duodecim enim horæ ex præcedenti novilunio et mense, in sequentem mensem, ejusque primum diem rejectæ sunt, post quas incipit novilunium sequens.

Hinc patet nullos Hebræorum menses intercalares, fuisse 22 et 23 dierum, uti Sigonius et aliqui alii voluerunt ; sed omnes aut 20 aut 30 dierum fuisse; nam alioqui calendæ fuissent celebratæ aliâ die, quàm novilunii, et prima dies mensis non incidisset in novilunium : quod ex dictis patet esse falsum. Unde Judæi etiamnum, instante novilunio, turriculas in synagogis conscendunt, et diligenter observant lunæ ortum, ac eâ exortâ, statim tubæ sonitu neomeniam denuntiant. Similiter menses suos per lunationes descripserunt prisci Romani, ante reformationem anni per menses solares, uti docet Macrob. I. 1 Saturnal. Hinc patet secundò, annum Hebræorum aliquando incœpisse ante æquinoctium vernum, aliquando post illud : nam intercalatio quæ alternis annis, vel tertio quoque anno fiebat, faciebat, ut sequentis anni primus mensis incideret post æquinoctium : cujus ratio erat, quòd mensis intercalaris erat ultimus anni, ideòque non primus, sed decimus tertius, qui proindè vicinior erat æquinoctio, quàm primus mensis anni sequentis, ac proindè primus mensis anni sequentis æquinoctium non præcedere, sed sequi debebat, uti docet Abul. in Levit. 23. Patet tertiò, menses Hebræorum non respondisse ex æquo Romanis mensibus solaribus. Sic enim et nunc videmus, novilunium sæpè non concurrere cum primo die mensis, sed multò post agi, ideòque lunationem unam, unumque mensem lunarem, partim in unum mensem solarem, partim in alterum sequentem incidere.

Quæres, quæ fuerunt causæ, cur Deus instituerit neomeniam ?— Respondeo : Prima fuit ad recolendum beneficium gubernationis divinæ ; sicut enim sabbato celebrabant Hebræi memoriam creationis, ita neomeniâ gubernationis divinæ. Hæc enim appositè significatur novilunio : nam luna inferioribus hisce corporibus dominatur, eaque maximè in novilunio immutare solet. Ita Lyranus hic, et S. Thomas 1-2, q. 102, art. 4, ad 10. Neomeniam ergo celebrando, Judæi agebant gratias Deo de beneficio gubernationis, eoque omni, sed maximè de eo, quod Deus præstat nobis per influxum solis, lunæ et aliorum corporum cœlestium.

Hâc de causâ gentiles Romani « annum Jovi, « id est, soli, menses Junoni, id est, lunæ, « consecrârunt. Sol enim efficit annum, luna « menses. Porrò luna dicta est Juno à juve- « nescendo ; et Lucina quasi lucida : putant- « que eam in partubus auxilium ferre mulie- « ribus. Unde illud »

Per cæruleum astrorum polum,
Partus celerantemque lunam.

Facillimè enim mulieres sub plenilunium videntur prolem eniti, inquit Plutarchus in Quæst. Roman. Rursùm gentiles ut gubernationem divinam profiterentur, docebant duodecim deos duodecim mensibus præsidere. Siquidem Januarii tutelam credebatur habere Juno, Februarii Neptunus, Martii Minerva, Aprilis Venus, Maii Apollo, Junii Mercurius, Julii Jupiter, Augusti Ceres, Septembris Vulcanus, Octobris Mars, Novembris Diana, Decembris Vesta, uti docet Giraldus syntagmate 1.

Secunda, ut Hebræi primitias, tam temporis et mensium, quàm frugum Deo dependerent ; hinc in neomeniâ offerebant in holocaustum vitulos duos, arietem unum, agnos septem, cum suis libamentis, ut hoc versu dicitur : item hircum unum pro peccato, ut dicitur v. 15. Tertia, ut à Deo per sacrificia et preces, decursum totius mensis faustum et salutarem ipso ejus initio peterent et impetrarent.

Quarta, ad legem Dei, et ea quæ illo mense agenda erant, in tabernaculo audiendum. Hâc de causâ et apud Romanos in calendis populus confluebat in urbem, ut quisque disceret et intelligeret, quid eo mense in divinis humanisque rebus faciendum incumberet ; unde pontifex calatâ, id est, vocatâ, in Capitolium plebe, quot ad nonas dies superessent, repetitâ voce *calo* significabat, indeque calendis nomen est indutum, de quo fusè Macrob. lib. 1 Saturn. Atque à calendis calendaria sunt dicta, scilicet diaria, in quibus calendæ singulorum mensium cum cæteris diebus erant descriptæ. Hæc commodè applices primæ Dominicæ mensis, quâ Christiani religiosores solent spiritum innovare, confiteri, communicare, Deo pro beneficiis mense elapso acceptis gratias agere, eique auspicia mensis ineuntis, totumque mensem offerre, atque omnia prospera in eo petere, quam ad rem iis in Ecclesiis nostris plenariæ indulgentiæ à summis pontificibus concessæ sunt : nec enim decet Christianos in hâc pietate et gratitudine cedere Judæis.

Vers. 13. — Et decimam decimæ similæ ex oleo. Decima decimæ erat una decima. Nam sicut pro vitulo tres decimas, pro ariete duas, ita pro agno unam decimam similæ, in libamen offerebant, ut patet c. 15, v. 5 ; illa ergo una decima, hic et v. 21, vocatur decima decimæ, id est, decima pars ephi, quod erat decima pars cori : corus enim continebat decem ephi : ephi autem continebat decem decimas sive assarones. Assaron ergo, sive decima, erat decima pars decimæ, id est, ephi, sed centesima pars cori (decies enim decem sunt centum). Pro *decimâ decimæ*, hebr. est, *assaron assaron ;* quod cum Chald. sic quoque verti posset : *Et singulas decimas per agnos singulos ;* geminatio enim Hebræa distribuit, idemque valet quod, *per singulos.*

Vers. 15. — Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis, in holocaustum sempiternum cum libamentis suis. Hucusque descripsit holocausta in calendis sive in neomeniâ immolanda ; nunc describit victimam pro peccato, in calendis immolandam : ea erat hircus. Talmudici fabulantur hunc hircum singulis calendis immolatum fuisse pro peccato, non populi, sed Dei, quod ipse, inquiunt, commisit, cùm imminuit lucem lunæ, et fecit eam deficere, cùm antea luna æquale lumen cum sole haberet, idque, quia luna dixerat Deo, unum regem non debere habere duas coronas : cupiens, ut soli Deus lumen detraheret, itàque ipsa solem suo splendore vinceret. Sed hæc tam stolida sunt et stulta, quàm blasphema. Dico ergo, hunc hircum fuisse oblatum pro peccatis totius populi, indeterminatè et in genere toto anno, sed maximè præcedente mense elapso commissis.

Quæres, quomodò hic hircus pro peccato, vocatur *holocaustum sempiternum ?* Rursùm quæ habebat libamenta ? Responderi posset hircum hunc vocari holocaustum sempiternum, per catachresin : quia scilicet semper stato tempore, puta in calendis, adeps hirci debebat cremari Deo : caro enim reliqua cedebat sacerdoti juxta legem Levit. 6, 25. Simili modo adeps hostiæ pacificæ dicitur cremari in holocaustum c. 3, 5. Rursùm, per *libamenta* hic intelligi posset sal ; nam mincha, id est, simila, vinum et oleum, non libabantur in victimis pro peccato, uti dictum est c. 15, 3, nec thus cum eis adolebatur, ut patet Levit. 5, 12.

Verùm hæc videntur arcta et contorta. Unde dico, sensum hujus loci eruendum esse ex Hebræo, quem clarè et planè sic vertunt Chald., Septuag., Vatabl. et alii : *Hircum pro peccato offeretis, ultra holocaustum juge, cum libamentis*

ejus, q. d. : In calendis offeretis hircum pro peccato, ultra et post juge sacrificium. Nam holocaustum juge, nec in calendis, nec aliàs unquàm, esto plurimæ aliæ offerrentur victimæ, intermitti poterat, illudque sua habebat libamina similæ, olei et vini. Id ita esse secundò patet ex eo quòd simili prorsùs modo dixit vers. 10, in sabbato offerendos esse duos agnos ultra sacrificium juge, uti patet ex Hebræo; ibi enim eadem verba sunt, quæ hic. Simili etiam modo vers. 23 dicit, in paschate offerendas esse victimas paschales, *præter holocaustum matutinum*, uti vertit noster interpres, idemque repetit in singulis aliis festis versu ultimo, et c. seq. v. 6 et 11, et 16, et 22, et 23, et 28, et 31, et 34, et 38. Non est ergo dubium quin idem de calendis dicere voluerit. Quare nostra versio hoc loco, simili modo juxta Hebræum, Chald. et Septuag. exponenda est, ut τὸ *in holocaustum*, idem sit quòd *ad holocaustum*, cum holocausto, ultra holocaustum. Sic vulgò dicimus : Rex dedit vestes aureas filiæ suæ in dotem, id est, ad dotem, id est, ultra dotem, cum dote : nec enim vestes in dotem ipsam dari solent : et præpositio *in*, sæpè sumitur pro *ad*, *cum*, etc. Fortè etiam pro *inholocaustum*, legendum est, *insuper holocaustum*, uti vult Abulens. qui censet textum Latinum hîc esse corruptum vel mutilum, vitio librariorum.

Vers. 16. — Phase Domini erit; festum paschæ erit.

Vers. 19. — Offeretisque incensum holocaustum Domino. Pro *incensum* hebr. est, *ignitionem*, id est, victimam quæ igne cremetur, fiatque holocaustum. Ex hoc v. patet in festo paschæ oblatos fuisse in holocaustum duos vitulos, arietem unum, agnos septem cum suis libamentis, atque hircum unum pro peccato.

Vers. 22 et 23. — Ut expietur (ut fiat expiatio) pro vobis, præter holocaustum matutinum. Intellige et vespertinum : sed illud hîc non exprimitur : quia de eo non erat causa dubitandi, uti de matutino : hoc enim videri poterat omitti posse, quando mane eodem, tam multa alia sacrificia immolabantur : unde Deus expressè jubet illud non omitti.

Vers. 24. — In fomitem ignis. Hebr. ad panem, vel cibum ignis, id est, ad nutrimentum ignis.

Vers. 26. — Dies etiam primitivorum, in quâ offerebant primas fruges maturas, id est, panes ex primis frugibus, puta dies pentecostes, quæ celebratur expletis septem hebdomadibus, numeratis à secundo die azymorum, venerabilis et sancta erit.

Vers. 27. — Offeretisque holocaustum. Eædem victimæ jubentur hîc offerri in festo pentecostes, quæ jussæ sunt offerri in paschate v. 19.

Nota has victimas esse alias ab iis de quibus Levit. 23, 18, ut ibi dixi.

CAPUT XXIX.

1. Mensis etiam septimi prima dies venerabilis et sancta erit vobis : omne opus servile non facietis in eâ, quia dies clangoris est et tubarum. — 2. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum et agnos anniculos immaculatos septem; — 3. et in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem, — 4. unam decimam per agnum, qui simul sunt agni septem : — 5. et hircum pro peccato, qui offertur in expiationem populi, — 6. præter holocaustum calendarum cum sacrificiis suis, et holocaustum sempiternum cum libationibus solitis. Eisdem cæremoniis offeretis in odorem suavissimum incensum Domino. — 7. Decima quoque dies mensis hujus septimi erit vobis sancta atque venerabilis, et affligetis animas vestras; omne opus servile non facietis in eâ. — 8. Offeretisque holocaustum Domino in odorem suavissimum vitulum de armento unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem : — 9. et in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem, — 10. decimam decimæ per agnos singulos, qui sunt simul agni septem, — 11. et hircum pro peccato, absque his quæ offerri pro delicto solent in expiationem, et holocaustum sempiternum, cum sacrificio et libaminibus eorum. — 12. Quintâ decimâ verò die mensis septimi, quæ vobis sancta erit atque venerabilis, omne opus servile non facietis in eâ, sed celebrabitis solemnitatem Domino septem diebus. — 13. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim : — 14. et in libamentis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per vitulos singulos, qui sunt simul vituli tredecim : et duas decimas arieti uno, id est, simul arietibus duobus, — 15. et decimam decimæ agnis singulis, qui sunt simul agni quatuordecim : — 16. et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, et sacrificio, et libamine ejus. — 17. In die altero offeretis vitulos de armento duodecim, arietes duos, agnos anniculos immacu-

latos quatuordecim : — 18. sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos, et arietes, et agnos ritè celebrabitis, — 19. et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque et libamine ejus. — 20. Die tertio offeretis vitulos undecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim : — 21. sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos, et arietes, et agnos ritè celebrabitis : — 22. et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque et libamine ejus. — 23. Die quarto offeretis vitulos decem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim, — 24. sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos, et arietes, et agnos ritè celebrabitis, — 25. et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine. — 26. Die quinto offeretis vitulos novem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim, — 27. sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes, et agnos ritè celebrabitis : — 28. et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine. — 29. Die sexto offeretis vitulos octo, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim, — 30. sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos, et arietes, et agnos ritè celebrabitis, — 31. et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine. — 32. Die septimo offeretis vitulos septem, et arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim, — 33. sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos, et arietes et agnos ritè celebrabitis, — 34. et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine. — 35. Die octavo, qui est celeberrimus, omne opus servile non facietis, — 36. offerentes holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem, — 37. sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos ritè celebrabitis, — 38. et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine. — 39. Hæc offeretis Domino in solemnitatibus vestris, præter vota et oblationes spontaneas in holocausto, in sacrificio, in libamine, et in hostiis pacificis.

---

1. Le premier jour du septième mois vous sera aussi vénérable et saint : vous ne ferez aucune œuvre servile en ce jour-là parce que c'est le jour du son éclatant, et *du bruit* des trompettes, *avec lesquelles on annonce que ce jour est le premier de l'année civile.* — 2. Vous offrirez *ce jour-là* au Seigneur en holocauste d'une odeur très-agréable, un veau du troupeau, un bélier et sept agneaux d'un an, qui soient sans tache ; — 3. avec les oblations qui doivent les accompagner dans le sacrifice, savoir : trois dixièmes de farine mêlée avec l'huile pour chaque veau, deux dixièmes pour le bélier, — 4. un dixième pour chaque agneau, c'est-à-dire pour chacun des sept agneaux ; — 5. et le bouc pour le péché, qui est offert pour l'expiation *des péchés* du peuple, — 6. sans compter l'holocauste des premiers jours du mois, avec ses oblations, et l'holocauste perpétuel, avec les offrandes de farine et de liqueur accoutumées, que vous offrirez toujours avec les mêmes cérémonies, comme une odeur très-agréable, qui se brûle devant le Seigneur. — 7. Le dixième jour de ce septième mois vous sera aussi saint et vénérable : vous affligerez vos âmes en ce jour-là, et vous n'y ferez aucune œuvre servile. — 8. Vous offrirez au Seigneur en holocauste d'une odeur très-agréable, un veau du troupeau, un bélier et sept agneaux d'un an, qui soient sans tache ; — 9. avec les oblations qui doivent les accompagner dans le sacrifice, savoir, trois dixièmes de farine mêlée avec l'huile pour chaque veau, deux dixièmes pour le bélier, — 10. La dixième partie d'un dixième pour chaque agneau, c'est-à-dire, pour chacun des sept agneaux ; — 11. avec le bouc pour le péché, outre les choses qu'on a coutume d'offrir pour l'expiation de la faute, et sans compter l'holocauste perpétuel, avec ses oblations de farine et ses offrandes de liqueur. — 12. Au quinzième jour du septième mois, qui vous sera saint et vénérable, vous ne ferez aucune œuvre servile, mais vous célébrerez en l'honneur du Seigneur une fête solennelle pendant sept jours. — 13. Vous offrirez au Seigneur en holocauste, d'une odeur très-agréable, treize veaux du troupeau, deux béliers, et quatorze agneaux d'un an, qui soient sans tache *et sans défaut :* — 14. avec les oblations qui doivent les accompagner, savoir, trois dixièmes de farine, mêlée avec l'huile pour chaque veau, c'est-à-dire, pour chacun des treize veaux ; deux dixièmes pour un bélier, c'est-à-dire, pour chacun des deux béliers ; — 15. La dixième partie d'un dixième pour chaque agneau, c'est-à-dire pour chacun des quatorze agneaux ; — 16. et le bouc qui s'offre

pour le péché, sans compter l'holocauste perpétuel, et ses oblations de farine et de liqueur. — 17. Le second jour vous offrirez douze veaux du troupeau, deux béliers, quatorze agneaux d'un an, qui soient sans tache. — 18. Vous y joindrez aussi, selon qu'il vous est prescrit, les oblations de farine et de liqueur, pour chacun des veaux, des béliers et des agneaux, — 19. avec le bouc pour le péché, sans compter l'holocauste perpétuel et ses oblations de farine et de liqueur *qui doivent l'accompagner*. — 20. Le troisième jour, vous offrirez onze veaux, deux béliers, quatorze agneaux d'un an, qui soient sans tache. — 21. Vous y joindrez aussi, selon qu'il vous est prescrit, les oblations de farine et de liqueur, pour chacun des veaux, des béliers et des agneaux, — 22. avec le bouc pour le péché, sans compter l'holocauste perpétuel, et ses oblations de farine et de liqueur.—23. Le quatrième jour vous offrirez dix veaux, deux béliers et quatorze agneaux d'un an, qui soient sans tache. — 24. Vous y joindrez aussi, selon qu'il vous est prescrit, les oblations de farine et de liqueur pour chacun des veaux, des béliers et des agneaux, — 25. et le bouc pour le péché, sans compter l'holocauste perpétuel, et ses oblations de farine et de liqueur. — 26. Le cinquième jour, vous offrirez neuf veaux, deux béliers et quatorze agneaux d'un an, qui soient sans tache. — 27. Vous y joindrez aussi, selon qu'il vous est prescrit, les oblations de farine et de liqueur pour chacun des veaux, des béliers et des agneaux, — 28. et le bouc pour le péché, sans compter l'holocauste perpétuel, et ses oblations de farine et de liqueur. — 29. Le sixième jour, vous offrirez huit veaux, deux béliers et quatorze agneaux d'un an, qui soient sans tache. — 30. Vous y joindrez aussi, selon qu'il vous est prescrit, les oblations de farine et de liqueur pour chacun des veaux, des béliers et des agneaux, — 31. et le bouc pour le péché, sans compter l'holocauste perpétuel et ses oblations de farine et de liqueur. — 32. Le septième jour, vous offrirez sept veaux, deux béliers et quatorze agneaux d'un an, qui soient sans tache. — 33. Vous y joindrez aussi, selon qu'il vous est prescrit, les oblations de farine et de liqueur pour chacun des veaux, des béliers et des agneaux, — 34. et le bouc pour le péché, sans compter l'holocauste perpétuel, et ses oblations de farine et de liqueur. — 35. Le huitième jour, qui sera le plus célèbre, vous ne ferez aucune œuvre servile ; — 36. et vous offrirez au Seigneur en holocauste d'une odeur très-agréable un veau, un bélier et sept agneaux d'un an, qui soient sans tache. — 37. Vous y joindrez aussi, selon qu'il vous est prescrit, les oblations de farine et de liqueur pour chacun des veaux, des béliers et des agneaux, — 38. et le bouc pour le péché, sans compter l'holocauste perpétuel, et ses oblations de farine et de liqueur. — 39. Voilà ce que vous offrirez au Seigneur dans vos fêtes solennelles, sans compter les holocaustes, les oblations de farine et de liqueur et les hosties pacifiques que vous offrirez à Dieu, soit pour vous acquitter de vos vœux, ou volontairement : *lesquelles oblations ne vous dispenseront jamais de celles que le Seigneur vous a prescrites.*

Vers. 1. — Dies clangoris et tubarum est. Festum tubarum celebrabatur die primo mensis septimi ; de hoc festo dixi Levit. 23, 24.

Vers. 3. — Per singulos vitulos, id est, per vitulum. Ita Hebr. Unus enim tantùm vitulus quotannis offerebatur in festo tubarum, scilicet singulis annis singuli vituli, et hoc voluit noster interpres.

Vers. 6. — Præter holocaustum calendarum. Festum enim tubarum incidebat in calendas septimi mensis : unde in eo tam victimæ propriæ calendis, quàm victimæ propriæ festo tubarum, immolari debebant, post juge sacrificium agni, ut dixi c. præced. v. 10, unde idipsum hîc repetitur et inculcatur in festo expiationis v. 11, et in singulis diebus festi tabernaculorum, ut patet v. 16, 19, 22, 25, 28, 31, 34, 38.

Vers. 7. — Decima quoque dies mensis hujus septimi erit vobis sancta. Illa enim erat festum expiationis, de quo Levit. 23, 27.

Vers. 11. — Absque his quæ offerri pro delicto solent in expiationem. Nam in die hoc expiationis, expiabatur sacerdos, populus et tabernaculum, per illationem sanguinis in Sanctum sanctorum : ad hoc autem faciendum accipiebatur et immolabatur vitulus pro peccato, et aries in holocaustum. Rursùm arietes duo, quorum alter erat emissarius, alter fiebat holocaustum, de quibus Levit. 16. Illa ergo sacrificia præmittebantur ad expiationem, quâ factâ, ad honorem festi immolabantur holocausta hîc præscripta, scilicet vitulus unus, aries unus, agni septem.

Et holocaustum sempiternum, id est, juge sacrificium.

Cum sacrificio, id est, mincha, quod addi solet jugi sacrificio.

Vers. 12. — Quinta decima verò die mensis septimi, quæ vobis sancta erit. Erat enim tunc festum tabernaculorum, quod per septem, imò per octo dies celebrabatur, de quo Levit. 23, 34. Unde hic præscribuntur victimæ singulis ejus diebus offerendæ, eæque penè eædem quolibet die, scilicet arietes duo, et agni quatuordecim, nisi quòd primo die vituli 13, secundo verò 12, tertio 11, et ita consequenter diminuendo semper offerebantur : die verò octavo, qui erat cœtûs sive collectæ, tantùm offerebant vitulum unum, arietem unum, agnos septem, ut patet v. 35.

Vers. 13. — Decimam decimæ. Unam decimam ephi, quod est decima cori, ut dixi c. præced. v. 13.

Vers. 35. — Die octavo qui est celeberrimus. Erat enim tunc festum cœtûs et collectæ, ut dixi v. 22, de quo plura dixi Levit. 23, 36.

Vers. 39. — Hæc offeretis Domino in solemnitatibus vestris : præter vota, et oblationes spontaneas in holocausto, in sacrificio, in libamine, et in hostiis pacificis, q. d. : Has victimas jam dictas, in festis præcipio, præter ea quæ ex voto, vel spontè offeretis in holocaustum, in sacrificium, id est, in mincha, in libamen, et in hostias pacificas. Ubi nota : Libamen nunquàm per se solum offerebatur, sed semper cum sacrificio : unde quando liberum et spontaneum erat sacrificium, liberum et spontaneum censebatur esse libamen.

CAPUT XXX.

1. — Narravitque Moyses filiis Israel omnia quæ ei Dominus imperârat. — 2. Et locutus est ad principes tribuum filiorum Israel : Iste est sermo quem præcepit Dominus : — 3. Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit, implebit. — 4. Mulier si quidpiam voverit, et se constrinxerit juramento : quæ est in domo patris sui, et in ætate adhuc puellari, si cognoverit pater votum quod pollicita est, et juramentum quo obligavit animam suam, et tacuerit, voti rea erit : — 5. quidquid pollicita est et juravit, opere complebit. — 6. Sin autem, statim ut audierit, contradixerit pater, et vota et juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eò quòd contradixerit pater. — 7. Si maritum habuerit, et voverit aliquid, et semel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento : — 8. quo die audierit vir, et non contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcumque promiserat. — 9. Sin autem audiens statim contradixerit, et irritas fecerit pollicitationes ejus, verbaque quibus obstrinxerat animam suam, propitius erit ei Dominus. — 10. Vidua et repudiata, quidquid voverint, reddent. — 11. Uxor in domo viri, cùm se voto constrinxerit et juramento, — 12. si audierit vir, et tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcumque promiserat. — 13. Sin autem extemplò contradixerit, non tenebitur promissionis rea, quia maritus contradixit, et Dominus ei propitius erit. — 14. Si voverit, et juramento se constrinxerit, ut per jejunium, vel cæterarum rerum abstinentiam, affligat animam suam, in arbitrio viri erit ut faciat, sive non faciat. — 15. Quòd si audiens vir tacuerit, et in alteram diem distulerit sententiam, quidquid voverat atque promiserat, reddet, quia statim ut audivit, tacuit. — 16. Sin autem contradixerit postquàm rescivit, portabit ipse iniquitatem ejus. — 17. Istæ sunt leges quas constituit Dominus Moysi, inter virum et uxorem, inter patrem et filiam, quæ in puellari adhuc ætate est, vel quæ manet in parentis domo.

---

1. Moïse rapporta aux enfants d'Israël tout ce que le Seigneur lui avait commandé. — 2. Et il dit aux princes des tribus des enfants d'Israël : Voici ce que le Seigneur a ordonné *touchant les vœux et les promesses faites avec serment :* — 3. Si un homme a fait un vœu au Seigneur, ou s'est lié par un serment, il ne manquera point à sa parole, mais il accomplira tout ce qu'il aura promis. — 4. *Il en sera de même* lorsqu'une femme aura fait un vœu, et se sera liée par un serment. *Mais* si c'est une jeune fille qui soit encore dans la maison de son père, et que le père ayant connu le vœu qu'elle a fait, et le serment par lequel elle s'est engagée elle-même, n'en ait rien dit, elle sera obligée à son vœu ; — 5. et elle accomplira effectivement tout ce qu'elle aura promis et juré. — 6. Mais si le père s'est opposé à son vœu aussitôt qu'il lui a été connu, ses vœux et ses serments seront nuls, et elle ne sera point obligée à ce qu'elle aura promis, parce que le père s'y est opposé. — 7. Si c'est une femme mariée, *demeurant encore dans la maison de son père*, qui ait fait un vœu, et si la parole étant une fois sortie de sa bouche, l'a obligée par serment, — 8. et que son mari

ne l'ait point désavouée le jour même qu'il l'a su, elle sera obligée à son vœu, et elle accomplira tout ce qu'elle aura promis. — 9. Que si son mari l'ayant su, la désavoue aussitôt, et rend vaines ses promesses et les paroles par lesquelles elle s'est engagée elle-même, *elle ne sera plus tenue à son vœu ;* et le Seigneur lui pardonnera *si elle ne l'accomplit pas.* — 10. La femme veuve et la femme répudiée accompliront tous les vœux qu'elles auront faits, *parce qu'elles ne sont plus sous la puissance d'autrui.* — 11. Si une femme étant dans la maison de son mari, s'est liée par un vœu et par un serment, — 12. et que le mari l'ayant su, n'en dise mot, et ne désavoue point la promesse qu'elle aura faite, elle accomplira tout ce qu'elle avait promis. — 13. Mais si le mari la désavoue aussitôt, elle ne sera point tenue de sa promesse, parce que son mari l'a désavouée; et le Seigneur lui pardonnera, si *elle n'exécute pas ce qu'elle a promis.* — 14. Si *donc* elle a fait vœu, et si elle s'est obligée par serment d'affliger son âme, ou par le jeûne, ou par d'autres sortes d'abstinences, il dépendra de la volonté de son mari qu'elle le fasse ou qu'elle ne le fasse pas. — 15. Que si son mari l'ayant su, n'en a rien dit, et a différé au lendemain à en dire son sentiment, elle accomplira tous les vœux et toutes les promesses qu'elle avait faites, parce que le mari n'en a rien dit, aussitôt qu'il l'a appris.— 16. Que si aussitôt qu'il a su le vœu de sa femme, il l'a désavoué, il sera lui seul chargé de toute sa faute, *et la femme doit demeurer dispensée de son serment.* — 17. Ce sont là les lois que le Seigneur a données à Moïse pour être gardées entre le mari et la femme, entre le père et la fille qui est encore toute jeune, ou *la femme mariée,* qui demeure *encore* dans la maison de son père.

Vers. 2. — Ad principes, et ad totum populum, cujus potior pars erant principes : vel *ad principes,* ut scilicet eadem referrent ad populum quisque suum, seu suæ tribûs.

Iste est sermo, quem præcepit Dominus, circa vota, ut sequitur. Est hîc aposiopesis Hebræa : Moses enim non enarrat hîc suum cum Deo de votis colloquium, sed illud involvit cum hâc enarratione suâ ad populum, quâ executus est præceptum divinum. E contrario cap. 28 et 29, enarravit præcepta Domini, sed siluit se eadem retulisse populo; et tales aposiopeses familiares sunt S. Scripturæ et Hebræis.

Vers. 3. — Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, si videlicet suam promissionem et votum confirmârit juramento.

Non faciet irritum, non violabit votum aut juramentum.

Vers. 4. — Mulier si quidpiam voverit in ætate adhuc puellari. Sub puellari intellige et puerum in ætate puerili : utriusque enim par est ratio. Ita Abulensis

Si cognoverit pater votum, etc.. et tacuerit, voti rea erit, voto erit obligata. Nota τὸ *si cognoverit:* quia antequàm pater cognosceret votum, illudque irritaret, tenebatur filia illud implere, si deliberatè illud emiserat. Sub patre, etiam tutores intellige; hi enim, patre mortuo, quasi in jus et regimen paternum succedunt.

Nota primò. Si taceret pater, hoc ipso votum filiæ confirmabatur, quia consentire videtur is qui tacet in eo quo præjudicatur, vel subtrahitur aliquid suo juri et potestati ; uti faciebat hîc puella, quæ per votum hoc patriâ potestate et libertate ex parte se subtrahebat ; silentium tamen hoc patris, non tam ex lege naturæ quàm ex hâc lege Dei positivâ, votum filiæ confirmabat, uti pleniùs dicam v. ult.

Nota secundò. Votum, in quod semel tacitè consenserat pater, absolutè fiebat ratum, unde non licebat patri illud postea irritare : si tamen puella quæ voverat, postea nuberet, licebat marito statim post contractum matrimonium, votum ejus irritare, æquè ac si votum factum fuisset in matrimonio ; alioqui enim marito, etiam invito et ignoranti, per hæc vota præcedentia, gravia onera potuissent injici, quæ ipse amplecti et subire non tenebatur. Ita Abulens. q. 35.

Vers. 6. — Sin autem statim ut audierit, contradixerit. Hebr. si statim ut audierit, irritârit, dissolverit, vel fregerit votum, *statim,* intellige, non eodem instanti, sed moraliter, scilicet eodem die; nam sequenti die contradicere non poterat, ut dicitur v. 15.

Vers. 7. — Si maritum habuerit et voverit. Judæi per *maritum* intelligunt sponsum, cui puella desponsata est, ut distinguatur hic casus à casu v. 11 ; ibi enim agit de marito, cui puella tradita est; hic verò de eo cui tantùm desponsata est et promissa. Verùm maritum tam hîc quàm v. 11 accipiendum esse, non sponsum, patet ex Hebr., Chaldæo, Septuag. qui habent, *si fuerit viro.* Hæc enim phra-

sis apud Hebræos, significat nuptam, et viro traditam; quare, si quæ sit distinctio inter casum hujus versûs, et versûs 11, dixerim potiùs hîc agi de nuptâ, quæ agit cum marito in domo patris sui; ut doceat hujus voti irritationem ad maritum, non ad patrem (esto in ejus domo degat) spectare, vers. verò 11 agi de nuptâ, quæ habitat extra domum patris, in domo mariti, ut ibi exprimitur. Ita S. Aug. q. 59.

Vers. 9. — Propitius erit ei Dominus, Dominus non indignabitur uxori, si non servet votum à marito irritatum.

Vers. 11. — Cum se voto constrinxerit, et juramento. *Et* pro *aut* hîc capitur; in Hebræo enim èst *aut*.

Vers. 14. — Si voverit, et juramento se constrinxerit, ut per jejunium, vel cæterarum rerum abstinentiam, affligat animam suam. Descendit hîc Deus à thesi ad hypothesin, seu ad exemplum usitatissimum, ex quo de reliquis omnibus votis peregrinationis, orationis, eleemosynarum, pœnitentiarum, etc., simile judicium sumendum relinquit. Nam de quibuslibet votis hîc agi, non autem de votis abstinentiæ tantùm, patet ex v. 1, 5, 8, 10, 12. S. August. tamen, q. 59, censet hîc tantùm agi de votis abstinentiæ à cibis, non à concubitu. Verùm, quod dixi, verius videtur: verba enim Scripturæ versibus jam citatis generalia sunt; unde quælibet vota comprehendere videntur.

Vers. 16. — Sin autem contradixerit, postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem ejus. Septuag. pro, *postquàm rescivit*, habent, *post diem in quâ audivit*, ut sensus sit, q. d.: Maritus debet primo die, quo rescit votum uxoris, contradicere, si velit illud irritare: si tamen primo die taceat et differat, itàque tacitè consentiat, sed sequente die consensum revocet, et contradicat, uxor à voto excusatur, quia maritus illud irritat; peccat tamen maritus contra legem hanc, consensum suum revocans: unde hujus voti non impleti culpam et pœnam portabit ipse, non uxor. Ita S. Aug. qu. 56; Abulens. Rabanus, Lyranus, Oleaster, Cajetan., probantque ex eo, quia si maritus primo die contradixisset, itàque irritâsset uxoris votum, nulla iniquitas fuisset ipsi, vel uxori portanda; usus enim fuisset ipse ritè jure suo; ergo cùm hîc dicatur, quòd contradicendo portabit iniquitatem ejus, ita ut ipse peccet, non uxor, quæ votum, cui ille contradicit, non servat, sequitur contradictionem ejus quidem esse validam votumque uxoris irritare: sed tamen eam perperàm ab eo fieri, quia scilicet fit contra legem secundo die, cùm primo die fieri debuisset; ideòque dicitur ipse portaturus iniquitatem ejus. Verùm, τὸ *post diem*, non est in Hebræo, Chald. et nostro, videturque hoc loco impertinens, imò incidere et enervare æquam et directam antithesin. Nam hoc versu idem planè dicit et sancit Deus, cum eo quod sanxit v. 5, 8, 12, 15 (tantùm enim hoc v. dat exemplum dictorum, ut dixi vers. præced.), videlicet, uxorem liberam esse à voto abstinentiæ, si ei statim eodem die quo illud rescivit, maritus contradicat; sin taceat, statim votum ipsum confirmari, ita ut sequenti die contradicere, votumque irritare non possit. Id enim planè convincit antithesis hujus versûs cum præcedenti, hocque fuisse veteris juris in istâ lege, versus citati planè significant. Secùs est in lege novâ; in eâ enim probabile est parentem et maritum posse revocare consensum antea datum, itàque irritare votum filiæ, vel uxoris, in quod semel consensit, licet irritando peccet, si temerè id faciat, uti doctè docet noster Lessius tract. de Voto dub. 13.

Dices: Si maritus irritat votum uxoris statim eodem die, quo illud cognovit, ritè facit: utitur enim jure suo; quænam ergo iniquitas est illi portanda, ut hîc dicitur? — Respondeo: Licet maritus utatur jure suo, potest tamen peccare in ipsâ irritatione voti, si videlicet sine causâ, in re piâ consensum neget, votumque irritet, præsertim si ex zelotypiâ, concupiscentiâ, avaritiâ, aliove vitio nolit uxorem servare votum levis et brevis alicujus, verbi gratiâ, abstinentiæ, orationis, eleeomosynæ, etc. Et tunc ipse hujus irritationis culpam, quanta quanta est, portabit.

Portabit ipse iniquitatem ejus. *Ejus*, scilicet uxoris; patet ex Hebræo: quia videlicet culpam hujus voti uxoris suæ non adimpleti, si quæ sit, quæ aliàs in uxorem recidisset, ipse in se transcripsit, dùm illud sine causâ et iniquè irritavit. Hujus enim voti uxoris, temerè irritati reatum et pœnam feret, non uxor, sed maritus irritans.

Hæc dicit Deus, ad solatium uxoris, utque scrupulos ei eximat. Solent enim feminæ in vota pronæ de iis anxiæ esse et sollicitæ, ut illa adimpleant; nec sibi satisfaciunt, esto illa à maritis irritentur. Jubet ergo Deus hîc eas esse securas, docetque culpam, si quæ sit in hâc re, esse mariti, non uxoris.

Vers. 19. — Vel quæ manet in parentis

domo, quæ necdùm est emancipata, aut viro tradita, sed puella est innupta, etiamsi grandæva. Omnium enim harum vota quælibet irritare poterat parens, uti omnia uxoris vota irritare poterat maritus, idque licitè, si statim eodem die contradiceret.

Hinc patet, has leges de votis, eorumque irritatione, non esse undequàque legis et juris naturæ, uti nonnullis visum fuit, sed ex parte esse positivas, scilicet cæremoniales, vel judiciales legis veteris, quæ jam est abolita. Nam lex naturæ non dictat patrem posse filiarum puberum et grandævarum vota omnia, præsertim illa, quæ patriæ potestati non præjudicant, irritare : alioqui enim id etiam in lege novâ locum haberet. Hoc autem est falsum. Secundò, lex naturæ non dictat, solo silentio parentis, vel mariti, votum filiæ vel uxoris planè confirmari. Tertiò, lex naturæ non jubet, ut parens, vel maritus voto statim contradicat, si illud irritare cogitet, potest enim requirere tempus ad deliberandum. Sanxit ergo hæc ita Deus in lege veteri, ne populus ille crassus suorum pia vota nimis facilè, quâvis de causâ impediret aut retractaret.

CAPUT XXXI.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : — 2. Ulciscere priùs filios Israel de Madianitis, et sic colligeris ad populum tuum. — 3. Statimque Moyses : Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui possint ultionem Domini expetere de Madianitis. — 4. Mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israel, qui mittantur ad bellum. — 5. Dederuntque millenos de singulis tribubus, id est, duodecim millia expeditorum ad pugnam : — 6. quos misit Moyses cum Phinees, filio Eleazari sacerdotis; vasa quoque sancta, et tubas ad clangendum tradidit ei. — 7. Cùmque pugnâssent contra Madianitas, atque vicissent, omnes mares occiderunt, — 8. et reges eorum, Evi, et Recem, et Sur, et Hur, et Rebe, quinque principes gentis : Balaam quoque, filium Beor, interfecerunt gladio. — 9. Ceperuntque mulieres eorum, et parvulos, omniaque pecora, et cunctam supellectilem : quidquid habere potuerant depopulati sunt : — 10. tam urbes, quàm viculos et castella flamma consumpsit. — 11. Et tulerunt prædam, et universa quæ ceperant tam ex hominibus, quàm ex jumentis, — 12. et adduxerunt ad Moysen, et Eleazarum sacerdotem, et ad omnem multitudinem filiorum Israel : reliqua autem utensilia portaverunt ad castra, in campestribus Moab, juxta Jordanem, contra Jericho. — 13. Egressi sunt autem Moyses et Eleazar sacerdos, et omnes principes synagogæ, in occursum eorum extra castra. — 14. Iratusque Moyses principibus exercitûs, tribunis, et centurionibus qui venerant de bello, — 15. ait : Cur feminas reservâstis? — 16. Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, et prævaricari vos fecerunt in Domino super peccato Phogor, unde et percussus est populus? — 17. Ergo cunctos interficite, quidquid est generis masculini, etiam in parvulis : et mulieres, quæ noverunt viros in coitu, jugulate : — 18. puellas autem et omnes feminas virgines reservate vobis : — 19. et manete extra castra septem diebus. Qui occiderit hominem, vel occisum tetigerit, lustrabitur die tertio et septimo. — 20. Et de omni prædâ, sive vestimentum fuerit, sive vas, et aliquid in utensilia præparatum, de caprarum pellibus, et pilis, et ligno, expiabitur. — 21. Eleazar quoque sacerdos, ad viros exercitûs qui pugnâverunt, sic locutus est : Hoc est præceptum legis, quod mandavit Dominus Moysi : — 22. Aurum, et argentum, et æs, et ferrum, et plumbum, et stannum, — 23. et omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur; quidquid autem ignem non potest sustinere, aquâ expiationis sanctificabitur : — 24. et lavabitis vestimenta vestra die septimo, et purificati postea castra intrabitis. — 25. Dixit quoque Dominus ad Moysen : — 26. Tollite summam eorum quæ capta sunt, ab homine usque ad pecus, tu, et Eleazar sacerdos, et principes vulgi : — 27. dividesque ex æquo prædam, inter eos qui pugnaverunt, egressique sunt ad bellum, et inter omnem reliquam multitudinem. — 28. Et separabis partem Domino ab his qui pugnaverunt et fuerunt in bello, unam animam de quingentis, tam ex hominibus quàm ex bobus, et asinis, et ovibus, — 29. et dabis eam Eleazaro sacerdoti; quia primitiæ Domini sunt. — 30. Ex mediâ quoque parte filiorum Israel accipies quinquagesimum caput hominum, et boum, et asinorum, et ovium, et dabis ea Levitis, qui excubant in custodiis tabernaculi Domini. — 31. Feceruntque Moyses et Eleazar, sicut præceperat Dominus. — 32. Fuit autem præda, quam exercitus ceperat, ovium sexcenta septuaginta quinque millia, — 33. Boum septuaginta duo millia, — 34. asinorum sexaginta millia et mille : — 35. animæ hominum sexûs

feminei, quæ non cognoverant viros, triginta duo millia. — 36. Dataque est media pars his qui in prælio fuerant, ovium trecenta triginta septem millia quingentæ : — 37. è quibus in partem Domini supputatæ sunt oves sexcentæ septuaginta quinque : — 38. et de bobus triginta sex millibus, boves septuaginta et duo : — 39. De asinis triginta millibus quingentis, asini sexaginta unus : — 40. de animabus hominum sedecim millibus cesserunt in partem Domini triginta duæ animæ. — 41. Tradiditque Moyses numerum primitiarum Domini Eleazaro sacerdoti, sicut fuerat ei imperatum. — 42. Ex mediâ parte filiorum Israel, quam separaverat his qui in prælio fuerant.— 43. De mediâ verò parte quæ contigerat reliquæ multitudini, id est, de ovibus trecentis triginta septem millibus quingentis, — 44. et de bobus triginta sex millibus, — 45. et de asinis triginta millibus quingentis, — 46. et de hominibus sedecim millibus, — 47. tulit Moyses quinquagesimum caput, et dedit Levitis, qui excubabant in tabernaculo Domini, sicut præceperat Dominus. — 48. Cùmque accessissent principes exercitûs ad Moysen, et tribuni, centurionesque, dixerunt : — 49. Nos servi tui recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostrâ; et ne unus quidem defuit. — 50. Ob hanc causam offerimus in donariis Domini singuli quod in prædâ auri potuimus invenire, periscelides, et armillas, annulos et dextralia, ac murenulas, ut depreceris pro nobis Dominum. — 51. Susceperuntque Moyses et Eleazar sacerdos omne aurum in diversis speciebus, — 52. pondo sedecim millia, septingentos quinquaginta siclos à tribunis et centurionibus. — 53. Unusquisque enim quod in prædâ rapuerat, suum erat. — 54. Et susceptum intulerunt in tabernaculum testimonii, in monumentum filiorum Israel coram Domino.

---

1. Le Seigneur parla ensuite à Moïse, et lui dit : — 2. Vengez premièrement les enfants d'Israël des Madianites : et après cela vous serez réuni à votre peuple. — 3. Aussitôt Moïse dit au peuple : Faites prendre les armes à quelques-uns d'entre vous, et préparez-les au combat, afin qu'ils puissent exécuter la vengeance que le Seigneur veut tirer des Madianites. — 4. Choisissez mille hommes de chaque tribu d'Israël, pour les envoyer à la guerre,— 5. Ils donnèrent donc mille soldats de chaque tribu, c'est-à-dire, douze mille hommes prêts à combattre, — 6. qui furent envoyés par Moïse avec Phinées, fils du grand-prêtre Eléazar, auquel il donna encore les vases saints et les trompettes pour en sonner. — 7. Ils combattirent donc contre les Madianites, et les ayant vaincus, ils passèrent tous les mâles au fil de l'épée, — 8. et tuèrent leurs rois Evi, Recem, Sur, Hur et Rebé, cinq princes de la nation, avec Balaam, fils de Béor, *qui s'était arrêté chez eux pour voir l'effet de ses pernicieux conseils.* — 9. Et ils prirent leurs femmes, leurs petits-enfants, tous leurs troupeaux, et tous leurs meubles ; ils pillèrent tout ce qu'ils avaient. — 10. Ils brûlèrent toutes leurs villes, tous leurs villages et tous leurs châteaux. — 11. Et ayant emmené leur butin, et tout ce qu'ils avaient pris tant des hommes que des bêtes, — 12. ils les présentèrent à Moïse, à Eléazar, grand-prêtre, et à toute la multitude des enfants d'Israël ; et ils portèrent au camp, dans la plaine de Moab, le long du Jourdain, vis-à-vis de Jéricho, tout le reste de ce qu'ils avaient pris, qui pouvait servir à quelque usage. — 13. Moïse, Eléazar, grand-prêtre, et tous les princes de la synagogue sortirent donc au-devant d'eux hors du camp. — 14. Et Moïse *voyant ce grand nombre de femmes qu'ils avaient fait captives,* se mit en colère contre les principaux officiers de l'armée, contre les tribuns et les centeniers qui venaient du combat, — 15. et leur dit : Pourquoi avez-vous sauvé les femmes? — 16. Ne sont-ce pas elles qui ont séduit les enfants d'Israël selon le conseil de Balaam, et qui vous ont fait violer la loi du Seigneur par le péché commis à Phogor, qui attira la plaie dont le peuple fut frappé? — 17. Tuez donc tous les mâles d'entre les enfants mêmes, et faites mourir les femmes dont les hommes se sont approchés.—18. Mais réservez pour vous toutes les petites filles, et toutes les autres qui sont vierges; — 19. et demeurez sept jours hors du camp, *pour vous purifier des impuretés que vous pourrez avoir contractées dans le combat* : celui *d'entre vous* qui aura tué un homme ou qui aura touché à un homme qu'on aura tué, se purifiera le troisième et le septième jour. — 20. Vous purifierez aussi tout le butin, les vêtements, les vaisseaux et tout ce qui peut être de quelque usage, soit qu'il soit fait de peaux, ou de poils de chèvre, ou de bois. — 21. Le grand-prêtre Eléazar parla aussi de cette sorte aux gens de l'armée qui avaient combattu : Voici ce qu'ordonne la loi que le Seigneur a don-

née à Moyse : — 22. Que l'or, l'argent, l'airain, le fer, le plomb et l'étain, — 23. et tout ce qui peut passer par les flammes, soit purifié par le feu ; et que tout ce qui ne peut souffrir le feu soit sanctifié par l'eau d'expiation. — 24. Vous laverez vos vêtements le septième jour ; et après avoir été purifiés, vous rentrerez dans le camp. — 25. Le Seigneur dit aussi à Moïse : — 26. Faites un dénombrement de tout ce qui a été pris depuis les hommes jusqu'aux bêtes, vous, le grand-prêtre Eléazar, et les princes du peuple : — 27. et partagez le butin également *en deux parts ; vous distribuerez la première* entre ceux qui ont combattu et qui ont été à la guerre, et *la seconde entre* tout le reste du peuple. — 28. Vous séparerez aussi la part du Seigneur de tout le butin de ceux qui ont combattu, et qui ont été à la guerre. De cinq cents hommes, ou bœufs, ou ânes, ou brebis, vous en prendrez un, — 29. que vous donnerez au grand prêtre Eléazar, *et aux autres prêtres inférieurs,* parce que ce sont les premices du Seigneur. — 30. Quant à l'autre moitié du butin, qui appartiendra aux enfants d'Israël, de cinquante hommes ou bœufs, ou ânes, ou brebis, ou autres animaux, quels qu'ils soient, vous en prendrez un que vous donnerez aux Lévites qui veillent à la garde et aux fonctions du tabernacle du Seigneur. — 31. Moïse et Eléazar firent donc ce que le Seigneur avait ordonné. — 32. Et on trouva que le butin que l'armée avait pris, était de six cent soixante-quinze mille brebis, — 33. de soixante-douze mille bœufs, — 34. de soixante-un mille ânes, — 35. et de trente-deux mille personnes du sexe féminin, *c'est-à-dire,* de filles qui étaient demeurées vierges. — 36. La moitié fut donnée à ceux qui avaient combattu, savoir : trois cent trente-sept mille cinq cents brebis, — 37. dont on réserva pour la part du Seigneur six cent soixante-quinze brebis ; — 38. trente-six mille bœufs, dont on en réserva soixante-douze ; — 39. trente mille cinq cents ânes, dont on en réserva soixante-un ; — 40. et seize mille filles, dont trente-deux furent réservées pour la part du Seigneur. — 41. Moïse donna au grand-prêtre Eléazar, selon qu'il lui avait été commandé, le nombre des prémices du Seigneur, — 42. qu'il tira de la motié du butin des enfants d'Israël, qu'il avait mise à part pour ceux qui avaient combattu. — 43. Quant à l'autre moitié du butin qui fut donnée au reste du peuple, et qui se montait à trois cent trente-sept mille cinq cents brebis, — 44. trente-six mille bœufs, — 45. trente mille cinq cents ânes, — 46. et seize mille filles, — 47. Moïse en prit la cinquantième partie qu'il donna aux Lévites qui veillaient à la garde et aux fonctions du tabernacle du Seigneur, selon ce que le Seigneur avait ordonné. — 48. Alors les principaux officiers de l'armée, les tribuns et les centeniers vinrent trouver Moïse, et lui dirent : — 49. Nous avons compté, nous qui sommes vos serviteurs, tous les soldats que nous commandions, et il ne s'en est pas trouvé un seul de manque. — 50. C'est pourquoi nous offrons chacun en don au Seigneur ce que nous avons pu trouver d'or dans le butin, en jarretières, en bagues, en anneaux, en brasselets, et en colliers ; afin que vous offriez pour nous vos prières au Seigneur. — 51. Moïse et Eléazar grand-prêtre reçurent donc des tribuns et des centeniers tout l'or en diverses espèces, — 52. qui pesait seize mille sept cent cinquante sicles. — 53. Car chacun avait eu pour soi *en particulier* le butin *d'or, d'argent, d'habits et de joyaux* qu'il avait pris, *outre la part qu'il avait eue dans le bétail et les esclaves qui furent mis en commun.* — 54. Et ayant reçu cet or, ils le mirent dans le tabernacle du témoignage, pour être un monument de la reconnaissance des enfants d'Israël devant le Seigneur.

Vers. 2. — Ulciscere filios Israel de Madianitis, quia ipsi provocârunt Israelitas, prostituendo eis filias suas, ad fornicationem et ad idololatriam Beelphegor, idque eâ mente et scopo, ut eos postea, utpote à me desertos, invaderent et cæderent, ut dixi c. 25, initio.

Vers. 3. — Qui possint ultionem Domini expetere de Madianitis. *Ultio* hæc dicitur *Domini,* primò, quia fiet à Domino vos adjuvante, et ante vos pugnante, ac prosternente Madianitas; ita Sept. Secundò, *Ultio Domini* erit ea, quâ ulciscemini injuriam populo Domini, et per consequens ipsi Domino, à Madianitis illatam. Ita Chald.

Vers. 5 et 6. — Duodecim millia, etc., misit cum Phinees (quia Phinees animosissimè impedivit hoc scelus et scandalum Beelphegor, occidendo Madianitidem c. 25, 7), vasa quoque sancta et tubas (de quibus c. 10, 2), ad clangendum tradidit ei. *Vasa sancta,* erant arca cum tabulis legis, Cherubim et propitiatorio ; hæc enim secum deferebant Judæi euntes ad bellum, ut scilicet ita quasi Deum, propitiatorio insidentem, secum deveherent, qui

castra hostium suâ præsentiâ dissiparet et protereret. Hæc ergo cum tubis tradita sunt Phinees sacerdoti, id est, curæ ejus commissa sunt. Phinees enim profectus est ad hoc bellum, non tam ut dux esset belli, quàm ut sacerdos sacris præesset.

Discant hîc duces in castris probos habere sacerdotes, qui pietatem promoveant, Dei offensas et peccata cohibeant. Discant et milites sacra sacrosque, ac Deum revereri : Deus enim est qui dat victoriam. Hodiè non rarò aliter agitur, hinc clades et lacrymæ. Audi Petrum Blesens. Epist. 94 : « Olim, ait, se juramento « milites obligabant, quòd starent pro reip. « statu, quòd in acie non fugerent, sed et ho- « diè tirones enses suos recipiunt de altari, ut « profiteantur se filios Ecclesiæ. Porrò in con- « trarium res versa est; nam ex quo hodiè mili- « tari cingulo decorantur, statim insurgunt in « Christos Domini, et desæviunt in patrimo- « nium Christi : spoliant et deprædantur subje- « ctos Christi pauperes, et miserabiliter atque « immisericorditer affligunt miseros, ut in dolo- « ribus alienis illicitos appetitus, et extraordi- « narias impleant voluntates. » Addit secundò: « Qui contra inimicos crucis vires suas exe- « rere debuerant, in potibus et ebrietatibus « pugnant. Vacant otio, marcent crapulâ, vi- « tamque degenerem in immunditiis transigen- « tes, nomen et officium militiæ dehonestant. « Hi laudant in pace prædas, inter arma fugas, « inter vina victorias, cùm sint in prætoriis « leones, in præliis lepores. » Addit tertiò : « Ordo militum nunc est, ordinem non tenere: « nam cujus os malorum verborum spurcitiâ « polluitur, qui detestabiliùs jurat, qui minùs « Deum timet, ministros Dei vilificat, qui Ec- « clesiam non veretur, iste hodiè in cœtu mi- « litum fortior et nominatior reputatur. » Isti sunt galeati lepores, qui fortes sunt ad furandum, potandum, constuprandum, abigendum pecora amicorum; sed in quibus in acie nulla est vis, nec in victoriâ decus, nec in fugâ flagitium : exercitus linguâ quàm manu promptior, prædator è sociis, et ipse hostium præda.

Allegoricè, vasa hæc, et Cherubim sunt angeli sancti, qui cum viris piis et probis certant contra dæmones et peccata, eosque animant et adjuvant. Tubæ sunt prædicatorum divinorum sermones et cohortationes. Phinees est Christus, qui hujus belli dux est et director. Ita Cyrill. lib. 4 de Adoratione.

Rursùm arca continens manna, id est, Christum, est B. Virgo, quæ victoriam contra homines et dæmones largitur. Refert Theophanes, Anastasius et Cedrenus, atque ex iis Baronius anno Christi 625, Heraclium imp. superâsse Chosroem regem Persarum ope B. Virginis, quâ factum est, ut grando miræ magnitudinis Persas contriverit.

Anno Domini 886, Basilius imp. Saracenorum principem, qui Christum ejusque matrem subsannaverat invocans B. Virginem bello superavit, ut refert Curopalat. et ex eo Baronius.

Joannes Zemisca imp. Græcorum, Bulgaros, Russos, etc., superavit ope B. Virginis, quæ misit S. Theodorum Martyrem, qui visus est equo albo insidens in primâ acie pro Romanis pugnare, et hostium vires infringere, unde Zemisca in ejus honorem templum ædificavit.

Pelagius princeps Asturum ope B. Virginis cum paucis Gothos superavit; tela enim hostium in ipsomet retorta sunt vi divinâ, ita ut Alchaman eorum dux cum viginti millibus cæsus sit. Inde cœperunt Hispani regnum à Gothis occupatum recuperare. Exstat adhuc spelunca in quâ cum suis latuit Pelagius, B. Virgini dicata, dictaque S. Maria de Covadunga : ita Tudens. Roderic. et ex iis Baron. anno Christi 718.

Narses magnus B. Virginis cliens et cultor, sub Justiniano imp. ope Virginis miras et crebras contra Totilam et Gothos obtinuit victorias : solebat enim B. Virgo ei apparere, et quando prælium ineundum esset præcipere : quare ipse in aciem non descendebat, nisi ab eâ tempus opportunum cognovisset, uti refert Procopius, Evagrius, et ex iis Baronius anno Christi 568.

Stephanus, Hungarorum rex, iturus contra hostes, supplex opem B. Virginis implorabat, dicens : « Si placet tibi, ô Domina mundi, tuæ « partem hæreditatis ab inimicis devastari, et « novellam christianismi plantationem dissi- « pari, ne, quæso, sinas illud imputari diffiden- « tiæ meæ, sed potiùs dispositioni voluntatis « tuæ. Si quid commisit culpa pastoris, ipse « luat: oves, quæso, insontes ne patiaris affligi, » uti refert Anton. Bonfin. lib. 1 de Rebus Hungar. dec. 2.

Nota est celebris victoria Joannis Austriaci, quam ipse à Turcis retulit ope B. Virginis : unde ejus memoriam quotannis recolunt fideles, vocantque festum S. Mariæ de Victoriâ, quod celebrant sub initium octobris. Conti-

git illa anno Domini 1571, in mari Corinthiaco.

Vers. 7. — Cumque pugnassent contra Madianitas, atque vicissent, omnes mares occiderunt, qui scilicet erant in Madian : nam aliquos, audito belli instantis rumore, ex Madian in vicina loca fugisse, patet ex eo, quòd ipsi restituerint gentem Madian, quæ postea Judæis fuit infesta, maximè tempore Gedeonis. Ita Abul.

Vers. 8. — Et reges eorum, Evi, et Recem, et Sur, et Hur, et Rebe; hi sunt quinque reges, id est, principes Madian, è quibus Sur, pater fuit Madianitidis, quam occidit Phinees c. 25, 18.

Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio. Hinc patet, Balaam à Balac rege Moab, transîsse in Madian, ibique similia contra Hebræos machinatum esse, atque fecerat in Moab: ideòque jure ab Hebræis in Madian cum aliis cæsum esse.

Vers. 13. — Egressi sunt autem Moyses et Eleazar, ad congratulandum victoribus, ex Madian redeuntibus.

Vers. 16. — Quæ prævaricari vos fecerunt in Domino super (in) peccato Phogor. *Phogor*, est Beelphegor, ut dixi c. 25, 3.

Vers. 17. — Ergo cunctos interficite, quidquid est generis masculini, etiam in parvulis. Fuit hoc proprium in isto bello, quòd parvuli jussu Dei (qui necis, vitæque omnium est dominus) et Moysis, sint occisi. Id factum est primò, ob criminis à Madianitis, contra Hebræos admissi, enormitatem et detestationem. Secundò, ne parvuli, cùm adolevissent, parentum suorum necem ulciscerentur.

Nota. Per judicem et potestatem humanam, non possunt occidi parvuli innocentes, propter peccatum parentum; possunt tamen occidi per jus et potestatem Dei, tum quia ipse transcendens in omnia, ac consequenter in vitam omnium habet dominium; tum quia parvuli, omnesque homines, ob peccatum originale, rei sunt mortis; illam ergo Deus eis, vel citò, vel seriùs sive hoc modo, sive alio pro libito inferre potest. Ita Abulensis in cap. 24 Deut. q. 5.

Vers. 17 et 18. — Et mulieres quæ noverunt viros in coitu, jugulate : puellas autem, et omnes feminas virgines reservate. Nota. Madianitides à viris cognitæ, occidi jubentur, quia per tales decepti fuerant Hebræi fornicando cum illis, rursùmque per eas decipi potuissent. Ita Theod. q. 49, virgines verò ab hoc crimine fuerant immunes : unde eas reservârunt Hebræi, vel ad hoc, ut eas venderent, vel ut eis quasi ancillis uterentur.

Potuerunt autem virgines à corruptis dignosci : primò, per inspectionem matronarum maximè obstetricum : quæ inspectio etiam in lege novâ est recepta, ut patet C. *fraternitatis*, extrav. de Frigidis. Secundò, per revelationem Dei, corruptas Mosi indicantis et designantis. Addit Abulens. tres alios modos, scilicet per gagatem gemmam : nam qui eam bibit, si non sit virgo, cogitur reddere urinam. Secundò, ex inspectione urinæ : hæc enim in virginibus clara est et lucida; in corruptis turbida. Tertiò, per inspectionem horoscopi et constellationum cœli. Sed hic tertius modus, licet eum non improbet Abulensis hoc loco, alibi tamen eumdem refutat, est enim superstitiosus : duo priores modi obscuri sunt, et incerti. De gagate tamen idem affirmat Anselmus Boetius medicus et gemmarius Rodulphi II imper. lib. 2 de Gemmis c. 165 : « Virginitatem, ait, prodit non solùm « suffitu, sed potatu. Nam si pulverem bibat « virgo, non urinabit : si corrupta sit, urinam « retinere non poterit, multorum testimonio. » Idem asserit Camillus Leonardus Pisaurensis medicus tract. de Lapidibus, in Gagate.

Vers. 19. — Qui occiderit hominem, vel occisum tetigerit, lustrabitur die tertio, et septimo, juxta legem, de eo qui tangit cadaver, latam, Num. 19, 14.

Vers. 20. — Et de omni præda, sive vestimentum fuerit, sive vas, etc., expiabitur, scilicet per ignem, si id fieri possit, videlicet, si vas, aut vestis ignem ferat : sin autem, expiabitur per aquas lustrationis, ex cinere vitulæ rufæ confectas, de quibus c. 19, 2 et 12; idque die tertio et septimo, uti explicatur v. sequent.

Nota. Hæc supellex Madianitarum debebat expiari, quia legaliter erat immunda, ex contactu mortuorum, juxta legem Num. 19, v. 14; et Lev. 11, v. 32, quia scilicet quædam ex hisce vasis et rebus erant in tabernaculis morientium; multa etiam ex ipsis contigerant ipsos morientes, sicut vestes mortuorum; quòd si quid esset in tantâ magnitudine prædæ, in quod neutrum horum competeret, quòd proinde non esset immundum, id tamen propter dubium, purificari debebat; de omnibus enim præsumebatur, quòd essent immunda, ob tot occisorum sparsa ubique cadavera. Ita Abulensis.

Vers. 21. — Hoc est præceptum legis, quod mandavit Dominus Moysi. Hoc præceptum hucusque scriptum non videmus. Illud ergo hìc, vel aliàs, vivâ voce Deus Mosi tradidit. Solebat enim Deus Mosi omnia sua jussa edicere et commendare, ut ipse eadem postea ad sacerdotes, et ad populum referret. Ita Abulensis.

Vers. 23. — Et omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur. Hebr. Chald. et 70 addunt : *Et aquâ lustrationis expiabitur*, quasi præter ignem, debuerit hoc vas aspergi et lustrari aquâ cinerali vitulæ rufæ.

Vers. 27. — Dividesque ex æquo prædam, inter eos qui pugnaverunt, etc., et inter omnem reliquam multitudinem. Nota. Non Moses, non Phinees, dux belli, potiorem prædæ partem sibi usurpant, sed ea tota inter milites dividitur : *Decet* enim *duces gloriam, milites pecuniam è victoriâ efferre*, ait Cato. Unde Scipio, cùm captâ Carthagine, aliisque urbibus, milites magis quàm ullus imperator locupletâsset, moriens ex tot victoriis et opibus, non nisi triginta tria argenti, duo auri pondo reliquit, ait Plutarchus.

Nota secundò, quod ait, *divides ex æquo*, intelligendum esse, non ita ut tantùm cedat iis, qui in castris manserunt, et longiùs à belli aleâ et periculo abfuerunt, quantùm militibus, qui suo periculo et labore victoriam pepererunt : sed ita ut tantùm habeant omnes qui in castris manserunt, simul sumpti, quantùm habent pauci illi qui depugnârunt : ut scilicet medietas una prædæ cedat militibus, qui pugnârunt; altera medietas cedat reliquis, qui in castris manserunt. Quare ex hâc medietate, singuli in castris remanentes, utpote qui in maximo erant numero, longè minùs habuerunt, quàm ex suâ medietate habuerint milites, qui pugnârunt : hi enim numero erant longè pauciores, ac proinde longè ampliùs ex suâ prædæ medietate, singuli participârunt. Porrò, ex utrâque medietate, quædam oblata sunt Domino, id est, sacerdotibus et Levitis, ut sequitur.

Dices : Lex bellica est, ut æqua sit sors eunti ad bellum, et manenti ad sarcinas, ut dicitur 1 Reg. 30, v. 24. — Resp.: Hæc lex posteriùs à Davide sancita est, ut ibidem dicitur. Secundò, hæc lex hìc non habet locum : intelligitur enim de iis et eo casu, quo utrique æquè belli aleam et periculum subeunt, ut cùm, v. g., una pars fortior et numerosior vadit ad prælium, altera debilior et minoris (ut solet) numeri, tuetur sarcinas. Tunc enim tam hæc, quàm illa periculum adit, et hostis insultum exspectare et sustinere debet. Hìc verò soli pauci qui ibant ad prælium, subibant periculum. Nam reliqui omnes in castris manentes, cùm maximo essent numero, non timebant hostem tam exiguum, ac consequenter nullum adibant periculum. Ita Abulensis.

Vers. 28. — Separabis partem Domino. Jubet hìc Deus, primò, ut milites ex suâ medietate prædæ, dent sibi, id est, Eleazaro et sacerdotibus, unam animam, id est, unum animal de quingentis, tam ex hominibus quàm ex bobus, asinis et ovibus. Unde ex hâc parte, ex prædâ hâc cesserunt sacerdotibus oves 675, boves 72, asini 61, virgines 32, ut patet v. 37 et seq. Secundò, ut Israelitæ qui in castris manserant, ex suâ medietate, unum animal de quinquaginta dent Levitis.

Vers. 29. — Dabis eam Eleazaro, ut scilicet inde partem distribuat Ithamar et aliis minoribus sacerdotibus. Hi enim non minùs quàm Levitæ prædæ participes esse debent : reliquum verò sibi, tanquàm pontifici servet. Simile vidimus c. 18, 28.

Primitiæ, id est, oblatio, hebr. enim est *theruma*.

Vers. 49 et 50. — Ne unus quidem defuit (cecidit in pugnâ); ob hanc causam offerimus in (pro) donariis Domini singuli, quod in præda auri potuimus invenire. Ecce hìc singuli totum aurum, aureaque vasa, quæ rapuerant, Deo offerunt. Causa sequitur.

Vers. 50. — Ut depreceris. Hæc secundaria et accessoria erat causa oblationis auri : primaria enim erat ut ostenderent se esse gratos Deo, qui illis hanc victoriam dederat planè incruentam. Ita quævis gentes victoriam Deo acceptam tulerunt, ideòque hostium manubias, vel arma, diis suis dedicârunt. Aristomenes in eâ pugnâ quam contra Lacones feliciter gessit, partâque victoriâ cùm Delphos venisset, scutum quod in prælio amiserat ibidem reperit, ac rursùs eodem in templo dedicavit. Hoc scutum vidisse se scribit Pausanias in Messenicis. Leocritus Atheniensis, cùm Piræeum oppidum cum suis primus oppugnâsset, et simul expugnâsset, clypeum suum solemni ritu Jovi Liberatori dedicavit, cum inscriptione nominis et præclari facinoris. Ita Pausanias l. 1. Philisthini arma Saülis regis à se interfecti, in æde Astaroth suspenderunt, 1 Reg. 31, 10.

Vexilla quæ à devictis Cremonensibus Bri-

xiani reportârunt, in cathedrali ipsorum ecclesiâ in perpetuam rei memoriam suspensa leguntur apud Bergomensem l. 12. Angli calcaria aurata Francorum in Cortracensi prælio cæsorum, Cortraci in templo suspendêre. Ita Æmil. l. 9. Phocas imperator Tarso et Mopsuestiâ urbibus Agarenorum captis, Constantinopolim reversus, portas earum secum duxit, Deoque quasi suæ expeditionis primitias tribuens, in S. Sophiæ templo dedicavit. Joannes Columna Cardinalis ab Honorio pontifice christiani exercitûs et ingentis classis legatus, in Ægypto Heliopolim validissimam urbem expugnavit, et victor ex ancipiti prælio sacratum Romam trophæum detulit, columnam scilicet in quâ Christus deligatus et flagris cæsus fuit, quam in sanctæ Praxedis templo Deo, in spolium pretio omni pretiosius, erexit. Ita P. Jovius in Pompâ Columnæ.

David gladium Goliath quo ipsummet capite truncavit, Deo dedicavit, eumque in Dei tabernaculo suspendit, 1 Reg. 21, 9. Denique Titus imp. admiratus munitiones Hierosolymæ, videnque eas à se superatas, dixit : *Planè Deo adjuvante pugnavimus*, ait Joseph, lib. 7 Belli c. 16; quin et coronari noluit, dicens Deo victoriæ hujus coronam deberi. Audi Philostrat. lib. 6 de Vitâ Apollonii : « Finitimæ gentes ob « victoriam coronare ipsum voluerunt : ille « verò se tali honore indignum esse respondit; « non enim se talium operum auctorem, sed « Deo contra Judæos iracundiam demonstranti « manus suas præbuisse. »

Vers. 51. — Omne aurum in diversis speciebus, id est, omne aurum in diversas vasorum species conflatum. Ita Hebr., Chald., Sept.

Vers. 52. — Pondo sedecim millia. Tò *pondo*, non est in Hæbræo; ex quo patet, *pondo*, hìc non significare libram, seu pondus, scilicet siclorum, q. d. : Ex prædâ oblatâ fuerunt in auro ad pondus sexdecim millia siclorum, et 750 sicli, hoc est universim auri libræ 697, et 22 sicli. Ita Hebræa.

Vers. 53. — Unusquisque enim quod in præda rapuerat, suum erat. Intellige de auro et similibus, quæ rapi et tegi poterant : nam alia grandiora, ut homines et pecora, in commune collata sunt, et ex æquo divisa, ut dictum est v. 25.

Vers. 54.—Intulerunt in tabernaculum, quod erat coram Domino, puta coram arcâ, Cherubim et propitiatorio. Lyran. hoc capite duodecim causas recenset, ob quas justè motum fuisse bellum in Script. legimus. Prima est, si bellum geratur contra terram in quâ Deus blasphematur per idololatriam, ut habetur Deut. 12, 2 : *Subvertite omnia loca in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos.* Secunda, si à Dei cultu recedatur, Deut. 13, 12 : *Si audieris in unâ urbium tuarum dicentes aliquos,* etc. Tertia, si fidelitas temporalis domini deseratur, ut patet 4 Reg. 3 de Joram et Josaphat, qui moverunt bellum contra regem Moab. Quarta, si rebellio moveatur; ita David 2 Reg. 20, persecutus est Sebam filium Bochri. Quinta, si malefactor defendatur, ut patet Judic. 20 de bello moto contra Gabaa. Sexta, si injuria publica principi irrogetur, ut patet 2 Reg. 10 de bello David contra regem Ammon, qui fecit radi barbas nuntiorum David in contemptum ejus. Septima, si propria res repetatur, ut patet 2 Reg. 8 de bello David contra Isboseth, ad repetendum regnum quod ei datum erat à Deo. Octava, ut hostis repellatur, ut patet 2 Reg. 8 de bello David contra Philistæos. Nona, ut hostis insurgens in suis propriis oppugnetur, ut patet Num. 21 de bello filiorum Israel contra Sehon, et contra Og reges Amorrhæorum. Decima, contra illum, per quem hostis roboratur, ut patet 2 Reg. 8 de bello David contra Syriam Damasci, eò quòd ferebat auxilium Adarezer. Undecima, ut amicus ab hostibus eripiatur, ut patet Gen. 14 de bello Abraham contra reges, qui captivaverant Loth nepotem suum. Duodecima, si tyrannis à præsidente exerceatur, ut patet lib. 1 Machabæorum, de bello Machabæorum contra Antiochum illustrem. Hactenùs Lyranus.

CAPUT XXXII.

1. Filii autem Ruben et Gad habebant pecora multa, et erat illis in jumentis infinita substantia. Cùmque vidissent Jazer et Galaad aptas animalibus alendis terras, — 2. venerunt ad Moysen, et ad Eleazarum sacerdotem, et principes multitudinis, atque dixerunt : — 3. Ataroth, et Dibon, et Jazer, et Nemra, Hesebon, et Eleale, et Saban, et Nebo, et Beon, — 4. terra, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel, regio uberrima est ad pastum animalium : et nos servi tui habemus jumenta plurima; — 5. precamurque si invenimus gratiam coram te, ut des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Jordanem.— 6. Quibus respondit Moyses : Numquid fratres vestri ibunt ad pugnam, et vos hìc sedebitis? — 7. Cur subvertitis mentes filiorum Israel, ne transire audeant in locum, quem eis daturus est Dominus?

— 8. Nonne ita egerunt patres vestri, quando misi de Cadesbarne ad explorandam terram? — 9. Cùmque venissent usque ad vallem botri, lustratâ omni regione, subverterunt cor filiorum Israel, ut non intrarent fines quos eis Dominus dedit. — 10. Qui iratus juravit, dicens: — 11. Si videbunt homines isti, qui ascenderunt ex Ægypto, à viginti annis et supra, terram, quam sub juramento pollicitus sum Abraham, Isaac, et Jacob: et noluerunt sequi me, — 12. præter Caleb, filium Jephone Cenezæum, et Josue filium Nun: isti impleverunt voluntatem meam. — 13. Iratusque Dominus adversùm Israel, circumduxit eum per desertum quadraginta annis donec consumeretur universa generatio, quæ fecerat malum in conspectu ejus. — 14. Et ecce, inquit, vos surrexistis pro patribus vestris, incrementa et alumni hominum peccatorum, ut augeretis furorem Domini contra Israel. — 15. Quòd si nolueritis sequi eum, in solitudine populum derelinquet, et vos causa eritis necis omnium. — 16. At illi propè accedentes, dixerunt: Caulas ovium fabricabimus, et stabula jumentorum, parvulis quoque nostris urbes munitas: — 17. nos autem ipsi armati et accincti, pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos ad loca sua. Parvuli nostri, et quidquid habere possumus, erunt in urbibus muratis, propter habitatorum insidias. — 18. Non revertemur in domos nostras, usquedùm possideant filii Israel hæreditatem suam: — 19. nec quidquam quæremus trans Jordanem, quia jam habemus nostram possessionem in orientali ejus plagâ. — 20. Quibus Moyses ait: Si facitis quod promittitis, expediti pergite coram Domino ad pugnam: — 21. et omnis vir bellator armatus Jordanem transeat, donec subvertat Dominus inimicos suos, — 22. et subjiciatur ei omnis terra: tunc eritis inculpabiles apud Dominum et apud Israel, et obtinebitis regiones, quas vultis, coram Domino. — 23. Sin autem quod dicitis, non feceritis, nulli dubium est quin peccetis in Deum: et scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos. — 24. Ædificate ergo urbes parvulis vestris, et caulas: et stabula ovibus, ac jumentis: et quod polliciti estis implete. — 25. Dixeruntque filii Gad et Ruben ad Moysen: Servi tui sumus, faciemus quod jubet dominus noster. — 26. Parvulos nostros, et mulieres, et pecora, ac jumenta relinquemus in urbibus Galaad: — 27. nos autem famuli tui omnes expediti pergemus ad bellum, sicut tu, domine, loqueris. — 28. Præcepit ergo Moyses Eleazaro sacerdoti, et Josue, filio Nun, et principibus familiarum per tribus Israel, et dixit ad eos: — 29. Si transierint filii Gad et filii Ruben vobiscum Jordanem, omnes armati ad bellum coram Domino, et vobis fuerit terra subjecta, date eis Galaad in possessionem. — 30. Sin autem noluerint transire armati vobiscum in terram Chanaan, inter vos habitandi accipiant loca. — 31. Responderuntque filii Gad, et filii Ruben: Sicut locutus est Dominus servis suis, ita faciemus. — 32. Ipsi armati pergemus coram Domino in terram Chanaan, et possessionem jam suscepisse nos confitemur trans Jordanem. — 33. Dedit itaque Moyses filiis Gad et Ruben, et dimidiæ tribui Manasse filii Joseph, regnum Sehon, regis Amorrhæi, et regnum Og, regis Basan, et terram eorum cum urbibus suis per circuitum. — 34. Igitur extruxerunt filii Gad, Dibon, et Ataroth, et Aroer, — 35. et Etroth, et Sophan, et Jazer, et Jegbaa, — 36. et Bethnemra, et Betharan, urbes munitas, et caulas pecoribus suis. — 37. Filii verò Ruben ædificaverunt Hesebon, et Eleale, et Cariathaïm. — 38. Et Nabo, et Baalmeon, versis nominibus, Sabama quoque: imponentes vocabula urbibus quas extruxerant. — 39. Porrò filii Machir, filii Manasse, perrexerunt in Galaad, et vastaverunt eam, interfecto Amorrhæo, habitatore ejus. — 40. Dedit ergo Moyses terram Galaad Machir, filio Manasse, qui habitavit in eâ. — 41. Jaïr autem, filius Manasse, abiit et occupavit vicos ejus, quos appellavit Havoth Jaïr, id est, villas Jaïr. — 42. Nobe quoque perrexit, et apprehendit Chanath cum viculis suis, vocavitque eam ex nomine suo Nobe.

---

1. Or, les enfants de Ruben et de Gad avaient un grand nombre de troupeaux, et ils possédaient en bétail des richesses infinies. Voyant donc que les terres de Jazer et de Galaad étaient propres à nourrir des bestiaux, — 2. ils vinrent trouver Moise et Eléazar le grand-prêtre, et les princes du peuple, et ils leur dirent: — 3. Ataroth, Dibon, Jazer, Nemra, Hésébon, Eleale, Saban, Nébo et Béon, — 4. toutes terres que le Seigneur a réduites sous la domination des enfants d'Israël, sont un pays très-fertile et propre à la nourriture du bétail; et nous avons nous autres, vos serviteurs, beaucoup de bestiaux; — 5. Si nous avons donc trouvé grâce devant vous, nous vous supplions de nous donner la possession

de cette terre, à nous qui sommes vos serviteurs, sans que vous nous fassiez passer le Jourdain. — 6. Moïse leur répondit : Vos frères iront-ils au combat pendant que vous demeurerez ici en repos? — 7. Pourquoi jetez-vous l'épouvante dans les esprits des enfants d'Israël, afin qu'ils n'osent passer dans le pays que le Seigneur doit leur donner? — 8. N'est-ce pas ainsi qu'ont agi vos pères, lorsque je les envoyai de Cadès-Barné pour considérer ce pays? — 9. Car étant venus jusqu'à la vallée de la grappe de raisin, après avoir considéré tout le pays, ils jetèrent la frayeur dans le cœur des enfants d'Israël, pour les empêcher d'entrer dans la terre que le Seigneur leur avait donnée. —10. Et le Seigneur fit ce serment dans sa colère : — 11. Ces hommes, dit-il, qui sont sortis de l'Egypte, depuis l'âge de vingt ans et au-dessus, ne verront point la terre que j'ai promise avec serment à Abraham, à Isaac et à Jacob, parce qu'ils n'ont point voulu me suivre; —12. excepté Caleb, fils de Jephoné Cénézéen, et Josué, fils de Nun, qui ont accompli ma volonté. — 13. Et le Seigneur, étant en colère contre Israël, l'a fait errer par le désert pendant quarante ans, jusqu'à ce que toute cette race d'hommes qui avait ainsi péché en sa présence, fût entièrement éteinte. — 14. Et maintenant, ajouta Moïse, vous avez succédé à vos pères comme des enfants et des rejetons d'hommes pécheurs, pour augmenter encore la fureur du Seigneur contre Israël.—15. Que si vous ne voulez point suivre le Seigneur, il abandonnera le peuple dans ce désert, et vous serez la cause de la mort de tout *ce peuple.* — 16. Mais *les enfants de Ruben et de Gad* s'approchant *de Moïse,* lui dirent : *Si vous nous accordez les terres que nous vous demandons,* nous y ferons des parcs pour nos brebis, et des étables pour nos bestiaux, et nous bâtirons des villes fortes pour y mettre nos petits enfants : — 17. Mais pour nous, nous marcherons armés et prêts à combattre à la tête des enfants d'Israël, jusqu'à ce que nous les ayons mis en possession des lieux où ils doivent s'établir. Cependant nos petits enfants demeureront dans les villes ceintes de murailles, avec tout ce que nous pouvons avoir de bien, afin qu'ils ne soient point exposés aux insultes des gens du pays. — 18. Nous ne retournerons point dans nos maisons, jusqu'à ce que les enfants d'Israël possèdent la terre qui doit être leur héritage; —19. et nous ne demanderons point de part au-delà du Jourdain, parce que nous possédons déjà la nôtre dans le pays qui est à l'orient de ce fleuve.—20. Moïse leur répondit : Si vous êtes résolu de faire ce que vous promettez, marchez en la présence du Seigneur, tout prêts à combattre, — 21. que tous ceux d'entre vous qui peuvent aller à la guerre, passent le Jourdain les armes à la main, jusqu'à ce que le Seigneur ait détruit ses ennemis, — 22. et que tout le pays lui soit assujetti : et alors vous serez irréprochables devant le Seigneur et devant Israël, et vous posséderez *légitimement,* avec l'assistance du Seigneur, les terres que vous désirez. — 23. Mais si vous ne faites point ce que vous dites, il est indubitable que vous pécherez contre Dieu : et ne doutez point que votre péché ne retombe sur vous. — 24. Bâtissez donc des villes pour vos petits enfants; et faites des parcs et des étables pour vos brebis et pour vos bestiaux, et accomplissez ce que vous avez promis. — 25. Les enfants de Gad et de Ruben répondirent à Moïse : Nous sommes vos serviteurs, nous ferons ce que le Seigneur nous commande. — 26. Nous laisserons dans les villes de Galaad nos petits enfants, nos femmes, nos troupeaux et nos bestiaux : — 27. et pour nous autres, vos serviteurs, nous irons tous à la guerre, prêts à combattre comme vous, seigneur, nous le commandez. — 28. Moïse donna donc cet ordre à Eléazar, grand-prêtre, à Josué, fils de Nun, et aux princes des familles dans chaque tribu d'Israël, et leur dit : — 29. Si les enfants de Gad, et les enfants de Ruben passent tous le Jourdain, et vont les armes à la main avec vous pour combattre devant le Seigneur, après que le pays vous aura été assujetti, donnez-leur Galaad, afin qu'ils le possèdent comme leur propre héritage. — 30. Mais s'ils ne veulent pas passer avec vous en armes dans la terre de Chanaan, qu'ils soient obligés de prendre au milieu de vous le lieu de leur demeure. — 31. Les enfants de Gad et les enfants de Ruben répondirent : Nous ferons ce que le Seigneur a dit à ses serviteurs — 32. Nous marcherons les armes à la main devant le Seigneur, dans le pays de Chanaan; et nous reconnaissons avoir déjà reçu au-delà du Jourdain la terre que nous devions posséder, — 33. Moïse donna donc aux enfants de Gad et de Ruben, et à la moitié de la tribu de Manassé, fils de Joseph, le royaume de Séhon, roi des Amorrhéens, et le royaume d'Og, roi de Basan, et leur pays avec toutes les villes qui y sont comprises. — 34. Les enfants de Gad

rebâtirent ensuite les villes de Dibbon, d'Ataroth, d'Aroer, — 35. d'Etroth, de Sophan, de Jazer, de Jeghaa, — 36. de Bethnemra, et de Bétharan, en les rendant des villes fortes, et firent des étables pour leurs troupeaux. — 37. Les enfants de Ruben rebâtirent aussi Hésébon, Eléalé, Cariathaïm, — 38. Nabo, Baalméon, et Sabama, en changeant leurs noms, et donnant des noms nouveaux aux villes qu'ils avaient bâties. — 39. Et les enfants de Machir, fils de Manassé, entrèrent dans le pays de Galaad, et le ravagèrent, après avoir tué les Amorrhéens qui l'habitaient.—40. Moïse donna donc le pays de Galaad à *la famille de* Machir, fils de Manassé, et *la postérité de* Machir y demeura. — 41. Jaïr, *descendant de Manassé par son aïeule, fille de Machir, qui était* fils de Manassé, entra *ensuite* dans le pays *de Galaad*, se rendit maître de plusieurs bourgs qu'il appela Havoth-Jaïr, c'est-à-dire, les bourgs de Jaïr.— 42. Nobé y entra aussi, et prit Chanath avec tous les villages qui en dépendaient; il lui donna son nom, l'appelant Nobé.

Vers. 1 et 2. — Filii autem Ruben et Gad haberant pecora multa, etc.; cumque vidissent Jazer et Galaad aptas, animalibus alendis terras, venerunt ad Moysen, ut eas sibi in sortem et hæreditatem dari postularent. Erant hæ terræ Jazer et Galaad, cis Jordanem, in terrâ, quam Sehon et Og regibus Amorrhæorum ademerant Hebræi c. 21, 24. Horum ergo terram, utpote compascuam, postulant Rubenitæ et Gadditæ, pecoribus abundantes, illisque cum dimidiâ tribu Manasse, eam possidendam tradidit Moses.

Tropolog. S. Gregor. 27 Moral. c. 10: « Quos « multa, ait, mundi implicamenta occupant, hi « Jordanem transire nolunt, quia habitationem « cœlestis patriæ non requirunt. » Vide apud eum cætera.

Vers. 4. — Habemus jumenta (id est, pecora) plurima.

Vers. 6. — Quibus respondit Moyses (putans eos ex timore Chananæorum, et bellorum cum eis ineundorum, nolle pergere trans Jordanem in Chanaan): Cum subvertitis mentes filiorum Israel, ne transire audeant, etc.; nonne ita egerunt patres vestri? etc. subverterunt, id est, averterunt, fregerunt, dissolverunt (Hebræum enim *heni*, significat frangere, avertere, dissolvere, irritare), cor filiorum Israel, qui parati erant ingredi in terram promissam, sed auditis exploratoribus, metu perculsi sunt, nec ausi progredi, regredi voluerunt in Ægyptum, q. d.: Videte ne vos idem faciatis.

Vers. 9. — Ut non intrarent fines, quos eis Dominus dedit. Τὸ *ut*, significat non intentionem, sed consequentiam et eventum rei: ex exploratorum enim persuasione, ortum est populi murmur, ex murmure pœna, et justa Dei sententia, ut omnes morerentur in deserto, neque aliquis eorum intraret in Chanaan.

Vers. 11. — Si videbunt homines isti, qui ascenderunt ex Ægypto, a viginti annis et supra, terram, etc. Τὸ *à viginti annis*, refert non ad τὸ, *qui ascenderunt ex Ægypto*, sed ad, *homines isti*. Nam qui tempore egressûs ex Ægypto, necdùm attigerant annum vigesimum, sed tempore murmuris eum attigerant, hâc sententiâ continentur et mulctantur, uti dixi c. 14, 29.

Noluerunt sequi me. Hebraicè, *non impleverunt post me*, id est, non plenè me sunt secuti, ut mihi continuò et constanter obedirent, pergerentque me duce, in Chanaan: sed in viâ restiterunt, aversique sunt à me, volentes iter reflectere in Ægyptum.

Vers. 13. — Iratusque Dominus adversum Israel, circumduxit eum per desertum quadraginta annis. Hanc circumductionis volubilitatem et instabilitatem significantissimè exprimunt Septuag. dùm vertunt, κατερόμβευσεν (ita enim legendum cum Romanis, non κατεῤῥέμβευσεν, uti legunt regia) αὐτούς, id est, *circumvolvit eos ut rhombum per desertum quadraginta annis*, ubi gyrationes Hebræorum in deserto aptè comparant rhombo, ut notat Eugubinus, sive rhombum piscem accipias, hic enim mirè se circumvolvit; sive rhombum mulierum trilaterum, et transversum, ad quem ipsæ glomos, quos neverunt, extricant et expandunt, ut facilè à textoribus fila evolvi et contexi possint; quem Belgæ vocant *den haspel*. Tales enim gyros reflexos, et circumvolutiones plurimas fecerunt Hebræi, continuò per 40 annos, uti patet ex tabulis Adrichomii.

Vers. 14. — Et ecce, inquit, vos surrexistis pro patribus vestris, incrementa, et alumni hominum peccatorum. Pro *incrementa et alumni*, hebr. est, *turbat*, quod ad verbum multitudinem, vel multiplicationem significat, sed metaphoricè attribuitur alumnis et discipulis; ita enim hîc vertunt 70, Chald. et noster, unde et *rab*, sive *rabbi*, ab eâdem radice deductum, significat magistrum, qui multus, id est, magnus est, suamque doctrinam per discipulos spargit et multiplicat. Sensus ergo est, q. d.: Vos filii et discipuli estis hominum impiorum ad augendum

peccata, et implendam mensuram patrum vestrorum; vos egregiè eorum stirpem impiam, æquè ac scelera propagatis, et accrescere facitis.

Vers. 17. — Parvuli nostri, etc., erunt in urbibus muratis, propter habitatorum, puta vicinorum, insidias. Erant enim Rubenitæ et Gadditæ vicini Moabitis, Idumæis, Chananæis, aliisque hostibus. Itaque non dubium est, quin cum parvulis etiam viri bellatores, ad eorum tutelam remanserint, uti mox clariùs patebit.

Vers. 20. — Expediti pergite coram Domino, id est, in præsentiâ Domini, puta coram arcâ et columnâ nubis, quæ Dominum continet et repræsentat.

Nota, τὸ *esse coram Domino,* duo significat: primò, Dominum habere inspectorem et testem. Ita sumitur 2 Reg. 3, 38; Psal. 18, 25; Eccl. 2, 26, et alibi. Secundò, *esse coram Domino,* est Dominum habere annuentem et faventem: ita enim vertit noster Judic. 18, v. 6, et alibi; ita quoque hîc sumi potest.

Vers. 21. — Omnis vir bellator (ex vobis) armatus Jordanem transeat. *Omnis*, qui scil. commodè transire potest. Nam non erat tutum, parvulos et pecora, reliquamque familiam sine præsidio relinquere, in tantâ tot hostium viciniâ. Sic alibi sæpè *omnis* capitur pro multus; unde ex Rubenitis, Gadditis et Manassensibus, tantùm 40 millia transierunt Jordanem, ad pugnam cum Chananæis ineundam, ut patet Josue 4, 13; cùm tamen universim paulò ante censa essent ex eis centum et decem millia, c. 26, 18 et seq.; reliqua verò 70 millia ad tutelam parvulorum, uxorum et pecorum, in Galaad remanserunt. Itaque jubet hîc Moses, ut hæ tres tribus domi, extra teli jactum non desideant; sed alias ad pugnam comitentur, imò præeant, idque primò, ut aliis desidiæ et timoris suspicionem eximant, atque audaciæ et fortitudinis exemplum dent. Secundò, ne unus ille Hebræorum populus, antequàm victoria bello, et resp. hæreditatis divisione, ac denique religio arcæ collocatione, sacrorumque rituum factis initiis, constituta esset, dividatur, scindaturque novella Ecclesia; quod planè futurum erat, si illi (quod timebatur) qui cis Jordanem remanebant, trans Jordanem ad bella, atque ad tabernaculum et sacra aliarum tribuum venire detrectarent, sibique in Galaad proprium tabernaculum, altare et sacra constituerent. Unde et altare postea ab eis ibidem, licet aliâ de causâ, erectum, magnam hujus rei suspicionem cæteris injecit, et penè belli intestini occasionem dedit, ut patet Josue 22, v. 10 et 12.

Vers. 23. — Sin autem quod dicitis non feceritis, nulli dubium est, quin peccetis (quin peccabitis, ita Sept. Sed Chald. et hebr. habent in præterito, *peccâstis*, scilicet postquàm detrectaveritis pugnam) et scitote quoniam peccatum (id est, pœna peccati) vestrum apprehendet vos. Noxa enim caput sequitur, et pœna culpam individuè, uti lictor reum, comitatur.

Vers. 26.—Parvulos nostros, etc., relinquemus in urbibus Galaad, puta in terrâ Og et Sehon, nobis attributâ. Galaad ergo hîc, non pro Galaadite, sive terrâ, quæ propriè Galaad dicitur, accipitur, sed largiùs; complectitur enim totam sortem Gadditarum, Rubenitarum, et dimidiæ tribûs Manasse.

Vers. 29 et 30. — Si transierint filii Gad vobiscum Jordanem, etc., date eis Galaad, etc. Sin autem, etc., inter vos habitandi accipiant loca, q. d.: Si fidem datam fefellerint, nolintque vobiscum ad pugnam progredi, compellite eos transire Jordanem; pugnare, et habitare vobiscum.

Vers. 31. — Sicut locutus est Dominus, scilicet, Deus per Mosen, patet ex Hebræo.

Vers. 34. — Igitur extruxerunt filii Gad, Dibom, etc. *Extruxerunt*, id est, restaurârunt; nam ante hæ urbes extiterant; neque potuissent Gadditæ tam citò has urbes à fundamentis ædificare: nam paulò post mortem Mosis, quæ statim post hæc secuta est, ipsi cum aliis tribubus profecti sunt trans Jordanem in Chanaan: unde et v. 38 dicuntur ipsi vetera harum urbium nomina vertisse, aliaque eis imposuisse, unde patet has urbes priùs extitisse, ab eisque non fuisse ædificatas, sed restauratas.

Vers. 38. — Versis nominibus. Hebræi hîc, tanquàm victores religiosi, suæ gentis nomina Amorrhæorum urbibus indiderunt, prioribus gentilitiis abolitis: præsertim quia quædam ex eis, ab idolis, puta à Baal, videntur fuisse desumpta, ut Bamoth Baal et Balmeon. Quænam ea fuerint Hebræorum nomina, Scriptura hîc non exprimit, nisi duo, scilicet, Havoth Jair, et Nobe, v. 41 et 42. Cætera enim nomina pleraque eadem inveniuntur, tam ante hæc tempora, Num. 21, v. 30 et seq., quàm post ea, Josue 13, 17 et seq.

Vers. 40. — Dedit ergo Moyses terram Galaad Machir filio Manasse. *Machir*, id est, posteris Machir, seu dimidiæ tribui Manasse, prognatæ ex Machir, nam Machir filius Ma-

nasse, et nepos Joseph, jampridem erat mortuus. Si enim hucusque vixisset, fuisset, ut minimum, 210 annorum : quæ ætas nulli eo seculo contigit.

Vers. 41. — Jair autem filius Manasse, non proximus, sed remotus. Sic sæpè nepotes vocantur filii, ut Lucæ 1, 5; Matth. 1, 1.

Nota primò. Jair ex genere paterno fuit oriundus, non ex tribu Manasse, sed Juda; hæc enim est genealogia : Judas genuit Phares, hic Hesron, hic Segub, hic Jair. Sed quia Hesron duxit filiam Machir, filii Manasse, ex eâque genuit Segub, patrem Jair, ut patet 1 Paral. 2, 21, hinc factum est ut Jair Manassenses sit secutus; eò quòd ex Manassensis Machir filii celeberrimi filiâ esset procreatus : et hoc sensu eum hic Scriptura Manassis filium appellat.

Nota secundò. Jair hic fuit vir fortissimus : unde in Galaad cepit Havoth Jair, id est, villas, quas ex nomine suo vocavit Jair, atque hâc de causâ factum est, ut cùm supra vers. 1 soli Rubenitæ et Gadditæ, petierint sortem cis Jordanem, addita tamen eis fuerit dimidia tribus Manasse; utpote quæ fortissimè in urbibus iis expugnandis operam suam navâsset. Ita Andr. Masius in Josue 13, v. 31. Porrò, alius fuit hic Jair, aliaque oppida Jair, à Jair et oppidis ejus, non captis, sed subditis, de quibus post 310 annos fit mentio Judic. 10, v. 4. Vide hic Abulensem q. 12.

Vers. 42. — Nobe quoque perrexit, et apprehendit Chanath. Nobe hic videtur fuisse ex tribu Manasse, æquè ac Jair de quo præcessit; unde ab eo vocata est urbs Nobe, in quâ postea collocatum est tabernaculum. Hinc in Nobe hanc David, fugiens Saülem, venit ad Achimelech pontificem, 1 Reg. 21, 1. Ita Abulensis.

Tropologiam hic rigidam et metuendam affert Abulens. in fine cap. Hæ tres tribus, inquit, significant tres status Ecclesiæ, scilicet Ruben episcopos et prælatos : Ruben enim hebraicè idem est quod filius visionis : unde notat gradum prælatorum, qui aliorum vitam speculantur. Gad, utpote fortissimus, significat principes. Manasse significat monachos opimos, scilicet eos qui statûs et vocationis obliviscuntur (hanc enim oblivionem, significat Hebr. Manasse). Ili tres citra Jordanem remanent : quia maximus numerus illorum trium statuum, citra terram viventium in cœlis promissam, in terrâ hâc morientium remanent : dùm stabula jumentorum, id est gloriosa palatia, ut vocent nomina sua in terris suis, atque delectationes pecorum, puta delectationes ex brutis, et cum brutis communes, quærunt. Hi, si quos interdùm trans Jordanem, in terram promissam, id est, in cœlum, docendo et manendo ducant; ipsi tamen citra Jordanem ad sua fluxa redeunt, atque ad cœlum, ut ibi morentur, nunquàm vadunt. Hùcusque Abulens. Quæ commodè accipienda sunt de iis qui terræ et terrenis, cum Gadditis et Rubenitis, inhiant. De talibus quoque locutus est concionator ille Alberti I Imp. qui videns proceres oscitanter sua verba excipientes, voce intentâ : *Quæritur*, ait, *salvarine possint principes?* Et re utrinque agitatâ, excussoque audientium somno : *Quidni*, ait, *possint? si modò Baptismo suscepto in cunis vagientes moriantur*, uti refert Æneas Sylvius l. 3 de Gestis Alphons. Certum est enim episcopos, religiosos et principes eximios non deesse, qui ad cœlestia aspirant, ac virtute et religione suis præstant et prælucent. Porrò S. Gregorius, 27 Moral. 10, hæc adaptat fidelibus, qui fidem defendunt, sed suas concupiscentias amant et sequuntur : hi enim extra promissionis terram animalia bruta nutriunt.

CAPUT XXXIII.

1. Hæ sunt mansiones filiorum Israel, qui egressi sunt de Ægypto per turmas suas in manu Moysi et Aaron, — 2. quas descripsit Moyses juxta castrorum loca, quæ Domini jussione mutabant. — 3. Profecti igitur de Ramesse mense primo, quintâ decimâ die mensis primi, alterâ die Phase, filii Israel in manu excelsâ, videntibus cunctis Ægyptiis,—4. et sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus (nam et in diis eorum exercuerat ultionem), —5. castrametati sunt in Soccoth. — 6. Et de Soccoth venerunt in Etham, quæ est in extremis finibus solitudinis. —7. Inde egressi venerunt contra Phihahiroth, quæ respicit Beelsephon, et castrametati sunt ante Magdalum.— 8. Profectique de Phihahiroth, transierunt per medium mare in solitudinem : et ambulantes tribus diebus per desertum Ethan, castrametati sunt in Mara. — 9. Profectique de Mara venerunt in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum, et palmæ septuaginta : ibique castrametati sunt. — 10. Sed et inde egressi, fixerunt tentoria super mare Rubrum. Profectique de mari Rubro,—11. castrametati sunt in deserto Sin. —12. Unde egressi, venerunt in Daphca. — 13. Profectique de Daphca, castrametati sunt in Alus. — 14. Egressique de Alus, in Raphidim fixêre tentoria, ubi populo defuit aqua ad bibendum. — 15. Profectique de Ra-

phidim, castrametati sunt in deserto Sinaï. — 16. Sed et de solitudine Sinaï egressi, venerunt ad sepulcra concupiscentiæ. — 17. Profectique de sepulcris concupiscentiæ, castrametati sunt in Haseroth.—18. Et de Haseroth venerunt in Rethma.—19. Profectique de Rethma, castrametati sunt in Rhemmomphares. — 20. Unde egressi, venerunt in Lebna. — 21. De Lebna, castrametati sunt in Ressa. — 22. Egressique de Ressa, venerunt in Ceelatha.— 23. Unde profecti, castrametati sunt in monte Sepher. — 24. Egressi de monte Sepher, venerunt in Arada. — 25. Inde proficiscentes, castrametati sunt in Maceloth. — 26. Profectique de Maceloth, venerunt in Thahath. — 27. De Thahath castrametati sunt in Thare. — 28. Unde egressi fixêre tentoria in Methca. — 29. Et de Methca, castrametati sunt in Hesmona.— 30. Profectique de Hesmona, venerunt in Moseroth. — 31. Et de Moseroth castrametati sunt in Benejaacan. — 32. Profectique de Benejaacan, venerunt in montem Gagdad.— 33. Unde profecti, castrametati sunt in Jetebatha.—34. Et de Jetebatha venerunt in Hebrona. — 35. Egressique de Hebrona, castrametati sunt in Asiongaber. — 36. Inde profecti, venerunt in desertum Sin, hæc est Cades. — 37. Egressique de Cades, castrametati sunt in monte Hor, in extremis finibus terræ Edom. — 38. Ascenditque Aaron sacerdos in montem Hor, jubente Domino : et ibi mortuus est anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Ægypto, mense quinto, primâ die mensis,—39. cùm esset annorum centum viginti trium.—40. Audivitque Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, in terram Chanaan venisse filios Israel.— 41. Et profecti de monte Hor, castrametati sunt in Salmona. — 42. Unde egressi, venerunt in Phunon. — 43. Profectique de Phunon, castrametati sunt in Oboth. — 44. Et de Oboth, venerunt in Ijeabarim, quæ est in finibus Moabitarum.—45. Profectique de Ijeabarim, fixêre tentoria in Dibongad. — 46. Unde egressi, castrametati sunt in Helmondeblathaim. — 47. Egressique de Helmondeblathaim, venerunt ad montes Abarim, contra Nabo. — 48. Profectique de montibus Abarim, transierunt ad campestria Moab, supra Jordanem, contra Jericho. — 49. Ibique castrametati sunt de Bethsimoth usque ad Abelsatim in planioribus locis Moabitarum, — 50. ubi locutus est Dominus ad Moysen : — 51. Præcipe filiis Israel, et dic ad eos : Quando transieritis Jordanem, intrantes terram Chanaan, — 52. disperdite cunctos habitatores terræ illius : confringite titulos, et statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate,—53. mundantes terram, et habitantes in eâ : ego enim dedi vobis illam in possessionem,—54. quam dividetis vobis sorte. Pluribus dabitis latiorem, et paucis angustiorem. Singulis ut sors ceciderit, ita tribuetur hæreditas. Per tribus et familias possessio dividetur. — 55. Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ, qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis, et lanceæ in lateribus, et adversabuntur vobis in terrâ habitationis vestræ: — 56. et quidquid illis cogitaveram facere, vobis faciam.

---

1. Voici les demeures des enfants d'Israël après qu'ils furent sortis de l'Egypte en diverses bandes, sous la conduite de Moïse et d'Aaron, — 2. qui furent décrites par Moïse, selon les lieux *les plus remarquables* de leurs campements qu'ils changeaient par le commandement du Seigneur. — 3. Les enfants d'Israël partirent donc de Ramessé, *ville de la terre de Gessen, dans la basse Egypte*, le quinzième jour du premier mois, et le lendemain de la pâque, par un effet de la main puissante du Seigneur, à la vue de tous les Egyptiens, — 4. qui ensevelissaient leurs premiers-nés, que le Seigneur avait frappés, ayant exercé sa vengeance sur leurs dieux mêmes, *c'est-à-dire, sur leurs idoles, sur leurs princes, et sur les animaux qu'ils adoraient comme des dieux.* — 5. Ils allèrent *de là* camper à Soccoth. — 6. De Soccoth ils vinrent à Etham, qui est dans l'extrémité du désert. — 7. Etant sortis de là ils vinrent vis-à-vis de Phihahiroth qui regarde Béelséphon, et ils campèrent devant Magdalum.— 8. De Phihahiroth ils passèrent par le milieu de la mer *Rouge, et entrèrent* dans le désert, et ayant marché trois jours par le désert d'Etham, *appelé aussi le désert de Sur*, ils campèrent à Mara, *où Moïse adoucit les eaux amères en y jetant un certain bois.* —9. De Mara ils vinrent à Elim, où il y avait douze fontaines d'eaux et soixante-dix palmiers, et ils y campèrent.—10. De là ayant décampé, ils allèrent dresser leurs tentes près de la mer Rouge; et étant partis de la mer Rouge, — 11. ils campèrent dans le désert de Sin. — 12. De Sin, ils vinrent à Daphca. — 13. De Daphca ils vinrent camper à Alus. — 14. Et étant sortis d'Alus, ils vinrent dresser leurs tentes à Raphidim, où le peuple ne trouva point d'eau à boire. — 15. De Raphidim, ils vinrent camper

au désert de Sinaï. — 16. Etant sortis du désert de Sinaï, ils vinrent, *après quelques jours de marche,* aux sépulcres de concupiscence. —17. Des sépulcres de concupiscence, ils vinrent camper à Haséroth, *près de Cadès-Barné.* — 18. De Haséroth, ils vinrent à Rethma. — 19. De Rethma, ils vinrent camper à Remmomphares ; — 20. d'où étant sortis, ils vinrent à Lebna. — 21. De Lebna, ils allèrent camper à Ressa. — 22. Et étant partis de Ressa, ils vinrent à Ceelatha.—23. De là ils vinrent camper au mont de Sepher. — 24. Et ayant quitté le mont de Sepher, ils vinrent à Arada. — 25. D'Arada, ils vinrent camper à Maceloth. —26. Et étant sortis de Maceloth, ils vinrent à Thahath. — 27. De Thahaht, ils allèrent camper à Tharé ; — 28. d'où ils vinrent dresser leurs tentes à Methca. — 29. De Methca, ils allèrent camper à Hesmona. — 30. Et étant partis de Hesmona, ils vinrent à Moseroth, *près du mont Hor.* — 31. De Moseroth, *retournant sur leurs pas, comme s'ils eussent voulu reprendre le chemin du mont Sinaï,* ils allèrent camper à Benejaacan. — 32. De Benejaacan, ils vinrent à la montagne de Gadgad, — 33. d'où ils allèrent camper à Jétébatha. — 34. De Jétébatha, ils vinrent à Hébrona.—35. De Hébrona, ils allèrent camper à Asiongaber, *proche la mer Rouge ;* — 36. d'où étant partis, ils vinrent *de nouveau* au désert de Sin *ou de Zin,* qui est *le même que celui de* Cadès.— 37. De Cadès, ils vinrent camper sur la montagne de Hor, à l'extrémité du pays d'Edom.—38. Et Aaron grand-prêtre, étant monté sur la montagne de Hor, par le commandement du Seigneur, y mourut le premier jour du cinquième mois de la quarantième année après la sortie des enfants d'Israël du pays d'Egypte, —39. étant âgé de six-vingt-trois ans. — 40. Alors Arad, roi des Chananéens, qui habitait vers le midi, apprit que les enfants d'Israël étaient venus *sur les frontières de son pays, à dessein d'entrer par là* dans le pays de Chanaan : *il les attaqua et les vainquit. Mais les Israélites ayant eu recours au Seigneur, il leur livra les Chananéens qu'ils passèrent au fil de l'épée et brûlèrent leurs villes.*— 41. Etant partis de la montagne de Hor, ils vinrent camper à Salmona ; — 42. d'où ils vinrent à Phunon. — 43. De Phunon, ils allèrent camper à Oboth. —44. D'Oboth, ils vinrent à Ijéabarim, qui est sur la frontière des Moabites.—45. Etant partis de Ijéabarim, ils vinrent dresser leurs tentes a Dibongad ; — 46. d'où ils allèrent camper à Helmondeblathaïm. — 47. Ils partirent de Helmondeblathaïm, et vinrent aux montagnes d'Abarim, vis-à-vis de Nabo.— 48. Et ayant quitté les montagnes d'Abarim, ils passèrent dans les plaines de Moab, sur le bord du Jourdain, vis-à-vis de Jéricho ; — 49. où ils campèrent dans les lieux les plus plats du pays des Moabites, depuis Bethsimoth jusqu'à Abelsathim : —50. Ce fut là que le Seigneur parla à Moïse, et lui dit : — 51. Ordonnez ceci aux enfants d'Israël, et dites-leur : Quand vous aurez passé le Jourdain et que vous serez entrés dans le pays de Chanaan, — 52. exterminez tous les habitants de ces pays-là ; brisez les pierres érigées *en l'honneur des fausses divinités,* rompez leurs statues, et renversez tous leurs hauts lieux, — 53. pour purifier ainsi la terre, afin que vous y habitiez ; car je vous l'ai donnée, afin que vous la possédiez ; — 54. et vous la partagerez entre vous par sort. *Je conduirai le sort de telle manière, qu'en le suivant exactement,* vous en donnerez une plus grande partie à ceux qui seront en plus grand nombre, et une moindre à ceux qui seront moins. Chacun recevra son héritage, selon qu'il lui sera échu par sort ; et le partage s'en fera par tribus et par familles. — 55. Que si vous ne voulez pas tuer *tous* les habitants du pays, ceux qui en seront restés vous deviendront comme des clous dans les yeux, et comme des lances aux côtés ; et ils vous combattront dans le pays que vous devez habiter ; — 56. et je vous ferai à vous-mêmes tout le mal que j'avais résolu de leur faire, *pour vous punir de les avoir épargnés,*

Tropologicè, sicut Hebræi per 42 mansiones, sive stationes ibant in Chanaan, sic Christiani per 40 dies jejunii tendunt ad resurrectionem. Hinc factum est, ut hi jejuniorum dies, à Patribus stationes appellentur : tum quia in iis stantes orabant et vigilabant Christiani, quasi pergentes ad terram in cœlis promissam : tum quia hi stationum dies repræsentati fuerunt per 42 stationes Hebræorum in deserto, uti ex S. Ambr., Tertull. et aliis docui Exod. 24, in fine. Sapienter dixit abbas ille in Vitis Patrum l. 7, c. 28 : « Usque tunc laboret homo, usque-« quò possideat Christum. Ad hæc, tribulatio-« nem laboris rememorans, undique custodiat « semetipsum, timens ne tantos labores amit-« tat. Nam et filios Israel ideò Deus per deser-« tum quadraginta annis circumduxit, ut re-« memorantes viæ tribulationem, nollent redire « retrorsùm. »

Vers. 1. — In manu Moysi et Aaron. Per

Mosen et Aaron, vel ductu Mosis et Aaronis. Τὸ enim *in manu*, Hebræis significat causam instrumentalem, idemque valet quod *per*.

Vers. 3. — Altera die Phase, postridie agni immolati; 14 lunâ ad vesperam, puta 15 lunâ sive die, mensis primi, nam 15 hâc die egressi sunt ex Ægypto.

In manu excelsa. In magnâ potestate, robore et terrore Ægyptiorum, hoc est potenter, valenter et gloriosè egressi sunt, utpote prostratis jam Ægyptiis, per tot plagas et per cædem primogenitorum : unde ipsi Hebræorum egressum ampliùs impedire, eosque detinere non sunt ausi. Hinc Chal. vertit : *Egressi sunt palàm*, in oculis omnium Ægyptiorum.

Vers. 4. — Nam et in diis eorum exercuerat ultionem, quia scilicet eâdem nocte, quâ egressi sunt Hebræi, Deus prostravit idola Ægypti, uti dixi Exodi 12, 12, q. d. : Ideò in manu excelsâ egressi sunt Hebræi, in oculis omnium Ægyptiorum : quia perterrefecerat eos Dominus strage, non tantùm primogenitorum, sed et idolorum ipsorum.

Vers. 8. — Ambulantes per desertum Etham. Erat ergo desertum Etham ingens tam cis quàm trans mare Rubrum, ut dixi Exod. 14, 21 et 29. Minùs ergo rectè Abul. ex hisce verbis suspicatur Hebræos non transisse, sed circuisse mare Rubrum, ut sic continuò in eodem deserto Etham versarentur.

Vers. 40. — Audivitque, etc., Arad, etc., in terram Chanaan venisse filios Israel. *Venisse*, id est, adventare (Τὸ enim *venisse*, significat actum inchoatum, non completum) ad eam invadendam supple; ideò eos impedire voluit, eosque bello lacessivit, sed ab eis victus cæsusque est, ut dictum est c. 21, initio. Secundò, planiùs heb. chald. Sept., Vatab. et alii τὸ *in Chanaan* jungunt præcedentibus, vertuntque : *Audivitque rex Arad, habitans ad meridiem in Chanaan*, id est, Chananææ : non enim habitabat in ipsâ Chanaan, sed extra, eratque illi ad meridiem, æquè ac Amalec, ut patet c. 14, 43; et 1 Reg. 30, 1. Hebræum enim *bet*, id est, *in*, sæpè fungitur vice regiminis genitivi, et juxta hunc sensum accipienda videtur nostra latina versio, in eâque legendum esse cum Abul. : *Arad qui habitabat ad meridiem in terrâ* (non *in terram*) *Chanaan*, id est, qui habitabat ad meridiem ipsius terræ Chanaan, ait Abul.

Vers. 49. — Ibique castrametati sunt, de Bethsimoth usque ad Abelsatim. Non quasi castra Hebræorum se extenderint de Bethsimoth usque ad Abelsatim, per duodecim milliaria, ut vult R. Salomon : sic enim non 42, sed 41 essent mansiones. Sensus ergo est, q. d. : Hebræi priùs fixerunt castra in Betsimoth, deinde in Abelsatim ; ubi 42 et ultima fuit mansio. Ita Abulensis.

Vers. 52. — Confringite titulos. Hebr. *frangite cælaturas*, vel picturas eorum (Chananæorum) quibus scilicet ipsi deos suos depingunt, eosque colunt, vetat enim hic idololatriam ; vide dicta Lev. 26, 1.

Excelsa, scilicet altaria, et sacella in locis excelsis, idolis consecrata, vastate.

Vers. 55. — Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ, etc., erunt vobis quasi clavi in oculis, et lanceæ in lateribus, q. d. : Chananæi, si eis parcatis, pungent vos instar clavorum et lancearum, bellisque vos vexabunt et dilacerabunt. Hæc una fuit causa cur jusserit Deus deleri omnes omninò Chananæos; fuit et secunda, scilicet impietas istarum gentium; ac tertia, ne scilicet scandalo essent Hebræis, et suis idolis ac vitiis eos polluerent. Peccârunt ergo Hebræi cùm successu temporis, prævalentes Chananæis, eos non omninò deleverunt, sed vel desidiâ, vel commiseratione, vel spe tributi, vel aliâ simili de causâ, eis pepercerunt, unde postea ab eis exterminari non potuerunt. Deus autem id convertit in bonum, videlicet ut hæ gentes essent quasi flagellum Judæorum, cùm ipsi ad idola deflectebant, ut patet Judic. 2, 22; et ut Hebræi haberent continuum cum eis armorum exercitium, nec otio diffluerent, ut patet Judic. 3, 1. Quâ de causâ Scipio Carthaginem Romæ æmulam, non esse delendam censuit, ut esset eos juventutis Romanæ.

Mysticè, S. Hier. : « Hæ, ait, 42 mansiones, quibus Hebræi tetenderunt in Chanaan, significant 42 vias, quibus fideles tendunt in cœlum. Prima est *Ramesse*, id est, tonitruum gaudii, quo scilicet tonantibus, id est, prædicantibus, Apostolis aliisque, conversi sunt ad Christum infideles et impii, ideòque gavisi sunt. Secunda est *Socoth*, id est, tabernacula, quia in hâc vitâ quasi peregrini, celebramus continuum festum tabernaculorum, tendimusque ad cœlum, quasi ad patriam nostram. Tertia est *Etham*, id est, fortitudo, quia fortiter in hâc viâ ardua omnia et adversa superanda sunt. Quarta est *Phihahiroth*, id est, os nobilium, ut quasi nobiles et generosi, ore nostro Deum in adversis laudemus. Quinta est *Mara*, id est, amaritudo, scilicet pœnitentiæ. Sexta est *Elim*, id est, arietes, Puta Apostoli, et similes. Hos

enim quasi duces sequi debemus. Septima est *ad mare Rubrum*, quia per fluctus et alterationes hujus seculi, quin et per martyria eundum est in cœlum. Octava est *Sin*, id est odium, quia fideles grande odium, et persecutiones, tam diaboli, quàm mundi subire debent. Nona est *Daphca*, id est, pulsatio, puta oratio, de quâ ait Christus : *Pulsate et aperietur vobis*. Decima est *Alus*, id est, fermentum, scilicet Evangelii. *Quod tollens mulier, commiscuit farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum*. Undecima est *Raphidim*, id est, dissolutio fortium : ibi enim orante Mose, Josue prostravit Amalec. Duodecima est *Sinai*, id est, rubus, hoc est, asperitas vitæ, in quâ Deus apparet, suamque legem et voluntatem animæ communicat. Decima tertia est *Sepulcra concupiscentiæ*, in quibus gula et gulosi sepeliuntur. Decima quarta est *Haseroth*, id est, atrium, scilicet vestibulum virtutum, ut ostendat eos, qui per gulam ceciderunt, posse resurgere ; et eos qui stant, posse cadere. In Haseroth enim, murmurans contra Moysen Maria, leprâ percussa, et sanata est. Decima quinta est *Rethma*, id est, sonitus, vel juniperus, qui diù ignem conservat, ita ut, si prunæ ex ejus cinere fuerint opertæ, usque ad annum perveniant ; ut scilicet simus ferventes spiritu, atque claro sonitu, et exaltatâ voce Evangelium Domini prædicemus. Decima sexta est *Rhem non Phares*, id est, mali punici (id est, malogranati) divisio : quia *multitudinis credentium est cor unum, et anima una :* in eâ enim est varietas consonantiaque virtutum. Decima septima est *Lebna*, id est, lateres, quos scilicet faciens populus in Ægypto, ingemuit : quia in hâc vitâ, nunc crescimus, nunc decrescimus, et post ecclesiasticum ordinem, subinde ad laterum opera transmigramus. Decima octava est *Ressa*, id est, frænum. Si enim post profectum, rursùs ad luti opera descendimus, infrænandi sumus, et cursus vagi ac præcipites Scripturæ retinaculis dirigendi sunt. Decima nona est *Ceelatha*, id est, Ecclesia ; quia vagi currentium gressus frænis ad Ecclesiam retrahuntur ; ut fores quas ante reliquerant, rursùm intrare festinent. Vigesima est *Sepher*, id est, pulchritudo. Vide quid prosint frena : à vitiis nos retrahunt, introducunt ad virtutum choros, ut in Christo, monte pulcherrimo, habitare faciant. Hinc vigesimâ primâ venimus in *Arada*, id est, stuporem et miraculum : quia stupemus atque miramur Christi gratiam et virtutes, ut noster in laudibus ejus sermo superetur. Vigesima secunda est *Maceloth*, id est, cœtus, de quibus dicitur : *Ecce quàm bonum, et quàm jucundum habitare fratres in unum!* Vigesima tertia est *Thahath*, id est, pavor, de quo Apostolus : *Noli altum sapere, sed time : Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Vigesima quarta est *Thare*, quo nomine vocatus est pater Abraham, qui in apocrypho Geneseos volumine, abactis corvis, qui hominum frumenta vastabant, abactoris, vel depulsoris sortitus est nomen, Itaque et nos imitemur Thare, et volucres cœli, quæ juxta viam satum triticum devorare festinant, solliciti prohibeamus. Vigesima quinta est *Methca*, id est, dulcedo, illa videlicet de quâ Psaltes : *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ! super mel et favum ori meo*. Vigesima sexta est *Hesmona*, id est, festinatio, quâ videlicet ad ulteriora properantes, obliviscamur præteritorum, et in futura extendamus nos. Vigesima septima est *Moseroth*, id est, vincula, sive disciplina, de quâ dicitur Isaiæ 54 : *Viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt, post te ambulabunt, vincti manicis*. In his vinculis commoramur, dum festino gradu pergimus ad magistros, et eorum terimus limina, præceptis virtutum, ac mysteriis occupati Scripturarum. Vigesima octava est *Benè jaacan*, id est, filii necessitatis, vel stridoris, qui scilicet timore supplicii et gehennæ, diabolum deserentes, in Christo renasci festinant : de quibus dicas cum Sione : *Ego sterilis, et non pariens*, etc. *Et isti ubi erant?* Isaiæ 49. Vigesima nona est mons *Gaddad*, id est, expeditio, aut potiùs concisio, videlicet, ut non prohibeamus gladium nostrum à sanguine, dicente Prophetâ (Jer. 48) : *Maledictus qui facit opera Domini fraudulenter, et qui prohibet gladium suum à sanguine*, sc. quin carnes devoret, id est, carnis vitia trucidet. Trigesima est *Jetebatha*, id est, bonitas, ut, cùm pervenerimus ad perfectum virum, in sacerdotalem gradum imitemur eum qui dixit : *Ego sum pastor bonus; bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis*. Trigesima prima est *Hebrona*, id est, transitus, sive transitio, ut sc. exempla Script. colligamus, quæ doceant nos hic non habere manentem civitatem, sed transire debere in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei. Trigesima secunda est *Asion gaber*, id est, ligna viri, qualia sumus nos in manu artificis Dei nostri, vasa facientis diversa, quæ in domo magnâ necessaria sunt. Trigesima tertia est *Cades*, id est, sancta, per antiphrasin, quia hic Moses et Aaron offendunt Dominum ad aquas contradictionis, et prohibentur ingredi Chanaan. Ubi enim præceptum,

ibi et peccatum; ubi peccatum, ibi offensa; ubi offensa, ibi mors; ut meminerimus pariter nos omnes ob peccatum damnatos esse ad mortem. Trigesima quarta est mons *Hor*. Hic moritur Aaron in monte Hor, id est, montis, puta in celsitudine gradûs et virtutis. Trigesima quinta est *Selmona*, id est, imaguncula, scilicet serpentis ænei, id est, Christi crucifixi, quam jugiter intueri debemus. Rursùm *Selmona*, est umbra. *Videmus enim nunc per speculum in ænigmate*. Trigesima sexta est *Phunon*, id est, os oris : *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Trigesima septima est *Oboth*, id est, magi et pythones, quales pugnaverunt contra Mosen et Aaron, ut sciamus nos inter scorpiones habitare, et tamen eorum venena vincere debere. Trigesima octava est *Ijetabarim*, id est, acervi lapidum transeuntium, de qualibus ait Zach. c. 9 : *Lapides sancti volvuntur super terram*. Hi sunt qui eunt *de virtute in virtutem*. Sunt et alii lapides, quos Jer. c. 50 de viâ tolli jubet, ne per istud seculum ambulantium, et ad alias mansiones transire festinantium, pedes offendant. Trigesima nona est *Dibongad*, id est, fortiter intellecta tentatio, quâ videlicet intelligimus, quòd non debeamus nos elevare in superbiam. Ante contritionem enim elevatur cor, et ante gloriam humiliatur. Quadragesima est *Helmon Deblathaim*, id est, in contemptum plagarum sive opprobriorum; quo discimus omnia dulcia, et illecebras voluptatum in hoc seculo contemnendas, nec inebriari nos debere vino, in quo sunt luxuriæ opprobria. Quadragesima prima sunt montes *Abarim*, contra faciem Nebo. *Abarim*, id est, transeuntes, quia sancti licet sint in montibus virtutum, semper tamen ulteriùs conscendere debent in cœlum. *Nebo* idem est quod conclusio : ibi moritur Moses, id est, finitur lex, nec invenitur ejus memoria, ut succedat gratia Evangelii, quæ sine ullo fine tenditur : *In omnem enim terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum*. Quadragesima secunda et ultima est *Abelsatim*, id est, luctus spinarum, ut discamus in fine vitæ cum S. Aug. flere et antiqua et recentia peccata, nec ex hâc vitâ exire sine pœnitentiâ, ut dicamus cum Psal. Ps. 31 : *Conversus sum in ærumnâ meâ, dùm configitur spina*. In Abelsatim enim Hebræi cæsi sunt, ob cultum Beelphegor; item Madianitæ, et Balaam. Rursum hîc gesta et dicta sunt omnia, quæ Moses ab hoc c. usque ad finem Deut. conscripsit. » Ita has 42 mansiones explicat S. Hier. tr. de 42 Mans. ad Fab. et ex eo Rupert. Simili ferè modo mysticè has 42 mansiones exponit B. Petrus Damiani l. 2, Ep. 7 ad Hildebrand.

Disce hîc, fideles totâ vitâ debere proficere in virtute, itàque proficisci in terram promissam in cœlis. Nam, ut ait S. Bern. : « *Proficere* « *est quoddam proficisci*. Et ut ait Psalt. ps. 83: « *Ibunt de virtute in virtutem*. Et : *Beatus vir* « *cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde* « *suo disposuit*. » In quæ verba ita scribit S. Hier. : « Ille disposuit ascensiones in corde « suo, quicumque sanctus quotidiè in priora « extenditur, et præteritorum obliviscitur. « Propterea dicuntur et in psalterio psalmi « graduales quindecim, et primus dicitur : *Ad* « *Dominum cùm tribularer clamavi*. Et in se- « cundo : *Levavi oculos meos in montes, unde* « *veniet auxilium mihi*. Et in tertio : *Lætatus* « *sum in his quæ dicta sunt mihi* : et semper « procedit, et proficit, et ascendit sublimiora. « Quod dicit hoc est : *Ascensiones in corde suo* « *disposuit*. Felix est qui quotidiè proficit, qui « non considerat quid heri fecerit, sed quid « hodiè faciat ut proficiat. Sanctus ascensiones « in corde suo ponit, peccator descensiones. « Quomodò qui sanctus est, quotidiè proficit, « ita qui peccator est, quotidiè decrescit. »

Quare Salomon in Prov. suis ita justum describit : *Justorum autem semita, quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem*. Causa hujus rei est prima, quòd omnes teneantur ad christianæ vitæ perfectionem aspirare, ac proinde quotidiè in eâ progredi. Hoc enim est edictum Christi Matth. 5, 8 : *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est*. Et c. 22, 27 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, etc., *et proximum tuum sicut te ipsum*. Unde S. Aug. l. 1 de Doct. Christ. c. 22 : « Tunc, ait, optimus est homo, cùm « totâ vitâ suâ pergit in incommutabilem vi- « tam, et toto affectu inhæret illi. »

Secunda, quòd quamdiù in hâc vitâ degimus, versamur in scholâ ; ergo ut discipuli genuini Christi in eâ quotidiè proficere debemus. Unde S. Ber. Ep. 141 : « Ita, ait, quæso, ita facite, « dilectissimi. Discipulus quippe proficiens « gloria est magistri. Quisquis in scholâ Chri- « sti non proficit, ejus indignus est magis- « terio. »

Tertia causa est, quia « Vera virtus, » ut loquitur idem sanctus in Ep. ad Abb. Guarinum, « finem nescit, tempore non clauditur. « Unde est illud : *Charitas nunquàm excidit*. « Et idem : *Patientia pauperum non peribit in*

« *finem.* Et : *Timor Domini sanctus permanet* « *in seculum seculi.* Nunquàm justus arbitratur « se comprehendisse : nunquàm dicit : Satis « est ; sed semper esurit sititque justitiam ; ita « ut si semper viveret, semper quantùm in se « est, justior esse contenderet, semper de « bono in melius proficere totis viribus conare- « tur. Non enim ad annum, vel ad tempus, in- « star mercenarii, sed in æternum divino se « mancipat famulatui. Audi denique vocem « justi : *In æternum non obliviscar justificatio-* « *nes tuas : quia in ipsis vivifiscâsti me.* Et rur- « sùm : *Inclinavi cor meum ad faciendas justifi-* « *cationes tuas in æternum;* non igitur ad tem- « pus. Proinde justitia ejus non manet ali- « quanto tempore, sed *in seculum seculi.* « Sempiterna itaque justi esuries, sempiter- « nam meretur refectionem. Et licet in brevi « consummetur pro tempore, judicatur tamen « explesse tempora multa pro virtutis perpe- « tuitate. » Idem deinde probat à contrario, cùm ait : « Quo denique pacto temporis bre- « vitas bonorum præjudicet perpetuæ devo- « tioni, quæ pertinacem reproborum malitiam « excusare non sufficit? Ob hoc enim procul « dubio inflexibilis et obstinatæ mentis puni- « tur æternaliter malum, licet temporaliter « perpetratur : quia quod breve fuit tempore « vel opere, longum esse constat in pertinaci « voluntate, ita ut si nunquàm moreretur, « nunquàm velle peccare desineret : imò sem- « per vivere vellet, ut semper peccare posset. « Proinde potest et de isto per contrarium « itidem dici : *Consummatus in brevi explevit* « *tempora multa*, quòd meritò multorum, imò « omnium temporum receperit vicem, qui « nullo tempore voluerit mutare intentionem. » Hùcusque Bernard.

Quarta causa est, quia qui non vult proficere, vel existimat sibi opus non esse ulteriore progressu, incipit deficere. « Quantumcumque « hìc vixerimus, ait S. Aug., quantumcumque « hìc profecerimus, nemo dicat : Sufficit mihi, « justus sum ; qui dixerit, remansit in viâ, non « novit pervenire. Ubi dixerit : Sufficit, ibi « hæsit. Attende Apostolum cui non sufficit : « *Fratres, ait, ego me non arbitror comprehen-* « *disse.* Et rursùm dicit : *Qui se putat scire,* « *nondum scit quemadmodùm oporteat eum scire.* « *Unum autem, quæ retrò sunt oblitus in ea quæ* « *antè sunt extentus secundum intentionem, se-* « *quor ad palmam supernæ vocationis.* Ille ergo « currit ; tu hæsisti? ille dicit nondùm se per- « fectum, et tu jam de perfectione gloriaris? « Confundantur qui dicunt tibi : *Euge, euge.* » Et Doct. mellifluus : « Non proficere sine du- « bio deficere est. Nemo proinde dicat : Satis « est, sic volo manere, sufficit mihi esse sicut « heri et nudiustertius. In viâ residet, qui « ejusmodi est, in scalâ subsistit, ubi nemi- « nem patriarcha vidit non ascendentem. « Dico ergo : Qui se existimat stare, videat ne « cadat. Ardua et angusta est ; et non hìc, sed « in domo Patris mansiones sunt multæ. »

Quinta causa est, quia nihil est quod in hoc mundo quiescat : « O monache, ait idem Cla- « ravallensis abbas, non vis proficere? non « vis ergo deficere? nequaquàm ; quid ergo? « Sic mihi, inquis, vivere volo, et manere in « quo perveni ; nec pejor fieri patior, nec me- « lior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non « potest. Quid enim stat in hoc seculo? Et « certè de homine specialiter dictum est : « *Fugit velut umbra, et nunquàm in eodem statu* « *permanet.* » Et iterùm alibi : « Moveat nos « ipsum quoque secularis cupiditatis exem- « plum. Quem enim ambitiosum vidimus ali- « quando contentum adeptis dignitatibus, ad « alias non anhelare? Sic et curiosi cujusque « *non satiatur oculus visu, nec auris impletur au-* « *ditu.* Quid, eorum qui avaritiæ serviunt, aut « amatores sunt voluptatum, seu vanas homi- « num sectantur laudes, nonne et ipsorum « insatiabilia desideria arguunt nos negligentiæ « et tepiditatis? Pudeat certè spiritualium nos « bonorum minùs cupidos inveniri. »

Porrò profectum hunc procuramus, primò, per gratiam Dei, perque nostram strenuam cum eâ cooperationem. Gratia hæc precibus impetranda est, ut assiduè oremus cum Psalte : Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, et exquiram eam semper. Secundò, proponendo nobis exempla Christi et sanctorum. Unde S. Bern. « Ipse, ait, hominis secu- « lique auctor, quamdiù *in terris visus est, et* « *cum hominibus conversatus est*, numquid stetit? « et quidem teste Scripturâ, *pertransiit bene-* « *faciendo*, et sanando omnes. Pertransiit ergo, « sicut non infructuosè, ita non remissè, non « pigrè, sed bono gressu, sed quemadmodùm « de eo scriptum est : *Exultavit ut gigas ad* « *currendam viam.* Porrò currentem non ap- « prehendit, qui et ipse pariter non currit. Et « quid prodest Christum sequi, si non contin- « gat consequi? Ideò Paulus aiebat : *Sic currite* « *ut comprehendatis.* Ibi tu, Christiane, fige tui « cursùs profectùsque metam, ubi Christus « posuit suam. *Factus est*, ait, *obediens usque*

« *ad mortem.* Quantumlibet ergo cucurreris, « si usque ad mortem non perveneris, bravium « non apprehendis. » Tertiò, per examen conscientiæ serium et crebrum. Unde S. Aug. serm. 15 de verbis Apostoli : « Dicitis, ait, « quid est ambulare ? breviter dico, proficere, « ne fortè non intelligatis, et pigriùs ambu- « letis. Proficite, fratres mei, discutite vos sine « dolo, sine adulatione, sine palpatione. Non « enim est aliquis intùs tecum, cui erubescas, « et jactes te. Est tibi, sed cui placet humilitas, « ipse te probet. Proba et teipsum tu ipse. « Semper tibi displiceas quod es, si vis perve- « nire ad id quod nondùm es. Nam ubi tibi « placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris : « Sufficit, et perîsti; semper adde, semper am- « bula, semper profice. Noli in viâ remanere, « noli retrò redire, noli deviare. Remanet qui « non proficit; retrò redit, qui ad ea revolvi- « tur unde jam abscesserat; deviat qui apos- « tatat. Meliùs it claudus in viâ, quàm cursor « præter viam. »

CAPUT XXXIV.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : — 2. Præcipe filiis Israel, et dices ad eos : Cùm ingressi fueritis terram Chanaan, et in possessionem vobis sorte ceciderit, his finibus terminabitur. — 3. Pars meridiana incipiet à solitudine Sin, quæ est juxta Edom : et habebit terminos contra orientem mare salsissimum. — 4. Qui circuibunt australem plagam per ascensum Scorpionis, ita ut transeant in Senna, et perveniant à meridie usque ad Cadesbarne, unde egredientur confinia ad villam nomine Adar, et tendent usque ad Asemona. — 5. Ibitque per gyrum terminus ab Asemona usque ad torrentem Ægypti, et maris magni littore finietur. — 6. Plaga autem occidentalis à mari magno incipiet, et ipso fine claudetur. — 7. Porrò ad septentrionalem plagam à mari magno termini incipient, pervenientes usque ad montem altissimum, — 8. à quo venient in Emath usque ad terminos Sedada : — 9. ibuntque confinia usque ad Zephrona, et villam Enan; hi erunt termini in parte aquilonis. — 10. Inde metabuntur fines contra orientalem plagam de villa Enan usque Sephama, — 11. et de Sephama descendent termini in Rebla contra fontem Daphnin : inde pervenient contra orientem ad mare Cenereth, — 12. Et tendent usque ad Jordanem, et ad ultimum salsissimo claudentur mari. Hanc habebitis terram per fines suos in circuitu.— 13. Præcepitque Moyses filiis Israel, dicens : Hæc erit terra, quam possidebitis sorte, et quam jussit Dominus dari novem tribubus, et dimidiæ tribui. — 14. Tribus enim filiorum Ruben per familias suas, et tribus filiorum Gad, juxta cognationum numerum, media quoque tribus Manasse, — 15. id est, duæ semis tribus, acceperunt partem suam trans Jordanem, contra Jericho, ad orientalem plagam. — 16. Et ait Dominus ad Moysen : — 17. Hæc sunt nomina virorum qui terram vobis dividente : Eleazar, sacerdos, et Josue, filius Nun, — 18. et singuli principes de tribubus singulis, — 19. quorum ista sunt vocabula : De tribu Juda, Caleb filius Jephone. — 20. De tribu Simeon, Samuel filius Ammiud. — 21. De tribu Benjamin, Elidab, filius Chaselon. — 22. De tribu filiorum Dan, Bocci, filius Jogli. — 23. Filiorum Joseph de tribu Manasse, Hanniel, filius Ephod. — 24. De tribu Ephraïm, Camuel, filius Sephthan. — 25. De tribu Zabulon, Elisaphan filius Pharnach. — 26. De tribu Issachar, dux Phaltiel, filius Ozan. — 27. De tribu Aser, Ahiud, filius Salomi. — 28. De tribu Nephthali, Phedael, filius Ammiud. — 29. Hi sunt, quibus præcepit Dominus ut dividerent filiis Israel terram Chanaan.

---

1. Le Seigneur parla ensuite à Moïse, et lui dit : — 2. Ordonnez ceci aux enfants d'Israël, et dites-leur : Lorsque vous serez entrés dans le pays de Chanaan, et que vous y posséderez chacun ce qui vous sera échu par sort, voici quelles en seront les limites : — 3. Le côté du midi commencera au désert de Sin qui est près d'Edom; et il aura pour limites vers l'orient, la mer salée. — 4. Ces limites du midi seront le long du circuit que fait la montée du Scorpion, passeront par Senna, et s'étendront depuis le midi jusqu'à Cadès-Barné. De là ils iront jusqu'au village nommé Adar, et s'étendront jusqu'à Asemona.— 5. D'Asemona, ils iront en tournant jusqu'au torrent de l'Egypte, et ils finiront au bord de la grande mer. — 6. Le côté de l'occident commencera à la grande mer, et s'y terminera pareillement. — 7. Les limites du côté du septentrion commenceront à la grande mer, et s'étendront jusqu'à la haute montage *du Liban.* — 8. De là ils iront vers Emath, jusqu'aux confins de Sedada; — 9. et s'étendront jusqu'à Zéphrona, et au village d'Enan. Ce seront là les limites du côté du septentrion. — 10. Les limites du côté de l'orient se mesureront depuis ce même village

d'Enan jusqu'à Sephama. — 11. De Sephama, ils descendront à Rebla, vis-à-vis de la fontaine de Daphnis. De là ils s'étendront le long de l'orient, jusqu'à la mer de Cenereth, *qui est la même que le lac de Génésareth,* — 12. et passeront jusqu'au Jourdain ; et ils se termineront enfin à la mer salée, *ou la mer Morte.* Voilà quelles seront les limites et l'étendue du pays que vous devez posséder. — 13. Moïse donna donc ces ordres aux enfants d'Israël, et leur dit : Ce sera là la terre que vous posséderez par sort, et que le Seigneur a commandé que l'on donnât aux neuf tribus, et à la moitié de la tribu de *Manassé.* — 14. Car la tribu des enfants de Ruben avec toutes ses familles; la tribu des enfants de Gad, distingués aussi selon le nombre de ses familles, et la moitié de la tribu de Manassé, — 15. c'est-à-dire, deux tribus et demie, ont déjà reçu leur partage au-deçà de Jourdain, vis-à-vis de Jéricho, du côté de l'orient. — 16. Le Seigneur dit aussi à Moïse : — 17. Voici les noms de ceux qui partageront la terre entre vous : Eléazar grand-prêtre, et Josué, fils de Nun, — 18. avec un prince de chaque tribu, *de celles qui restent encore à partager,* — 19. dont voici les noms : De la tribu de Juda, Caleb, fils de Jéphone; — 20. de la tribu de Siméon, Samuel, fils d'Ammiud ; — 21. de la tribu de Benjamin, Elidad, fils de Chaselon ; — 22. de la tribu des enfants de Dan, Bocci, fils de Jogli ; — 23. des enfants de Joseph, *savoir,* de la tribu de Manassé, Hanniel, fils d'Ephod ; — 24. *et* de la tribu d'Ephraïm, Camuel, fils de Sephthan ; — 25. de la tribu de Zabulon, Elisaphan, fils de Pharnach ; — 26. de la tribu d'Issachar, le prince Phaltiel, fils d'Ozan ; — 27. de la tribu d'Aser, Ahiud, fils de Salomi ; 28. de la tribu de Nephthali, Phedael, fils d'Ammiud. — 29. Ce sont là ceux à qui le Seigneur a commandé de partager aux enfants d'Israël le pays de Chanaan.

Vers. 3. — Pars meridiana (Chananææ) incipiet a solitudine Sin, quæ est juxta Edom, et habebit terminos contra Orientem, mare salsissimum, *Mare salsissimum,* est lacus Sodomorum, sive Asphaltites, ubi priùs fuit Pentapolis, sed eâ cœlitùs igne consumptâ, factus est eo loco lacus ingens, qui Hebræo more dicitur mare, idque salis, id est, salsissimum. Est enim in hoc lacu aqua crassa, retinens proprietatem sulphuris et salis, quo conflagravit Pentapolis : tunc enim sal urens admixtum fuisse sulphuri, patet Deuter. 29, 23, licet alii putent dici mare salsissimum, à fodinis salis, quas ibi esse docet Sophonias cap. 2, 9, ideòque hic lacus, nec pisces, nec aliud vivens alit: unde et *mare mortuum* dicitur. Dicitur et *mare solitudinis,* vel *deserti,* quia situm est juxta solitudinem Sin, et Cades, ubi cæsus est rex Sodomorum à Codorlahomor. Genes. 14, 7. Dicitur et vulgò *mare diaboli,* quia Sodoma, Gomorrha, Adama, et Seboim ob infanda peccata, igne et sulphure de cœlo cadente, à dæmone (ut vulgus putat) submersæ sunt, et aquis obrutæ, ait Abul. Porrò hic lacus, sive mare, est ad orientem terræ sanctæ. Nam Jordanis, qui Chananææ est ad orientem, in mare hoc influit, et ab eo absorbetur, ut patet ex tabulis geographicis, et ex Josue 3, 16.

Vers. 4. — Per ascensum scorpionis. Est hic locus ita dictus à præruptis montibus, qui sunt asperi instar scorpionum.

Vers. 5. — Ibitque per gyrum terminus ab Asemona usque ad torrentem Ægypti. Torrens hic est rivulus, qui ex deserto (unde Theodotion vertit, *torrens Arabiæ*) veniens juxta Rhinocoruram, in mare Mediterraneum delabitur, terramque tribûs Juda et Simeon à deserto, viâque Ægypti disterminat. Unde Sept. pro torrente hoc vertunt Rhinocoruram. Hinc passim in Script. hic torrens ponitur australis terminus terræ promissæ, puta Chananææ. Ita S. Hieronym. in cap. 6 Amos, et Epist. ad Dardanum tomo 3. Vide Adrichom. in tabulis. Errant ergo qui torrentem hunc putant esse unum e Nili rivis, ex Josue 13, 3; nam alius illius loci est sensus. Torrens enim hic longè à Nilo et Pelusio, Ægyptoque distat.

Et magni (id est, Mediterranei) maris littore finietur. Mare Mediterraneum hic vocatur *magnum,* respectu duorum aliorum: nam in terrâ sanctâ triplex est mare. Primum est hoc Mediterraneum, quòd illam ab occidente alluit, unde *mare* hic in heb. et alibi sæpè significat Occidentem. Secundum est mare Mortuum, seu salsissimum. Tertium est mare Cinneret, seu Genesareth, hæc duo ultima potiùs lacus sunt; primùm verò est mare verum et vastum.

Vers. 7. — Porro ad septentrionalem plagam a mari magno termini incipient, pervenientes usque ad montem altissimum, scilicet usque ad montem Hor, ut habent Hebræus et Chaldæus. Perperàm ergo aliqui Libanum hic intelligunt.

Vers. 8. — A quo venient in Emath. Emath hæc est minor, in quâ est urbs quæ postea ab Antiocho Epiphane, Epiphania est dicta. Erat hæc urbs terminus terræ sanctæ ab aquilone. Erat alia Emath major, scilicet Antiochia, quæ caput erat totius Syriæ. Ita S. Hieron. et ex eo Ribera in Amos 6, 8.

Vers. 11. — Contra fontem Daphnim. Hebr. non habent τὸ *Daphnim*, sed tantùm *contra fontem*, scilicet illum, qui juxta Reblata est notus et celebris, hic autem est Daphnis, uti optimè scivit et intellexit noster interpres, puta S. Hier. qui accuratè perlustravit terram sanctam. Daphnis fons aquis abundantissimis Reblatam urbem irrigat, atque instar celebris et deliciosi illius Daphnes, Antiochiæ suburbani, frequentissimis lauris, et amœnitate inclytus est, uti ex l. 2 Machab., Josepho, et S. Hieronymo docet Adrichomius. Audi S. Hieron. in c. 4 Ezech. : « De Sephamâ, inquit, « id est, de Apamiâ, descendent termini in « Reblata, quæ nunc Syriæ vocatur Antiochia. » Additque : « Ut scias Reblam, sive Reblatam « hanc significare urbem, dicit contra fontem, « quem perspicuum est significare Daphnem, « de quo fonte lucus aquis abundantissimis « fruitur. » Et 1 Machab. 3 : « Onias, inquit, « sacerdos continebat se in loco tuto secus « Daphnen. » Nam cùm sint plures Antiochiæ, una ad Cragum flumen in Ciliciâ, altera juxta Meandrum flumen in Cariâ, tertia Pisidiæ in Cappadociâ, ad illarum differentiam hæc cognominata est Antiochia ad Daphnen, quæ etiam aliarum comparatione, Antiochia magna dicitur et Antiochia ad Orontem, quia ab Oronte fluvio secatur media. Est prolepsis; nam postea datum est nomen Daphnes huic fonti, æquè ac suburbano Antiochiæ, ei adjacenti. Unde et porta urbis eò tendens, dicta est Daphnitica, juxta quam sepultum fuisse corpus S. Ignatii Martyris testatur S. Hier. Dicta est enim Daphne, id est, laurus, vel lauretum, ob lauros et cypressos à Pompeio dedicatas eo loco: vel potiùs ob memoriam virginis Daphnes, quam Ladonis fluminis sui filiam Antiocheni fabulati sunt : unde et *laurum coluerunt ob memoriam virginis Daphnes*, inquit Philostr. lib. 1, et Arianus, ac ex iis Anton. Nebriss. in Quinquagena, c. 14.

Inde pervenient contra orientem ad mare Ceneret. *Ceneret*, vel, ut Hebræi legunt, *Cinneret*, urbs erat, quæ postea corruptè Genezareth, et à Tiberio Cæsare Tiberias est dicta : juxta hanc urbem erat lacus, qui mare et stagnum Ceneret, aut Genezareth, aut Tiberiadis dicitur; et à provinciâ in quâ erat, mare Galilææ, juxta hoc mare erat Nazareth, Capharnaum, Bethsaida, et aliæ urbes, quæ educatione, conversatione et miraculis Christi fuerunt celebratæ.

Erat hoc mare Ceneret, uti et alterum salsissimum, sive mortuum, cum Jordane, ab oriente limes terræ sanctæ : Mediterraneum limes erat ab occidente ; torrens Ægypti, cum desertis Arabiæ, limes erat à meridie : Emath, sive Epiphania, uti et Libanus, limes erat à septentrione. Iidem termini terræ promissæ consignantur Exodi 23, 31, nisi quòd ibi à septentrione terminus ponatur fluvius, scilicet Euphrates. Qui sanè ampli fuerunt termini, ac consequenter terra Judæis promissa perampla fuit : complexa est enim Philistiam et Philistinos omnes, ut patet Josue 13, vers. 2 et 3. Rursum complexa est totam Phœniciam, ac consequenter Tyrum et Sidonem, hæc enim tribui Aser à Josue attributa sunt , Josue 19, v. 28 et 29. Sed permisit Salomon Hiran regem Tyro dominari, ejusque operâ usus est in fabricâ templi, alioqui eum de jure regno Tyri excludere potuisset. Ita Abul. Hinc et mulier Tyria, quæ à Christo filiæ sanitatem impetravit, à Matthæo cap. 15, 22, vocatur *Chananæa*, à Marco verò c. 7, 26, vocatur *Syrophœnissa* quia videlicet Phœnicia erat pars Chananææ. Unde patet Judæos suo demerito et culpâ totâ terrâ hìc promissâ, usque ad hosce terminos, non esse potitos, nisi pauco Salomonis regni tempore, quo tamen nonnullæ regiones non fuerunt ab eis cultæ et habitatæ, sed tantùm subactæ et vectigales; quædam etiam amicæ tantùm et sociales, uti jam dixi de Tyro.

Vers. 12. — Et tendent usque ad Jordanem. Jordanes limes erat ab oriente terræ sanctæ, id est, novem tribuum. Nam tres aliæ tribus, scilicet Ruben, Gad et dimidia Manasse hìc non numerantur, nec earum termini hìc describuntur quia ipsi jam sortem acceperant cis Jordanem, in Galaad, ut dicitur v. 14.

Nota. Jordanes famosissimus fuit fluvius, et terminus terræ sanctæ. Oritur enim ad radices Libani, atque ex confluxu duorum rivulorum, scilicet Jor et Dan, conflatur; indeque dicitur Jordanes : juxta quem est planities viridissima, in quâ extat sepulcrum S. Job, altâ pyramide insignitum. Jordanes, inquit Abulens. q. 5, habet septem privilegia, super alia flumina : primum, quòd dividat terram sanctam à Moabitis, Arabibus, aliisque gentibus. Secundum,

quòd arcâ Dei cum Hebræis transeunte, fluenta ejus steterunt : in cujus rei monumentum, tulerunt Israelitæ duodecim lapides de medio alveo Jordanis, eosque in titulos erexerunt et collocârunt in Galgalis, Josue 3, et 4, et 5. Tertium, quòd per eum Elias et Eliseus, siccis pedibus transierunt, cùm raptus est Elias per turbinem in cœlum, 4 Reg. 2, 8. Quartum, quòd in eo Naaman Syrus à leprâ mundatus est, cùm septies in eo lavaretur, 4 Reg. 5. Quintum, quòd in eo ferrum securis, ad mandatum Elisei supernatavit, 4 Reg. 6, 2, et 6. Sextum, quòd in Jordane Christus baptizatus est, et tactu suæ mundissimæ carnis, vim regenerativam in Baptismo, omnibus aquis tribuit, Matth. 3. Septimum, quòd ibi Joannes Baptista vidit cœlum apertum, et audivit vocem Patris, et vidit Spiritum descendentem in specie columbæ, super Christum, Matth. 3.

Vers. 17 et 18. — Hæc sunt nomina virorum, qui terram vobis divident, etc., singuli principes de tribubus singulis. Non quòd hi 12 divisores essent principes supremi singularum tribuum : nam Caleb non erat summus princeps tribûs Juda; nec alii erant filii primogenitorum, id est, principum suæ tribûs, ut patet, si quis conferat parentum eorum nomina, quæ hîc recensentur, cum principibus tribuum nominatis cap. 1. Erant ergo hi principes aliquarum familiarum in suâ tribu ; vel principes, id est, præpositi et præfecti divisioni terræ sanctæ. Hebr. enim vox *nasi*, propriè significat *præpositum*. Itaque hi duodecim principes terram Chanaan diviserunt, in partes æquas proportionaliter; quo facto sortem jecerunt, quæ pars cuique obtingeret; atque hinc terra hæc nunc sorte, nunc per principes dividenda dicitur, ut patet c. præced. v, 54. Quomodò per sortes divisa sit terra, dicam Josue 14, 1.

CAPUT XXXV.

1. Hæc quoque locutus est Dominus ad Moysen in campestribus Moab, supra Jordanem, contra Jericho : — 2. Præcipe filiis Israel ut dent Levitis de possessionibus suis — 3. urbes ad habitandum, et suburbana earum per circuitum : ut ipsi in oppidis maneant, et suburbana sint pecoribus ac jumentis : — 4. quæ à muris civitatum forinsecùs, per circuitum, mille passuum spatio tendentur. — 5. Contra orientem duo millia erunt cubiti, et contra meridiem similiter erunt duo millia : ad mare quoque, quod respicit ad occidentem, eadem mensura erit, et septentrionalis plaga æquali termino finietur : eruntque urbes in medio, et foris suburbana. — 6. De ipsis autem oppidis, quæ Levitis dabitis, sex erunt in fugitivorum auxilia separata, ut fugiat ad ea qui fuderit sanguinem : et exceptis his, alia quadraginta duo oppida, — 7. id est, simul quadraginta octo cum suburbanis suis. — 8. Ipsæque urbes, quæ dabuntur de possessionibus filiorum Israel, ab his qui plus habent, plures auferentur ; et qui minùs pauciores, singuli juxta mensuram hæreditatis suæ dabunt oppida Levitis. — 9. Ait Dominus ad Moysen : — 10. Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Quando transgressi fueritis Jordanem in terram Chanaan, — 11. decernite quæ urbes esse debeant in præsidia fugitivorum, qui nolentes sanguinem fuderint : — 12. in quibus cùm fuerit profugus, cognatus occisi non poterit eum occidere, donec stet in conspectu multitudinis, et causa illius judicetur. — 13. De ipsis autem urbibus, quæ ad fugitivorum subsidia separantur, — 14. tres erunt trans Jordanem, et tres in terrâ Chanaan, — 15. tam filiis Israel, quàm advenis atque peregrinis, ut confugiat ad eas, qui nolens sanguinem fuderit. — 16. Si quis ferro percusserit, et mortuus fuerit qui percussus est, reus erit homicidii, et ipse morietur. — 17. Si lapidem jecerit, et ictus occubuerit, similiter punietur. — 18. Si ligno percussus interierit, percussoris sanguine vindicabitur. — 19. Propinquus occisi, homicidam interficiet : statim ut apprehenderit eum, interficiet. — 20. Si per odium quis hominem impulerit, vel jecerit quippiam in eum per insidias : — 21. aut cùm esset inimicus, manu percusserit, et ille mortuus fuerit, percussor homicidii reus erit ; cognatus occisi statim ut invenerit eum, jugulabit. — 22. Quòd si fortuitu, et absque odio, — 23. et inimicitiis, quidquam horum fecerit, — 24. et hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem et propinquum sanguinis quæstio ventilata : — 25. liberabitur innocens de ultoris manu, et reducetur per sententiam in urbem, ad quam confugerat, manebitque ibi donec sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur. — 26. Si interfector extra fines urbium, quæ exulibus deputatæ sunt, — 27. fuerit inventus, et percussus ab eo qui ultor est sanguinis : absque noxâ erit qui eum occiderit. — 28. Debuerat enim profugus usque ad mortem pontificis in urbe residere; postquàm autem ille obierit, homicida revertetur in terram suam. — 29. Hæc sempiterna erunt, et legitima in

cunctis habitationibus vestris. — 30. Homicida sub testibus punietur : ad unius testimonium nullus condemnabitur. — 31. Non accipietis pretium ab eo qui reus est sanguinis : statim et ipse morietur. — 32. Exules et profugi ante mortem pontificis nullo modo in urbes suas reverti poterunt; — 33. ne polluatis terram habitationis vestræ, quæ insontium cruore maculatur : nec aliter expiari potest, nisi per ejus sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit. — 34. Atque ita emundabitur vestra possessio, me commorante vobiscum. Ego enim sum Dominus qui habito inter filios Israel.

---

1. Le Seigneur dit encore ceci à Moïse dans les plaines de Moab, le long du Jourdain, vis-à-vis de Jéricho : — 2. Ordonnez aux enfants d'Israël, que des terres qu'ils possèdent, ils donnent aux Lévites — 3. des villes pour y habiter, et les faubourgs qui les environnent, afin qu'ils demeurent dans les villes, et que les faubourgs soient pour leurs troupeaux et pour leurs bêtes. — 4. Ces faubourgs qui seront au-dehors des murailles de leurs villes, s'étendront tout au tour, l'espace de mille pas, *à compter depuis les murs de la ville jusqu'à l'extrémité des faubourgs.* — 5. *Or, le pas vaut deux coudées. Ainsi* leur étendue sera de deux mille coudées du côté de l'orient, et de même de deux mille du côté du midi. Ils auront la même mesure vers la mer qui regarde l'occident, et le côté du septentrion sera terminé par de semblables limites. Les villes seront au milieu, et les faubourgs seront *tout autour,* au dehors des villes. — 6. De ces villes que vous donnerez aux Lévites, il y en aura six de séparées, pour servir de refuge aux fugitifs; afin que celui qui aura répandu *innocemment* le sang *d'un homme,* puisse s'y retirer, et *s'y mettre à couvert de la vengeance des parents du mort.* Outre ces six villes, il y en aura quarante-deux autres *dans toutes les tribus* : — 7. c'est-à-dire, qu'il y en aura en tout quarante-huit, avec leurs faubourgs. — 8. Ceux d'entre les enfants d'Israël qui posséderont plus de terre, donneront aussi plus de ces villes; ceux qui en posséderont moins, en donneront moins; et chacun donnera des villes aux Lévites à proportion de ce qu'il possède. — 9. Le Seigneur dit aussi à Moïse : — 10. Parlez aux enfants d'Israël, et dites-leur : Lorsque vous aurez passé le Jourdain, et que vous serez entrés dans le pays de Chanaan, — 11. marquez les villes qui devront servir de refuge aux fugitifs qui auront répandu contre leur volonté, le sang *d'un homme;* — 12. afin que le parent du mort ne puisse tuer le fugitif, lorsqu'il s'y sera retiré, jusqu'à ce qu'il se présente devant tout le peuple, *pour en poursuivre la vengeance,* et que son affaire soit jugée. — 13. De ces villes qu'on séparera des autres, pour être l'asile des fugitifs, — 14. Il y en aura trois au-delà du Jourdain, et trois dans le pays de Chanaan, — 15. qui serviront aux enfants d'Israël, et aux étrangers qui seront venus du dehors, afin que celui qui aura répandu, contre sa volonté le sang *d'un homme,* y trouve un refuge. — 16. Si quelqu'un frappe avec le fer, et que celui qui aura été frappé meure, il sera coupable d'homicide, et il sera lui-même puni de mort. — 17. S'il jette une pierre, et que celui qu'il aura frappé en meure, il sera puni de même. — 18. Si celui qui aura été frappé avec du bois, meurt, sa mort sera vengée par l'effusion du sang de celui qui l'aura frappé. — 19. Le parent de celui qui aura été tué tuera l'homicide; il le tuera aussitôt qu'il l'aura pris. — 20. Si un homme pousse *rudement* celui qu'il hait, ou jette quelque chose contre lui par un mauvais dessein : — 21. ou si, étant son ennemi, il le frappe de la main, et qu'il en meure, celui qui aura frappé sera coupable d'homicide. *Il ne pourra jouir du privilége de l'asile,* et le parent de celui qui aura été tué pourra le tuer aussitôt qu'il l'aura trouvé. — 22. Que si c'est par hasard, sans haine, — 23. et sans aucun mouvement d'inimitié qu'il a fait quelqu'une de ces choses, — 24. et que cela se prouve devant le peuple, après que la cause du meurtre aura été agitée entre celui qui aura frappé et le parent du mort, — 25. il sera délivré, *comme* étant innocent, des mains de celui qui voulait venger *le sang répandu,* et il sera ramené par sentence dans la ville où il s'était réfugié, et y demeurera jusqu'à la mort du grand-prêtre, qui a été sacré de l'huile sainte; *après quoi il aura une entière liberté.* — 26. Si celui qui aura tué est trouvé hors des limites des villes qui ont été destinées aux bannis, — 27. et qu'il soit tué par celui qui voulait venger le sang répandu, celui qui l'aura tué ne sera point censé coupable; — 28. car le fugitif devait demeurer à la ville jusqu'à la mort du pontife; et après sa mort, celui qui aura tué retournera en son pays. — 29. Ceci sera observé comme une loi perpétuelle, dans tous les lieux où vous pourrez habiter. — 30. On punira l'homicide après avoir ouï les témoins. Nul ne sera condamné sur le témoignage d'un seul. — 31. Vous ne recevrez point d'argent de

celui qui veut se racheter de la mort qu'il a méritée, pour avoir répandu le sang; mais il mourra aussitôt lui-même. — 32. Les bannis et les fugitifs ne pourront revenir en aucune sorte à leur ville avant la mort du pontife, — 33. de peur que vous ne souilliez la terre où vous habiterez, et qu'elle ne demeure impure par le sang *impuni* des innocents *qu'on a répandu,* parce qu'elle ne peut être autrement purifiée que par l'effusion du sang de celui qui aura versé le sang. — 34. C'est ainsi que votre terre deviendra pure, et que je demeurerai parmi vous. Car c'est moi qui suis le Seigneur qui habite au milieu des enfants d'Israël.

Vers. 1. — Hæc quoque locutus est Dominus, etc., supra Jordanem, apud, juxta Jordanem.

Vers. 2 et 3. — Præcipe filiis Israel, ut dent Levitis de possessionibus suis, urbes ad habitandum. *Levitis,* scilicet tam sacerdotibus, quàm Levitis propriè dictis. Levita enim hic significat omnes de tribu Levi: his enim omnibus, nulla hæreditas quidem, sed habitatio tamen danda erat. Unde assignatæ sunt eis variæ urbes, in quibus communiter et promiscuè morarentur. Fuerunt eæ numero 48, ut patet Josue 21, et hic v.7. Et in unâ harum ferè erat tabernaculum, quò singuli, cùm ipsorum ministrandi vices recurrerent, se conferebant; et expletis vicibus, domum ad suas urbes revertebantur. Lyranus censet has urbes fuisse sacerdotum tantùm quoad usum; nam dominium earum fuisse penès alios, et probat de Hebron, quæ data est sacerdotibus, Josue 21; et tamen dominus ejus erat Caleb de tribu Juda, Josue 14, 13. Verùm fallitur Lyran.; nam Levit. 25, 32 et sequent., dicitur, quòd urbes et suburbana Levitarum sint eorum possessio sempiterna, quòdque possint in eis ædes suas vendere et redimere; denique quòd illæ in jubilæo ad eos, quasi ad absolutos dominos, redire debeant, æquè ac domus laicorum. Quod ad Hebron attinet, soli agri et vineæ, quæ erant in territorio Hebron, fuerunt Caleb: urbs autem et suburbana fuerunt sacerdotum, uti dicitur Josue 21, 11. Rursùm Levit. ult. 21 statuitur, ut si quis agrum Domino voverit, eum sacerdotes possideant. Sic 3 Reg. 2 dicit Salomon Abiathar sacerdoti: *Vade ad agrum tuum.* Item Jeremias sacerdos erat, et tamen c. 32 scribit ipsemet, se emisse ac possedisse agrum. Denique Actor. 4 dicitur quòd Barnabas Levites, Cyprius genere, vendiderit agrum quem habebat. Ex quibus patet, Levitas non tantùm agros et suburbana in Judæâ, sed et alibi agros et vineas partim emere, partim ex oblationibus et votis populi habere potuisse. Extra Judæam verò fundos, æquè ut alii, hæreditare, emere et possidere poterant. Tantùm enim in divisione terræ sanctæ, factâ à Josue, Levitæ cum aliis tribubus sortem suam non acceperunt. Unde Barnabas in Cypro, et alii Levitæ alibi, suas habebant possessiones.

Vers. 3 et 4. — Et suburbana sint pecoribus ac jumentis, quæ a muris civitatum forinsecus, per circuitum, mille passuum spatio tendentur. Suburbana hic Levitis dantur ad mille passus circumcirca urbes eorum, idque pro pabulo pecorum. Hic versus in Hebr., Sept., Chald. et aliis, videtur omninò contrariari sequenti: hic enim dantur Levitis tantùm mille *amma*, id est, cubiti; sequenti verò versu dantur bis mille *amma*, id est, cubiti, idque ad quamlibet mundi plagam. Respondet primò, Rabbi Salomon, Lyran. et Vatabl. datos fuisse Levitis bis mille cubitos, sed prioribus mille non licuisse arare et serere; posterioribus verò id licuisse. Verùm hæc responsio ex cerebro conficta videtur: nihil enim tale innuit Script. Secundò, Burgens. quem sequitur Arias Montanus in Josue 14, respondet circùm urbem quamlibet Levitarum, ejusque suburbana descriptum fuisse quadratum; ita ut ejus quasi semidiameter, à muris urbis usque ad finem suburbanorum, contineret mille cubitos; ipsum verò latus quadrati quodlibet contineret bis mille cubitos. Verùm constat urbes ferè non esse quadratas, sed rotundas; ac proinde circa eas, suburbana ad mille cubitos, non in quadrum, sed in rotundum describi debuisse. Adde, ex diametro hic eximi longitudinem urbis (nec enim à centro urbis, sed ab urbis muris, dimetienda erant forinsecùs hæc suburbana) ac proinde quadratum hoc, quod utrinque semidiametrum mille cubitorum (id est, diametrum bis mille cubitorum) extra urbem, et simul diametrum urbis ipsius complectebatur, plusquàm duo millia cubitorum continuisse, in quolibet latere quadrati. Tertiò, respondet Masius in Josue 14, et Serarius in Josue 21, scilicet suburbana hæc, ad quamlibet plagam habuisse tantùm mille cubitos; dici tamen eos bis mille, quia si linea recta mille cubitorum, ad orientem, v. g., protendatur in latus oppositum, quod est ad occidentem, quod etiam est mille cubitorum, erunt bis mille



cubiti. Verùm hoc videtur adversari verbis textùs, quæ hos bis mille cubitos computant non à latere opposito ad oppositum, sed ab uno eodemque latere et plagâ; aiunt enim : *Contra orientem duo millia erunt cubiti, et contra meridiem similiter erunt duo millia*, et totidem ad septentrionem, totidem ad occidentem. Quartò, Abulens. censet hìc sequendum esse, non textum Hebræum, sed nostrum interpretem; suburbana enim hæc continuisse mille passus, mille autem passus faciunt bis mille cubitos. Licet enim passus sit major cubito, contineatque quinque pedes, cùm passum fixum metimur; videlicet utrumque pedem mensoris, et tres pedes, inter utrumque ejus pedem, in passu interceptos; tamen si passum mobilem (qualis hic erat) et continuè progredientem metiaris et accipias, invenies eum tantùm quatuor pedes continere. Nam primus pes tantùm in primo passu numeratur, ita ut primus hic passus habeat 5 pedes : in sequentibus verò passibus tantùm numerantur reliqui 4 pedes, continuò sibi succedentes, ut patet experienti : quatuor autem pedes faciunt duos cubitos, et paulò ampliùs. Ergo mille hi passus idem sunt quod bis mille cubiti, de quibus v. seq. Addit Vilalpando p. 1 de Urbe et Templo, l. 2, c. 2, quòd cubitus communis sit pes cum dimidio, sed cubitus sacer sit duo pedes cum dimidio : ita ut duo cubiti sacri faciant passum, id est, quinque pedes.

Dices : In Hebræo tam hoc versu, quàm sequenti est eadem vox *amma*, quæ cubitum significat : quomodò ergo noster interpres eam hìc passum, versu verò seq. cubitum vertit? Responderi posset, *amma* non tantùm cubitum, sed et passum significare : id enim non tantùm docet noster interpres, sed et Eugubinus. Quòd verò interpres eamdem vocem *amma*, primò passum, deinde mox cubitum vertat, non est mirum, quia vidit ipse hoc exigere loci circumstantias; alioqui enim esset hìc manifesta contradictio. Cùm ergo dicitur in Hebr. simpliciter *mille amma*, intellexit *amma* absolutum et majus, id est, passum, significari; cùm verò mox dicitur restrictè, per litteram *bet*, duo millia *baamma*, id est, in *amma*, intellexit *amma* contractum et minus, puta cubitum, significari. Fortè etiam priore loco, scilicet hoc versu, pro *amma* legit *paam*, id est, gressus, passus; ut littera *pe* in codice attrita vel exesa, remanserit *am*, indeque descriptores fecerint *amma*. Sciebant enim non *am*, sed *amma*, certam mensuram significare. Verùm, quia Hebræa constanter habent *amma*, per *aleph*, non per *ain*, quod in Script. semper cubitum, nunquàm passum significat, itàque hìc vertunt Chald., Septuag. et omnes alii interpretes, potiùs dixerim nostrum interpretem passum hìc, non majorem sive geometricum, qui quinque pedes complectitur, sed minorem, sive vulgarem accipere, ut idem sit quod cubitus. Nam in incessu passus vulgaris, qualis est lentè et modestè ambulantium, æqualis est cubito, si ab eo primum pedem, utpote in quo consistis, demas, atque tantùm numeres spatium inter duos pedes interjectum, (quod est dimidii pedis) ipsumque pedem, quem in passu hoc extendis, et promoves. Sic enim passus hìc minor continet pedem circiter cum dimidio, tantumdem autem continet cubitus.

Dices : Quomodò ergo hoc versu numerantur suburbana ad mille passus sive cubitos, versu verò sequenti ad bis mille cubitos? Suppono, tam urbes, quàm suburbana hæc, circulari, vel ovali formâ fuisse. Nunc dico : Antilogia hæc dupliciter solvi et conciliari potest : primò, si cum Cajetano dicamus suburbana hæc fuisse mille cubitorum; sed circulum, sive peripheriam ipsorum fuisse octo circiter millium cubitorum : ita ut peripheria hæc à quolibet mundi angulo, id est, plagâ, habuerit bis mille cubitos.

Pro quo nota. In circulo circumferentia habet proportionem triplam ad diametrum, et paulò amplius; ita ut si diameter sit duorum millium cubitorum, circumferentia sit sex millium cubitorum. Hic verò semidiameter suburbanorum erant mille cubiti : his adde diametrum urbis ipsius, qui erat circiter sexcentorum cubitorum, ita ut diameter tam urbis quàm suburbanorum fuerit 2,600 cubitorum : ex quibus necessariò sequitur circumferentiam (quæ tripla est ad diametrum) tam urbis quàm suburbanorum horum, fuisse circiter octo millium cubitorum. Ter enim 2,600 faciunt octo millia, exceptis ducentis, quæ hìc addenda sunt, quia circumferentia paulò plus quàm tripla est ad diametrum. Jam divide octo millia per quatuor mundi plagas, invenies partem quartam circumferentiæ suburbanorum, quæ cuilibet plagæ obvertebatur, fuisse bis mille circiter cubitorum. Et hoc est quod dicitur v. sequent, ad quamlibet plagam fuisse bis mille cubitos.

« Moses, inquit Cajetan., circumferentiam « suburbanorum octo millium cubitorum insti- « tuit, sive civitas sit magna, sive parva, ut

« una esset lex communis de spatio suburbanorum. Arbitratus est enim æquum esse ut « cujuslibet civitatis diameter intrinsecùs haberetur sexcentorum cubitorum : quamvis « enim una civitas major esset aliâ, pensando « tamen majorem cum minore, et è converso, « instituit suburbana æqualia : existente enim « diametro 2,600 cubitorum, æquè secundùm « proportiones geometricas, circumferentia « decernitur esse octo millium cubitorum, « secundum proportionem triplam, et paulò « plus. » Verùm, quia angulus (uti est in Hebræo) cujusque plagæ, v. sequenti protrahi jubetur ad bis mille cubitos : et quia angulus propriè non peripheriam circuli, sed angulum, sive triangulum significat : et quia præcisè hîc mille passus, id est, cubitos, extra singulas urbes numerari jubet Deus ; urbes autem aliæ erant magnæ, aliæ parvæ, ac consequenter aliæ minus, aliæ amplius quàm octo millia cubitorum habebant in peripheriâ suburbanorum.

Hinc secundò aptiùs, hæc duo millia cubitorum accipias, non in peripheriâ, sed in canthis, sive lineis à centro, puta à muris urbis ductis usque ad peripheriam suburbanorum : hæ enim lineæ, cùm sint binæ ad quamlibet mundi plagam, ut eam totam inter se capiant et comprehendant, faciunt unum angulum in centro, in quo coeunt, et duos angulos in peripheriâ, in quâ terminantur, itàque faciunt triangulum. Unde Hebræa sic ad verbum vertas : *Mensurabitis ad angulum orientis duo millia cubitorum;* totidem ad angulum meridiei, occidentis, et septentrionis. Videtur enim Deus hîc describere circulum urbis cum suburbanis, ita ut centrum sit urbs, peripheria verò terminetur ad mille cubitos circumquàque extra muros urbis. Circulum autem hunc, ad 4 plagas, dividit in 4 quasi triangulos, quorum quisque est isosceles, id est, duo latera, quæ à centro ad peripheriam ducuntur, habet æqualia. Jubet ergo hîc Deus, ut suburbana quaquaversùm, ad quatuor mundi plagas, extendantur ad mille cubitos; utque orientalis plaga describatur duabus lineis, ductis ab urbe ad peripheriam suburbanorum, quæ duæ lineæ comprehendant latus orientale, instar trianguli. Pari modo, per duas lineas triangulum secundum jubet describi, ad plagam occidentalem : et pari modo, tertium triangulum ad meridiem, et quartum ad septentrionem; sic ut quælibet plaga describatur per triangulum, ductis duabus lineis ab urbe usque ad peripheriam jam dictam, quarum quæque contineat mille cubitos (suburbana enim extenduntur ad mille cubitos), ita ut duæ lineæ ad peripheriam cujuslibet plagæ ductæ, quæ sunt trianguli hujus duo latera æqualia, simul contineant bis mille cubitos.

Sic ergo facilè conciliamus hanc antilogiam : dicimus enim suburbana tantùm extensa fuisse ad mille cubitos circumquàque, sed quamlibet plagam fuisse descriptam quasi per triangulum ; ita ut duo haberet latera, quorum quodque erat mille cubitorum, ac consequenter utrumque latus simul sumptum, erat bis mille cubitorum. Verisimile enim est octo quasi limites, vel palos horum suburbanorum, in ipsis eorum finibus fuisse positos : ita ut ad illos ab urbe totidem lineæ, scilicet octo, duci possent, quæ quatuor quasi triangulos faciunt ; idque ad hoc, ut per hosce limites statim circumquàque sciri posset, quousque Levitarum prædia se extenderent, itàque crebræ lites, quæ de confinibus incidere solent, cum vicinis tribubus vitarentur. Huic sensui favent hebræa, quæ habent : *Numerabis duo millia in cubito*, quæ phrasis innuit, hos bis mille cubitos, non directè in longum, sed lateraliter, nimirùm, per duo trianguli latera, numerandos esse, scilicet, ut quodlibet latus habeat mille cubitos.

Vers. 6. — De ipsis autem oppidis, quæ Levitis dabitis, sex erunt in fugitivorum auxilia separata, ut fugiat ad ea qui fuderit sanguinem. Qui aliquem occiderit, intellige nolens, vel nescius, uti dicitur v. 11 et Josue 20, 3. Hæc enim urbium asyla constituta sunt ad tutelam innocentium. Unde debebat homicida prætendere innocentiam, antequàm ad hæc asyla admitteretur. *Stabit*, inquit Josue c. 20, 4, *ante portam civitatis, et loquetur senioribus urbis illius ea quæ se comprobent innocentem, sicque suscipient eum, et dabunt ei locum ad habitandum.* Nam lege veteri; ob populi illius duritiem, permissum erat cognatis occidere percussorem propinqui sui, sine aliâ judicis condemnatione, quocumque loco eum reperirent, ut patet v. 19 et 27. Ergo constitui jussit Deus has urbes refugii, ad quas qui cædem admiserant, se reciperent, ut ibi essent tuti, donec causa eorum examinaretur, idque vel in portâ urbis, ad quam confugerant, vel eo loco, ubi homicidium admiserant, uti dicam v. 25. Unde eò ducebantur, ibique cocognati occisi litem eis intentabant, in quâ si innocentes deprehenderentur, puta fecisse

cædem, non ex proposito, sed ignoranter, casu, vel ad suî tutelam, remittebantur ad locum refugii, ut dicitur v. 25. Sin nocentes deprehenderentur, puta scienter et ex proposito occidisse, occidebantur et ipsi. Cis Jordanem, Moses designavit tres urbes refugii, scilicet Bosor, Ramoth, et Golan; jubet verò hîc v. 11, ut postquàm Hebræi transierint Jordanem, in terrâ promissâ, tres alias insuper designent, quod reipsà factum est Josue 20, 7. Urbes ergo hæ refugii universim fuerunt sex, quibus Deus alias tres addi jussit Deuteron. 19, 9, tunc scilicet cùm magis dilatati essent termini Hebræorum.

Omnes porrò urbes refugii habitabantur à Levitis, nimirùm, ut sacerdotii dignitate vis injusta (si cognati occisi homicidam ad necem persequerentur) faciliùs prohiberetur, utque à viris humani divinique juris peritis, puta à Levitis et sacerdotibus, illiusmodi capitalia judicia rectiùs sanctiùsque judicarentur.

Quæres, an urbs, in quâ erat tabernaculum, vel ipsum tabernaculum, fuerit asylum? Negat Tostatus q. 11, affirmat Covarruvias c. 20, concl. 2, lib. Variar. resol. Verùm dico altare et tabernaculum fuisse asylum; non verò ipsam urbem, in quâ illa erant. Patet ex eo quòd Joab ex urbe fugerit ad tabernaculum et altare, quasi ad asylum: est enim hic locus ex se sacer. Idem colligitur ex Exodi 21, 14; ita Serarius in Josue 20, q. 7, ubi pluribus id confirmat.

Mysticam explicationem sex urbium refugii, habet S. Ambr. l. de Fugâ seculi c. 2, et ex eo Serarius in Josue 20, q. 12, ac Magalianus ibidem v. 9, annot. 4, ubi docet pœnitentibus mystica asyla esse contritionem, orationem, Dei gratiam, sacramenta, et ingressum religionis. « Docet, inquit S. Ambr., lex fugien- « dum seculum, Deum sequendum. Sex autem « civitatum refugia sunt, ita ut prima civitas « sit cognitio verbi, et ad imaginem ejus for- « ma vivendi; secunda, consideratio divinæ « operationis, quâ creatus est mundus; ter- « tia, contemplatio potestatis regiæ et ma- « jestatis æternæ; quarta, propitiationis di- « vinæ contuitus; quinta legis divinæ con- « templatio, quæ præcipit quid faciendum « sit; sexta, portio legis quæ præscribit quid « non faciendum sit. » Ita S. Romualdus à cæde cui interfuerat, fugiens ad monasterium, asylum litterale in mysticum commutavit, factusque monachus ordinem Camaldulentium instituit; in quo vixit mirâ sanctitate ad centum annos, mortuusque est anno ætatis 120.

Vers. 15. — Tam filiis Israel, quam advenis atque peregrinis, scilicet ad judaismum conversis, id est proselytis. Hi enim vocantur advenæ et peregrini: scilicet advena, vel, ut hebr. est, *ger* dicitur, qui nunc primò, vel certè non ita pridem advenit et accessit ad judaismum. Peregrinus verò, vel, ut hebr. est, *toscab* dicitur, qui pridem accessit, diùque inter Israelitas commoratus est, sicque accipiendæ sunt Græcæ voces, ὁ προσήλυτος καὶ ὁ πάροικος. Ita Serarius in Josue 20, q. 6. Proselyti ergo gaudebant jure asyli, non verò gentiles in gentilismo manentes. Ita Abulens. et Serarius, licet Masius et Malianus jus asyli etiam gentilibus hisce hîc concessum fuisse censeant, quæ sententia non est improbabilis.

Nota. Judæi ex genere tria habebant privilegia, quibus carebant proselyti: primum, servus si esset Judæus, anno septimo et quinquagesimo fiebat liber; non autem, si esset proselytus, Levit. 25, v. 40 et 43. Secundum, Judæi gaudebant privilegio remissionis debitorum anno septimo, non proselyti, Deut. 15, 3. Tertium, Judæi non poterant dare ad usuram Judæis, sed proselytis. Deut. 23. 19. In cæteris, leges utriusque erant æquales. Ita Abulensis.

Ut confugiat ad eas, qui nolens (involuntariè, hebraicè, *in ignorantiâ*) sanguinem fuderit. Nota: propriè pro solis homicidis, hæ urbes refugii statutæ sunt, non autem pro iis qui tantùm læserant alium. Si tamen hi ad eas confugissent, gaudebant communi jure asyli. Rursùm, homicidæ voluntarii non habebant jus asyli. Sed quid si voluntariè quem quis occidisset, at seipsum defendens, vimque vi repellens? — Respondeo: Hic habebat jus asyli, imò probatâ hâc suâ innocentiâ, ex asylo liber domum remittebatur, quia non erat homicida et nocens, sed planè innocens. Ita Abulens. q. 5 in c. 20 Josue, et ibidem Serarius et Magalianus. Si quis verò in ipso asylo, puta in urbibus refugii, cædem fecisset, hic jure asyli non gaudebat. Ita Abulens. ibid. q. 19.

Nota. Concessæ sunt hæ urbes refugii in asylum: primò, ut essent innocentiæ et innocentum auxilium et præsidium. Secundò, ut ostenderet Deus, quàm seriò in homicidium, voluntarium præsertim, inquirendum et animadvertendum esset. Tertiò, ut ejus qui occisus erat propinquis subtraheret materiam iræ, doloris et vindictæ, erant enim Judæi præfracto animo et vindictæ percupido. Quartò, ut novarum rixarum et cædium auferret occasionem. Quintò,

ut esset in refugii latebris, pœnitentiæ typus et figura.

Simili modo in lege novâ, reis asyla sunt omnes ecclesiæ, cœmeteria, cœnobia, domus religiosæ et ecclesiasticæ. Quare plura sunt asyla Christianis quàm fuerint Judæis. Rursùm, Judæi tantùm habebant asylum, pro homicidis involuntariis: quia alia peccata ferè voluntariè et deditâ operâ committuntur, ideòque ea tunc impunita esse noluit Deus, Christiani verò asylum habent, ferè in omni crimine et periculo. Dico ferè: nam cap. *Inter alia*, tit. de Immunit. eccles. asylum negat nocturnis agrorum depopulatoribus, publicis latronibus, viarumque obsessoribus. Item jus asyli non habent virginum raptores, proditores, sacrilegi, blasphemi, hæretici, apostatæ, Judæi, et quotquot in ipsis asylis delinquunt, ut Covar. et alii docent. Vide Suarez tract. de Immunit. eccles. cap. 9 et 10. Gregor. tamen XIV Pontif. novâ constitutione hæc ad unam tantùm formam redegit, quâ jus asyli negat laicis publicis latronibus, viarum grassatoribus, depopulatoribus agrorum, iis qui homicidia aut mutilationes committunt in Ecclesiâ vel cœmeterio, iis qui proximum proditoriè occidunt, assassinis, hæreticis, reis læsæ majestatis. Extat hæc bulla edita Antuerpiæ cum synodo Antuerp. Tertiò, ex urbe refugii Judæi extrahi poterant ad judicium, ut in eo causa eorum ventilaretur; et si deprehenderentur occidisse voluntariè, ac proinde non habere jus asyli, morte mulctabantur. Jam autem nec judex, nec quis alius reum christianum ab asylo abstrahere potest. Quartò, Judæi habebant asyla jure divino, utpote à Deo præscripta. Hoc autem jus judiciale erat, et cæremoniale, ideòque jam abolitum est. Christiani verò habent asyla jure humano: quia videlicet pontifices, et reges, vel imperatores illa, illorumque jus constituerunt: unde quibusdam in locis illud dilatârunt, in aliis restrinxerunt.

Causa asylorum fuit reverentia templorum et locorum sacrorum, atque ipsius Dei. Dùm enim domus Dei habentur sacrosanctæ, et asyla, celebratur ejus gloria et majestas. Secundò, ejus misericordia et benignitas commendatur, dùm miseros reos ad se confugientes, in suam tutelam recipit. Sic gentiles græci statuerunt *aram Misericordiæ*, teste Pausaniâ l. 1 in Atticis. Sic Romulus Romæ asylum constituit, teste S. Aug. l. 1 de Civit. 34; sed omnibus, etiam scelestissimis hominibus. Sic Alaricus et Gothi, captâ Româ, pepercerunt Romanis fugientibus ad Ecclesias: quinimò cùm Gothus quidam sacra vasa apud virginem consecratam deprehendisset, illaque ei diceret: « Hæc vasa mihi de sacrario B. Petri sunt « commissa, tange si audes: ego sacra non « audeo tibi dare; » Gothus ad nomen Apostoli perterritus, hoc regi nuntiavit. Is statim reportari omnia ad sacrarium S. Petri curavit, dicens: « Cum Romanis se bellum gerere, non « cum Apostolis Jesu Christi. » Ita Rodericus Tolet. lib. 2 rerum Hispan. cap. 5. Memorabilis fuit Agesilaus, qui Athenienses prælio victos, ad templum Minervæ confugientes, violari vetuit, etsi in eo prælio ipse aliquot vulnera accepisset, eisque valdè videretur iratus. Sed plus apud eum valuit religio quàm ira. Idem fecit apud barbaros, dicens in templa nullum esse jus belli, addebatque se mirari eos non haberi sacrilegos, qui læderent ibi supplices, ac per deos obtestantes, nec graviores sumi pœnas de his qui religionem minuerent, quàm qui templa spoliarent. Rectè judicans diis esse chariorem hominum salutem quàm muta templorum ornamenta. Ita Æmilius Probus.

Vers. 17. — Si lapidem jecerit, et ictus occubuerit, similiter punietur. Si videlicet ictus lapide, statim expirârit: si enim ab ictu surrexisset, aut ambulâsset, non occidebatur percussor, aut potiùs jactor, sed tantùm impensas curationis læso solvebat, ut patet Exodi 21, 19.

Vers. 19. — Propinquus occisi homicidam interficiet, id est, interficere poterit. Est enim hîc non præceptum, sed permissio tantùm duris hominibus facta, idque ad cohibendas cædes, utpote quas omnes scirent, à tam multis propinquis statim acerbo animo vindicandas. Peccabant tamen occidentes homicidam, si ex odio et irâ, ut ferè fit, id facerent. Unde Levit. 19, 17, in foro animæ et conscientiæ jubet Deus Hebræis ut injuriarum obliviscantur. Vindicta ergo, quæ hic permittitur, culpam non sustulit, sed tantùm facti, vel culpæ impunitatem dedit in foro exteriori. Id rursùm patet ex eo quòd hi propinqui occisi sæpè occidebant innocentem et involuntarium omninò homicidam, imò absolutum per judicem, si videlicet eum extra urbem asyli alicubi invenissent, ut patet v. 27; id autem fieri non poterat sine peccato. Tertiò, idem patet ex eo quòd hæc præcepta sint judicialia, quæ constituunt jus, quod servetur, et secundùm quod judicetur in foro externo. Ita Abulensis et Cajetanus.

Permittitur hîc ergo cognatis occisi ut homicidam interficiant, ubicumque eum invenerint extra urbes asyli. Nam in asylo homicidam tangere non poterant : ibi enim judices ei securitatem præstare debebant, donec causa ejus ventilaretur; in quâ si condemnaretur, poterant eum cognati occidere, et, ut hîc innuitur, tradebatur homicida à judice propinquis et cognatis occisi, ut ab eis jugularetur, idque ad satiandam eorum iram et offensam. Sin innocens declararetur, securè reducebatur ad asylum, ibique manere debebat usque ad mortem pontificis. Ita Abulens.

Vers. 20. — Si impulerit. Intellige in ignem, aquam, foveam, etc.

Vers. 22. — Quod si fortuitu. Hebr. *bepeta,* id est, subitò, improvisò, quod est fortuitò.

Vers. 25. — Reducetur (homicida, qui fortuitò occidit alium, et jam à judice declaratus est innocens) per sententiam in urbem, ad quam confugerat. *Reducetur,* id est, judex per sententiam jubebit eum reduci, vel ab urbe et loco, in quo homicidium perpetravit : ibi enim causa ipsius examinata fuisse videtur, eò quòd ibi testes, et alia veritatis indicia majora suppeterent, ut vult Abulens., idque innuit vox *reducetur;* vel certè ab ipsâ portâ urbis refugii, reduci eum jubebit in ipsam urbem. Nam in hâc portâ, scilicet inter Levitas, ubi sanctior erat religio et justitia, habitum fuisse hoc judicium de qualitate homicidii, censent Masius et Serarius in Josue 20 et alii. Utraque sententia et expositio est probabilis.

Manebitque ibi donec sacerdos magnus (pontifex) moriatur. Quæres cur? varias causas dant Rabbini, quas recenset Serarius in cap. 20 Josue qu. 5, quibus omissis dico : Prima causa fuit, ut interim longitudine temporis, ira et acerbitas cognatorum mitigetur, ne, ubi eum viderint, occidant; sed mortuo jam pontifice, cogitent iram quoque mori et extingui debere, eò quòd mortuus sit summus sacerdos, et sacrorum expiationumque princeps, quo vivente delictum est admissum : ac proinde in ejus morte et luctu sepeliendas esse privatas omnes noxas et injurias. Ita Theod. q. 51. Secunda, quia pontifex erat quasi patriæ parens, ut eo vivo vigeret respublica; eo mortuo, etiam ætati illi, sive seculo finis imponi videbatur. Ita Magalianus in Josue 20. Tertia, quia pontifex personam repræsentabat Dei, in quem peccârat homicida, ac proinde homicidium in pontificis injuriam redundabat, ut meritò eo vivente recludi deberet homicida, ne inter homines liberè caput attolleret, dùm vivit ille, qui in terris Dei interpres censetur, et divinam majestatem quasi adumbrat, contuens scilicet, è summo sacerdotalis dignitatis fastigio, quæ piè aut impiè geruntur. Et hoc innuit τὸ, *qui unctus est oleo sancto,* q. d. : Lateat homicida dùm vivit pontifex, in quo Dei majestas violata est per illius modi facinus, quod interea dùm ille pro Deo summo fungebatur sacerdotio, patratum est : ita Magalianus supra, et Masius in Josue c. 20. Quarta, datum hoc fuit pontificis novi, qui mortuo succedebat, gratiæ, ut sicut ad Deum hominibus propitiandum novus accedit, ita etiam novum beneficium et salutem miseris reis, qui eâ digniores videntur, præstet. Quinta : « Ostendere, inquit « Oleaster, voluit Deus quantùm abhorrere « debeat sacerdos homicidia, etiam involun- « taria. Rursùm, pontifex erat Dei vicarius, « agebatque partes justitiæ divinæ, quâ Deus « vindictam ab hominibus expetit : et eo mor- « tuo, videbatur pars adversa extincta, quæ « ultionem pro Deo peteret, et ideò tunc reus « omninò absolvebatur. » Sexta et potissima causa fuit, ut significaretur vera libertas, quæ per pontificis Christi mortem homicidis, id est, peccatoribus omnibus, parta est. Ita Serarius. — Unde Allegor. Cyrill. lib. 8 de Adorat. p. 165 : Homicidæ, inquit, erat genus humanum, et homines peccatores ante Christi adventum, qui peccatis occiderant animas suas, non spontè, sed illecti et impulsi à concupiscentiâ. Hi pœnitentes fugerunt, et abdiderunt se in urbes refugii, id est, in limbo patrum, usque ad mortem pontificis, id est, Christi, qui eorum vincula laxavit, eosque è limbo et inferno eduxit. Ita et S. Gregorius hom. 6 in Ezech.

Vers. 27. — Ultor sanguinis, id est, sanguine propinquus, cui competit vindicta.

Absque noxa erit, non punietur; Hebr. *non illi sanguis,* scilicet imputabitur, ut pro eo suum pendat.

Vers. 30. — Sub testibus (Heb. *ad os testium,* scilicet plurium, non unius) punietur.

Vers. 33. — Ne polluatis terram homicidio. De homicidio, ob ejus enormitatem, dicitur quòd polluat terram, quæ recepit sanguinem innoxium effusum, quasi is moralem terræ labem et maculam aspergat; maximè si terra sancta sit, aut Deus in eâ peculiariter se exhibeat, uti in terrâ filiorum Israel faciebat : quòd-

que hæc labes tollatur justâ vindictâ, et nece homicidæ. Sic de aliis quibusdam peccatis, ut sodomiâ, mercede operariorum defraudatâ, oppressione pauperum et pupillorum, dicit Scriptura quòd ipsa clament in cœlum, quia sui enormitate, vindictam quasi à Deo exposcunt.

Moraliter disce hoc cap. quàm jus asyli et Ecclesiæ inviolatum servari debeat : hinc qui illud violârunt, graviter à Deo puniti sunt. Primò Heliodorus volens aurum depositum in templo sibi vindicare, flagellatus est ab angelo, et vix Oniæ precibus liberatus est, 2 Mach. 3.

Secundò, Nicanor 2 Mach. 14, Deum spernens, et jurans se templum Domini Liberno patri dicaturum, nisi traderetur Judas qui ibi erat, interficitur.

Tertiò, S. Aug. Epis. 6 in Appen. Bonifacium comitem agentem cum Gothis in Africâ, ducem exercitûs, quòd confugientem ad Ecclesiam inde abstrahi jussisset, graviter reprehendit : « Miror, inquit, quomodò tam su« bitò fidei murum aries ruperis inimici : novi « enim quâ religione semper sis Ecclesiam Dei « veneratus. Quo instante, frater, homine de « Ecclesiâ rapuisti ? Tunc si de tuo amico for« tè præsumeres fugitivus, posset procul du« bio intercessoris causâ veniam promereri; « ergo si amicus intenditur, cur Deus offendi« tur ? Sed si de potestate præsumitur, Nabu« chodonosor regem intende, qui causâ super« biæ in bovem est ex homine commutatus. « Non ut confundam te, hæc scribo, sed ut « filium meum charissimum moneo. Ecclesiæ « igitur illæsum revoca, quem ut irreligiosissi« mus rapuisti. » Pœnam deinde ei infligit dicens : « Oblatio verò domûs tuæ à clericis « ne suscipiatur, indixi, communionemque « tibi interdico, donec peractâ pro ausibus, vel « errore, à me definitâ tibimet pœnitentiâ, pro « hoc facto corde contrito et humiliato di« gnum offeras sacrificium Deo. »

Quartò, anno Domini 606, et anno imperii Phocæ 4, Scholasticus, vir religiosus, eunuchus palatii, Constantinam dominam, olim Augustam conjugem Mauricii imp. cum tribus filiabus ejus accipiens, ad magnam Ecclesiam confugit. At verò tyrannus in Ecclesiam ad abstrahendum mulieres destinavit. Patriarcha Cyriacus tunc restitit tyranno, minimè passus è templo tyrannicè abduci mulieres. Verùm juramentis certo eo reddito à Phocâ, quòd non læderet eas, educuntur è templo, et claudunturin monasterio. Ita ex Theophane et Cedreno Baron. anno Christi 606. Quintò, Aspar et Ardaburius reposcentes Joannem quemdam qui fugerat ad monasterium S. Marcelli, miserunt milites qui per vim eum extraherent : sed orante S. Marcello fulgura in milites missa eos represserunt, ut crudelis Ardaburius Joanni pepercerit, et mores mutârit. Ita habet vita S. Marcelli. Hujus miraculi occasione factum putat Baron. ut Leo imp. egregiam sanctionem de immunitate confugientium ad Ecclesiam hoc ipso anno promulgaverit, ita rescribens ad Erythræum præfectum prætorio : « Præsenti « lege decernimus per omnia loca valitura, nul« los penitùs, cujuscumque conditionis sint, de « sacro sanctis Ecclesiis orthodoxæ fidei ex« pelli, aut tradi, vel protrahi consentias. »

Sextò, circa annum Dom. 1000, Veremundus II, Legionis et Asturiarum rex, à susurrone deceptus, præcepit capi Gudesteum episcopum Ovetensem ; sed ut tantum nefas non procederet impunitum, facta est siccitas magna in terrâ, ita quòd totus populus ciborum penuriâ arctabatur. Cùmque quibusdam fuisset à Domino revelatum famem propter injuriam episcopi accidisse, et regi esset revelatio intimata, confestim absolvit episcopum, et per Semenum Asturicencem episcopum, cui rex episcopum commendaverat, fecit restitui Gudesteum, et statim Dominus pluviam voluntariam segregavit, et terra attulit fructus suos. Tunc rex Veremundus corde compunctus Ecclesiam B. Jacobi, et cætera loca quæ Almanzor profanârat diripiens, prout potuit, restauravit, et bonis operibus et eleemosynis jam intentus, de commissis cum consilio prælatorum pœnitentiam agere satagebat, et in villâ quæ est in Berizo, moritur et sepelitur, inquit Rodericus, et Vasæus ad annum Domini 982, et Crantzius l. 5 Histor. Sued. c. 21.

Septimò, de Sancio majore Navarræ atque Castellæ rege omnes ferè rerum Hispanicarum scriptores ferunt, quòd, cùm die quâdam in venatione aprum insectaretur, ille fatigatus, intra obvios parietes, qui supererant memoriæ S. Antonini martyris, se recepit, apud relictam ibi sacram aram consistens, quasi apud tutum asylum angelorum custodiâ vallari consuetum, juxta illud oraculum : *Homines et jumenta salvabis, Domine.* Cùm rex venabulo illum appeteret, elevatum brachium ad feriendum mox torpedine redditum sentit inutile ; sed reatum agnoscens martyrem deprecatus, ad pristinum usum sensit divinitùs revocatum, didi-

citque suo damno, quanta deberetur locis sacris immunitas, etiamsi corruisse visa fuissent, ut nec bestiam illùc fugientem lædere licuisset, inquit Roderic. et Vasæus, et ex iis Baron. ann. Dom. 1052.

Octavò, Eutropius, Arcadii eunuchus, omnium colluvie facinorum infamis, cùm ab imper. legem extorsisset, quà immunitas omnis abrogaretur, liceretque etiam ad aras confugientes extrahere, ipse imperatoris postea declinans iram, ab arâ, ad quam confugerat, abstractus in exilium missus, indeque revocatus capite truncatus est, teste Suidâ, in Eutropio, et Chrysostomo orat. in Eutrop., atque procurante Chrysostomo iniqua lex abrogata est. Nonò, de S. Basilio scribit Nazianz. orat. de illo, eum viduam altare complexam à præsidis injuriâ tutatum esse. Decimò, de S. Ambrosio scribit Paulinus, eum defendisse Cresconium, ne ibi comprehenderetur à lictoribus ; quod cùm non obtinuisset, abstractores ejus in theatro laniati sunt à feris, quæ in abstractum immissæ fuerant. Undecimò, Orosius l. 7, c. 36, memorat pœnam violatoris asyli Mascezilis ducis. Denique, quod magis mirère, S. Justus, episcopatu Lugdunensi relicto , secessit in eremum Ægypti, diùque ibi latuit, pœnitentiam agens, quòd hominem, qui confugerat ad Ecclesiam, rejecisset, ut populi sedaret furorem, acceptâ priùs fide à magistratu, quòd nullum illi homini periculum intentaret. Ita habet ejus Vita apud Surium tomo 5.

CAPUT XXXVI.

1. Accesserunt autem et principes familiarum Galaad, filii Manasse, de stirpe filiorum Joseph : locutique sunt Moysi coram principibus Israel, atque dixerunt : — 2. Tibi, domino nostro præcepit Dominus ut terram sorte divideres filiis Israel, et ut filiabus Salphaad fratris nostri dares possessionem debitam patri. — 3. Quas si alterius tribus homines uxores acceperint, sequetur possessio sua, et translata ad aliam tribum, de nostrâ hæreditate minuetur. — 4. Atque ita fiet, ut cùm jubilæus, id est, quinquagesimus annus remissionis advenerit, confundatur sortium distributio, et aliorum possessio ad alios transeat. — 5. Respondit Moyses filiis Israel, et Domino præcipiente, ait: Ritè tribus filiorum Joseph locuta est. — 6. Et hæc lex super filiabus Salphaad à Domino promulgata est : Nubant quibus volunt, tantùm ut suæ tribus hominibus : — 7. ne commisceatur possessio filiorum Israel de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent uxores de tribu et cognatione suâ : — 8. et cunctæ feminæ de eâdem tribu maritos accipient : ut hæreditas permaneat in familiis, — 9. nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant — 10. ut à Domino separatæ sunt. Feceruntque filiæ Salphaad, ut fuerat imperatum : — 11. et nupserunt Maala, et Thersa, et Hegla, et Melcha, et Noa, filiis patrui sui, — 12. de familiâ Manasse, qui fuit filius Joseph; et possessio, quæ illis fuerat attributa, mansit in tribu et familiâ patris earum. — 13. Hæc sunt mandata atque judicia, quæ mandavit Dominus per manum Moysi ad filios Israel, in campestribus Moab, supra Jordanem, contra Jericho.

---

1. Alors les princes des familles *d'Israël, nouvellement établis dans le pays* de Galaad ; *les princes, dis-je, qui descendaient du* fils de Machir, fils de Manassé, de la race des enfants de Joseph, vinrent parler à Moïse devant les princes d'Israël, et lui dirent : — 2. Le Seigneur vous a ordonné, à vous, qui êtes notre seigneur, de partager la terre *de Chanaan* par sort, entre les enfants d'Israël, et de donner aux filles de Salphaad, notre frère, l'héritage qui était dû à leur père. — 3. Que si elles épousent maintenant des hommes d'une autre tribu, leur bien les suivra, et étant transféré à une autre tribu, il sera retranché de l'héritage qui nous appartient. — 4. Ainsi il arrivera que lorsque l'année du jubilé, c'est-à-dire, la cinquantième, qui est celle de la remise *de toutes choses,* sera venue, les partages qui avaient été faits par sort, seront confondus, et le bien des uns passera aux autres. — 5. Moïse répondit aux enfants d'Israël, et il leur dit, selon l'ordre qu'il en reçut du Seigneur : Ce que la tribu des enfants de Joseph a représenté est très-raisonnable : — 6. et voici la loi qui a été établie par le Seigneur sur le sujet des filles de Salphaad : elles se marieront à qui elles voudront, pourvu que ce soit à des hommes de leur tribu ; — 7. afin que l'héritage des enfants d'Israël ne se confonde point en passant d'une tribu à une autre. Car tous les hommes prendront des femmes en leur tribu et de leur famille : — 8. et toutes les femmes *qui auront un héritage de la succession de leur père mort sans enfants mâles,* prendront des maris de leur tribu, afin que les mêmes héritages demeurent toujours dans les familles, — 9. et que les tribus ne soient point mêlées les unes avec les autres, mais qu'elles demeurent — 10. toujours

séparées entre elles, comme elles l'ont été par le Seigneur. Les filles de Salphaad firent ce qui leur avait été commandé. — 11. Ainsi Maala, Thersa, Hegla, Malcha et Noa, épousèrent les fils de leur oncle paternel, — 12. de la famille de Manassé, fils de Joseph : et le bien qui leur avait été donné demeura de cette sorte dans la tribu et dans la famille de leur père. — 13. Ce sont là les lois et les ordonnances que le Seigneur donna par Moïse aux enfants d'Israël, dans la plaine de Moab, le long du Jourdain, vis-à-vis de Jéricho.

Vers. 2. — Tibi domino nostro præcepit Dominus ut terram sorte divideres, id est, dividi præciperes per tuos successores : nam Moses moriens terram non divisit, sed ejus jussu Josue, qui ei successit.

Et ut filiabus Salphaad fratris nostri dares possessionem debitam patri. Id jussit Dominus c. 27, 7.

Vers. 3. — Quas si alterius tribus homines uxores acceperint, sequetur possessio sua, et translata ad aliam tribum de nostra hæreditate minuetur. Ut scil. non dicatur esse hæreditas tribûs Joseph, sed alterius cujus erunt futuri harum filiarum Salphaad mariti. Licet enim filius aliquis subrogandus esset avo materno defuncto, qui in nomen et hæreditatem ejus succederet, vocareturque, v. g., filius Salphaad ; tamen quia hic filius patrem et fratres habebat ex aliâ tribu, hinc facilè orta fuisset confusio et permixtio nominum, ut non vocaretur filius, vel nepos Salphaad, sed patris sui. Unde per longitudinem temporis in jubilæo, cùm de hæreditate revocandâ, si ea alienata fuisset, agendum erat, facilè orta fuisset confusio et error, ut scilicet hæreditas Salphaad ad generos, eorumque cognatos et tribum transiret. Rursùm, facilè fieri potuisset, ut obliteratâ maternæ successionis memoriâ, patris tribu et nomine absolutè ea hæreditas censeretur. Hâc de causâ ne id fiat, sanxit Deus, ut hæ filiæ extra tribum suam non nubant, sed maritos accipiant suæ tribûs.

Vers. 7 et 8. — Omnes enim viri ducent uxores de tribu et cognatione sua : et cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient, ut hæreditas permaneat in familiis. Quæritur hic, an hæc sententia de omnibus omninò viris et feminis intelligatur, ita ut omnes viri Hebræi debuerint ducere uxores tribûs suæ, et vice versâ omnes feminæ Hebrææ debuerint nubere maritis suæ tribûs, non alterius. Affirmant Lyranus et Abulensis, qui ab hâc generali sententiâ excipiunt solos Levitas, idque vel ob dignitatem tribûs Levi, ut vult Lyranus, vel quia tribus Levi in Chanaan nullam habebat possessionem, quæ per connubia distrahi posset ad alias tribus, ut vult Abulens. Favent huic opinioni verba textûs, quæ planè universalia sunt.

Verùm dico, hanc sententiam non esse intelligendam de omnibus omninò, sed tantùm de feminis, quæ succedebant in hæreditatem patris, ob defectum prolis masculæ ; et vicissim de viris, qui tales feminas ducebant. Tales enim feminæ et viri debebant esse ejusdem tribûs ; et hoc tantùm hic præcipitur. Id ita esse probatur primò, ex quæstione propositâ vers. 2 et 3. Ibi enim tantùm quærebatur quomodò occurrendum esset, ne hæreditas filiarum Salphaad (quæ deficiente prole masculâ, erant hæredes patris sui Salphaad) ad alienam tribum devolveretur : cui quæstioni respondet Moses, modumque congruum quo id fiat, suggerit, dicens : *Nubant maritis tribûs suæ ;* idque deinde generali sanctione, omnibus ejusmodi feminis et viris præcipit. Secundò, idem patet ex fine legis, quem subdit hic Moses dicens : *Ut hæreditas permaneat in familiis :* ad hoc autem sufficit feminas illas quæ hæredes sunt, non nubere in aliâ tribu : impertinens verò est idipsum ad alias omnes extendere. Nam aliæ cùm non habeant hæreditatem, neutiquàm eam in aliam tribum transferent : viri autem suam hæreditatem ad feminas alterius tribûs, ac consequenter ad aliam tribum transfundere nequeunt : proles enim sequuntur nomen patris, non matris.

Tertiò, idipsum clarissimum est in Hebræo : sic enim habet : *Et omnis femina hæreditans hæreditatem, nubet uni ex tribu suâ.* Sic et Chald., Septuag. et omnes Hebræi. Ergo de solâ feminâ quæ hæreditatem adit, hæc lex est intelligenda. Quartò, id patet exemplis. David enim, qui fuit de tribu Juda, duxit Michol filiam Saülis, qui erat de tribu Benjamin ; imò extra tribum suam duxit gentilem, scilicet filiam regis Gessuri, 2 Reg. 3, 3. Sic Mahalon et Chelion, filii Elimelech, duxerunt uxores Moabitides, ut patet Ruth. 1, v. 4. Sic Booz duxit Ruth Moabitidem, Ruth. 4, v. 10. Hinc et Deut. 21, v. 11, permittitur Judæis ducere virgines alienigenas, præterquàm Chanaanitides, bello captas. Sic Judic. ultim. 1, jurant aliæ tribus quòd non dabunt filias suas in con-

jugium Benjaminitis ; ergo antea id facere licitum et consuetum erat.

Dices : Cur ergo noster interpres id non expressit, sed generatim vertit : *Omnes viri ducent uxores de tribu suâ ;* et vice versâ : *Cunctæ feminæ de eâdem tribu maritos accipient.* Respondeo, quia præsupposuit ex quæstione propositâ, et ex responsione vers. 6, tantùm hîc agi de feminis quæ hæreditatem adeunt, et de viris, qui tales in conjuges accipiunt. Hinc quod noster vertit : *Omnes viri ducent uxores de tribu suâ ;* sic ex Hebr. cum Chald. et Septuag. vertas : *Singuli possessioni tribûs patrum suorum adhærebunt*, scilicet filii masculi patribus suis succedent ; feminæ verò si hæredes sint, nubent alicui suæ tribus, ut videlicet nulla hæreditatis ex unâ tribu in aliam derivandæ sit occasio. Ita Burg., Cajet., Oleast., Vatabl. hîc, et Andreas Masius in Josue 17, v. 4.

Nota. Ex Hebr. colligitur filias, deficiente prole masculâ, hæredes debuisse nubere non tantùm in eâdem tribu, sed etiam in eâdem familiâ proximâ, ne earum hæreditas transiret ad exteras familias, sed maneret in familiâ patris consanguineis, qui ad eam jus habebant. Sic enim habent Hebr. v. 6 : *Familiæ tribûs patris sui erunt in uxores.* Et v. 8 : *Omnis filia hæreditans hæreditatem*, etc., *uni de familiâ tribûs patris sui erit in uxorem, ut accipiant hæreditate filii Israel unusquisque hæreditatem patrum suorum.* Quapropter filiæ Salphaad nupserunt in eâdem familiâ, scilicet filiis patruorum suorum, id est, consobrinis suis, ut dicitur v. 11. Et sic conciliamus genealogiam Christi apud Matthæum et Lucam, dicendo quòd uterque verè describit genealogiam Christi, eò quòd B. Virgo hæres nupserit consobrino suo, scilicet Joseph : Joseph enim fuit filius Jacob, B. Virgo fuit filia Heli sive Joakim ; Jacob autem et Heli fuerunt fratres germani, scilicet filii Nathan. Ergo genealogia Christi apud Matthæum vera est ab Adam usque ad Nathan per lineam paternam, scilicet per parentes Joakim, qui fuit avus Christi : Lucas verò eamdem describit, sed per lineam maternam, scilicet per parentes S. Annæ matris S. Virginis. Cùm enim jam esset descriptâ à Matthæo series omnium generationum per lineam paternam, noluit eam repetere Lucas, sed ulteriùs voluit ostendere Christum et B. Virginem etiam per lineam maternam esse de domo ac familiâ David. Unde cùm Lucas dicit : *Qui fuit Heli*, nominat Christi avum, ac primum Christi progenitorem masculum, omissâ B. Annâ et B. Virgine, quòd mulieres non solerent ingredi genealogiarum series. Rursùm cùm Lucas ait de Heli : *Qui fuit Matthat*, intellige non filius, sed gener : Matthat enim fuit pater non Heli sive Joakim, sed S. Annæ uxoris Joakim. Cùm verò ulteriùs ait de Matthat : *Qui fuit Levi, qui fuit Melchi*, etc., intellige semper τὸ *filius*. Hi enim sunt veri progenitores Matthat, cujus filia fuit S. Anna. Ita ferè Franc. Lucas ibidem.

Ex hoc loco sic explicato rursùm patet quomodò B. Virgo existens de tribu Juda, cognatam habere potuerit Elizabeth, quæ erat de tribu Aaron et Levi. Hujus enim causa et fundamentum non fuit quòd Levitæ soli possent ex aliâ tribu uxorem ducere, ut multi volunt : sed quòd omnes feminæ nubere poterant maritis, qui erant ex aliâ tribu, si ipsæ haberent fratres, ita ut ipsæ non essent hæredes parentum suorum. Si enim ipsæ essent hæredes, non poterant nubere in aliâ tribu, multò minùs poterant nubere Levitis. Levitæ enim nullius hæreditatis erant capaces : quia hæreditas eorum erat Dominus ; ac consequenter filii Levitarum nec patris, nec matris hæreditatem adire poterant.

Ergo dicendum hîc est unum è duobus, scilicet, quòd mater vel avia B. Virginis fuerit ex tribu Levi (fueritque amita, aut consobrina Elizabeth), quam, eò quòd non esset hæres, in uxorem duxerit pater, vel avus B. Virginis, qui erat ex tribu Juda, ita ut B. Virgo secundùm paternam stirpem fuerit ex Judâ, secundùm maternam ex Levi. Aut potiùs vice versâ dicendum est, quòd mater vel avia S. Elizabeth fuerit ex tribu Juda (fueritque amita, vel cognata B. Virginis), quam eò quòd non esset hæres, duxerit pater vel avus S. Elizabeth, qui erat de tribu Levi, ita ut Elizabeth quoad patrem fuerit ex Levi, quoad matrem ex Judâ. Sic enim factum est ut B. Virgo et Elizabeth essent duarum sororum, aut consobrinarum filiæ, ac proinde essent cognatæ, esto patres haberent diversarum tribuum, ac consequenter et ipsæ essent diversarum tribuum ; non enim ex matre, sed ex patre quisque sortiebatur familiam, tribum et nomen. Hinc salvâ tribuum discretione, reges in uxores ducebant filias pontificum, et pontifices filias regum, teste Josepho : atque ita Christus ex regibus Juda descendens, per avias suas descendit quoque ex Levi.

Vers. 7. — Et cognatione. Cognatio hæc generalis est, quæ scilicet est inter contribules. In

re ergo hîc idem sunt, cognatio, tribus et familia. Tantùm enim hîc precipitur, ut ejusdem tribûs uxores, vel maritos accipiant, non autem, ut ejusdem familiæ particularis, et proximæ.

Vers. 12. — Quæ illis fuerat attributa. Hæc non habentur in Hebræo, sed intelliguntur : nimirùm possessio patris Salphaad, quæ his ejus filiabus à Mose attributa erat, hâc ratione, per connubium videlicet contribulium suorum, mansit in tribu earum, videlicet in Manasse, hoc est, in eâ manere debuit, nec ad aliam tribum transferri potuit.

Mysticè, possessio nostra constans et perpetua, nec alienanda, est cœlum et æterna Dei gloria. Dùm ergo vivis, dùm vales, ô homo, ô viator, cogita quòd omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo. *Heu! heu! fugaces, Posthume, Posthume, labuntur anni.* Cogita quòd *cuncta sub sole vanitas sunt, vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Cogita quòd pro omnibus cogitatis, dictis, et factis adducet te Deus in judicium. *Memento* ergo *Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequàm revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum : quoniam ibit homo in domum* æternitatis suæ. Cogita quòd vita hæc sit palæstra æternitatis. O filii Adam, ut quid caduca ambitis? O curvæ in terras animæ, et cœlestium inanes, cur momentanea et mox peritura sectamini? Utinam saperent homines, utinam intelligerent, utinam sibi providerent beatam æternitatem!

DOXOLOGIA

DEI DUCTORIS ET DOMINATORIS,

EX GESTIS ET EPITOME NUMERORUM.

Magnus Dominus, et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.—Quàm pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel! ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, ut cedri propè aquas. — Castra Dei sunt hæc; hæ sunt multitudines Juda, hæc millia Israel et Levi. — Deus eduxit illa de Ægypto : cujus fortitudo similis est rhinocerotis. — In ipsis ventilabit gentes, usque ad terminos terræ : ossaque eorum confringet.— Accubans dormivit ut leo, et quasi leæna, quis suscitabit eum? — Dominus dux ejus fuit : et clangor victoriæ regis in eo. — Quàm dilecta tabernacula tua, Domine, virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini. — Ubi numerati et signati sunt duodecim millia, ex quâlibet tribu Israel; qui amicti sunt stolis albis, et palmæ in manibus eorum.— Qui laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. — Ideò sunt ante thronum Dei et serviunt ei die ac nocte in templo ejus : et Agnus deducet eos ad vitæ fontes aquarum.— Quàm pulchri Nazaræi ejus! candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. — Deduxisti, Domine, populum tuum, sicut oves, in manu Mosi et Aaron. — Fuisti ei in velamento nubis per diem, et in luce stellarum per noctem. — Confiteantur in Domino misericordiæ ejus; et mirabilia ejus filiis hominum. — Qui traduxit populum suum per desertum quadraginta annis; quoniam in æternum misericordia ejus. — Vestimenta eorum non sunt attrita; non erat in tribubus eorum infirmus.—Profecti sunt de Sinâ instructâ acie, clangentibus tubis; arca præcessit eos.—Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te à facie tuâ. — Panem de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem, et omnem saporis suavitatem. — Concupierunt concupiscentiam in deserto : ascendit illis de mari ortygometra. — Adhuc escæ erant in ore ipsorum; et ira Dei descendit super eos. — Ignis devoravit partem castrorum : sepulti sunt in sepulcris concupiscentiæ. — Septuaginta senes implevit Dominus spiritu suo : ut cum Mose regerent populum. — Exploratores ad murmur concitârunt plebem, juravit Dominus, quòd omnes murmurantes prosterneret in deserto. — Josue et Caleb secuti sunt à tergo potentis, prohibere gentem à peccatis, et perfringere murmur malitiæ. — Ideò hi soli ingressi sunt terram fluentem lac et mel; et dedit Dominus ipsi Caleb fortitudinem; ut

viderent omnes filii Israel, quia bonum est obsequi sancto Deo. — Addidit Aaron gloriam, dedit illi suas victimas et primitias ; ipse est enim ejus pars et hæreditas. — O Domine, tu es pars hæreditatis meæ, et calicis mei : tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. — Quid enim mihi est in cœlo : et à te quid volui super terram? — Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. — Core, Dathan et Abiron, invidentes irritaverunt Mosen in castris, et Aaron sanctum Domini. — Aperta est terra et deglutivit Dathan ; et operuit super congregationem Abiron. — Et exarsit ignis in synagogâ eorum, flamma combussit peccatores, — Virga Aaron floruit, et produxit amygdalas, ut electus à Deo ostenderetur Aaron, in sacerdotem æternum. — Jussit Dominus castra sua esse sancta, et immundos expiari cinere vitulæ rufæ. — Irritaverunt Mosen ad aquas contradictionis, exacerbaverunt spiritum ejus. — Iratus titubavit Moses, ideò exclusus est à terrâ promissionis. — Aaron pariter mortuus est in Hor; murmurârunt rursùm in tabernaculis suis. — Misit in eos Dominus ignitos serpentes; sed per serpentem æneum curavit eos. — Confitemini Deo, cœli ; quoniam in æternum misericordia ejus. — Qui occidit Sehon regem Amorrhæorum ; quoniam in æternum misericordia ejus. — Et Og regem Basan ; quoniam in æternum misericordia ejus. — Et dedit terram eorum hæreditatem populo suo : quoniam in æternum misericordia ejus.—Venit Balaam, ut malediceret Israeli : asina loquens corripuit hominis insipientiam. — Pro maledictione benedixit, dicens : Quomodò maledicam cui non maledixit Deus? —Moriatur anima mea morte justorum ; et fiant novissima mea horum similia. — Qui benedixerit tibi, erit et ipse benedictus ; qui maledixerit tibi, in maledictione reputabitur. — Orietur stella ex Jacob ; et consurget virga de Israel. — Et percutiet duces Moab : et vastabit omnes filios Seth. —Initiati sunt Hebræi Beelphegor ; fornicati sunt cum filiabus Moab. — Irritaverunt Deum per ejus idolum, et idolothyta : hinc multiplicata est in eis plaga et ruina. — Stetit Phinees, occidit Zambri principem : et placavit, et cessavit quassatio. — Et reputatum est ei in justitiam ; dedit ei Dominus sacerdotium æternum. — Confiteantur Domino misericordiæ ejus ; et mirabilia ejus filii hominum. — Moses moriturus imposuit manus Josue ; constituit eum ducem populi. — Sanxit victimas et libamina per singula festa et sabbata; sanxit leges de votis filiarum et uxorum. — Occidit quinque reges Madian et Balaam, qui scandalum Beelphegor proposuerat filiis Israel. — Ruben et Gad dedit terram Og et Sehon, obivit quadraginta duas mansiones in deserto.— Limites Chananææ possidendæ descripsit ; statuit principes, qui terram populo dividerent. — Urbes et suburbana jussit dari Levitis ; et constitui homicidis urbes refugii. — Filias hæredes jussit nubere in tribu suâ ; ne ad aliam tribum transferretur hæreditas.—Hæc sunt judicia tua sancta, Domine, quæ dedisti Mosi, examinata et probata instar argenti purgati septuplum. — Revela oculos meos ; et considerabo mirabilia de lege tuâ. — Narraverunt mihi iniqui fabulationes ; sed non ut lex tua. — Omnis consummationis vidi finem ; latum mandatum tuum nimis. — Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto : sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in secula seculorum. Amen.

IN DEUTERONOMIUM COMMENTARIUM.

Argumentum.

Pentateuchus integer, olim apud Hebræos unus tantùm fuit liber legis. Unde et hebr. *thora*, et latinè *lex* à Christo et Evangelistis vocatur ; ut Lucæ ult. v. 44 : *Necesse est implere omnia, quæ scripta sunt in lege Mosi, et prophetis, et psalmis de me ;* et Lucæ 2, v. 23 et 24 : *Sicut scriptum est in lege* (Exodi 13, 2) *Domini : quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur, et ut darent hostiam, secundùm quod dictum est in lege Domini*

(Levit. 12, 8) : *Par turturum, aut duos pullos columbarum,* et Lucæ 10, 26 : *In lege* (Deut. 6, 5) *quid scriptum est? Ille respondens dixit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo;* Joan. 1, 47 : *Quem scripsit Moses in lege;* Matth. 7, 12 : *Hæc est enim lex et prophetæ;* Matth. 22, 36 : *Quod est mandatum magnum in lege?* Similia sunt Actor. 24, v. 14; Act. 28, 23, et alibi. Postea verò Pentateuchus, secundùm quintuplicem materiam quam tractat, dissectus fuit in quinque partes, seu libros. Unde quinta hæc sectio, vel liber, à suî exordio more hebræo vocatur *Elle haddebarim,* id est, ista sunt verba, à græcis interpretibus, ac primùm à Septuag. ut videtur, Deuteronomium, id est, secunda lex, et à Rabbinis *Misne,* id est, iteratio legis, est appellatus, non quasi novam, et aliam à præcedentibus legem veterem contineat, sed quòd legis in Sinâ, à Deo ante 38 annos latæ, et tribus superioribus libris, scilicet Exodo, Levitico et Numeris descriptæ, sit repetitio et explicatio. Ita Theodor. hic q. 1, S. Aug. q. 49, et Athanas. in Synopsi S. Scripturæ. Unde S. Hieron. in Prologo Galeato (qui quasi galea libris omnibus S. Script. præfigitur) : *Deuteronomium,* inquit, *secunda lex, et evangelicæ legis præfiguratio, nonne sic habet ea quæ priora sunt, ut tamen nova sint omnia de veteribus?* Porrò repetitio hæc legis, à Mose jamjam morituro facta est anno 40 exitûs ex Ægypto, paulò ante quàm Hebræi transirent Jordanem, et ingrederentur in Chanaan, in campestribus Moab, puta in Abelsatim, quæ fuit quadragesima secunda et ultima mansio Hebræorum in deserto.

Causa repetitionis fuit duplex : prima, quòd senes omnes qui ex Ægypto egressi erant, et primam legem in Sinâ audierant, ob murmur exploratorum, Num. 14, jam mortui erant; et populus præsens erat novus, qui priorem legem promulgari non audierat. Unde hâc secundâ legis promulgatione, iteratò Deus novum cum Hebræis fœdus iniit, ut dicitur cap. 29, v. 1. Secunda, quia Moses jam moriturus, ultimumque suis, sibique commissis Hebræis, quos præ vitâ suâ diligebat, vale dicturus, hâc repetitione legem profundiùs atque tenaciùs imprimere voluit. Ultima enim parentum, principum et doctorum verba tenaciùs filiis et subditis inhærent. Hinc Deuteronomium est velut incensa et perpetua quædam concio, eâque de causâ Moses c. 17, v. 18, jussit, ut noví reges eligendi describant sibi Deuteronomium, ut discant, ait, timere Deum. Eâdem de causâ c. 31, 10, jussit, ut Deuteronomium toti populo quolibet septimo anno remissionis legatur; quinimò illud ipsum lapidibus, ad æternam memoriam inscribi jussit. Deut. 27, 3, et Josue 8, 32.

Auctor Deuteronomii, uti et totius Pentateuchi, est Moses, qui illud primò populo vivâ voce promulgavit, deinde illud ipsum iis scripto reliquit, ut patet Deuter. 31, 9 : *Scripsit,* inquit, *Moses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus.* Excipe tamen ultimum caput, quod non à Mose, sed ab Esdrâ, vel potiùs à Josue discipulo et successore Mosis, scriptum esse, patet eodem c. ult. v. 5 et 6, ubi mors et sepultura Mosis describitur. Licet enim Philo in Vitâ Mosis, et Josephus l. 5 Antiq. ultim., putent hæc propheticeè ab ipso Mose, ante mortem esse conscripta, tamen contrarium est verius, illudque significant tum alia, tum illa verba : *Et non cognovit homo sepulcrum ejus, usque in præsentem diem,* quæ planè de tempore, quod mortem ejus secutum est, accipienda sunt. Dixit ergo, et simul scripsit Moses Deuteronomium anno 120 et ultimo vitæ suæ, qui fuit mundi 2493, à diluvio 836, ante nativitatem Christi 1456, idque paucis et ultimis penè anni illius septimanis, ut patet ex eo, quòd scriptum sit Deuteronomium post mortem Aaronis, quæ contigit eodem anno, mense quinto, ut patet Numer. 20, 28, et Numer. 33, 38, atque post victoriam de Og et Sehon, post prophetiam Balaam, post cladem Beelphegor, post censum populi, post bellum Madianiticum, et alia, quæ à c. 20 Num. usque ad finem recensentur. Hæc enim omnia secuta sunt mortem Aaronis; atque post hæc omnia, Moses paulò ante mortem cœpit promulgare, ac deinde conscribere Deuteronomium, puta mense undecimo anni quadragesimi, primâ die mensis, uti disertè dicitur Deut. 13; hic ergo cycneam vocem edit Moses.

CAPUT I.

1. Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem, in solitudine campestri, contra mare Rubrum, inter Pharan, et Tophel, et Laban, et Haseroth, ubi auri est plurimùm : — 2. undecim diebus de Horeb per viam montis Seir usque ad Cadesbarne. — 3. Quadragesimo anno, undecimo mense, primâ die mensis, locutus est Moyses ad filios Israel omnia quæ præceperat illi Dominus, ut diceret eis; — 4. postquàm percussit Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat

in Hesebon; et Og, regem Basan, qui mansit in Astaroth, et in Edraï, — 5. trans Jordanem in terrâ Moab. Cœpitque Moyses explanare legem, et dicere: — 6. Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb, dicens: Sufficit vobis quòd in hoc monte mansistis: — 7. revertimini, et venite ad montem Amorrhæorum, et ad cætera quæ ei proxima sunt campestria atque montana et humiliora loca contra meridiem, et juxta littus maris, terram Chananæorum, et Libani usque ad flumen magnum Euphraten. — 8. En, inquit, tradidi vobis, ingredimini et possidete eam, super quâ juravit Dominus patribus vestris Abraham, Isaac et Jacob, ut daret illam eis, et semini eorum post eos. — 9. Dixique vobis illo in tempore: — 10. Non possum solus sustinere vos: quia Dominus Deus vester multiplicavit vos, et estis hodiè sicut stellæ cœli, plurimi. — 11. (Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia, et benedicat vobis sicut locutus est.) — 12. Non valeo solus negotia vestra sustinere, et pondus ac jurgia. — 13. Date ex vobis viros sapientes et gnaros, et quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes. — 14. Tunc respondistis mihi: Bona res est, quam vis facere. — 15. Tulique de tribubus vestris viros sapientes et nobiles, et constitui eos principes, tribunos, et centuriones, et quinquagenarios ac decanos, qui docerent vos singula. — 16. Præcipique eis dicens: Audite illos, et quod justum est judicate: sive civis sit ille, sive peregrinus. — 17. Nulla erit distantia personarum; ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. Quòd si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, et ego audiam. — 18. Præcepique omnia quæ facere deberetis. — 19. — Profecti autem de Horeb, transivimus per eremum terribilem et maximam, quam vidistis, per viam montis Amorrhæi, sicut præceperat Dominus Deus noster nobis. Cùmque venissemus in Cadesbarne, — 20. dixi vobis: Venistis ad montem Amorrhæi, quem Dominus Deus noster daturus est nobis. — 21. Vide terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi: ascende, et posside eam, sicut locutus est Dominus Deus noster patribus tuis: noli timere, nec quidquam paveas. — 22. Et accessistis ad me omnes, atque dixistis: Mittamus viros qui considerent terram: et renuntient per quod iter debeamus ascendere, et ad quas pergere civitates. — 23. Cùmque mihi sermo placuisset, misi ex vobis duodecim viros, singulos de tribubus suis; — 24. qui eùm perexissent, et ascendissent in montana, venerunt usque ad vallem Botri: et consideratâ terrâ, — 25. sumentes de fructibus ejus, ut ostenderent ubertatem, attulerunt ad nos, atque dixerunt: Bona est terra, quam Dominus Deus noster daturus est nobis. — 26. Et noluistis ascendere, sed increduli ad sermonem Domini Dei nostri, — 27. murmurâstis in tabernaculis vestris, atque dixistis: Odit nos Dominus, et idcircò eduxit nos de terrâ Ægypti, ut traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret. — 28. Quò ascendemus? Nuntii terruerunt cor nostrum, dicentes: Maxima multitudo est, et nobis staturâ procerior: urbes magnæ, et ad cœlum usque munitæ: filios Enacim vidimus ibi. — 29. Et dixi vobis: Nolite metuere, nec timeatis eos. — 30. Dominus Deus, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit, sicut fecit in Ægypto cunctis videntibus. — 31. Et in solitudine (ipse vidisti) portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni viâ per quam ambulâstis, donec veniretis ad locum istum. — 32. Et nec sic quidem credidistis Domino Deo vestro, — 33. qui præcessit vos in viâ, et metatus est locum in quo tentoria figere deberetis, nocte ostendens vobis iter per ignem, et die per columnam nubis. — 34. Cùmque audisset Dominus vocem sermonum vestrorum, iratus juravit, et ait: — 35. Non videbit quispiam de hominibus generationis hujus pessimæ terram bonam, quam sub juramento pollicitus sum patribus vestris, — 36. præter Caleb, filium Jephonæ: ipse enim videbit eam, et ipsi dabo terram, quam calcavit, et filiis ejus, quia secutus est Dominum. — 37. Nec miranda indignatio in populum, cùm mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: Nec tu ingredieris illùc; — 38. sed Josue, filius Nun, minister tuus, ipse intrabit pro te; hunc exhortare et robora, et ipse sorte terram dividet Israeli. — 39. Parvuli vestri, de quibus dixistis quòd captivi ducerentur, et filii qui hodiè boni ac mali ignorant distantiam, ipsi ingredientur: et ipsis dabo terram, et possidebunt eam. — 40. Vos autem revertimini, et abite in solitudinem per viam maris Rubri. — 41. Et respondistis mihi: Peccavimus Domino: ascendemus et pugnabimus, sicut præcepit Dominus Deus noster. Cùmque instructi armis pergeretis in montem, — 42. ait mihi Dominus: Dic ad eos: Nolite ascen-

dere, neque pugnetis, non enim sum vobiscum; ne cadatis coram inimicis vestris. — 43. Locutus sum, et non audistis, sed adversantes imperio Domini, et tumentes superbiâ, ascendistis in montem. — 44. Itaque egressus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, et obviam veniens, persecutus est vos, sicut solent apes persequi : et cecidit de Seir usque Horma. — 45. Cùmque reversi ploraretis coram Domino, non audivit vos, nec voci vestræ voluit acquiescere. — 46. Sedistis ergo in Cadesbarne multo tempore.

---

1. Voici les paroles que Moïse dit à tout le peuple d'Israël, *lorsqu'il était encore* au-delà du Jourdain, dans une plaine du désert *de Moab,* vis-à-vis de la mer Rouge, entre Pharan, Thophel, Laban et Haseroth, où il y a beaucoup d'or, — 2. à onze journées de chemin, depuis la montagne d'Oreb, en venant jusqu'à Cadès-Barné, par la montagne de Séïr. — 3. En la quarantième année, *depuis la sortie d'Egypte,* le premier jour de l'onzième de cette année, Moïse dit aux enfants d'Israël tout ce que le Seigneur lui avait ordonné de leur dire : — 4. après la défaite de Séhon, roi des Amorrhéens, qui habitait à Hésébon, et d'Og, roi de Basan, qui demeurait à Astaroth et à Edraï, — 5. *villes situées* au-delà du Jourdain, dans le pays de Moab, *où étaient les* Israélites; Moïse commença donc à leur expliquer la loi *du Seigneur,* et à leur dire : — 6. Le Seigneur notre Dieu nous parla à Horeb, *la seconde année depuis notre sortie de l'Egypte*, et il nous dit : Vous avez demeuré *assez long-temps* auprès de cette montagne; — 7. mettez-vous *maintenant* en chemin, et venez vers la montagne des Amorrhéens, et en tous les lieux voisins *de la mer Morte. Répandez-vous* dans les campagnes et les vallées *qui sont* vers le midi *de la terre de Chanaan,* et le long de la côte de la mer *Méditerranée. Passez ensuite* dans le pays *plus septentrional* des Chananéens et du Liban; *occupez tout ce pays* jusqu'au grand fleuve de l'Euphrate. — 8. Voilà, dit-il, que je vous l'ai livré; entrez-y et mettez-vous en possession de la terre que le Seigneur avait promis avec serment de donner à vos pères Abraham, Isaac et Jacob, et à leur postérité après eux. — 9. Et moi en même temps je vous dis : — 10. Je ne puis seul suffire à vous tous, parce que le Seigneur votre Dieu vous a tellement multipliés, que vous égaiez aujourd'hui en nombre les étoiles du ciel (*je n'en suis pas fâché, au contraire je souhaite* — 11. que le Seigneur, le Dieu de vos pères ajoute encore à ce nombre plusieurs milliers, et qu'il vous bénisse selon qu'il a promis). — 12. *Mais* je ne puis porter seul le poids de vos affaires et de vos différends. — 13. Choisissez *donc* d'entre vous des hommes sages et habiles, qui soient d'une vie exemplaire et d'une probité reconnue parmi vos tribus, afin que je les établisse pour être *vos juges* et vos commandants, *et qu'ainsi je sois soulagé.* — 14. Vous me répondîtes alors : C'est une *très*-bonne chose que vous voulez faire. — 15. Et je pris de vos tribus des hommes sages et nobles; je les établis pour être vos princes, vos tribuns, vos commandants de cent hommes, de cinquante et de dix, *pour vous conduire et* pour vous instruire de toutes choses. — 16. Je leur donnai cet avis en même temps, et je leur dis : Ecoutez ceux qui viendront à vous, citoyens ou étrangers, et jugez-les selon la justice. — 17. Vous ne mettrez aucune différence entre les personnes; vous écouterez le petit comme le grand; et vous n'aurez aucun égard à la condition de qui que ce soit, parce que c'est le jugement de Dieu *que vous exercez, et que vous lui rendrez compte de la manière dont vous aurez jugé.* Si vous trouvez quelque chose de plus difficile, vous me le rapporterez, et je l'écouterai. — 18. Et je vous ordonnai alors tout ce que vous deviez faire *pour plaire au Seigneur.* — 19. Etant partis d'Horeb, nous passâmes par ce grand et effroyable désert que vous avez vu, par le chemin qui conduit à la montagne des Amorrhéens, selon que le Seigneur notre Dieu nous l'avait commandé. Et étant venus à Cadès-Barné, — 20. je vous dis : Vous voilà arrivés vers la montagne des Amorrhéens, que le Seigneur notre Dieu nous doit donner. — 21. Considérez la terre que le Seigneur votre Dieu vous donne; montez-y, et vous en rendez maîtres selon que le Seigneur notre Dieu l'a promis à vos pères; ne craignez point, et que rien ne vous étonne. — 22. Alors, *n'ayant pas toute la confiance que vous deviez avoir dans le Seigneur,* vous vîntes me trouver, et vous me dîtes : Envoyons des hommes qui considèrent le pays, et qui nous marquent le chemin par où nous devons entrer, et les villes où nous devons aller. — 23. Ayant approuvé cet avis, *que je crus que vous donniez avec droiture et simplicité*, j'envoyai douze hommes d'entre vous, un de chaque tribu; — 24. qui s'étant mis en chemin et ayant passé les montagnes,

vinrent, *en faisant un long circuit,* jusqu'à la vallée de la Grappe de raisin : et après avoir considéré le pays, — 25. ils prirent des fruits qu'il produit, pour nous faire voir combien il était fertile ; et nous les ayant apportés, ils nous dirent : La terre que le Seigneur notre Dieu nous veut donner est *très*-bonne. — 26. Mais *ayant ajouté qu'elle était pleine de villes très-fortes, et peuplée d'hommes très-puissants,* vous ne voulûtes point y aller ; et étant incrédules à la parole du Seigneur notre Dieu, *qui avait promis de vous la donner,* — 27. vous murmurâtes dans vos tentes, en disant : le Seigneur nous hait, et il nous a fait sortir de l'Egypte pour nous livrer entre les mains des Amorrhéens, et pour nous exterminer. — 28. Où monterons-nous? Ceux que nous avons envoyés nous ont jeté l'épouvante dans le cœur, en nous disant : Ce pays est extrêmement peuplé, les hommes y sont d'une taille beaucoup plus haute que nous ; leurs villes sont grandes et fortifiées de murs qui vont jusqu'au ciel : nous avons vu là des gens de la race d'Enac, *des hommes formidables.* — 29. Et je vous dis alors : N'ayez point de peur *de ces ennemis puissants,* et ne les craignez point. — 30. Le Seigneur *votre* Dieu; qui est votre conducteur, combattra lui-même pour vous, ainsi qu'il a fait en Egypte, à la vue de tous les peuples. — 31. Et vous avez vu vous-mêmes dans ce désert, que le Seigneur votre Dieu vous a portés *en quelque sorte* dans tout le chemin par où vous avez passé, comme un homme a coutume de porter son petit enfant entre ses bras ; *vous ayant protégés en toutes manières, et vous ayant pourvus de tout ce qui vous était nécessaire,* jusqu'à ce que vous soyez arrivés en ce lieu.— 32. Mais tout ce que je vous dis alors ne put vous engager à croire le Seigneur votre Dieu, — 33. qui a marché devant vous dans tout le chemin, qui vous a marqué le lieu où vous deviez dresser vos tentes, qui vous a montré la nuit le chemin par *la colonne* de feu, et le jour par la colonne de nuée *qui marchaient devant vous.* — 34. Le Seigneur ayant donc entendu vos murmures, entra en colère, et dit avec serment : — 35. Nul des hommes de cette race criminelle ne verra cet excellent pays que j'avais promis avec serment de donner à vos pères, — 36. excepté Caleb, fils de Jéphoné ; car celui-là le verra, et je lui donnerai à lui et à ses enfants la terre où il a marché, parce qu'il a suivi le Seigneur. — 37. Et on ne doit pas s'étonner de cette indignation du Seigneur contre le peuple, puisque s'étant mis en colère contre moi-même *pour une faute que je n'avais commise qu'à* cause de *la mauvaise disposition où je* vous *voyais,* il me dit : Vous-même vous n'y entrerez point non plus : — 38. mais Josué, fils de Nun, votre ministre, y entrera au lieu de vous : exhortez-le et fortifiez-le ; car ce sera lui qui partagera la terre par sort à *tout* Israël. — 39. Vos petits-enfants, que vous avez dit qui seraient emmenés captifs, et vos fils qui ne savent pas encore discerner le bien et le mal, seront ceux qui entreront en cette terre. Je la leur donnerai, ils la posséderont. — 40. Mais pour vous, *qui avez été incrédules et rebelles,* retournez *sur vos pas,* et allez-vous-en dans le désert par le chemin qui conduit vers la mer Rouge. — 41. — Vous me répondîtes alors : Nous avons péché contre le Seigneur. Nous monterons et nous combattrons comme le Seigneur notre Dieu nous l'a ordonné. Et lorsque vous marchiez les armes à la main vers la montagne, — 42. le Seigneur me dit : Dites-leur : N'entreprenez point de monter et de combattre, parce que je ne suis pas avec vous, et que vous succomberez devant vos ennemis. — 43. Je vous le dis, et vous ne m'écoutâtes point : mais vous opposant au commandement du Seigneur, et étant enflés d'orgueil, vous montâtes la montagne. — 44. Alors les Amorrhéens qui habitaient les montagnes, ayant paru et étant venus au-devant de vous, vous poursuivirent comme les abeilles poursuivent *celui qui les irrite,* et vous taillèrent en pièces, depuis Adar *ou* Séïr jusqu'à Horma. — 45. Etant rétournés de là et ayant pleuré devant le Seigneur, il ne vous écouta point, et ne voulut point se rendre à vos prières ; — 46. ainsi vous demeurâtes long-temps à Cadès-Barné.

Vers. 1. — Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel. Hinc miraculo factum videtur, ut Mosis vox à toto Israele, id est, à duobus, vel tribus hominum millionibus audiretur, inquit Abulens. Idem colligitur clariùs ex cap. 29, 10 : *Vos,* ait, *statis hodiè cuncti coram Domino Deo vestro,* etc. *Omnis populus Israel, liberi et uxores vestræ, et advenæ qui tecum morantur in castris, exceptis lignorum cæsoribus, et his qui comportant aquas.* Ita vox S. Antonii de Paduâ, S. Vincentii Fererii, et aliorum præconum apostolicorum ad plures leucas, non tantùm audita, sed et intellecta fuit

à gentibus exteris, et illorum linguæ imperitis.

Trans Jordanem. Moses non transierat Jordanem, sed citra eum consistebat : dicitur tamen trans Jordanem hæc locutus, quia respectu terræ promissæ (juxta quam Scriptura solet consignare plagas et situs locorum) regio hæc trans Jordanem erat. Hinc Scriptura eam trans Jordanem vocat, ut patet Num. 32, 32, Deuter. 4, 46. Fortè Moses scripsit, *cis Jordanem*, sed Josue, vel quisquis hæc Mosis diaria digessit, in Chanaan jam consistens, pro eo substituit, *trans Jordanem*.

Contra mare Rubrum. Hoc enim mare arcuatur; unde Hebræi vagando et gyrando per desertum, sæpiùs ad illud accesserunt, inquit Abulens. Hinc Septuag. vertunt, *propè mare Rubrum*. Verùm ex tabulis cosmographicis patet, campestria Moab (in quibus hæc dicta sunt) longissimè distare à mari Rubro. Meliùs ergo respondet Pererius, τὸ *contra*, vel, *è regione*, dici de loco etiam longè dissito, modò alteri sit oppositus; sicut hîc mare Rubrum obversum erat Hebræis, consistentibus in campestribus Moab. Meminit Moses maris Rubri, ut injiciat Hebræis memoriam transitûs miraculosi maris Rubri, itàque eos impellat, ad hæc Dei sui tam benefici mandata observanda. Secundò, quia mare Rubrum fuit initium, campestria verò Moab fuerunt terminus peregrinationis Hebræorum ; utrumque ergo hîc consignat Moses. Hebr. est, *contra mare suph*, id est, *termini*, per quod accipi posset mare Mortuum, quod terminat terram sanctam ab Oriente, illique vicina et opposita sunt campestria Moab. Verùm mare *suph* alibi passim significat mare Rubrum, quod Ægyptum ab Arabiâ disterminat, et ita hîc vertunt Chald. et Sept.

Inter Pharan, et Thophel, et Laban. Chald. et ex eo Rupert. *Thophel* accipit, non ut proprium, sed ut appellativum, ut sit idem quòd murmuratio, sic et *Laban*, id est, album, significare manna. Unde vertit : *Corripuit, eò quòd peccârunt in deserto, et quia irritaverunt Deum in campestribus, contra mare Rubrum; et in Pharan, ubi murmurati sunt adversùs manna, et in Haseroth, ubi irritaverunt Deum super carnes, et in eo quòd fecerunt vitulum aureum.* Simili enim modo Jacob sub montem corripuit et increpavit Ruben, Simeon et Levi, Genes. 49, et Josue Israelitas, Josue ultim. et Samuel populum, 1 Reg. 12. Verùm patet, hîc non materiam, sed locum locutionis Mosis describi, ac proinde Thophel et Laban, æquè ac Pharan et Haseroth, esse propria locorum nomina, uti docent Septuag.; quare paraphrasticè hæc addidit Chaldæus, uti et illud de vitulo aureo; illius enim hîc in hebræo nulla est mentio : Hebræus enim tantùm dicit, in Haseroth esse *sufficientiam*, id est, abundantiam, *auri*, hoc est, ut noster vertit, *auri plurimùm*. Unde Septuag. vertunt, *auri fodinas*.

Vers. 2. — Undecim diebus, scilicet locutus est hæc Moses. Ita aliqui; sed obstant sequentia, *per viam montis Seir;* nec enim in viâ ambulando, et proficiscendo tantæ multitudini loqui poterat Moses. Secundò Cajet. et Oleaster explicant, q. d. : Undecim dierum iter est ab Horeb usque ad Cadesbarne, quod vicinum est Chananææ; sed Hebræi ob murmur ab ejus ingressu dilati et circumducti sunt per 40 annos. Verùm hæc expositio nec vera est, nec ad propositum. Quid enim hoc facit ad locum, vel tempus, quo hæc locutus est Moses? Insulsius est, quod fingit R. Salomon apud Lyranum, iter ab Horeb ad Cadesbarne esse undecim dierum, sed Hebræos illud triduò confecisse; hoc enim tridui figmentum multis hîc confutat Abulensis.

Dico ergo hæc, uti et præcedentia, designare locum, in quo sequentia locutus est Moses, q. d. : Campestria Moab, ubi Deuteronomium promulgavit Moses, distant ab Horeb, sive Sinâ, undecim diebus, eundo per viam montis Seir, quâ scilicet itur versùs Idumæam, progrediendo usque ad Cadesbarne, et inde circùm Idumæam pergendo ad campestria Moab. Nam à Sinâ usque ad Cadesbarne sunt 17 leucæ unius horæ; à Cadesbarne usque ad campestria Moab sunt 34 leucæ, ut patet ex tabulis Adrichomii; à Sinâ ergo ad Moab sunt 51 leucæ; quare, si quolibet die conficias quatuor leucas cum dimidiâ, undecim diebus venies à Sinâ usque ad hæc campestria Moab. Ita Abulensis.

Tropologicè, S. Gregor. 2 Moral. 1 : « Israel, « ait, verba Dei in monte audire non potuit, « sed præcepta in campestribus accepit : sub- « sequentem nimirùm infirmitatem populi « indicans, qui ascendere ad summa non « valuit, sed semetipsum in infimis neglectè « vivendo laxavit. »

Vers. 3. — Undecimo mense, prima die mensis. Deuteronomium ergo promulgavit Moses primo die mensis sebet, qui nostro januario respondet. Primus enim Hebræorum mensis erat nisan, puta martius; ac consequenter undecimus erat januarius, duodecimus februarius. Sic Christus primâ die januarii, circum-

cisione suâ, nomineque Jesu legem novam condere, eamque suo sanguine sancire cœpit, ut meritò hoc novi anni, et vitæ Christianis sit exordium, quod hîc portendit et præfiguravit Moses, dùm eodem mense et die promulgavit Deuteronomium.

VERS. 7. — VENITE AD MONTEM AMORRHÆORUM, ad montem Galaad, et regnum Og : hoc enim eo cæso occupârunt Hebræi, Num. 21, 35.

VERS. 8. — UT DARET ILLAM EIS ET SEMINI EORUM ; τὸ *et* significat, *id est*, nec enim Abraham, Isaac et Jacob unquàm per se possederunt terram promissam, sed tantùm in filiis et posteris suis. Sic et alibi sumitur τὸ *et*, uti ostendi Levit. 6, 2.

VERS. 10. — NON POSSUM SOLUS SUSTINERE VOS, Septuag. *ferre vos*, q. d. ; Regimen vestrum, vestrìque curam, puta totius populi onus, solus sustinere non valeo. Erat enim Moses, non tantùm judex populi, sed et pater, pædagogus et mater, quæ filios suos in sinu portat, ut patet Num. 11, v. 11 et 12.

VERS. 11. — DOMINUS, etc., BENEDICAT VOBIS, dando scilicet, cum prolibus copiam bonorum temporalium et spiritualium; Dei enim benedicere est benefacere, quia efficax est Dei verbum.

VERS. 15. — TULITQUE, etc., NOBILIS, hebr., *tulit capita tribuum vestrarum*. Hebræi in eo qui gerit magistratum septem virtutes requirunt, primò, sapientiam; secundò, humilitatem; tertiò, timorem Dei; quartò, odium avaritiæ; quintò, amorem veritatis; sextò, philantropiam; septimò, bonum nomen.

VERS. 17. — NULLA ERIT DISTANTIA PERSONARUM (hebr., *non agnoscetis facies in judicio*, id est, personam non considerabitis, an dives sit, an pauper); ITA PARVUM AUDIETIS UT MAGNUM : NEC ACCIPIETIS CUJUSQUAM PERSONAM; QUIA DEI JUDICIUM EST, q. d. : Quia cùm judicatis, Dei vices geritis : Deus autem in judicio æquissimus est, nec personam respicit. Historia hæc descripta et explicata est Exodi 18, v. 19. Audi S. Hieron. in Epist. ad Damasc. : « Alienum te « à personis omnium redde in judicio, ac pro- « pter justitiam in judicio pauperem defendas, « nec propter gratiam diviti indecenter assi- « stas, aut si non potes facere, cognitionem « respice causarum. » Et Petrum Ravennatem in quâdam Epist. : « Nihil adeò gloriosè lucet « in judice, sicut amare et exhibere justitiam « sine omni acceptione personæ. Teste enim « Cicerone, exuit personam judicis, quisquis « amicum induit. Æquitas cui judex obsequi- « tur, sinistram odii, vel amoris dexteram ne- « scit. Nam talis esse debet juris minister, ut « in ejus manu nullius auctoritate personæ « titubet aut vacillet libra justitiæ. » Rursùm S. Hieron. in Amos : « Quicumque, ait, con- « sanguinitate aut amicitiâ, vel è converso « hostili odio, vel inimicitiis in judicando du- « citur, pervertit judicium Christi, qui est « justitia. » Et Innocent. III pont. l. de Vilit. condit. hum. : « Vos, ait, non attenditis merita « causarum, sed personarum; non jura, sed « munera; non quid ratio dictet, sed quid vo- « luntas affectet; non quid sentiat, sed quid « mens cupiat; non quid liceat, sed quid li- « beat. » Et infra : « Pauperum causam cum « morâ negligitis, divitum cum instantiâ pro- « movetis. In illis rigorem ostenditis, in istis « ex mansuetudine dispensatis. Illos cum diffi- « cultate respicitis, istos cum facilitate tracta- « tis. Illos negligenter auditis, istos subtiliter « auscultatis. » Et infra : « Clamat pauper, et « nullus exaudit; loquitur dives, et quilibet « applaudit. Dives locutus est, et omnes ta- « cuerunt; pauper locutus est, et dicunt : Quis « est hic? et si offenderit, subvertent eum. « Clamat vim patiens, et nullus exaudit; vo- « ciferatur, et non est qui judicet; diviti di- « cunt : Tu sede hic benè, pauperi verò : Tu « sta illic, vel, sede sub scabello pedum meo- « rum. » Hinc Solon, teste Laertio, rogatus *quid est lex?* respondit : *Araneæ tela* : quia si quid in eam inciderit debile, retinetur; grave autem pertransit telâ rescissâ : pauperes enim violantes legem plectuntur, divites impunè agunt quod libet. Et Ovidius :

Curia pauperibus clausa est, dat census honores,
Census amicitias; pauper ubique jacet.

Vis exempla non accipientium personas? Elias liberè increpavit Achab regem, Eliseus Joram, Nathan Davidem, Isaias Manassem, Daniel Nabuchodonosor et Balthazarem, Jeremias Joakim et Sedeciam, Joannes Bapt. Herodem, Christus Scribas et Pharisæos. Vis gentilium? Papinianus jurisconsul. à Caracallâ imp. jussus ejus parricidium, quo fratrem Getam occiderat, in senatu diluere, recusavit dicens : *Non tam facilè parricidium excusari posse, quàm patrari*. Epaminondas filium coronâ donatum, deinde securi feriri jussit, quòd præcepti paterni contemptor cum hoste conflixisset, eumque vicisset. Brutus consul et M. Torquatus filios capite mulctârunt, quòd cum Tarquiniis contra patriam conspirâssent. Zaleucus Locrensis

cùm legem tulisset de adultero excæcando, ejusque filius in adulterio deprehensus esset, se uno, filium altero privavit oculo, ne ob acceptionem personæ lex lata violaretur. Ita Valer. Maxim. l. 6, c. 5.

Vers. 19, 20 et 21. — Cumque venissemus in Cadesbarne, dixi vobis : Venistis ad montem Amorrhæi, etc.; vide terram quam Dominus Deus tuus dat tibi, quia Cadesbarne est juxta Chanaan : tantùm enim interest mons Idumææ. Unde ex Cadesbarne missi sunt exploratores in Chanaan, ad eam statim invadendam.

Vers. 22. — Dixistis : Mittamus viros, qui considerent terram. Hinc patet, ipsos Hebræos petiisse mitti exploratores, qui, eis annuente Deo et Mose, missi sunt, Num. 14.

Vers. 28. — Urbes magnæ et ad cœlum usque munitæ, id est muris altissimis vallatæ et munitæ, et ut Sept. vertunt, τετειχίσμεναι, id est, *muratæ;* est hyperbole, similis est c. 9, v. 1.

Filios Enacim (id est, filios gigantum, puta gigantes ex posteris Enac gigantis) vidimus ibi. Hæc historia explicata est Num. 13.

Vers. 31. — Portavit te Dominus deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum. *Portavit*, id est, deduxit, direxit, fovit, protexit, scilicet primò, per columnam nubis et ignis; secundò, dando manna; tertiò, protegendo te ab hostibus, eosque debellando; quartò conservando tuas vires et sanitatem; item vestes, et calceos singulorum. Unde cap. 2, v. 7, dicitur Deus habitâsse cum Hebræis 40 annis.

Vers. 33. — Metatus est locum (præcedens castra in columnâ nubis) in quo tentoria figere deberetis.

Vers. 36. — Quia secutus est (Caleb) Dominum. Hebraicè, *quia perfecit* (scilicet ut iret) *post Dominum*, id est, perfecit mandata mea, sequendo me, mihique in omnibus plenè et perfectè obsequendo.

Vers. 39. — Et filii, qui hodie boni ac mali ignorant distantiam, puta parvuli vestri, qui nondùm habent usum rationis, ut bonum à malo discernant.

Vers. 43. — Adversantes imperio Domini. Hebr. *exacerbâstis os Domini*, id est, repugnâstis ejus verbis et jussis, itàque eum, ejusque os et vultum irritâstis.

Vers. 44. — Amorrhæus, etc., persecutus est vos, sicut solent apes persequi, q. d. : Sicut apes irritatæ magno numero et furore persequuntur lacessentes se, ita et hostes vestri, scilicet Amorrhæi, vos persecuti sunt.

Vers. 46. — Sedistis ergo in Cadesbarne multo tempore. In Hebræo additur : *Secundùm dies quibus mansistis,* quod Vatablus sic explicat, q. d. : Tot diebus mansistis in Cadesbarne post regressum exploratorum, quot ibidem manseratis ante eorum regressum. Secundò, Hebræi in Seder olam sic explicant, q. d. : Mansistis in Cadesbarne tot diebus, quot mansistis deinceps in reliquis omnibus mansionibus simul, videlicet annos 19 ; bis enim 19 faciunt 38, quibus adde duos annos elapsos antequàm venirent in Cadesbarne, habebis 40 annos peregrinationis in deserto. Verùm nil tale ex nostrâ versione colligi potest, nec etiam ex Hebræo : τὸ enim, *secundùm dies quibus mansistis,* non aliud est quàm repetitio et explicatio hebraica ejus quod præcessit, scilicet, *multo tempore.* Unde noster interpres hanc repetitionem hebræam, quasi otiosam, et latinis auribus inusitatam, omisit.

CAPUT II.

1. Profectique inde venimus in solitudinem, quæ ducit ad mare Rubrum, sicut mihi dixerat Dominus : et circuivimus montem Seir longo tempore. — 2. Dixitque Dominus ad me : — 3 Sufficit vobis circuire montem istum : ite contra aquilonem. — 4. Et populo præcipe, dicens : Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esaü, qui habitant in Seir, et timebunt vos. — 5. Videte ergo diligenter ne moveamini contra eos; neque enim dabo vobis de terrâ eorum quantùm potest unius pedis calcare vestigium, quia in possessionem Esaü dedi montem Seir. — 6. Cibos emetis ab eis pecuniâ, et comedetis : aquam emptam haurietis, et bibetis. — 7. Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum, novit iter tuum, quomodò transieris solitudinem hanc magnam, per quadraginta annos habitans tecum Dominus Deus tuus, et nihil tibi defuit. — Cùmque transîssemus fratres nostros filios Esaü, qui habitabant in Seir, per viam campestrem de Elath et de Asiongaber, venimus ad iter quod ducit in desertum Moab. — 9. Dixitque Dominus ad me : Non pugnes contra Moabitas, nec ineas adversùs eos prælium : non enim dabo tibi quidquam de terrâ eorum, quia filiis Loth tradidi Ar in possessionem.— 10. Enim primi fuerunt habitatores ejus, populus magnus, et validus, et tam excelsus, ut de Enacim stirpe,— 11. quasi gigantes, crederentur, et essent similes filio-

rum Enacim. Denique Moabitæ appellant eos Enim. — 12. In Seir autem priùs habitaverunt Horrhæi : quibus expulsis atque deletis, habitaverunt filii Esaü, sicut fecit Israel in terrâ possessionis suæ, quam dedit illi Dominus. — 13. Surgentes ergo ut transiremus torrentem Zared, venimus ad eum. — 14. Tempus autem, quo ambulavimus de Cadesbarne, usque ad transitum torrentis Zared : triginta et octo annorum fuit : donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum de castris, sicut juraverat Dominus : — 15. cujus manus fuit adversùm eos, ut interirent de castrorum medio. — 16. Postquàm autem universi ceciderunt pugnatores, — 17. locutus est Dominus ad me, dicens : — 18. Tu transibis hodiè terminos Moab, urbem nomine Ar : — 19. et accedens in vicina filiorum Ammon, cave ne pugnes contra eos, nec movearis ad prælium : non enim dabo tibi de terrâ filiorum Ammon, quia filiis Loth dedi eam in possessionem. — 20. Terra gigantum reputata est : et in ipsâ olim habitaverunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim, — 21. populus magnus, et multus, et proceræ longitudinis, sicut Enacim, quos delevit Dominus à facie eorum, et fecit illos habitare pro eis, — 22. sicut fecerat filiis Esaü, qui habitant in Seir, delens Horrhæos, et terram eorum illis tradens, quam possident usque in præsens. — 23. Hevæos quoque, qui habitabant in Haserim usque Gazam, Cappadoces expulerunt : qui egressi de Cappadociâ deleverunt eos, et habitaverunt pro illis. — 24. Surgite, et transite torrentem Arnon : ecce tradidi in manu tuâ Sehon, regem Hesebon, Amorrhæum, et terram ejus incipe possidere, et committe adversùs eum prælium. — 25. Hodiè incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cœlo : ut audito nomine tuo paveant, et in morem parturientium contremiscant, et dolore teneantur. — 26. Misi ergo nuntios de solitudine Cademoth ad Sehon, regem Hesebon, verbis pacificis, dicens : — 27. Transibimus per terram tuam, publicâ gradiemur viâ : non declinabimus neque ad dexteram, neque ad sinistram. — 28. Alimenta pretio vende nobis, ut vescamur : aquam pecuniâ tribue, et sic bibemus. Tantùm est ut nobis concedas transitum, — 29. sicut fecerunt filii Esaü, qui habitant in Seir, et Moabitæ, qui morantur in Ar ; donec veniamus ad Jordanem, et transeamus ad terram quam Dominus Deus noster daturus est nobis. — 30. Noluitque Sehon rex Hesebon dare nobis transitum : quia induraverat Dominus Deus tuus spiritum ejus, et obfirmaverat cor illius, ut traderetur in manus tuas, sicut nunc vides. — 31. Dixitque Dominus ad me : Ecce cœpi tibi tradere Sehon, et terram ejus, incipe possidere eam. — 32. Egressusque est Sehon obviàm nobis cum omni populo suo ad prælium in Jasâ. — 33. Et tradidit eum Dominus Deus noster nobis : percussimusque eum cum filiis suis et omni populo suo. — 34. Cunctasque urbes in tempore illo cepimus, interfectis habitatoribus earum viris, ac mulieribus, et parvulis; non reliquimus in eis quidquam, — 35. absque jumentis, quæ in partem venêre prædantium : et spoliis urbium quas cepimus, — 36. ab Aroer, quæ est super ripam torrentis Arnon, oppido quod in valle situm est usque Galaad. Non fuit vicus et civitas, quæ nostras effugeret manus : omnes tradidit Dominus Deus noster nobis, — 37. absque terrâ filiorum Ammon, ad quam non accessimus ; et cunctis quæ adjacent torrenti Jeboc, et urbibus montanis, universisque locis, à quibus nos prohibuit Dominus Deus noster.

---

1. Nous partîmes de ce lieu-là, et nous vînmes au désert qui mène à la mer Rouge, selon que le Seigneur me l'avait ordonné : *mais nous n'y vînmes pas par le chemin le plus court ;* et nous tournâmes long-temps autour du mont Séïr. — 2. Le Seigneur me dit alors : — 3. Vous avez assez tourné autour de cette montagne ; allez maintenant vers le septentrion : 4. et ordonnez ceci au peuple, et lui dites : Vous passerez aux extrémités des terres des enfants d'Esaü vos frères, qui habitent en Séïr, et *comme* ils vous craindront, *ils vous refuseront de vous donner passage sur leurs terres ; mais je ne veux pas que cela vous porte à leur déclarer la guerre ;* — 5. Prenez donc bien garde de ne les point attaquer ; car je ne vous donnerai pas un seul pied de terre dans leur pays, parce que j'ai abandonné à Esaü le mont Séïr, afin qu'il le possédât. — 6. Vous acheterez d'eux pour de l'argent tout ce que vous mangerez, et vous acheterez aussi l'eau que vous puiserez et que vous boirez. — 7. Le Seigneur votre Dieu vous a bénis dans toutes les œuvres de vos mains ; le Seigneur votre Dieu a eu soin de vous dans votre chemin, lorsque vous avez passé par ce grand désert ; il a habité avec vous pendant quarante ans, et vous

n'avez manqué de rien. *Ayez donc soin de répondre à tous ces bienfaits, en faisant exactement tout ce qu'il vous dit.* — 8. Après que nous eûmes passé les terres des enfants d'Esaü, nos frères, qui habitaient en Séïr, marchant par le chemin de la plaine d'Elath et d'Asiongaber, nous vînmes au chemin qui mène au désert de Moab. — 9. Alors le Seigneur me dit : Ne combattez point les Moabites, et ne leur faites point la guerre ; car je ne vous donnerai rien de leur pays, parce que j'ai donné Ar aux enfants de Loth, afin qu'ils la possèdent. — 10. *Et j'ai détruit* les Emins *qui l'ont possédée avant eux,* et qui ont habité les premiers ce pays. C'était un peuple grand et puissant, et d'une si haute taille, qu'on le croyait de la race d'Enac, comme les géants, — 11. étant semblables aux enfants d'Enac. Enfin les Moabites les appellent Emins, *à cause de leur force et de leur grandeur prodigieuse.* — 12. Quant au pays de Seïr, les Horrhéens y ont habité autrefois : mais en ayant été chassés et exterminés, les enfants d'Esaü y habitèrent, *en vertu du don que le Seigneur leur en fit,* comme le peuple d'Israël s'est établi dans la terre *de Séhon,* que le Seigneur lui a donnée pour la posséder. — 13. Nous nous disposâmes donc à passer le torrent de Zared, et nous vînmes près de ce torrent. — 14. Or, le temps que nous mîmes à marcher, depuis *notre première arrivée à* Cadès-Barné jusqu'au passage du torrent de Zared, fut de trente-huit ans ; jusqu'à ce que toute la race des *premiers* gens de guerre, *qui avaient murmuré contre Dieu*, eût été exterminée du camp, selon que le Seigneur l'avait juré. — 15. Car sa main a été sur eux pour les faire tous périr du milieu du camp. — 16. Après la mort de tous ces hommes de guerre, — 17. Le Seigneur me parla, et me dit : — 18. Vous passerez aujourd'hui les confins de Moab, et la ville d'Ar. — 19. Et lorsque vous approcherez des frontières des enfants d'Ammon, prenez bien garde de ne les point combattre, et de ne leur point faire la guerre ; car je ne vous donnerai rien du pays des enfants de Loth, afin qu'ils le possèdent. — 20. Ce pays a été considéré autrefois comme le pays des géants, parce que les géants y ont habité ; ceux que les Ammonites, appellent Zomzommin ; — 21. c'était un peuple grand et nombreux, et d'une taille fort haute, comme les Enacins. Le Seigneur les a exterminés par les Ammonites, qu'il a fait habiter en leur pays au lieu d'eux, — 22. comme il avait fait à l'égard des enfants d'Esaü qui habitent en Seïr, ayant exterminé les Horréens, et donné leur pays à ces enfants d'Esaü, qui le possèdent encore aujourd'hui. — 23. Les Hévéens de même, qui habitaient à Hasérim, jusqu'à Gaza, en furent chassés par les Cappadociens, *ou les Caphtorims*, qui étant sortis de la Cappadoce, *ou de l'île de Chypre,* les exterminèrent et s'établirent au lieu d'eux en ce pays-là. *Or, c'est moi qui ai fait ces divers changements, moi qui dispose de tous les royaumes comme il me plaît.* — 24. Levez-vous *donc, vous dit alors le Seigneur,* et passez le torrent d'Arnon; car je vous ai livré Séhon, Amorrhéen, roi d'Hésébon : commencez à entrer en possession de son pays, et combattez contre lui. —25. Je commencerai aujourd'hui à jeter la terreur et l'effroi de vos armes dans tous les peuples qui habitent sous le ciel; afin qu'au seul bruit de votre nom, ils tremblent, et qu'ils soient pénétrés de frayeur et de douleur, comme les femmes qui sont dans le travail de l'enfantement. *Mais avant de déclarer la guerre à Séhon, offrez-lui la paix, et priez-le de vous laisser passer sur ses terres.* — 26. J'envoyai donc, du désert de Cademoth, des ambassadeurs vers Séhon, roi d'Hésebon, pour lui porter des paroles de paix, en lui disant : — 27. Nous ne demandons qu'à passer par vos terres : nous marcherons par le grand chemin : nous ne nous détournerons ni à droite ni à gauche. — 28. Vendez-nous tout ce qui nous sera nécessaire pour manger ; donnez-nous aussi de l'eau pour de l'argent, afin que nous puissions boire : permettez-nous seulement de passer par votre pays, — 29. comme ont bien voulu nous le permettre les enfants d'Esaü qui habitent en Séïr, et les Moabites qui demeurent à Ar ; jusqu'à ce que nous soyons arrivés au bord du Jourdain, et que nous passions dans la terre que le Seigneur notre Dieu nous doit donner. — 30. Mais Séhon, roi d'Hésebon, ne voulut point nous accorder le passage, parce que le Seigneur votre Dieu lui avait affermi l'esprit et endurci le cœur : afin qu'il fût livré entre vos mains, comme vous voyez maintenant *qu'il l'a été.* — 31. Alors le Seigneur me dit : J'ai déjà commencé à vous livrer Séhon avec son pays, *en vous y faisant entrer;* commencez *aussi* à vous mettre en possession de cette terre. — 32. *Nous nous avançâmes donc;* et Séhon marcha au-devant de nous avec tout son peuple, pour nous donner bataille à Jasa. — 33. Mais le Seigneur

notre Dieu nous le livra, et nous le défîmes avec ses enfants et tout son peuple.—34. Nous prîmes en même temps toutes ses villes; nous en tuâmes tous les habitants, hommes, femmes et petits enfants, et nous n'y laissâmes rien du tout *en vie*.—35. Excepté les bestiaux qui furent abandonnés au pillage, et les dépouilles des villes que nous prîmes, — 36. depuis Aroër, qui est sur le bord du torrent d'Arnon, ville située dans la vallée, jusqu'à Galaad. Il n'y eut ni village ni ville qui pût échapper de nos mains, mais le Seigneur notre Dieu nous les livra toutes, — 37. hors le pays des enfants d'Ammon, dont nous n'avons point approché, et tout ce qui est aux environs du torrent de Jéboc, et les villes situées sur les montagnes, avec tous les lieux où le Seigneur notre Dieu nous a défendu d'aller.

Vers. 1. — Circuivimus montem Seir, puta Idumæam; Idumæorum enim parens fuit Esaü, qui dictus est Edom, quia rufus, et Seir, quia pilosus. Vide hos Hebræorum gyros per desertum, et circa Idumæam, in tabulis Adrichomii ad vivum descriptos. Porrò Idumæa dicitur *mons*, quia alta est et montosa. Unde Abdias, v. 3 et 9, ait, Idumæos morari in scissuris petrarum, et montibus, additque : *Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus*. Ita S. Hier. de Locis hebr.

Vers. 3. — Ite contra aquilonem, ite contra terram promissam, quæ est ad aquilonem Idumææ, quam circumiistis jam longo tempore versùs meridiem et orientem; sed vestrî misertus volo, ut quantociùs ineatis iter vestrum per extrema Idumææ, ut rectà contendatis in Chanaan, videlicet inter Moabitas et Ammonitas incedendo, per regna Og et Sehon.

Vers. 4. — Transibitis per terminos fratrum vestrorum, filiorum Esau. Licet enim Num. 20, 21, Idumæi initio negârint transitum Hebræis, hinc tâmen, et ex v. 6 et 29 patet eos Hebræis tandem transitum, saltem per extrema regionis suæ concessisse. Ita Abulensis: licet aliter sentiat Lyran. cum Rabbi Salomone.

Vers. 5. — Ne moveamini contra eos; heb., *ne misceatis bellum*, scilicet cum eis.

Vers. 6. — Cibos emetis ab eis pecunia, et comedetis. Hinc patet Hebræos carni et ventri addictos, in deserto non tantùm comedisse manna, sed et alios cibos, quos vel emebant ab Idumæis, aliisque vicinis gentibus, vel venabantur, vel ex pecoribus suis accipiebant. Idem patet Josue 1, v. 11; ita Andreas Masius ibi, Perer. in Exodi 13 disp. 7, Lorinus in 16 Sapientiæ, Abulensis in Exodi 16, quæst. 12.

Vers. 10. — Enim primi fuerunt habitatores ejus, scilicet Moabitidis. Nota. Erant olim diversa genera, vel progenies gigantum, ut patet Gen. 14, 5. Alii enim dicebantur *Emim*, id est terribiles, videlicet aspectu, ob immanem proceritatem et vastitatem corporis : *ema* enim hebr. est terror. Ita Chald. et S. Hieron. in Quæst. in Gen. cap. 14. Rursùm Oleaster *Emim* ab *amma*, id est, cubitus, deducit, quasi dicas : Viri cubitorum, scilicet multorum. Secundi erant *Raphaim*, qui tum alibi, tum hîc vers. 11 in Hebræo nominantur, ita dicti, vel à primo gigante, eorum parente, Rappha, cujus mentio est 1 Paral. 20, 6, vel quòd remissos facerent hominum animos, eosque immani suâ staturâ et mole percellerent et dissolverent : *rapha* enim significat remittere, dissolvere. R. Nehemannus, et ex eo Andr. Masius in Josue 12, v. 4, putant *Raphaim* esse cognomen Hevæorum; cùm enim *Chiuvim*, id est, Chevæi, sive Hevæi, dicti sint à serpentibus, quòd eorum instar, in terræ cavernis habitarent, hinc pariter dicti sunt Raphaim, quasi dicas : Inferi, eò quòd sub terrâ in specubus degerent; sic enim Isaias c. 26, 14 inferos vocat Raphaim. Tertii erant *Enachim*, scilicet filii et posteri Enac gigantis, de quo Josue 21, 11, et cap. 15, v. 13 et 14. Aliqui tamen putant Enac non esse nomen, sed cognomen, quasi dicas : Torquatus, eò quòd hi gigantes torquati incederent : *anac* enim torquem significat. Sic apud Romanos, T. Manlius à torque, quem in pugnâ apud Anienem Gallo detraxit, dictus est Torquatus.

Vers. 12. — In Seir autem prius habitaverunt Horrhæi, de quibus Gen. 14, 5, quos percussit Codorlahomor, vastans montana Seir. Andr. Masius in Josue 12, 4, censet *Churim*, id est, Chorræos, sive Horrhæos, fuisse Troglodytas, itàque dictos à cavernis, quos incolebant (*chur* enim foramen, antrum, cavernam significat), æquè ac Hevæi, quorum cognati fuerunt Horrhæi, quos deinde expulerunt Idumæi, ut hîc dicitur, perinde ac Amorrhæos expulerunt Hebræi, hoc enim est quod sequitur : Sicut fecit Israel in terra possessionis suæ, puta in terrâ duorum regum, Og et Sehon : necdùm enim cæteram terram promissam ingressi erant Israelitæ.

Vers. 15. — Cujus (Domini) manus fuit adversum eos, q. d. : Domini virtus, potestas et vindicta, quæ manu apud homines exerceri solet, fuit exserta contra murmuratores, ut interirent, vel, ut hebr. est, ad perdendum, vel conterendum eos in deserto.

Vers. 19. — Quia filiis Loth dedi eam. Filii Loth fuerunt Ammon et Moab; unde ob merita Loth voluit Deus posteris ejus cedere Ammonitidem et Moabitidem, æquè ac posteris Esaü, ob merita Isaaci et Abrahæ, avorum, voluit cedere Idumæam, expulsis Horrhæis, noluitque Hebræos ea invadere, vel occupare.

Vers. 20. — In ipsa (Ammonitide) olim habitaverunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim. Hi sunt, qui Genes. 14, 5, vocantur *Zuzim*, id est, robusti, ut ibi vertunt Septuag.; inde enim hebr. *mezuze*, vocantur postes domorum, quia validi sunt et fortes. *Zomzommim* autem hebr. sonat, primò, flagitiosos et sceleratos; *zimma* enim est scelus, facinus. Secundò, inusitatæ et excogitatæ magnitudinis. Tertiò, famosos, celebres, qui sunt in ore et reputatione hominum : unde Chald. vertit *chusbane*, id est, spectatos, celebres; radix enim *zamam*, significat cogitare, reputare, machinari et moliri. Hinc videtur, quòd Ammonitæ et Moabitæ, æquè ac Hebræi, usi sint linguâ hebræâ : *Zuzim* enim, *Zomzommim*, *Emim*, v. 11, sunt nomina Ammonitica et Moabitica, æquè ac hebræa. Loth enim eorum parens, versatus fuit in familiâ Abrahæ hebræi, patrui sui, descenditque ab Heber, in cujus familiâ mansit lingua hebræa, in divisione gentium et linguarum in Babel. Omnes enim hæ gentes, adeòque omnes Chananæi, usi sunt linguâ chananæâ, quam affinem esse linguæ hebrææ, docet S. Hieron. in Isaiæ c. 19. Unde et exploratores missi à Josue in Jericho, locuti sunt cum Rahab Chanaanitide, utique ejus linguam chananæam intelligentes, et ab eâ intellecti. Vide Serarium in c. 2 Josue q. 25.

Vers. 21. — Et fecit (Dominus) illos (Ammonitas) habitare pro eis (pro Zomzommim).

Vers. 23. — Hevæos quoque, etc., Cappadoces expulerunt, q. d. : Sicut Hevæi expulsi sunt à Cappadocibus, Horrhæi ab Idumæis, Raphaim ab Ammonitis, ita et incolæ Palæstinæ, et inprimis Sehon cum suis, à vobis, ô Hebræi, expellentur. An hi Cappadoces fuerint Græci, an Palæstini, dicam Jerem. 47, v. 4.

Vers. 25. — Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cœlo, ad quos videlicet fama rerum, à me pro te gestarum, perveniet, ut sequitur. Commodè ergo τὸ *omni* accipiendum est. Ita Oleaster. R. Salomon docet, vel potiùs fingit, terrorem Mosis fuisse sub omni cœlo, quia in victoriâ de Sehon et Og stetit sol, sicut stetit, quando pugnavit Josue contra multos reges in Gabaon, Josue 10, 12. Nil enim tale de Mose dicit Scriptura.

Vers. 28 et 29. — Tantum est (tantùm requirimus) ut nobis concedas transitum, sicut fecerunt filii Esau (per extrema ditionis suæ, ut dixi v. 4) et Moabitæ, qui morantur in Ar. Priùs ergo Moabitæ transitum aliquem, in limitibus Ar dederunt Hebræis; sed paulò post, videntes cædi ab eis Sehon regem, cœperunt sibi timere, maximè cùm secundò ad eos alio flexu accederent Hebræi : unde vocârunt Balaam, qui malediceret Hebræis, Num. 22, 5; ita Abulens. Censet Andr. Masius in Josue 12, 3, Ar esse Arcopolim.

Vers. 30. — Quia induraverat Dominus Deus tuus spiritum ejus, subducendo ei gratiam mollientem, et ex aliâ parte formidinem ac metum Hebræorum ei injiciendo; regi enim gentili jure timendum erat, ne Hebræi specie transitûs dolosè occuparent ejus regnum; itàque ei petitionem Hebræorum de transitu proponendo, quem ipsum omninò negaturum præsciebat; unde consecutum est, ut Hebræi eumdem vi et bello tentarent, in quo Sehon succumberet, et traderetur in manus eorum. Vide de obduratione dicta Exodi c. 7, v. 3.

Vers. 33. — Percussimusque eum cum filiis suis, et omni populo suo. Tradit Josephus, ex se, ut videtur, more suo rem exornans, quòd in bello hoc multi ex Amorrhæis siti sint mortui, alii ruentes ad fluvium Arnon, jaculis confixi sint, alii ad mœnia fugientes, à fundibulariis præventi, usque ad internecionem deleti sint.

Ex dictis hucusque patet, quòd Moses licet exclusus sit terrâ sanctâ, æquè ac Aaron, multa tamen præ eo habuerit privilegia et gaudia. Primum, quòd in partem terræ sanctæ, quæ est ultra Jordanem, scilicet in Galaaditidem, ingressus sit : Aaron verò jam ante mortuus fuerit in monte Hor. Secundum, quòd debellârit Og et Sehon, eorumque regna occupârit, et suis diviserit. Tertium, quòd exceperit benedictionem Balaam. Quartum, quòd Madianitas deleverit. Quintum, quòd è propinquo totam terram promissam speculatus sit, Ita Abulensis.

Vers. 34. — Interfectis habitatoribus earum, viris ac mulieribus, et parvulis, quia Deus jusserat, omnes gentes, quarum urbes possessuri erant Hebræi, totaliter deleri, ut patet c. 20, 16.

Vers. 37. — Quæ adjacent torrenti Jeboc, ubi Jacob luctatus est cum angelo; Genes. 32, v. 22, pertinetque ad Ammonitas.

CAPUT III.

1. Itaque conversi ascendimus per iter Basan; egressusque est Og, rex Basan, in occursum nobis cum populo suo ad bellandum in Edraï. — 2. Dixitque Dominus ad me: Ne timeas eum, quia in manu tuâ traditus est cum omni populo ac terrâ suâ: faciesque ei sicut fecisti Sehon, regi Amorrhæorum, qui habitavit in Hesebon. — 3. Tradidit ergo Dominus Deus noster in manibus nostris etiam Og, regem Basan, et universum populum ejus; percussimusque eos usque ad internecionem, — 4. vastantes cunctas civitates illius uno tempore; non fuit oppidum, quod nos effugeret: sexaginta urbes, omnem regionem Argob regni Og in Basan. — 5. Cunctæ urbes erant munitæ muris altissimis, portisque et vectibus, absque oppidis innumeris, quæ non habebant muros. — 6. Et delevimus eos, sicut feceramus Sehon regem Hesebon, disperdentes omnem civitatem, virosque, ac mulieres, et parvulos; — 7. jumenta autem et spolia urbium diripuimus. — 8. Tulimusque illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem, à torrente Arnon usque ad montem Hermon, — 9. quem Sidonii Sarion vocant, et Amorrhæi Sanir: — 10. omnes civitates, quæ sitæ sunt in planitie, et universam terram Galaad et Basan, usque ad Selcha et Edraï, civitates regni Og in Basan. — 11. Solus quippe Og, rex Basan, restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus ejus ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, et quatuor latitudinis, ad mensuram cubiti virilis manûs. — 12. Terramque possedimus tempore illo ab Aroer, quæ est super ripam torrentis Arnon, usque ad mediam partem montis Galaad: et civitates illius dedi Ruben et Gad. — 13. Reliquam autem partem Galaad, et omnem Basan regni Og, tradidi mediæ tribui Manasse, omnem regionem Argob: cunctaque Basan vocatur terra gigantum. — 14. Jaïr, filius Manasse, possedit omnem regionem Argob usque ad terminos Gessuri, et Machati. Vocavitque ex nomine suo Basan, Havoth Jaïr, id est, Villas Jaïr, usque in præsentem diem.—15. Machir quoque dedi Galaad.— 16. Et tribubus Ruben et Gad dedi de terrâ Galaad usque ad torrentem Arnon medium torrentis, et confinium usque ad torrentem Jeboc, qui est terminus filiorum Ammon: — 17. et planitiem solitudinis, atque Jordanem, et terminos Cenereth usque ad mare deserti, quod est salsissimum, ad radices montis Phasga contra orientem. — 18. Præcepique vobis in tempore illo, dicens: Dominus Deus vester dat vobis terram hanc in hæreditatem; expediti præcedite fratres vestros filios Israel, omnes viri robusti: — 19. absque uxoribus, et parvulis, atque jumentis. Novi enim quòd plura habeatis pecora, et in urbibus remanere debebunt quas tradidi vobis, — 20. donec requiem tribuat Dominus fratribus vestris, sicut vobis tribuit: et possideant ipsi etiam terram quam daturus est eis trans Jordanem: tunc revertetur unusquisque in possessionem suam, quam dedi vobis. — 21. Josue quoque in tempore illo præcepit, dicens: Oculi tui viderunt quæ fecit Dominus Deus vester duobus his regibus; sic faciet omnibus regnis, ad quæ transiturus es. — 22. Ne timeas eos: Dominus enim Deus vester pugnabit pro vobis. — 23. Precatusque sum Dominum in tempore illo, dicens: — 24. Domine Deus, tu cœpisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam, manumque fortissimam; neque enim est alius Deus, vel in cœlo, vel in terrâ, qui possit facere opera tua, et comparari fortitudini tuæ. — 25. Transibo igitur, et videbo terram hanc optimam trans Jordanem, et montem istum egregium, et Libanum. — 26. Iratusque est Dominus mihi propter vos, nec exaudivit me, sed dixit mihi: Sufficit tibi; nequaquàm ultra loquaris de hàc re ad me. — 27. Ascende cacumen Phasgæ, et oculos tuos circumfer ad occidentem, et ad aquilonem, austrumque, et orientem, et aspice; nec enim transibis Jordanem istum. — 28. Præcipe Josue, et corrobora eum atque conforta: quia ipse præcedet populum istum, et dividet eis terram quam visurus es. — 29. Mansimusque in valle contra fanum Phogor.

---

1. Ayant donc pris un autre chemin, nous allâmes vers Basan, et Og, roi de Basan, marcha au-devant avec *tout* son peuple pour nous donner bataille à Edraï: — 2. Alors le Seigneur me dit: Ne craignez point *ce prince qui vient vous attaquer*, parce qu'il vous a été livré avec tout son peuple et son pays; et vous le

traiterez comme vous avez traité Séhon, roi des Amorrhéens, qui habitait à Hésébon. — 3. Le Seigneur notre Dieu nous livra donc aussi Og, roi de Basan, et tout son peuple; nous les tuâmes tous, sans en épargner aucun, — 4. et nous ravageâmes toutes leurs villes en un même temps. Il n'y eut point de ville qui pût nous échapper : nous en prîmes soixante ; tout le pays d'Argob, qui était le royaume d'Og en Basan, *très-beau et très-fertile*. — 5. Toutes les villes *de ce royaume* étaient fortifiées de murailles très-hautes, avec des portes et des barres, outre un très-grand nombre de bourgs qui n'avaient point de murailles. — 6. Nous exterminâmes ces peuples, comme nous avions fait à Séhon, roi d'Hésébon, en ruinant toutes leurs villes; en tuant les hommes, les femmes et les petits enfants ; — 7. et nous prîmes leurs troupeaux, avec les dépouilles de leurs villes. — 8. Nous nous rendîmes donc maîtres en ce temps là du pays des deux rois des Amorrhéens, qui étaient au-delà du Jourdain, depuis le torrent d'Arnon, *qui est au midi*, jusqu'à la montagne d'Hermon, *qui est au nord*. — 9. *C'est cette montagne* que les Sidoniens appellent Sarion, et les Amorrhéens Sanir. — 10. *Et nous prîmes* toutes les villes qui sont situées dans la plaine, et tout le pays de Galaad et de Basan jusqu'à Selcha et Edraï, qui sont des villes du royaume d'Og, *qui est le dernier des géants qui ont régné* en Basan. — 11. Car Og, roi de Basan, était resté seul de la race des géants *de ce pays*. On montre encore son lit de fer dans Rabbath qui est une ville des enfants d'Ammon *que Og avait conquise*. Ce lit a neuf coudées de long et quatre de large, selon la mesure d'une coudée ordinaire. — 12. Nous entrâmes donc alors en possession de ce pays là, depuis Aroër, qui est sur le bord du torrent d'Arnon, jusqu'au milieu de la montagne de Galaad ; et j'en donnai les villes aux tribus de Ruben et de Gad, *qui me les avaient demandées*. — 13. Je donnai l'autre moitié de Galaad et tout le pays de Basan, qui était le royaume d'Og, et le pays d'Argob, à la moitié de la tribu de Manassé. Tout ce pays de Basan est appelé la terre des géants, *parce qu'ils l'ont autrefois occupé*. — 14. Jaïr, *arrière-petit*-fils de Manassé, *par son aïeule, qui était fille de Machir*, est entré en possession de tout le pays d'Argob, jusqu'aux confins de Gessuri et de Machati, *villes situées au-dessous des montagnes d'Hermon;* et il a appelé de son nom les bourgs de Basan, Havot-Jaïr, comme ils se nomment encore aujourd'hui. — 15. Je donnai aussi *une partie de* Galaad *à la famille de* Machir, *fils de Manassé*. — 16. Mais je donnai aux tribus de Ruben et de Gad la *plus grande* partie de ce même pays de Galaad; *savoir : à la tribu de Ruben, ce* qui s'étend *depuis le torrent de Jazer* jusqu'au torrent d'Arnon, jusqu'au milieu de ce torrent, *qui sépare la tribu de Ruben d'avec les Moabites;* et *quant à la tribu de Gad*, ses confins *sont depuis le torrent de Jazer, en remontant vers le nord*, jusqu'au torrent de Jeboc, qui est la frontière des enfants d'Ammon. — 17. *Je leur donnai* avec *cela* la plaine du désert, *appelée autrefois la plaine de Moab; parce qu'elle appartenait aux Moabites avant que les Amorrhéens l'eussent conquise ; et je leur donnai encore tout le pays qui est le long du* Jourdain, et *qui s'étend* depuis *le lac de* Céneréth, *ou de Génézareth*, jusqu'à la mer du désert, appelée la mer Salée, *ou la mer Morte*, jusqu'au pied de la montagne de Phasga, qui est vers l'orient. — 18. Je donnai en ce même temps cet ordre *aux trois tribus qui venaient de recevoir leur partage au-deçà du Jourdain*, et je leur dis : Le Seigneur votre Dieu vous donne ce pays pour *le posséder comme* votre héritage, *lorsque vos frères seront en possession de celui qu'il leur a destiné*. Marchez donc en armes devant les enfants d'Israël qui sont vos frères, vous tous qui êtes des hommes robustes et courageux, — 19. en laissant chez vous vos femmes, vos petits enfants et vos troupeaux. Car je sais que vous avez un grand nombre de bestiaux, et qu'ils doivent demeurer dans les villes que je vous ai données, — 20. jusqu'à ce que le Seigneur mette vos frères dans le repos où il vous a mis, et qu'ils possèdent aussi eux-mêmes la terre qu'il leur doit donner au-delà du Jourdain ; alors chacun de vous reviendra pour jouir des terres que je vous ai données. — 21. Je donnai aussi alors cet avis à Josué : Vos yeux ont vu de quelle manière le Seigneur votre Dieu a traité ces deux rois : il traitera de même tous les royaumes dans lesquels vous devez entrer, *malgré tous les efforts qu'ils feront pour vous empêcher*. — 22. Ne les craignez *donc* point ; car le Seigneur votre Dieu combattra pour vous, *puisque c'est vous qu'il a choisi pour introduire son peuple dans la terre qu'il lui a promise, comme il me l'a déclaré avant la défaite des Madianites*. — 23. *Car* en ce même temps je fis cette prière au Seigneur, et je lui dis : — 24. Seigneur *mon* Dieu, vous avez commencé à signaler vo-

tre grandeur et votre main toute-puissante devant votre serviteur, *qui reconnaît que vous seul êtes Dieu;* car il n'y a point d'autre Dieu, soit dans le ciel, soit dans la terre, qui puisse faire les œuvres que vous faites, ni dont la force puisse être comparée à la vôtre. — 25. Permettez donc que je passe au-delà du Jourdain, et que je voie cette terre si fertile, cette excellente montagne *où vous voulez établir votre demeure au milieu d'Israël,* et le Liban, *où vous faites régner un printemps continuel, et où vous faites naître des fruits si excellents.*—26. Mais le Seigneur étant en colère contre moi, *parce que j'avais hésité dans ma foi,* à cause de *l'incrédulité où je vous voyais sans cesse tomber,* ne m'exauça point, et il me dit : C'est assez; ne me parlez plus de cela : *je ne vous accorderai point ce que vous me demandez.* — 27. *Mais* montez sur le haut de la montagne de Phasga, et portez vos yeux de tous côtés, et regardez vers l'occident, vers le septentrion, vers le midi et vers l'orient; *considérez de loin cette terre où vous n'entrerez point;* car vous ne passerez point ce fleuve du Jourdain, *mais vous mourrez de ce côté-ci.* — 28. Donnez *donc* mes ordres à Josué, *continua le Seigneur;* affermissez-le et fortifiez-le, parce que c'est lui qui marchera devant ce peuple, et qui lui partagera la terre que vous verrez. — 29. Nous demeurâmes donc en cette vallée, vis-à-vis du temple de Phogor, *idole des Moabites, à laquelle plusieurs d'entre vous s'étaient consacrés.*

Vers. 8 et 9. — Tulimusque terram, etc., a torrente Arnon usque ad montem Hermon, quem Sidonii Sarion vocant, et Amorrhæi Sanir. Mons ergo Hermon vocatur *Sarion* et *Sanir,* vocatur et *Sion,* vel *Seon,* ut patet c. 4, 48. R. Salomon putat *Sanir,* vel *Senir,* esse nomen germanicum, æquè ac chananæum, significans nivem, quâ coopertus est semper mons Hermon. Idem censet R. Nehemannus, et ex eo Masius Josue 12, 5; quin et Chaldæus *Sanir* interpretatur nivosum. Addit Masius, hunc montem esse contiguum Libano; ejusque quasi partem spectantem ad orientem, quæ ob nivem rigida est, vasta et inculta, indeque dictam esse Hermon, vel Chermon. *Cherem* enim, vel *herem* significat rem perditam, corruptam, succisam, vastatam, quæ nulli est usui vel fructui.

Vers. 11. — Solus quippe Og, rex Basan, restiterat de stirpe gigantum, intellige in regione illâ : nam alibi adhuc extitisse gigantes, patet Num. 13, 34, Josue 15, 14, et 1 Paral. 20, 6 : ibi ergo ex gigantibus remanserat sola stirps Og; nam alii percussi et deleti sunt à Codorlahomor, Genes. 14, 5. Fabulantur Judæi Og fuisse reliquum ex diluvio, et ex gigantibus, qui ante diluvium fuerunt, Gen. 6, 4, itàque Og octingentos et plures vixisset annos, quâ de re dixi Genes. 7, in fine.

Monstratur lectus ejus ferreus in Rabbath (hæc postea dicta est Philadelphia, teste S. Hier. in Locis hebr.), novem cubitos habens longitudinis, et quatuor latitudinis. Thalmudici tradunt hunc lectum fuisse cunas Og, cùm esset parvulus; nam cùm crevit in virum, aiunt solum pedem ejus fuisse 120 cubitorum, non communium, sed giganteorum, qualis erat Og; ac consequenter tam ipse, quàm lectus ejus, facilè leucam integram occupâssent, inquit Abulensis, de quâ fabellâ plura dixi Num. 21, 35.

Physicè, vasta ita corpora sæpè parùm habent mentis. Vulgò dicitur illud Sophoclis : ἄνους ὁ μακρός, *amens longus;* dictitant enim prælongis mentem deesse, pusillis adesse animum: parvi enim sunt animosi. De valdè procero dicitur : *Longurio est, et caliga Maximini,* id est, prælongus est et insulsus. Hinc et Vegetius l. 1, c. 5 : *In bello,* inquit, *non tam staturæ militis rationem habere convenit, quàm virium.* Celebratur illud Athenæi : *Nullus malus magnus piscis;* diciturque de iis qui prægrandi sunt corpore, cæterùm ingenio nullo : Virtus animæ unita fortior est in parvo, quàm divisa in magno.

Symbolicè, Abulens. hîc quæst. 3 : « Og, ait, « hebr. idem est, quod coacervans, et signat « peccatorem, qui peccata peccatis superaddit, « donec veniat in profundum malorum. Pec- « catum enim, cui per pœnitentiam remedium « non adhibetur, mox sibi nequiores socios ag- « gregat, ut fiat habitatio omnis spiritûs im- « mundi, maximè luxuriæ, in quo cùm quis « novem cubitos longitudinis, et quatuor la- « titudinis habuerit, tanquàm in lecto re- « quiescit immobilis. Primus ergo cubitus, vel « gradus est, in cibis exquisitis. Secundus, in « dulcibus et continuis poculis : quia venter « mero æstuans despumat in libidinem, ut ait « S. Hier. Tertius est, in spectaculis. Nam, ut « ait Poeta :

Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsæ.
Iste locus casti damna pudoris habet.

« Et Jerem. c. 9 : *Intravit mors per fenestras* « *nostras;* et : *Oculus meus deprædatus est ani-* « *mam meam.* Quartus est, in cantilenis lasci-

« vis. Quintus est, in aromatibus, quæ vene-
« rem provocant. Sextus est, in donis et munu-
« sculis. Septimus, in mollibus lectis. Octavus,
« in temporali sociorum lætitiâ. Nonus, in
« turpi usu feminarum. Habet quoque ipse
« impudicorum lectus quatuor latitudinis cu-
« bitos. Primus est, turpis cogitatio. Secundus,
« perficiendi consensus. Tertius, consequens
« operatio. Quartus, diuturna assuefactio, quæ
« tandem facit hunc lectum ferreum, ut à
« nullâ bonâ monitione, vel inspiratione supe-
« rari possit. » Hucusque Abulensis.

Cubiti virilis manus. Hebr. secundùm cubitum viri.

Vers. 14. — Jair, filius Manasse, possedit omnem regionem Argob. *Filius,* id est, nepos. Vide Num. 31, 41. Hebræi enim omnes posteros vocant filios. Sic Judæi vocantur *filii Israel.* Sic Elizabeth vocatur *filia Aaronis*, Lucæ 1, 5, Asa et Ezechias vocantur *filii Davidis*, 3 Reg. 15, 11, et 4 Reg. 18, 3.

Usque in præsentem diem. Abulensis vult hæc verba addita esse, non à Mose, sed ab Esdrâ, qui Dei instinctu libros legis, à Chaldæis combustos restauravit, et de novo conscripsit, æquè ac illud v. 1 : *Monstratur lectus ejus,* etc., eò quòd paulò ante mortem Mosis hæc contigerint. Verùm non est necesse hoc dicere ; nam tres et plures menses ab hisce gestis, usque ad mortem Mosis fluxerunt. Adde, si hæc addita sunt ab aliquo quopiam, non ab Esdrâ, sed ab eo qui diaria hæc Mosis paulò post digessit, esse addita. Denique, non est verisimile, Esdram Pentateuchum, totaque Biblia ex memoriâ vel Dei instinctu restaurâsse: nec enim Chaldæi exemplaria omnia, quæ per totam Judæam, aliasque gentes sparsa erant, comburere potuerunt. De quâ re alibi fusiùs dicetur.

Vers 15. — Machir (id est, posteris Machir) quoque dedi Galaad, id est, partem Galaad. Nam Rubenitæ etiam et Gadditæ ejus partem habebant, ut sequitur.

Vers. 17.—Terminos Cenereth ; *Cenereth* est Genezareth, sive mare Galilææ, vel Tiberiadis, uti dixi Num. 34, 12.

Usque ad mare deserti, usque ad mare Mortuum, sive lacum Asphaltitem, Num. 34, v. 3 et 12.

Vers. 18. — Præcedite fratres vestros, armati in Chanaan.

Vers. 20. — Donec requiem tribuat Dominus fratribus vestris, donec scilicet debelletis Chananæos, trans Jordanem habitantes, quod factum est per septem annos, post mortem Mosis, sub Josue ; deinde ab eodem, per alios septem annos, inter tribus divisa est terra, ab eisque pacificè possessa : ergo post quatuordecim annos Rubenitæ et Gadditæ redierunt ad sua, scilicet ex Chanaan in Galaad. Ita Abulensis.

Vers. 24. — Domine Deus, tu cœpisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam. Notat Abulensis, si quis ab avaro aliquid petat, ut ei persuadeat, dicat, hoc et plura sibi deberi ; sin autem à liberali et magnifico (qualis est Deus) petat, ut ei persuadeat, non debita, sed beneficia ejus alleget. Magnanimus enim libenter audit, se dedisse, et non accepisse beneficium.

Vers. 25. — Transibo igitur, et videbo terram hanc optimam, trans Jordanem, quasi dicat: Transeam, quæso, et videam terram, pro quâ quadraginta annis laboravi : sunt enim verba orantis. Patet ex Hebræo. Sic Hebræi sæpè sumunt futurum pro optativo, quo carent.

Et montem istum egregium. *Montem,* scilicet Moria, in quo Abraham obtulit Isaac, et in quo ædificanda est Sion, et templum, qui proinde appellatus est mons divinæ visionis, ideòque *egregius,* et hebr. *bonus*, per excellentiam vocatur. Ita Cajet. Chald. vertit : *Videam montem istum bonum, et domum sanctuarii.*

Vers. 29. — Mansimusque in valle contra fanum Phogor. Heb., *contra domum,* id est, templum, Phogor.

CAPUT IV.

1. Et nunc, Israel, audi præcepta et judicia, quæ ego doceo te : ut faciens ea, vivas, et ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis.—2. Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: custodite mandata Domini Dei vestri quæ ego præcipio vobis. — 3. Oculi vestri viderunt omnia quæ fecit Dominus contra Beelphegor, quo modo contriverit omnes cultores ejus de medio vestrî. — 4. Vos autem qui adhæretis Domino Deo vestro, vivitis universi usque in præsentem diem. — 5. Scitis quòd docuerim vos præcepta atque justitias, sicut mandavit mihi Dominus Deus meus : sic facietis ea in terrâ, quam possessuri estis. — 6. Et observabitis et implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes, universa præcepta hæc, dicant : En populus sapiens et intelligens, gens magna. — 7. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut

Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. — 8. Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justaque judicia, et universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros? — 9. Custodi igitur temetipsum, et animam tuam sollicitè, ne obliviscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios ac nepotes tuos, — 10. à die in quo stetistis coram Domino Deo tuo in Horeb, quando Dominus locutus est mihi, dicens: Congrega ad me populum, ut audiant sermones meos, et discant timere me omni tempore quo vivunt in terrâ, doceantque filios suos. — 11. Et accessistis ad radices montis, qui ardebat usque ad cœlum; erantque in eo tenebræ, et nubes, et caligo. — 12. Locutusque est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum ejus audistis, et formam penitùs non vidistis. — 13. Et ostendit vobis pactum suum, quod præcepit ut faceretis, et decem verba, quæ scripsit in duabus tabulis lapideis.—14. Mihique mandavit in illo tempore ut docerem vos cæremonias et judicia, quæ facere deberetis in terrâ, quam possessuri estis. — 15. Custodite igitur sollicitè animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem, in die quâ locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis: — 16. ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ, —17. similitudinem omnium jumentorum quæ sunt super terram, vel avium sub cœlo volantium, — 18. atque reptilium quæ moventur in terrâ, sive piscium qui sub terrâ morantur in aquis: — 19. ne fortè elevatis oculis ad cœlum, videas solem et lunam, et omnia astra cœli, et errore deceptus, adores ea, et colas quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt.—20. Vos autem tulit Dominus, et eduxit de fornace ferreâ Ægypti, ut haberet populum hæreditarium, sicut est in præsenti die. — 21. Iratusque est Dominus contra me propter sermones vestros, et juravit ut non transirem Jordanem, nec ingrederer terram optimam, quam daturus est vobis. — 22. Ecce morior in hâc humo, non transibo Jordanem: vos transibitis, et possidebitis terram egregiam. — 23. Cave ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum: et facias tibi sculptam similitudinem eorum, quæ fieri Dominus prohibuit; — 24. Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator. — 25. Si genueritis filios ac nepotes, et morati fueritis in terrâ, deceptique feceritis vobis aliquam similitudinem, perpetrantes malum coram Domino Deo vestro, ut eum ad iracundiam provocetis, — 26. testes invoco hodie cœlum et terram, citò perituros vos esse de terrâ, quam transito Jordane possessuri estis; non habitabitis in eâ longo tempore, sed delebit vos Dominus,—27. atque disperget in omnes gentes, et remanebitis pauci in nationibus, ad quas vos ducturus est Dominus. — 28. Ibique servietis diis, qui hominum manu fabricati sunt, ligno et lapidi qui non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur. — 29. Cùmque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, et totâ tribulatione animæ tuæ. — 30. Postquàm te invenerint omnia quæ prædicta sunt, novissimo tempore reverteris ad Dominum Deum tuum, et audies vocem ejus; — 31. quia Deus misericors, Dominus Deus tuus est: non dimittet te, nec omninò delebit, neque obliviscetur pacti, in quo juravit patribus tuis. — 32. Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te ex die quo creavit Deus hominem super terram, à summo cœlo usque ad summum ejus, si facta est aliquando hujuscemodi res, aut unquàm cognitum est, — 33. ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti et vixisti: — 34. si fecit Deus ut ingrederetur, et tolleret sibi gentem de medio nationum, per tentationes, signa, atque portenta, per pugnam, et robustam manum, extentumque brachium, et horribiles visiones, juxta omnia quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester in Ægypto, videntibus oculis tuis: — 35. ut scires quoniam Dominus ipse est Deus, et non est alius præter eum. — 36. De cœlo te fecit audire vocem suam, ut doceret te, et in terrâ ostendit tibi ignem suum maximum, et audisti verba illius de medio ignis, — 37. quia dilexit patres tuos, et elegit semen eorum post eos. Eduxitque te, præcedens in virtute suâ magnâ ex Ægypto, — 38. ut deleret nationes maximas et fortiores te in introitu tuo, et introduceret te, daretque tibi terram earum in possessionem, sicut cernis in præsenti die. — 39. Scito ergo hodiè, et cogitato in corde tuo, quòd Dominus ipse sit Deus in cœlo sursùm, et in terrâ deorsùm; et non sit alius. — 40. Custodi præcepta ejus atque mandata, quæ ego præcipio tibi, ut benè sit tibi, et filiis tuis post te, et permaneas multo tempore super terram quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.—41. Tunc separavit Moyses tres civitates trans Jordanem

ad orientalem plagam, — 42. ut confugiat ad eas qui occiderit nolens proximum suum, nec sibi fuerit inimicus ante unum et alterum diem, et ad harum aliquam urbium possit evadere : — 43. Bosor in solitudine, quæ sita est in terrâ campestri de tribu Ruben : et Ramoth in Galaad, quæ est in tribu Gad : et Golan in Basan, quæ est in tribu Manasse. — 44. Ista est lex, quam proposuit Moyses coram filiis Israel, — 45. et hæc testimonia, et cæremoniæ, atque judicia, quæ locutus est ad filios Israel, quando egressi sunt de Ægypto, — 46. trans Jordanem in valle contra fanum Phogor in terrâ Sehon regis Amorrhæi, qui habitavit in Hesebon, quem percussit Moyses. Filii quoque Israel egressi ex Ægypto, — 47. possederunt terram ejus, et terram Og, regis Basan, duorum regum Amorrhæorum qui erant trans Jordanem, ad solis ortum ; — 48. ab Aroer, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, usque ad montem Sion, qui est et Hermon, — 49. omnem planitiem trans Jordanem ad orientalem plagam, usque ad mare solitudinis, et usque ad radices montis Phasga.

---

1. Maintenant, ô Israël, écoutez les lois et les ordonnances que je vous enseigne *de la part du Seigneur,* afin que vous trouviez la vie en les observant ; et qu'étant entré dans la terre que le Seigneur, le Dieu de vos pères vous doit donner, vous la possédiez *pour toujours.*— 2. Vous n'ajouterez, ni n'ôterez rien aux paroles que je vous dis : gardez les commandements du Seigneur votre Dieu, que je vous annonce de sa part, *sans vous en détourner, et sans vous faire un culte à votre volonté.*—3. Vos yeux ont vu tout ce que le Seigneur a fait contre Béelphégor, et de quelle sorte il a exterminé tous les adorateurs de cette idole du milieu de vous. — 4. Mais vous qui vous êtes attachés au Seigneur votre Dieu, vous avez tous été conservés en vie jusqu'aujourd'hui : *ayez soin de répondre à ses grâces.* — 5. Vous savez que je vous ai enseigné les lois et les ordonnances, selon que le Seigneur mon Dieu me l'a commandé : vous les pratiquerez donc dans la terre que vous devez posséder. — 6. Vous les observerez et vous les accomplirez effectivement ; car c'est en cela que vous ferez paraître votre sagesse et votre intelligence devant les peuples : afin qu'entendant parler de toutes ces lois *et vous les voyant observer,* ils disent : Voilà un peuple vraiment sage et intelligent ; voilà une nation grande *et illustre.* — 7. Il n'y a point en effet d'autre nation, quelque puissante qu'elle soit, qui ait des dieux aussi proches d'elle, comme notre Dieu est *proche de nous, et* présent à toutes nos prières. — 8. Car où est un autre peuple si célèbre, qui ait, *comme celui-ci,* des cérémonies, des ordonnances pleines de justice, et tout une loi *semblable à cette* que j'exposerai aujourd'hui devant vos yeux ? —9. Conservez-vous donc vous-mêmes, *en pratiquant cette loi sainte ;* et gardez votre âme avec un grand soin. N'oubliez point les *grandes* choses que vos yeux ont vues, et qu'elles ne s'effacent point de votre cœur tous les jours de votre vie. Enseignez-les à vos enfants et à vos petits-enfants ; — 10. *instruisez-les de toutes les choses qui se sont passées* depuis le jour que vous vous présentâtes devant le Seigneur votre Dieu à Horeb, lorsque le Seigneur me parla et me dit : Faites assembler tout le peuple devant moi, afin qu'il entende mes paroles, et qu'il apprenne à me craindre tout le temps qu'il vivra sur la terre, et qu'il donne les mêmes instructions à ses enfants.— 11. Vous approchâtes alors du pied de cette montagne, dont la flamme montait jusqu'au ciel, et qui était environnée de ténèbres, de nuages et d'obscurité. —12. Le Seigneur vous parla du milieu de cette flamme. Vous entendîtes la voix qui proférait ses paroles ; mais vous ne vîtes aucune forme, *pour vous apprendre que Dieu est un pur esprit, et qu'il ne peut être représenté par aucune figure sensible.* — 13. Il vous fit connaître son alliance, qu'il vous ordonna d'observer, et les dix commandements qu'il écrivit sur les deux tables de pierre. — 14. Il m'ordonna en ce même temps de vous apprendre les cérémonies et les ordonnances que vous devez observer dans la terre que vous devez posséder.—15. Appliquez-vous donc avec grand soin à la garde de vos âmes, *afin qu'elles ne s'abandonnent pas à adorer les dieux matériels qui ne sont point comme votre Dieu : car* vous n'avez vu aucune figure *ni* ressemblance, au jour que le Seigneur vous parla à Horeb du milieu du feu : — 16. *souvenez-vous-en bien,* de peur qu'étant séduits *par l'exemple des autres peuples,* vous ne fassiez *comme eux,* quelqu'image de sculpture, quelque figure ou d'homme ou de femme, — 17. ou de quelqu'une des bêtes qui sont sur la terre, ou des oiseaux qui volent sous le ciel, — 18 ou des animaux qui rampent et se remuent sur la terre, ou des poissons qui sont sous la terre dans les eaux ; — 19. ou qu'élevant vos yeux,

et y voyant le soleil, la lune, et tous les astres, vous ne tombiez dans l'illusion et dans l'erreur, *en les prenant pour des dieux ;* et que vous ne rendiez *ainsi* un culte d'adoration à des créatures que le Seigneur votre Dieu a faites pour le service de toutes les nations qui sont sous le ciel, *au lieu de le rendre à ce souverain libérateur qui vous traite avec une bonté dont il n'use pas même à mon égard.* — 20. Car pour vous, le Seigneur vous a tirés et fait sortir de l'Egypte, comme d'une fournaise *ardente* où l'on fond le fer, pour avoir en vous un peuple dont il fît son héritage, comme on le voit aujourd'hui. — 21. Mais le Seigneur étant en colère contre moi, à cause de *la faute que m'ont fait faire* vos murmures, a juré que je ne passerais pas le Jourdain, et que je n'entrerais point dans cet excellent pays qu'il vous doit donner. — 22. Je vais donc mourir en ce lieu-ci, et je ne passerai point le Jourdain ; mais pour vous, vous le passerez et vous posséderez ce beau pays. — 23. Prenez *donc* garde de n'oublier jamais l'alliance que le Seigneur votre Dieu a faite avec vous, et de ne vous faire en sculpture l'image d'aucune des choses dont le Seigneur a défendu d'en faire ; — 24. parce que le Seigneur votre Dieu est un feu dévorant, et un Dieu jaloux, *qui punirait très-sévèrement cette infidélité.* — 25. Si après avoir eu des enfants et des petits-enfants, et avoir demeuré dans ce pays, vous vous laissez séduire jusqu'à vous former quelque figure *pour l'adorer,* en commettant *ainsi* devant le Seigneur votre Dieu un crime qui attire sur vous sa colère, — 26. j'atteste aujourd'hui le ciel et la terre que vous serez bientôt exterminés de ce pays que vous devez posséder après avoir passé le Jourdain. Vous n'y demeurerez pas long-temps ; mais le Seigneur vous détruira ; — 27. il vous dispersera dans tous les peuples, et vous ne resterez qu'en petit nombre parmi les nations où le Seigneur vous aura conduits.—28. Vous adorerez là des dieux qui ont été faits par la main des hommes, du bois et de la pierre ; *des dieux* qui ne voient point, qui n'entendent point, qui ne mangent point, et qui ne sentent point. — 29. Que si, *au contraire,* dans ces lieux-là même vous cherchez le Seigneur votre Dieu, vous le trouverez, pourvu toutefois que vous le cherchiez de tout votre cœur et dans toute l'amertume et l'affliction de votre âme. — 30. *Et il fera qu'*après que vous vous serez trouvés accablés de tous ces maux qui vous avaient été prédits, vous reviendrez enfin au Seigneur votre Dieu, et vous écouterez sa voix, — 31. parceque le Seigneur votre Dieu est un Dieu plein de miséricorde : il ne vous abandonnera point *pour toujours,* et ne vous exterminera point entièrement, et n'oubliera pas l'alliance qu'il a jurée, et qu'il a faite avec vos pères, *par une faveur très-distinguée.* — 32. *En effet,* interrogez les siècles les plus reculés qui ont été avant vous, et *considérez* d'une extrémité du ciel jusqu'à l'autre, depuis le jour où le Seigneur créa l'homme sur la terre, s'il s'est jamais rien fait de semblable ; si jamais on a ouï dire — 33. qu'un peuple ait entendu la voix de Dieu qui lui parlait du milieu des flammes, comme vous l'avez entendu *sans avoir perdu la vie ;* — 34. qu'un Dieu soit venu prendre pour lui un peuple au milieu des nations en faisant éclater sa puissance par des tentations et *par des épreuves,* par des miracles et par des prodiges, par des combats où il s'est signalé avec une main forte et un bras étendu, et par des visions horribles selon tout ce que le Seigneur votre Dieu a fait pour vous dans l'Egypte, comme vous l'avez vu de vos yeux,— 35. afin que vous sussiez que le Seigneur est le véritable Dieu, et qu'il n'y en a point d'autre que lui. — 36. Il vous a fait entendre sa voix du haut du ciel, pour vous instruire, et il vous a fait voir son feu sur la terre, un feu effroyable ; et vous avez entendu ses paroles *qui sortaient* du milieu de ce feu, — 37. parce qu'il a aimé vos pères, et qu'après eux il a choisi pour lui leur postérité. Il vous a tirés de l'Egypte en marchant devant vous avec sa grande puissance, — 38. pour exterminer à votre entrée de très-grandes nations qui étaient plus fortes que vous, pour vous faire entrer dans leur pays, et vous faire posséder leur terre : comme vous le voyez vous-mêmes aujourd'hui, *dans les avantages que vous venez de remporter.*—39. Reconnaissez donc en ce jour, et que cette pensée soit toujours gravée dans votre cœur, que le Seigneur est *l'unique* Dieu depuis le haut du ciel jusqu'au plus profond de la terre, et qu'il n'y en a point d'autre *que lui.*—40. Gardez ses préceptes et ses commandements que je vous prescris aujourd'hui, afin que vous soyez heureux, vous et vos enfants après vous, et que vous demeuriez long-temps dans la terre que le Seigneur votre Dieu vous doit donner. — 41. Alors Moïse destina trois villes en-deçà du Jourdain, vers l'orient, *selon que le Seigneur lui avait ordonné,*— 42. afin que celui qui aurait tué son prochain contre sa vo-

lonté, sans qu'il eût été son ennemi un ou deux jours auparavant, pût se retirer en quelqu'une de ces villes, *et y être à couvert de la vengeance des parents de celui qu'il aurait tué.* — 43. Ces villes furent Bosor dans le désert, situé dans la plaine appartenant à la tribu de Ruben; Ramoth en Galaad, qui est de la tribu de Gad: et Golan en Basan, qui est de la tribu de Manassé. — 44. Voici *maintenant* la loi que Moïse proposa aux enfants d'Israël; — 45. et voici les préceptes, les cérémonies et les ordonnances qu'il prescrivit aux enfants d'Israël, après qu'ils furent sortis de l'Egypte, — 46. Etant en-deçà du Jourdain dans la vallée qui est vis-à-vis du temple de Phogor, au pays de Séhon, roi des Amorrhéens, qui habita à Hésébon, et qui fut défait par Moïse. Car les enfants d'Israël, qui étaient sortis de l'Egypte, — 47. possédèrent ses terres et les terres d'Og, roi de Basan, qui étaient les deux rois des Amorrhéens, qui régnaient en-deçà du Jourdain vers le levant,—48. depuis Aroër, qui est situé sur le bord du torrent d'Arnon, jusqu'au mont Sion, qui s'appelle aussi Hermon, — 49. *c'est-à-dire,* toute la plaine *qui est* en-deçà du Jourdain vers l'orient, *depuis le mont Hermon* jusqu'à la mer du désert, *ou la mer Morte,* et jusqu'au pied du mont Phasga.

Vers. 1. — Ut faciens ea vivas, vitâ præsenti, diuturnâ et prosperâ. Vide dicta Levit. 18, 5.

Vers. 2. — Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Hæretici hæc verba rigidè et planè universaliter accipiunt, indeque inferunt, non esse admittendas ullas traditiones, nec canones pontificum, nec cæremonias Ecclesiæ. Verùm ineptè et insulsè hæc dicunt : nam primò, si ita est, ergo contra hanc legem peccavit Josue, Prophetæ, Christus et Apostoli, qui multa Mosi et Pentateucho addiderunt. Secundò, Moses non ait, *quæ scribo,* sed, *quæ loquor :* ergo perversè hæretici torquent hæc ad verbum Dei scriptum, ut excludant traditum, et vivâ loquentis voce, id est, traditione acceptum. Tertiò, si id vult Moses, quod volunt hæretici, ergo ipse Moses pugnat secum. Nam cap. 17, 10, jubet sub pœnâ mortis obediri decreto sacerdotis et pontificis. Quartò, alioqui omnes reges, imperatores, principes et magistratus peccarent contra hanc Dei legem; multa enim ipsi edicta addiderunt hisce Dei legibus et judiciis. Quintò, Calvinus fatetur, Apostolos addidisse quosdam ritus et cæremonias, adeòque novos posse addi; quinimò ipse cum suis novam Ecclesiæ speciem, novos ritus, novos ministros, novam docendi, concionandi, orandi, regendi, et sacramenta administrandi formam instituit : sic et ejus ministri quotannis novas constitutiones in suis synodis condunt et instituunt, quas sanè addunt huic Dei verbo. Sextò hæc verba Moses dixit Judæis, non Christianis, iisque jubet, ut circumcisionem, aliaque sacra, et sacramenta veteris legis servent, nihilque iis addant : ergo lex hæc propriè cæremonialis est, nec Christianos obligat, sed Judæos; alioqui enim hæretici deberent circumcidi, edere phase, gestare fimbrias, etc.; hæc enim verba hic loquitur et præcipit Moses. Esto ergo daremus hæreticis, hæc intelligenda esse ita ut ipsi volunt, nihil inde concludent pro suâ opinione : nam hæc dicta sunt judaico populo, qui exiguus erat, et in parvâ regione conclusus, idemque rudis et crassus : unde ei data fuit lex, tot tamque variis præceptis distincta, ut aliis non videretur esse opus; secùs est de lege novâ, quæ spargenda erat per totum orbem; unde in eâ meritò Christus, paucis universalibus præceptis traditis, alia ordinanda commisit pastoribus et rectoribus Ecclesiæ, uti rectè advertit Gab. Vasquez 1-2, q. 95, art. 1, disp. 152, cap. 4.

Dico ergo : Sensus hujus loci est, q. d. : Ad præcepta mea, quæ ego hoc capite et sequentibus præcepturus sum vobis, ô Judæi, non addetis aliquid, scilicet eis repugnans et contrarium, præsertim quod Beelphegor, ut sequitur, vel alterius novi numinis aut idoli cultum et religionem inducat. Hæc enim nova numina, novamque religionem, et ritum sacrorum excludere toto hoc capite et passim in Deuteronomio intendit Moses. Addit itaque legi Dei, quæ præcipit unum Deum colendum esse, aliquid, qui docet colendum esse Baal, Astartem, solem, lunam, aliosque deos : τὸ ergo, *ad verbum,* idem est quòd, *contra verbum :* sic enim sumitur *al,* id est *ad,* pro *contra,* Psal. 2, 2; Numer. 14, 2. Sic Paulus Galat. 1, 8, anathema dicit iis, qui aliud evangelizant præter id quod ipse evangelizavit, *præter,* id est, *contra;* agit enim de iis, qui Judaismum addere volebant Christianismo, itàque evertebant Christianismum. Hisce ergo verbis : *Non addetis nec auferetis,* tantùm præcipit Deus, ut sua lex integrè servetur, ut nihil ex eâ addendo, vel minuendo vitietur aut mutiletur; sed tota sarta tecta maneat et observetur,

quod aliâ phrasi c. 5, v. 32, alibi dicit : *Non declinabitis ad dexteram, nec ad sinistram.* Cui tamen non obstat, qui insuper leges parentum, vel humanorum magistratuum addit et observat, nisi parentes, vel magistratus aliquid legi Dei contrarium præciperent. Itaque hisce verbis, *non addetis,* etc., non vult dicere : Non servabitis aliud, quàm id quod nunc præcipio, sed : In hoc quod præcipio nihil mutabitis, addendo, vel minuendo, sed integrè facietis ut jubeo, et non aliter. Ita Bellarm. et alii passim. Secundò, *non addetis ad verbum, quod vobis loquor,* aliquid, scilicet tanquam meum, vel à me dictum, aut jussum ; nulli enim hominum licet scripta aut præcepta sua venditare pro præceptis à Deo dictatis, aut pro Scripturis sacris. Similis phrasis est Apocal. ult. v. 18 : *Contestor*, ait, *omni audienti verba prophetiæ libri hujus, si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* Alioqui enim, non tantùm Christus et Prophetæ, sed et ipsi Judæi multa addiderunt legi Dei, ut cælaturas, omnemque ornatum templi, ut festum sortium sub Esther, festum dati ignis, festum encæniorum, etc. ; hæc enim non à Deo, sed à Judæis sancita et instituta sunt. Denique, hæc non sunt addita, sed potiùs inclusa legi Dei; quia lex Dei jubet obediri parentibus, magistratibus, eorumque legibus.

Vers. 3. — Oculi vestri viderunt omnia, quæ fecit Dominus contra Beelphegor, de quibus dixi Numer. 25.

Vers. 6. — Hæc est enim vestra sapientia et intellectus. Quasi dicat : Custodia harum legum ostendet vos esse sapientes et prudentes, atque à sapientissimo legislatore Deo, sapientissimè, sanctissimè et castissimè edoctos, ab eodem per omnia regi, exaudiri et defendi. *Sapiens,* inquit S. Bernard., *est cui quæque res sapiunt prout sunt,* scilicet divinæ ut divinæ, humanæ ut humanæ, æternæ ut æternæ, caducæ ut caducæ.

Refert Plutarch. in Convivio septem sapientum, eos inter se disputâsse, quis populus, « quænam respublica foret optima et felicis- « sima? Primus, inquit, Solon respondit : In « quâ injuriæ alicujus auctorem non minùs « illæsi, quàm qui læsus est, in jus rapiunt et « puniunt. Secundus Bias dixit : In quâ legem « universi tanquàm tyrannum metuunt. Ter- « tius Thales : Ubi, inquit, neque divites ni- « mis, neque pauperes sunt cives. Quartus « Anacharsis : In quâ cùm reliqua habeantur, « virtuti tamen potior, vitio deterior conditio « defertur. Quintus Cleobulus : In quâ cives « reprehensionem magis metuunt, quàm le- « gem. Sextus Pittacus : Ubi magistratum ge- « rere non licet malis, licet bonis. Septimus « Chilo : In quâ maximè leges, minimè ora- « tores audiuntur. » Hæc verè, sed veriùs Moses hic : *In quâ populus Deum timet, Deique legibus ac voluntati obedit.* Hæc nimirùm sapientissima et beatissima est respublica.

Vers. 7. Nec est alia natio tam grandis (tam eximia, tantæ dignitatis), quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Videbatur enim Deus cum Mose et Hæbræis in tabernaculo habitare, cum eis conversari et colloqui, dubia omnia resolvere, præire in columnâ nubis, eosque per omnia dirigere, et protegere. Multò magis Deus adest Christianis, præsertim in venerabili Sacramento, in quo corporaliter, realiter et essentialiter nobiscum habitat, non angelus, sed Christus ipse, verus Deus, et verus homo.

Vers. 9.—Ne obliviscaris verborum (id est, rerum, et portentorum) quæ viderunt oculi tui. Sic *verbum* pro re, metonymicè tanquàm signum pro re signatâ, accipitur psal. 90, 3 : *Liberavit me de laqueo venantium, et à verbo aspero,* id est, à re asperâ et acerbâ, et Luc. 1, 37 : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum,* id est, omnis res.

Vers. 11. — Accessistis ad radices montis (Sina) qui ardebat usque ad cœlum. Heb. *usque ad cor cœli,* id est, usque ad medium cœli, hoc est, usque ad cœlum ipsum ; cœlum hîc non sidereum, sed aereum, sive æthereum, in quo sunt nubes, intellige. Simili hebraismo dicitur Jonas, David, et alii fuisse in medio mari, in mediis fluctibus, id est, in ipso mari magno et vasto, in ipsis vastis fluctibus.

Vers. 13. — Ostendit vobis pactum suum, id est, legem, quæ est conditio pacti inter vos et Deum initi.

Decem verba, decem præcepta, quæ fuerunt quasi decem fœderis conditiones. Græci decem hæc verba, voce compositâ vocant δεκάλογον.

Vers. 15. — Custodite igitur sollicitè animas vestras. Hebræa cum Vatablo ita prægnantiùs vertas : *Cavete ergo accuratè quàm chara est vobis anima vestra,* ne scilicet legem Dei violetis, sed eam custodiatis; qui enim eam custodit, custodit animam suam.

Non vidistis aliquam similitudinem, etc., in Horeb, quasi dicat : In Sinâ audistis Deum loquentem, sed non vidistis eum per essentiam,

neque per effigiem; quare nec illam imitari, effingere vel exprimere potestis, fabricando statuam maris, feminæ, aut alterius rei, cogitando, aut fingendo quòd talis sit Deus qualis in statuâ illâ monstratur. Idem viderunt nonnulli gentiles, inter quos Statius ita canit :

Nulla autem effigies, nulli commissa metallo
Forma Dei, mentes habitare et pectora gaudet.

Agesilaus monentibus, ut quemdam, qui bellè lusciniæ vocem imitabatur, audiret, respondit, se ipsam lusciniam audisse. Idem Judæis dicendum erat ad gentes, invitantes eos ad simulacra Dei, scilicet, se Deum ipsum audisse in Sinâ.

Vers. 16. — Ne fortè decepti faciatis, etc., imaginem masculi vel feminæ, uti gentiles deos habuerunt mares alios, alios feminas. Quin et Trismegistus in Pœmandro c. 1, 3, 7, Deum vocat marem feminam, ait enim : Ὁ Θεὸς ἀῤῥενοθήλυς, ὢν ζωὴ καὶ φῶς ἀπεκύησε λόγον, ἕτερον νοῦ δημιουργόν, hoc est : *Deus mas femina, existens vita et lumen, genuit Verbum, quod alteram mentem* (Spiritum sanctum) *producit*. Verùm ipse vocat Deum marem feminam, non quòd reverà sexum maris et feminæ habet, sed quòd in generando Verbo totum fecerit solus, quod in generatione humanâ faciunt conjunctim mas et femina. Nam Deus Pater Verbum suum generavit quasi pater, idemque concepit quasi mater; alioqui hæc locutio insolens est, et malè sonans.

Vers. 19. — Ne adores ea quæ creavit Deus in ministerium cunctis gentibus. Pro, *quæ creavit Deus*, hebr. est, *quæ divisit Deus*, ut vicissim, et quasi partito tempore, singulis gentibus et provinciis inserviant, lumenque præbeant. Vide Gen. 1, 14; ita Rabanus. Hinc Judæi fabulantur, gentes singulas à suâ stellâ regi, se verò à Deo.

Vers. 20. — Vos autem, etc., eduxit de fornace ferrea Ægypti, puta de servitute durissimâ, quæ maximè vos afflixit, quæque quasi fornax vos adussit, et quasi ferrea vos conclusit, ne exitus, vel effugium ullum pateret. Sic Isaiæ 48, 10, dicitur : *Elegi te in camino paupertatis;* pauperes enim paupertate, quasi camino affliguntur et uruntur. Secundò, alludit hìc Moses ad coctionem laterum, quos Hebræi in Ægypto formabant et coquebant in fornacibus lateritiis, ex quibus liberavit eos Deus, educens in Chanaan.

Vers. 24. — Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, q. d. : Deus injuriæ sibi illatæ est vindex, eamque acerrimè punit, instar ignis omnia vastantis. Vide dicta Exodi 3, 2, et Heb. 12, v. 29. Quocirca ignis vim, terrorem, aliasque dotes eximias considerantes Persæ, eum coluerunt ut numen. Audi Maximum Tyrium : *Persæ diarium ignem adorant, nimirùm divinitatis signum, insatiabilem, voracem.* Huic cùm sacrificant, illi alimentum præbentes dicunt : *Ede, ignis Domine.* Erat ergo eis ignis sacer et æternus, quem quòcumque rex exercitum duceret, magni numinis instar, argenteis altaribus impositum præferebant. Ita Pierius hierogl. 46, c. 38.

Symbol. S. Greg. hom. 5 in Ezech. : « Deus, « ait, ignis consumens est, quia mentem quam « repleverit, à peccatorum rubigine puram « reddit. » S. Syncletica in Vitis Patrum lib. 5, tract. de Compunctione : « Labor, ait, est « et magnum certamen impiorum qui conver- « tuntur ad Deum, et postea inenarrabile gau- « dium. Sicut enim qui ignem accendere vo- « lunt, priùs fumantur, et ex fumi molestiâ « lacrymantur, sicque obtinent quod volunt : « etenim scriptum est : *Quia Deus noster ignis* « *consumens est*, ita oportet et nos divinum « ignem cum lacrymis atque laboribus in no- « bis ipsis accendere. »

Deus æmulator, q. d. : Deus est zelotes, non patitur rivalem, sed solus summè vult coli de quo cap. 5, 9.

Vers. 26. — Testes invoco hodiè cœlum et terram, citò perituros vos. Nota. Moses et Prophetæ per prosopopœiam, creaturis irrationalibus vitam, sensum et testimonium attribuunt, easque ad gravissimam obtestationem, quâ populum compungant et commoveant, testes vel judices invocant, præsertim cœlum et terram, quia hæ minæ et pœnæ extenduntur ad omnes, secuturas generationes; unde Moses ad hujus prædictionis et comminationis memoriam, noluit testes morituros vocare, sed cœlum et terram, quia in æternum manent. Immortales ergo et æterni sunt hi testes, qui omnibus futuris temporibus perseverabunt, et mutis vocibus Deo loquentur, hæc esse vera, hominibusque (præsertim hæc verba Mosis legentibus) pariter inclamabunt hæc divina præcepta, æquè ac minas. Omnes enim creaturæ tacitè obediunt, consentiunt et attestantur suo creatori, ejusque legi et ordinationi. Unde Baruch c. 5, 34, ait : *Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, et lætatæ sunt, vocatæ sunt, et dixerunt : Adsumus: et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.* Consequenter, eadem tacitè quasi applaudebant, et attestabantur hisce ver-

bis Mosis; ipse enim erat præco Dei creatoris, q. d.: Cœlum et terram testes invoco, ut cœlum nobis dando lucem, terra nos sustinendo, dùm hæc loquor et edico, reipsà muti testes sint, me hæc vobis prædixisse. Rursùm, ut, cùm plagæ, quas hîc vobis prædico, evenerint, iidem et testes sint, quòd mea hæc prædictio et minæ fuerint veræ, et simul sint vindices ac cooperatores Dei, qui hasce plagas per cœlum et terram vobis infliget. Nam, ut ait Sapiens c. 5, 21: *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Quare, si hi testes vitam et vocem haberent, aut si per miraculum, Deus eis vocem daret, uti aliquando dedit, omnes unâ voce clamarent et condemnarent impios: quamdiù autem eam non habent, tacitè et mutâ voce clamabunt, et condemnabunt impios.

Sic Isaias c. 1, 1, cùm ait: *Audite, cœli, et auribus percipe, terra,* utitur prosopopœiâ ad inanimes creaturas, ut gravior sit oratio, et plena indignatione, idque primò, ut significet Judæos omnia sua bona, à cœlo et terrâ per Deum accepisse; secundò, quia Judæi adorârunt solem, lunam, lapides, ideò ea nunc, quasi ipsorum judices invocat; tertiò et maximè, quia cùm ipsi nollent audire Deum, invocat inanima, quæ semper obediunt Deo, ut gravissima sit querela et exprobratio, invocat, inquam, quasi testes mutos, ut quandoque sint vindices creatoris sui, ut cœlum, ait Rupertus, Judæis se præbeat æneum, terra se præbeat ferream, sed maximè in die judicii, cœlum in eos fulmina vibret, terra verò iis dehiscat. Simili modo facit Moses hîc, et Deut. 30, 19, et c. 31, 28, et c. 32, 1.

Secundò, cùm cœlum et terram testes invocat, invocat omnia quæ in cœlo et in terrâ sunt, per metonymiam, ac præsertim angelos et homines, qui propriè dicti testes sunt. Ita Theodor. Sic Poeta ait:

Vos, æterni ignes, et non violabile numen,
Testor.

Putabant enim Platonici ignes cœlestes, id est, stellas esse animatas à suis intelligentiis, sive angelis præsidibus, quos quasi minores deos colebant.

Simili modo cùm exorcizamus et adjuramus creaturas irrationales, adjuratio non dirigitur ad illas, quia non intelligunt eam; sed ad naturam rationalem, quæ illis præsidet, easque movere potest, ut ait D. Thom. Sic exorcizatur aqua, sal, domus; partim enim invocatur virtus divina, ut in usu harum rerum assistat, et diaboli vim coerceat; partim per virtutem divinam præcipitur diabolo, ut abscedat, et in his non noceat. Sic exorcizantur locustæ, mures, ranæ, grandines, tempestates, etc., ut Deus damna eorum avertat, et diabolus per illa non noceat. Vide Dom. à Soto l. 8 de Justitiâ, q. 3, art. 3.

Vers. 29. — Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione (scilicet in verâ contritione et conversione) animæ tuæ. Hebraicè est, *in totâ animâ tuâ.* Insinuat, quòd contritio vera, quæ peccatorem Deo reconciliat, debeat procedere ex amore Dei super omnia: hoc enim est quærere Deum ex toto corde, et ex totâ tribulatione animæ. Ita Suarez 3 p. q. 85, art. 1, disp. 4, sect. 2.

Vers. 30. — Postquam te invenerint (comprehenderint, est hebraismus) omnia.

Novissimo tempore, id est, in fine temporis, quo complebitur pœna tibi inflicta à Deo, q. d.: Post plagas à Deo immissas, tandem sapies, et reverteris ad eum. Ita Vatabl., Abul. et alii.

Vers. 31. — Neque obliviscetur pacti, in quo (id est, *quod.* Ita Hebr. Septuag. et Chald.) juravit patribus tuis.

Vers. 32. — Interroga de diebus antiquis, scilicet de factis, quæ contigerunt in diebus antiquis.

A summo cœlo usque ad summum ejus. Hebraicè, *ab extremo cœli usque ad extremum ejus,* id est, ab oriente usque ad occidentem, q. d.: Interroga ea, quæ toto orbe unquàm apud homines alicubi contigerunt. Similis phrasis est Matth. c. 24, 31. Ita Vatablus.

Vers. 33. — Sicut tu audisti, et vixisti. Ita Rom. Hebr. Chald. et Septuag. Perperàm ergo Plantin. legunt, *et vidisti,* q. d.: Instar miraculi fuit, quòd tu vocem Dei tam terribilem ex Sinâ audires, et viveres, de quo rursùm c. 5, 24.

Vers. 34. — Si fecit Deus, ut ingrederetur, non mutans locum, sed operationem, vocans scilicet, liberans et educens te ex Ægypto.

Et horribiles visiones, quia in triduanis Ægypti tenebris mira spectra Ægyptiis objecit Deus, iisque eos perculsit, uti dixi Exodi 10, 22 et sequent.

Vers. 36. — Et in terra ostendit ignem maximum, quia ignis ex Sinâ prodire videbatur; vox verò super eum ex cœlo, id est, ex aere, formari et descendere videbatur.

Vers. 37. — Præcedens in virtute, per angelum suum, qui castra præibat in columnâ

nubis, quique perculit et prostravit hostes tuos, Exodi 23, 20.

Vers. 42. — Qui occiderit nolens, scilicet nesciens, ignoranter et inadvertenter. Ita Hebr. Chald. Septuag.

Vers. 48. — Usque ad montem Sion, qui est et Hermon. Alius ergo est hic Sion, à Sion monte Hierosolymæ et templi; hic enim Sion erat ab aliâ Jordanis parte, et hebr. scribitur per *schin :* Sion verò templi scribitur per *tsade*. Vide de hoc Sion dicta c. 3, 8.

Vers. 49. — Mare solitudinis, mare Mortuum, sive lacus Asphaltites.

CAPUT V.

1. Vocavitque Moyses omnem Israelem, et dixit ad eum : Audi, Israel, cæremonias atque judicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodiè : discite ea, et opere complete. — 2. Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb. — 3. Non cum patribus nostris iniit pactum, sed nobiscum qui in præsentarium sumus, et vivimus. — 4. Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis. — 5. Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus; timuistis enim ignem, et non ascendistis in montem, et ait : — 6. Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti, de domo servitutis. — 7. Non habebis deos alienos in conspectu meo. — 8. Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium, quæ in cœlo sunt desuper, et quæ in terrâ deorsùm, et quæ versantur in aquis sub terrâ. — 9. Non adorabis ea, et non coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam et quartam generationem his qui oderunt me, — et faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, et custodientibus præcepta mea. — 11. Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra, quia non erit impunitus qui super re vanâ nomen ejus assumpserit. — 12. Observa diem sabbati, ut sanctifices eum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus. — 13. Sex diebus operaberis, et facies opera tua. — 14. Septimus dies sabbati est, id est, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis, tu, et filius tuus, et filia, servus et ancilla, et bos, et asinus, et omne jumentum tuum, et peregrinus qui est intra portas tuas : ut requiescat servus tuus, et ancilla tua, sicut et tu. — 15. Memento quòd et ipse servieris in Ægypto, et eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, et brachio extento. Idcircò præcepit tibi ut observares diem sabbati. — 16. Honora patrem tuum et matrem sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, et benè sit tibi in terrâ quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. — 17. Non occides. — 18. Neque mœchaberis. — 19. Furtumque non facies. — 20. Nec loqueris contra proximum falsum testimonium. — 21. Non concupisces uxorem proximi tui : non domum, non agrum; non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa quæ illius sunt. — 22. Hæc verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis et nubis, et caliginis, voce magnâ, nihil addens ampliùs : et scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi. — 23. Vos autem postquàm audistis vocem de medio tenebrarum, et montem ardere vidistis, accessistis ad me omnes principes tribuum, et majores natu, atque dixistis : — 24. Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster majestatem et magnitudinem suam; vocem ejus audivimus de medio ignis; et probavimus hodiè, quòd loquente Deo cum homine, vixerit homo. — 25. Cur ergo moriemur, et devorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus ultra vocem Domini Dei nostri, moriemur. — 26. Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audivimus, et possit vivere? — 27. Tu magis accede : et audi cuncta quæ dixerit Dominus Deus noster tibi : loquerisque ad nos, et nos audientes faciemus ea. — 28. Quod cùm audisset Dominus, ait ad me : Audivi vocem verborum populi hujus, quæ locuti sunt tibi : benè omnia sunt locuti. — 29. Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, et custodiant universa mandata mea in omni tempore, ut benè sit eis et filiis eorum in sempiternum? — 30. Vade, et dic eis : Revertimini in tentoria vestra. — 31. Tu verò hic sta mecum, et loquar tibi omnia mandata mea, et cæremonias atque judicia, quæ docebis eos : ut faciant ea in terrâ quam dabo illis in possessionem. — 32. Custodite igitur, et facite quæ præcepit Dominus Deus vobis : non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram; — 33. sed per viam quam præcepit Dominus Deus vester ambulabitis, ut vivatis, et benè sit vobis, et protelentur dies in terrâ possessionis vestræ.

---

1. Moïse ayant donc fait venir tout le peuple d'Israël, lui dit : Ecoutez, Israël, les céré-

monies et les ordonnances que je vous déclare aujourd'hui; apprenez-les et pratiquez-les. — 2. Le Seigneur notre Dieu a fait alliance avec nous sur *le mont* Horeb. — 3. Il n'a point fait alliance avec nos pères, *qui sont morts dans le désert et qui n'en ont point vu l'accomplissement;* mais avec nous qui sommes et qui vivons aujourd'hui, *et qui nous trouvons sur le point d'en recueillir le fruit.* — 4. Il nous a parlé face à face sur la montagne, *non en nous faisant paraître aucune forme sensible, mais en nous faisant entendre sa voix qui sortait* du milieu du feu. — 5. Je fus alors l'entremetteur et le médiateur entre le Seigneur et vous, pour vous annoncer ses paroles *que vous n'osâtes entendre;* car vous appréhendâtes ce *grand* feu *d'où le Seigneur vous parlait,* et vous ne montâtes point la montagne *où il faisait éclater sa gloire* et *d'où* il vous dit : — 6. Je suis le Seigneur votre Dieu, qui vous ai tirés de l'Egypte, de ce séjour de servitude *où vous gémissiez.* — 7. Vous n'aurez point en ma présence de dieux étrangers. — 8. Vous ne vous ferez point d'image de sculpture, ni de figures de tout ce qui est ou en haut dans le ciel, ou en bas sur la terre, ou qui vit sous terre dans les eaux. — 9. Vous ne les adorerez et ne les servirez point; car je suis le Seigneur votre Dieu, un Dieu jaloux, qui punit l'iniquité des pères sur les enfants jusqu'à la troisième et quatrième génération de ceux qui me haïssent, — 10. et qui fais miséricorde jusqu'à mille et mille générations à ceux qui m'aiment et qui gardent mes préceptes. — 11. Vous ne prendrez point le nom du Seigneur votre Dieu en vain; car celui qui aura attesté *la sainteté de* son nom sur une chose vaine, ne sera point impuni. — 12. Observez le jour du sabbat, et ayez soin de le sanctifier, selon que le Seigneur votre Dieu vous l'a ordonné. — 13. Vous travaillerez pendant six jours, et vous y ferez tous vos ouvrages. — 14. Mais le septième jour est celui du sabbat, c'est-à-dire, le jour du repos du Seigneur votre Dieu. Vous ne ferez aucune œuvre *servile* en ce jour là, ni vous, ni votre fils, ni votre fille, ni votre serviteur, ni votre servante, ni votre bœuf, ni votre âne, ni aucune de vos bêtes, ni l'étranger qui est au milieu de vous; afin que votre serviteur et votre servante se reposent comme vous. — 15. Souvenez-vous que vous avez vous-mêmes été esclaves dans l'Egypte, et que le Seigneur votre Dieu vous en a tirés par sa main toute-puissante, et en déployant toute la force de son bras. C'est pourquoi il vous a ordonné d'observer le jour du sabbat, *non-seulement en mémoire du repos dans lequel il est entré après avoir fait ses ouvrages, mais aussi en reconnaissance de celui qu'il vous a procuré après une si longue et si dure captivité.* — 16. Honorez votre père et votre mère, selon que le Seigneur votre Dieu vous l'a ordonné, afin que vous viviez long-temps, et que vous soyez heureux dans la terre que le Seigneur votre Dieu doit vous donner. — 17. Vous ne tuerez point. — 18. Vous ne commettrez point de fornication. — 19. Vous ne déroberez point. — 20. Vous ne porterez point de faux témoignage contre votre prochain. — 21. Vous ne désirerez point la femme de votre prochain, ni sa maison, ni son champ, ni son serviteur, ni sa servante, ni son bœuf, ni son âne, ni aucune chose qui lui appartienne. — 22. Le Seigneur prononça ces paroles avec une voix forte devant vous tous sur la montagne, du milieu du feu, de la nuée, de l'obscurité, sans y ajouter rien davantage; et il les écrivit sur les deux tables de pierre qu'il me donna. — 23. Mais après que vous eûtes entendu sa voix *qui retentissait* du milieu des ténèbres, et que vous eûtes vu la montagne tout en feu, vous m'envoyâtes tous les princes de vos tribus et vos anciens; et vous me dîtes, *par leur bouche :* — 24. Le Seigneur notre Dieu nous a fait voir sa majesté et sa grandeur; nous avons entendu sa voix du milieu du feu; et nous avons éprouvé aujourd'hui que Dieu a parlé à un homme, sans que l'homme en soit mort. *Mais nous sommes contents de cette épreuve.* — 25. Pourquoi donc mourrons-nous, et serons-nous dévorés par ce grand feu, *comme il arrivera si nous demeurons ici plus long-temps?* car si nous entendons davantage la voix du Seigneur notre Dieu, nous mourrons *très-certainement.* — 26. *En effet,* qu'est tout homme revêtu de chair, pour pouvoir entendre la voix du Dieu vivant *et* parlant du milieu du feu, comme nous l'avons entendue, sans qu'il en perde la vie? — 27. Approchez-vous donc plutôt vous-même *de lui,* et écoutez tout ce que le Seigneur notre Dieu vous dira; vous nous le rapporterez ensuite, et quand nous l'aurons appris, nous le ferons. — 28. Ce que le Seigneur ayant ouï, il me dit : J'ai entendu les paroles que ce peuple vous a dites; il a bien parlé dans tout ce qu'il a dit. *Puis il ajouta, comme pour marquer le désir qu'il avait de vous voir persévérer dans cette disposition qui devait être la source de votre bonheur :* — 29. Qui leur donnera un

tel esprit *et* un tel cœur, qu'ils craignent *toujours* et qu'ils gardent en tous temps tous mes préceptes, afin qu'ils soient heureux pour jamais, eux et leurs enfants ? — 30. Allez, *ajouta-t-il encore en m'adressant la parole*, et dites-leur : Retournez en vos tentes. — 31. Et pour vous, demeurez ici avec moi, et je vous dirai tous mes commandements, mes cérémonies et mes ordonnances; et vous les leur enseignerez, afin qu'ils les observent dans la terre que je leur donnerai en héritage. — 32. Observez donc, *leur direz-vous*, et exécutez ce que le Seigneur *votre* Dieu vous a commandé. Vous ne vous détournerez ni à droite ni à gauche; — 33. mais vous marcherez par la voie que le Seigneur votre Dieu vous a prescrite, afin que vous viviez, que vous soyez heureux, et que vos jours se multiplient dans le pays que vous allez posséder.

Vers. 3 — Non cum patribus nostris iniit pactum, subaudi tantùm, q. d. : Non tantùm cum patribus iniit Deus pactum in Sinâ, sed etiam nobiscum. Simile est Gen. 32, 28 et alibi. Secundò et simpliciùs, q. d. : Deus in Sinâ pactum non inivit cum Abraham, Isaac, Jacob, aliisque patribus, qui in Ægypto, vel ante mortui sunt; sed cum nobis ipsis, qui vivimus. Nam, ut notat S. August. multi præsentes supererant et aderant, qui in Horeb legem audierant pueri, qui scilicet necdùm attigerant annum vigesimum, ac proinde neque censi, neque pœnâ murmurantium, de quâ Num. 14, 29, ut scilicet perirent in deserto, comprehensi fuerant, quos Moses vocat *omnes*. Intelligit enim *omnes* accommodè, scilicet omnes qui legem in Sinâ audierant, et etiamnum supererant. Hebræa majorem habent emphasim, sic enim habent : *Non cum patribus pepigit Jehova pactum istud; quia cum nobis, nobis istis hic hodiè, omnibus nobis viventibus.*

Vers. 4. — Facie ad faciem locutus est nobis. Non quasi formam aut speciem ejus videritis, hoc enim negavit c. 4, 12, sed, *facie ad faciem*, id est, coram, sine internuntio. Decalogum enim, à v. 6 ad 22, angelus vice Dei ex Sinâ proclamavit coram toto populo, sed reliqua præcepta judicialia et cæremonialia acceperunt Hebræi internuntio Mose, ut sequitur, qui in montem conscendit solus, cùm populus ob metum ignis et vocis angelicæ territus, et à monte fugiens, jussu Dei ad castra et tentoria sua rediit, uti dicitur v. 30 et 31.

Vers. 5. — Ego sequester et medius fui. Fuit ergo Moses mediator inter Deum et populum, ut ait Apostolus ad Galat. 3, 19 : quidni ergo Sancti vocentur mediatores ?

Vers. 6. — Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. Hebr., *de domo servorum*, puta de ergastulo, id est, de Ægypto, ubi durissimam serviebas servitutem. Nota : pro, *Dominus*, hebraicè est nomen tetragrammaton *Jehova*, quod proprium est divinæ essentiæ, quæ fons est omnis creaturæ, cui proinde, quasi primo et summo omnium principio, summâ religione servire debet homo omnisque creatura. Rursùm, pro, *Deus*, hebraicè est, *Elohim*, quod Deum quà judicem et gubernatorem omnium significat; *Elohim* ergo Dei legislatoris majestatem, sapientiam, dominium et imperium summum Hebræis inculcat.

Vers. 7. — Non habebis deos alienos in conspectu meo. Nulli veri sunt dii alieni, sed unus est verus Deus, qui cùm communis sit omnium, nulli potest esse alienus. Vocantur ergo dii alieni, non qui verè tales sunt, sed quos alienigenæ, puta gentes à Deo vero alienæ, ut deos habent et colunt. Unde hebr. est : *Non erunt tibi elohim*, id est dii, *alii*. Vetat ergo, ne quis alius habeatur deus, etiamsi is unus sit; præcipit verò, ut se solum unumque Deum agnoscant et colant, tum interno mentis sensu et affectu, tum externâ adoratione et sacrificio.

In conspectu meo, *coram me;* Septuag. et Chald. vertunt, *præter me*, q. d. : Noli colere idola me videntè, et abditissima etiam tua contemplante, ne putes te oculos meos latere; neve velis tam gravem majestati meæ, omnia intuenti, injuriam irrogare. Posset secundò, τὸ *coram me*, accipi pro, *è regione meî*, q. d. : Non opponas mihi alios deos, sicut v. 23 in Hebr. dicitur : *Non habebis deos alienos mecum;* et huic sat consonat τὸ *præter me*, uti vertunt Septuag.

Judæi hîc primum statuunt et absolvunt decalogi præceptum, ita ut secundum sit : *Non facies tibi sculptile;* ultima verò duo, scilicet : *Non concupisces uxorem proximi*, et : *Non concupisces rem proximi*, sint unum, scilicet decimum præceptum. Ita Josephus, Philo I. de Decal. commentarii Ambr. et Hieron. adscripti in Epist. ad Ephes. c. 6; Athanas. in Synopsi; hos avidissimè sequitur Calvinus, ut hinc fortius telum contra imagines torqueat. E contrario, τὸ *non facies tibi sculptile*, non esse secundum, sed spectare ad primum præceptum, docent Clemens Alexand. 6 Strom. S.

August. q. 71 in Exodum, et Epist. 119, cap. 11; S. Hieron. in Psal. 32, et communiter scholastici in 3, dist. 37. Idque longè verius et aptius est, primò, quia hæc duo, scilicet: *Non habebis deos alienos, et non facies tibi sculptile,* eòdem spectant, videlicet, ut unum solum Deum jubeant esse colendum. Id magis patebit paragrapho sequenti. Secundò, quia alioqui non decem, sed undecim erunt præcepta decalogi; duo enim postrema, quæ Judæi conjungunt, disjungenda sunt. Nam tam differunt: *Non concupisces uxorem proximi,* et: *Non concupisces bona proximi,* quàm differunt: *Non mœchaberis,* et: *Non facies furtum.* Hæc enim actum externum, illa verò actum internum, puta concupiscentiam, mœchiæ et furti vetant. Atqui hæc duo distinguuntur, ut patet; ergo et illa. Unum enim et idem utrobique est objectum, à quo species et distinctio actuum et præceptorum desumenda est. Unde et in Hebræo utrobique repetitur τὸ *non concupisces,* tam Exodi 20, 16, quàm hîc v. 21, ubi recto ponuntur ordine, uti et Exodi 20, 16, apud Septuag., licet ibi in Hebræo et nostro commixtus et confusus eorum sit ordo: præponitur enim concupiscentia domûs concupiscentiæ uxoris.

Dices: Rom. 7, 8, citantur hæc duo præcepta ut unicum, videlicet: *Non concupisces.*— Respondeo, Apostolum non curâsse ea distinctè describere, quia tantùm intendit probare, non solùm opus externum, sed etiam concupiscentiam internam, lege Dei esse vetitam, ut patet ex antecedentibus et sequentibus.

Vers. 8. — Non facies tibi sculptile. Superiori vers. vetuit deos alios in genere, hîc speciatim simulacra deorum vetat; iis enim præcipuè deos suos colebant gentes, imò et illa ipsa, ut deos habebant; quod licet neget Calvinus, disertè tamen docet Isaias c. 44, 17; Baruch toto c. 6; Jerem. cap. 10; Sapient. c. 13, 10. Vetat ergo hîc Deus simulacra deorum, tum fieri, tum coli; utrumque enim nefas est.

Nota primò: Hebræum *pesel,* significat sculptile, à radice *pasal,* id est, sculpere, dolare. Simulacra enim pleraque sculpi solebant aut dolari in statuas; sub sculptili tamen intellige et ductile, fusile, tornatile, etc. Nota secundò: Pro *sculptile* Septuag. Exodi 20, 4, vertunt *idolum;* nam passim in Scripturis per sculptilia intelliguntur idola. Porrò, licet Orig. et Theodor. strictiùs hîc idolum accipiant, ut sit effigies rei non existentis, quo modo gentiles Sphingas, Tritones, Centauros, aliasque chimæras effingebant, similitudo verò, quæ deinceps prohibetur, sit rei existentis expressio, v. g., imago solis, lunæ, hominum, bestiarum, reptilium; meliùs tamen, secundùm communem ejus significationem, accipiemus idolum, ut sit simulacrum falsi dei et ficti, sive deus ille sit res aliqua vera et existens, sive non. Unde nota tertiò: Idolum Græcis erat imago quævis inanis et mendax, ut, verbi gratiâ, vana phantasmata, spectra, et umbræ mortuorum, uti patet ex Platone in Theæteto, Luciano in Dialog. de Mortuis, Homero Odysseâ 11, unde à Virgilio vocantur

Tenues sine corpore vitæ,

Et:

Cavâ sub imagine formæ.

Εἴδωλον enim est diminutivum ab εἶδος, quasi dicas: Formula, icuncula, umbratilis species. Hinc S. Scriptura et scriptores ecclesiastici nomen idoli arctârunt ad imaginem Dei, quì habetur Deus, reverà non est, sive Deus imagine repræsentatus, sive ipsa etiam imago habeatur Deus. Patet hoc 1 Corinth. 8, 4: *Scimus quia nihil est idolum in mundo,* q. d.: Deus qui repræsentatur idolo, non est Deus, ideòque idolum nihil est: et Esther. 14, 11: *Ne tradas sceptrum tuum iis qui non sunt,* id est, idolis. Unde Scriptura hebræa idola passim vocat *tohu,* id est, inane; *elilim,* id est, vana, vel deiculos; *sceker,* id est, mendacium; *lo joilu,* id est, qui non proderunt, vide S. Hieronymum in Osee 7. Quare falluntur et fallunt Henricus Stephanus et Joannes Scapula in suis Lexicis, dùm asserunt, idolum apud scriptores ecclesiasticos vocari omne simulacrum, numen aliquod repræsentans, quod honore et cultu dignamur. Non enim simulacrum quodlibet, vel imago numinis cujuslibet, est idolum, sed tantùm imago numinis falsi, uti docet ex Tertull. S. Cyprianus in Exhort. ad martyrium cap. 2, et Athanasius, Orat. contra idola, sub finem.

Ex dictis patet imperitia hæreticorum nostrorum, dùm asserunt, omnes omninò imagines hîc jure naturæ vetari. Unde Calvinus videns quàm absonè hoc dicatur, licet tacitè omnes imagines carpat, tamen asseverat, non omnes, sed Dei tantùm imaginem hîc vetari: quâ in re suffragatur ei à Catholicis Abulensis, qui censet, jure naturæ hîc vetari omnem Dei imaginem. Idem asserit Durandus in 3, dist. 9, q. 2, sed ipse eam putat hîc vetari, jure non naturæ, sed positivo divino, de quâ re dicam paragrapho sequenti.

Verùm pari modo hoc refellitur. Nam primò imago veri Dei non est idolum. Secundò, hîc tantùm aliorum deorum cultus vetatur, uti patet ex antecedentibus et sequentibus; præcessit enim: *Non habebis deos alienos;* sequitur: *Non adorabis ea, neque coles;* ergo sculptile quod hîc fieri vetatur, est sculptile vel imago deorum alienorum; alioqui enim non unum sed duo, imò tria diversa hîc ponenda essent præcepta. Unde sculptile explicans Moses v. 23, ait: *Non facietis deos argenteos, neque deos æreos.* Sic et Levit. 19, 4, idola vocat *deos conflatiles,* uti et alibi sæpè. Imago autem Dei non est alius Deus ab eo, neque cultus imaginis cultus est alterius Dei. Cultus enim imaginis, juxta tritum axioma S. Basilii et Damasceni, ad prototypum refertur. Tertiò, certum est, Deum non vetuisse omne sculptile, aut artem sculptoriam, utpote quâ ipse exornavit Ooliab et Beseleel, eâque uti jussit ad Cherubim effigienda, eâdemque uti voluit Mosen in serpente æneo efformando, Num. 21, 8. Si ergo determinatum aliquod sculptilis genus tantùm vetuit, unde illa determinatio petatur meliùs, quàm ex verbis immediatè præcedentibus? videlicet ut sic accipiamus: *Non facies tibi sculptile*, id est, sculptiles deos alienos. Quartò, Deus imaginem suî corpoream, et sensibilem objecit oculis Abrahæ, Isaac, Jacob, Isaiæ, Ezechielis, Mosis, aliorumque multorum, cùm eis apparuit; ergo eam non vetuit, quasi jure naturæ illicitam. Nec dicas, Deum in hâc suî imagine, lege naturæ vetitâ, secum dispensâsse: si enim eâdem prorsùs lege et præcepto naturæ, quo vetantur dii alii, vetatur et imago Dei veri, ergo sicut in illo dispensare nequit Deus, ita nec in hoc potest. — Respondet Calvinus, temporale tantùm illud fuisse Dei symbolum, quod ad legem perpetuam trahi non debet. Sed inane est hoc effugium; lex enim decalogi æterna et perennis est, et sculptile quod hîc vetatur, omne accipiendum est, tam temporale, quàm perpetuum; alioqui, si aliquo tempore detur imago Dei, quæ non sit mala, nec vetita, certè imago omnis naturâ suâ, vel jure naturæ vetita dici non debet. Decalogus enim constantia naturæ præcepta continet; ergo, sicuti Deus ne unico quidem momento idola colendi facultatem dare potest, ita nec potest suî imaginem exhibere, si illa æquè naturæ, id est, Deo Deique cultui per se repugnat.

Objicit Calvinus, hoc præcepto concomitanter saltem vetari omnem superstitionem, et quidquid Deo aliquo modo est injurium. Tale autem est velle Deum, qui purissimus est spiritus, ad corporalia spectra deducere. — Respondeo, indeque formo quintum argumentum: Imago Dei non est injuria, neque inhonorifica Deo; ergo jure naturæ non est vetita. Antecedens probo, primò, quia angelis, etiamsi purissimi sint spiritus, nulla fit injuria, si pingantur; ergo nec fit Deo, si pingatur, et ratio est, quia homines corporei non possunt Deum et angelos concipere, nisi per signa corporea. Hinc secundò, idem probo ex simili: nam S. Scriptura Deo injuria non est, cùm ἀνθρωποπαθῶς Deo aures, nares, oculos, manus, pedes, aliaque membra attribuit; quin verò non tantùm dignatus est Deus ad humana verba et humanæ imaginationis imaginem descendere, sed ad ipsam etiam formam humanam, quando Verbum caro factum ejus figuram admisit. Cur ergo Dei hominis facti memoriam imagine servare et venerari non liceat? cur rursùm menti nostræ ad cœlestia tardæ, ex visibili imagine ad invisibilia ascendere non liceat? non enim deitatem ejusque attributa imagine directè et perfectè expingere, sed tantùm aliquatenùs adumbrare conamur, ut Deum menti et memoriæ objicere, ejusque conceptum aliquem formare possimus; alioqui enim nullâ ratione Deum concipere possemus. Nam, ut ait Aristoteles, nihil est in intellectu, quod non priùs fuerit in sensu et in phantasiâ. Intellectus enim nihil concipere potest sine phantasmate; phantasma autem est imago rei visæ, vel alio sensu perceptæ.

Objicit secundò Calvinus: Isaiæ 40, v. 25, de simulacris, sive idolis, loquens Deus: *Cui,* inquit, *similem me fecistis?* ergo Deus imaginem suî fieri vetuit. — Respondeo: Sensus est, q. d.: Cur idola, cur simulacra falsa fecistis Deum vestrum? cur ea mihi adæquâstis? cur incommunicabile nomen meum eis dedistis? cur meam potentiam et opes eis attribuistis? Vide Jerem. 10, 6, et Sapientiæ 14, 21. Ex eo enim, quòd gentiles et Judæi simulacra faciebant similia, imò æqualia Deo vero, hoc ipso etiam faciebant Deum simulacris similem et æqualem. Simile enim, cùm sit relativum æquiparantiæ, suo simili est simile, et contra. Hoc autem magna erat Dei injuria et vilipensio, scilicet eum æquare statuis saxeis et æreis, aut etiam dæmonibus, qui in iis colebantur.

Quæritur hîc ulteriùs, esto imago Dei, et imago aliarum quarumlibet rerum, non vetetur jure naturæ, an saltem illa Judæis non vetetur hîc lege Dei positivâ. — Affirmat Gab.

Vasquez l. 2 de Adorat., disp. 4, c. 2 et seq. : censet enim ipse, hoc præceptum, uti et quartum de colendo sabbato, partim esse naturale et perpetuum, scilicet quatenùs præcipit cultum unius Dei, et vetat cultum deorum aliorum; partim esse cæremoniale et temporaneum, quòd solis Judæis sit datum, nunc verò cum Judaismo sit abolitum, scilicet : Non facies imaginem Dei, vel rei alterius. Unde hoc præceptum : *Non facies tibi sculptile,* etc., sic explicat, q. d. : Non facietis, ô Judæi, ullam effigiem, talem scilicet, quæ modo adorationi accommodato sit facta; puta ut per se talem sculpatis, vel pingatis, quæ commodè adorari possit; nam, si non per se, sed propter aliud, puta ad aliquid aliud exornandum, eam sculpatis, id non veto. Unde Cherubini arcæ hîc non vetantur, quia non per se, sed propter arcam tegendam et ornandam sunt facti. Sic et Salomon in templo palmas, aliaque cælavit et sculpsit, non per se, ad ornatum templi. Si dicas, Mosen Dei jussu fecisse effigiem serpentis ænei, eamque per se, non ad ornatum alterius, respondet Vasquez Deum ibi in hâc lege suâ positivâ dispensâsse. Huic sententiæ favent Origen., Tertull., Alexander Alens., Albert., Bonavent. et alii, quos citat Vasquez c. 2 et 3. Verùm verius est, hîc non vetari omnes imagines, sed tantùm superstitiosas et idololatricas, ac proinde hoc præceptum per omnia esse naturale, non positivum, nec cæremoniale, uti et reliqua omnia decalogi, excepto unico, puta quarto, quod est de sabbato colendo; ita docent Damascen., Beda, D. Thomas, Burgensis, Cajetanus, quos citat Vasquez cap. 1, et passim recentiores cum Franc. Suarez 3 p. q. 54, sect. 2.

Probatur primò, iisdem rationibus, quas paulò ante contra Abulensem et contra Calvinum attuli, atque inprimis ex eo, quòd Septuag. sculptile hoc vocent idolum, et Scriptura passim sculptilia vocet deos alienos. Audi Isaiam, c. 44, 9: *Quis formavit Deum et* (id est) *sculptile ad nihil utile?* ubi Deum alienum sive idolum vocat sculptile, et v. 15, cùm ait : *Plantavit pinum,* etc., *ex eo operatus est Deum, et adoravit; fecit sculptile, et curvatus est ante illud,* et v. 17 : *Reliquum autem ejus* (pini) *Deum fecit et sculptile sibi, curvatur ante illud.* Secundò, Salomon, rex piissimus, ex se, sine Dei jussu, præter Cherubim arcæ, fecit Cherubinos maximos, scilicet decem cubitorum, qui extendebant alas per totam longitudinem Sancti sanctorum; hæ autem statuæ per se consistebant, ut idola gentium, ac proinde erant factæ modo accommodato ad adorationem, quâ in re Salomon non peccavit, quia non formavit eos ad adorationem, videlicet ut essent quasi idola; ergo hoc præcepto vetantur tantùm idola, non autem imagines per se erectæ, vel adorabiles, id est, quæ ab aliquo impio commodè adorari possent. Tertiò, idipsum significat vox, *tibi,* cùm ait : *Non facies tibi sculptile,* quod scilicet tibi sit instar Dei et idoli. Idem significat id quod sequitur : *Non adorabis ea, et non coles;* quæ, *ea,* nisi sculptilia et idola? hæc enim sola adorantur. Ita Cajetan. Quartò, alioqui Judæi non potuissent habere sphæras et globos astronomicos : hi enim per se sunt similitudines et repræsentationes cœli orbiumque cœlestium, atque possunt adorari, suntque adorabiles, æquè ac sol, luna et cœli. Rursùm non potuissent domi habere imagines avorum et proavorum, quod tamen apud gentes et apud fideles semper fuit solemne, atque magnum incitamentum virtutis. Fateor tamen Judæos, non ex obligatione hujus legis, sed ex devotione et religione, ut magis abessent ab omni specie idoli et violationis legis hujus sponte suâ vix usos esse imaginibus, et in templis nunquàm : id enim docent Josephus, Philo, Origenes, et alii. Unde Poeta Judæos ita describit :

Qui puras nubes, et cœli numen adorant.

Unde cùm Pilatus et Petronius, præsides Judææ, tentâssent imagines Tiberii et Caligulæ in templum inducere, Judæi usque ad mortem restiterunt, teste Josepho 18 Antiq. 4 et 10. Rursùm, eo tempore, jure non positivo, sed naturali, vetitum fuit Judæis, ne imaginem Dei in templo, aut alibi publicè toti populo proponerent, idque ob evidens periculum idololatriæ. Multi enim ex populo rudes et proclives in idola, illam pro numine coluissent; hoc autem periculum non erat in privatis sapientibus. Vidit enim Moses, Isaias, et alii Deum in corpore assumpto, quasi in imagine; cur ergo eam expingere non potuissent?

Dices : Cap. 4, v. 15, dicitur : *Non vidistis aliquam similitudinem in die, quâ locutus est vobis in Horeb de medio ignis, ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ;* q. d. : Non apparui vobis in aliquâ specie, vel imagine, ne vos aliquam similem faciatis : ergo absolutè omnem imaginem vetat in se, et simpliciter, esto finis legis fuerit, ne eam tandem colerent, facerentque idolum. — Respondeo : Deus hic propriè

non sancit præceptum de non faciendâ imagine, sed tantùm narrat, se Hebræis in Sinâ non apparuisse per ullam speciem visibilem, ne Hebræi illius imaginem et idolum fabricarent, quod scilicet ipsi colerent et adorarent. Facilè enim evenisset, ut crassi Judæi videntes hoc Dei simulacrum, masculum, vel femineum, primò cogitâssent, Deum esse talem, scilicet masculum, vel feminam, quem colendo, non Deum verum, sed falsum coluissent. Deus enim verus, non est mas, vel femina, et vicissim Deus mas vel femina, non est verus Deus, sed falsus et fictitius. Deinde sensim mentem et sensum in ipsum simulacrum defixissent, ibique hæsissent, cogitantes illud esse suum numen, non cogitando illam tantùm esse imaginem sui numinis. Id enim factitâsse gentiles et Judæos, dixi initio hujus paragraphi. Substantia ergo præcepti est : *Non facietis sculptile,* id est, *idolum;* finis verò præcepti est, *ut non colatis, nec adoretis illud.* Facere enim, vel habere idolum, ut idolum, peccatum est, esto illud non colas, nec adores. Duo ergo hoc præcepto vetantur, primum, non facere, nec habere sculptile sive idolum, quasi idolum ; secundum, illud non adorare, nec colere.

Nec similitudinem omnium quæ in cœlo sunt desuper. Hîc explicat sculptile, ut patet ex Hebræo, scilicet quòd sit idolum, sive similitudo numinis, quod est in cœlo, terrâ, vel aquis.

Et quæ versantur in aquis sub terra. Mare enim terrâ non est altius, ut volunt aliqui mathematici, sed inferius et depressius, unde Psal. 23, 2, dicitur : *Quia ipse super maria fundavit eum,* scilicet orbem terræ; terra ergo mari est altior.

Vers. 9. — Non adorabis ea, geniculando et prosternendo te coram illis, illaque invocando : et non coles, per oblationes, festa, et præsertim per sacrificia. Hebr. est, *non servies eis,* scilicet latriâ, ut explicant Septuag. : μὴ λατρεύσεις αὐτοῖς, q. d. : Sacrificio non testaberis, te origine esse servum idoli alicujus, quasi illud per creationem, summum in te dominii jus obtineat.

Ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator, sive zelotes, ut vertunt Septuag. Zelus hic Dei, ait S. Augustinus contra Adimantum cap. 11, non cruciatum animi, sed tranquillissimam sincerissimamque justitiam significat, quâ animam impunè non sinit fornicari. Secundò, zelus hic declarat Dei charitatem, inquit Theodor., quâ animam, quasi sponsam suam et uxorem, sibi adimi non permittit. Lex enim vetus instar viri erat, populus erat instar uxoris ; si is à lege deficeret, fornicari dicebatur, ut sæpè ei improperant Prophetæ. De hoc amore et zelo zelotis Dei vide S. Dionys. de divin. Nom. c. 4, p. 1, in fine, ubi ait : *Zelotes dicitur Deus, quia amat creaturas :* nam qui amat, in rem amatam fertur ; et quia sæpè quædam impediunt adoptionem rei amatæ, nascitur in voluntate conatus ad ea repellenda, qui dicitur zelus, ait D. Thomas.

Reddens iniquitatem (pœnam iniquitatis) patrum super filios, in tertiam et quartam generationem, his qui oderunt me. Aliqui hæc accipiunt de solâ iniquitate parentum, eò quòd Deus illam in filiis, etiam innocentibus, subinde ad exemplum cæterorum, temporali et corporali pœnâ puniat. Ita D. Thom. 1-2, q. 87, art. 8; Hugo Victor. Abulensis, et Vasquez 1-2, q. 83, art. 4, disp. 135, c. 1; imò Tertull. l. 2 contra Marcion. c. 15, ubi ait, Deum hanc pœnam statuisse ob populi duritiem, ut legi divinæ obedirent amore, si non sui, saltem liberorum et filiorum suorum. Verùm hoc rarum est, et quasi extraordinarium ; unde communiter Patres accipiunt hunc locum de filiis, qui peccata parentum imitantur. Ita S. Hier. in 18 Ezechiel.; S. Aug. contra Adimantum c. 7; S. Gregor. l. 15 Moral. 22 ; Chrysost. hom. in illud Psal. 84 : *Non in æternum irasceris nobis.* Theodor., Acacius, Severus, Diodorus in Catenâ Græcorum in Exodi c. 20, v. 5, et Rabanus ibidem : idque clarè exprimit Chaldæus tam hîc, quàm Exodi 20, dùm vertit : *Visitans peccata patrum in filios transgressores,* etc., *quando filii sequuntur peccata patrum;* et noster interpres, dùm vertit hîc et Exodi 20 : *In tertiam et quartam generationem iis,* vel, *eorum qui oderunt me,* unde Moses Exodi 34, 7, cùm dixisset : *Nullus apud te per se innocens est,* hanc eamdem subtexuit sententiam. Itaque τὸ *his qui oderunt me,* tam ad filios, quàm ad parentes referendum est.

Sensus ergo est, q. d. : Ego Deus tam severè sum justus, ut peccata parentum in filios, qui eos imitantur, vindicem, ut tam filii, quàm parentes in filiis suis puniantur. Licet enim videar silere aliquandiù, si tamen videam filios aut nepotes, iisdem vestigiis insistere, et mensuram patrum implere, gravior in eos incumbet animadversio mea, quàm si nulla parentum peccata præcessissent. Solet enim Deus non statim ad peccata vindicanda prosilire, sed expectare donec mensuram peccatorum à se defi-

nitam, multitudine suâ et enormitate homines compleverint. Hinc illa sunt : *Necdùm completæ sunt iniquitates Amorrhæorum*, Gen. 15, 16. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum, ut veniat super vos omnis sanguis justus*, Matth. 23, v. 32 et 35. Cùm verò completa fuerit hæc mensura, tunc uno quasi gurgite effundit iram suam Deus, graviùsque punit posteros, non quàm mereantur, sed quàm punivisset, si soli ipsi peccâssent. Exempla sunt in posteris Salomonis, Jeroboam, Manasse, etc. Quare, quod S. August. Enchirid. 46, et ex eo S. Leo Epist. 86, hunc locum ita explicant, et dicant, parvulos non solùm obligari peccatis primorum parentum, Adæ et Evæ, sed etiam suorum proximorum parentum, donec reatus ille sacramento regenerationis solvatur, disputando dictum accipi debet. Jam enim constat è Scripturâ et Patribus, tantùm Adæ peccatum transfundi in posteros : in cæteris verò, quemque onus suum laturum.

Dices : Ezechiel. 18, 3, Dominus retractat hanc Judæorum querulam parabolam : *Patres comederunt uvam acerbam* (id est, peccaverunt) *et dentes filiorum obstupescunt*, aitque se effecturum, ut hæc ampliùs inter eos non usurpetur parabola; ergo non vindicat peccata patrum in filios. — Respondeo : Loquitur ibi Dominus de filiis insontibus. Judæi enim parabolam istam jactantes, se insontes et innoxios, ob sola parentum peccata puniri, querebantur. Ita Patres citati.

In tertiam et quartam generationem, quousque se ferè patrum protendit vita et scelerum memoria. Notat S. Athanasius tract. de communi essentiâ Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, ante finem, hîc significari, quòd Dei clementia major sit ejusdem justitiâ, in eo quòd peccata patrum puniat tantùm in tertiam et quartam generationem; benefacta verò parentum præmiet in millia, id est, in mille generationes.

Narrat Plutarch. in Apophtheg. Rom., Artaxerxem, Xerxis filium, dexteram manum habuisse longiorem sinistrâ, indeque dictum Longimanum, cùmque id illi vitio verteretur, ipse in bonum omen et regiam virtutem convertit, dicens, sibi tanquàm optimo principi Deum communicâsse, ut manum haberet ad largiendum amplissimam et longissimam, alteram verò, nempe sinistram, ad accipiendum et detrahendum brevissimam et contractam; quippe rege dignius et *beatius est magis dare, quàm accipere*, Actor. 20, 35. Multò magis Deus ad beneficiendum est longimanus, ad castigandum brevimanus, ad accipiendum nullimanus. Nihil enim à creaturis accipere potest, sed potiùs omnia quæ habent, ipse illa eis elargitur. Et in hoc consistit ejus beatitudo, opulentia, et bonitas immensa, quâ ut mare redundans bona sua communicat, et profundit in angelos et homines.

Posset tamen secundò hîc numerus definitus pro indefinito accipi : *In tertiam et quartam generationem*, id est, in multas generationes; tumque perfecta et quasi adæquata erit antithesis pœnæ impiorum parentum, cum præmio bonorum. Tria enim et quatuor, perinde ac mille, apud Hebræos denotant magnam multitudinem. Ternario enim, ob mysterium SS. Trinitatis, libenter utitur Script., et per eum copiam significat. Hinc illud Isaiæ 40, 12 : *Qui appendit tribus digitis molem terræ*, Gen. 18, 6, et Matth. 13, 33, farinæ sata tria. Eccles. 4, 12 : *Funiculus triplex difficilè rumpitur;* sic vulgò dicimus, ter felix, id est, maximè felix; ter maximus, etc. S. Chrysost. hom. 47 in Matth. Vide Riberam in Amos 1, 3.

Tropologicè, inquit S. Hieron in c. 18 Ezech., pater est incentivum vitii, filius est peccatum, nepos est opus perpetratum, pronepos est gloriari de peccato; quæ duo ultima maximè punire solet Deus.

Vers. 10. — Et faciens misericordiam in multa millia diligentibus me. Hebr. et Chald. *in mille*, id est, in plurimas generationes. En quàm memor est pietatis et obsequii nostri divina bonitas, quàmque nos hîc amore, uti priùs timore, et metu pœnæ, ad legis suæ custodiam incitat et impellit.

Symbol., nota hîc millenarium symbolum esse Dei, ejusque infinitatis, et infinitæ misericordiæ. Est enim millenarius, cubus denarii (decies enim decem faciunt centum; decies centum faciunt mille) et finis omnium numerorum. Sic Deus est cubus, et finis omnium, atque per misericordiam omnes ad se, quasi ad finem eorum ultimum, puta ad æternam felicitatem, reducere conatur.

Vers. 11. — Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra, scilicet in vanum, q. d. : Non adjicies horribile nomen Dei sculptilibus, inquit S. Cyril. l. 4 in Joan. 51, et Clemens 6 Stromat. ante finem, Tertull. quoque lib. de Idololatriâ c. 20 : *Non assumes*, inquit, *nomen Dei in vano*, id est, in idolo. Verùm illud jam vetitum audivimus primo præcepto, quo vetatur idololatria; illud idem tamen vetatur quoque

hoc secundo præcepto, quatenùs idipsum profanatio est nominis divini, sed hic non est adæquatus hujus præcepti sensus; nam et multa alia eo vetantur. Secundò, S. Thomas 2-2, q. 122, art. 3, censet, hoc secundo præcepto solum perjurium propriè et directè prohiberi. Unde et Chald. vertit : *Non jurabis in nomine Domini Dei tui frustra.* Quin et hebræa ita vertas : *Non assumes nomen Dei tui ad mendacium.* Hebræum enim *scaf,* et vanum, et mendacium significat, uti et *vanum* pro mendace subinde latinè usurpamus. Tertiò et optimè, Theodor. in Exodi 20, et passim doctores, censent hîc non solùm perjurium, sed omnem irreverentiam et abusum nominis divini vetari, ne divinum nomen, ait Theodor., nominetur, præterquàm aut doctrinæ causâ, aut precationis, aut alicujus necessitatis. Hoc enim clarè significat versio nostra, et Septuag. : *Non accipies nomen Domini Dei tui in vanum.*

Nota. Per *nomen Dei,* hîc non tantùm intelligitur tetragrammaton *Jehova,* ut volunt Hebræi, sed et omnia alia Dei nomina, cujuscumque sint linguæ; imò de nomine *Jesus*, hoc præceptum maximè accipiendum esse probat Abul. q. 7 in c. 20 Exodi, ex eo quòd nomen Jesus venerabilius sit nomine Deus. Deus enim creatorem significat, Jesus verò Deum significat ut redemptorem et salvatorem. Unde nomen Jesus Deo, sive Creatori, novum et majorem addit titulum, scilicet Salvatoris.

Moralem exaggerationem hujus præcepti, et quomodò utendum sit nomine Dei, quàmque grave peccatum sit eo per perjurium abuti, vide apud D. Thomam in opusculo septimo, ubi inter cætera ait : Juramento confitemur, quòd prima veritas non est nisi in Deo, in hoc autem fit reverentia Deo. Unde lex jubet, ne quis juret per idola, sed per Deum. Perjurus ergo facit injuriam Deo, sibi ipsi et omnibus hominibus. Primò Deo, quia cùm jurare per Deum nihil aliud sit, nisi invocare ejus testimonium, cùm juras falsum, aut credis Deum nescire verum, et sic ponis ignorantiam in Deo, cùm tamen omnia nuda et aperta sint oculis ejus; aut, quòd diligat mendacium, cùm tamen dicat Psaltes : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium ;* aut derogas potentiæ, quasi non possit perjurium convincere aut punire. Secundò, facit injuriam sibi, quia obligat se judicio Dei; nihil enim est aliud dicere : Per Deum ita est, nisi : Deus puniat me si non est ita. Tertiò, injuriatur aliis hominibus; nulla enim inter aliquos societas durare potest, nisi credant sibi invicem; dubia autem juramentis confirmantur, et *omnis controversiæ finis est juramentum,* Hebr. 6, 16.

Quia non erit impunitus qui super re vana nomen ejus assumpserit. Pro *impunitus,* Exodi 20, 7, habetur, *insons,* sed *insons* ibi capitur pro impunito, metonymicè, uti et alibi sæpè, ut 1 Reg. 26, 9, Prov. 11, 21. Jam sensus est, q. d. : Deus severè puniet, vel in hâc vitâ, vel in futurâ eum, qui nomen Dei in vanum assumit; est liptote, quæ Hebræis est frequens, ut Michææ 2, 1: *Væ qui cogitatis inutile!* id est, peccatum, quod non tantùm inutile, sed et maximè noxium est; 1 Reg. 12, 21 : *Nolite declinare post vana* (idola) *quæ non proderunt,* id est, quæ maximè oberunt; Jerem. 32, 35 : *Quod non mandavi,* id est, quod severè prohibui. Sic de Pallante, viro virtute præstanti, ait Virg. Æneid. 11 :

Quem non virtutis egenum
Abstulit atra dies.

Nota. Deus huic secundo præcepto, æquè ac primo, pœnam apponit, vel ob rei præceptæ gravitatem, vel ad coercendam Hebræorum ad ea violanda proclivitatem. Ita Deus fame triennali punivit Israelem, ob perjurium Saülis, quo contra fidem datam à Josue, occidit Gabaonitas : unde eis traditi sunt posteri Saülis, qui ab eis crucifixi sunt, itàque lues cessavit, 2 Reg. 21; ita ob perjurium Sedeciæ regis, Jerusalem, totaque Judæa eversa est, 4 Reg. 24 et 25, et Ezech. 17. Porrò blasphemum Deus lapidari jussit, Levit. 24. Nota quoque est pœna blasphemi Sennacherib, 4 Reg. 19. Paulus quoque blasphemos tradidit Satanæ, 1 Timoth. 1.

Vers. 12. — Observa diem sabbati, ut sanctifices eum. Hîc, uti et Exodi 20, perfectum de sabbato colendo datur præceptum, cujus præludium et inchoatio in manna præcessit, Exodi 16, 23, imò in genesi mundi : exinde enim coli cœpisse sabbatum, ostendi Gen. 2, 3.

Nota. Præceptum hoc, quatenùs diem et tempus aliquod Dei cultui publico et externo dandum præcipit, morale est et naturale; hoc enim faciendum esse, dictat lex naturæ; quatenùs verò diem septimum, sive sabbatum ad hoc determinat, eoque quiescere jubet, cæremoniale est; ideòque jam in lege novâ abolitum. Ita D. Thom. 2-2, q. 122, art. 4, ad 1.

Nota secundò. Sabbatum, id est, quies Dei, quo scilicet Deus ab opere creationis cessavit die septimo mundi, sacramentum fuit, et causa legalis et cæremonialis hujus festi sabbati. Hoc festum, rursùm, allegoricè typus erat sabbati,

id est, quietis, quâ Christus quievit in sepulcro eodem die. Tropolog. verò typus erat sabbati nostri, quo à peccatis cessare debemus, de quo vide Athanas. hom. in illud : *Omnia mihi tradita sunt*, et S. Hieron. in c. 59 Isaiæ, et S. Gregorium lib. 11 Registri epist. 3. Anagogicè verò sabbatum typus erat et causa sabbati et quietis æternæ in cœlis, uti docet S. Paulus Hebr. 4, 3; nam, ut ait S. Joannes Apoc. 14, 13 : *Amodò jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos.* Unde Rupertus hoc præceptum anagogicè sic exponit, q. d. : *Memento, ut diem sabbati sanctifices*, id est, in omnibus operibus tuis Dei retributionem, et requiem æternam paratam attende.

Quæres, quæ fuerit origo sabbati? Gentiles, ait Diodorus in Catenâ Græcorum Exodi 20, censebant, Hebræos in honorem Saturni sabbatum colere; diem enim septimum vocant ipsi diem Saturni, sicut primum vocant diem Solis, secundum Lunæ, tertium Martis, etc. Seneca verò, teste S. August. 6 Civit. 11, ridet Judæos, quòd septimam ætatis et vitæ partem otiando perderent. Tertiò, Plutarchus l. 4 Symposiac. quæst. 5, censet, Judæos in honorem Bacchi, qui Sabbos dictus est, sabbatum celebrare. Quartò, Appion apud Joseph l. 2, contra eumdem, narrat, Judæos Ægypto exeuntes, laborâsse ulceribus inguinum, quæ Ægyptii sabbo vocabant, eaque septimo die cessâsse : ideòque eum diem ab illis sabbatum esse vocatum, ac celebratum. Sed hæc gentilium sunt commenta et calumniæ. Quintò, Lactantius l. 7 Institut. c. 14, censet sabbatum dici à septem, quasi dicas, septimus dies. Verùm patet, sabbatum non latinam, sed hebræam esse vocem, ac significare quietem, à radice *scabat*, id est, quievit.

Dico ergo : Prima origo et causa instituendi sabbati fuit, ut homines sabbato opus creationis, et beneficium institutæ à Deo naturæ, conditique universi expenderent, ut patet Genes. 2, v. 3, et hîc v. 14. Secunda causa fuit, ut Hebræi in sabbato laboriosæ servitutis ægyptiacæ, et ab eâ liberationis memoriam celebrarent; hæc causa datur hîc v. 25, unde et pridiè sabbati egressi sunt ex Ægypto, uti ostendi Exodi 12, 41. Tertia fuit, ut sabbatum dicatum Deo, signum esset electionis divinæ, quâ Deus Israelem, præ aliis gentibus, sibi in populum adoptavit. Hæc causa significatur Exodi 31, v. 13, unde sabbato Judæi à gentibus secernebantur. Hinc Ovidius :

Cultaque Judæo septima sacra viro.

Quarta, ut sabbato, à laboribus totius septimanæ, daretur requies servis, ancillis et animalibus, ne nimio labore opprimerentur. Hæc causa datur hîc v. 14.

Symbolica causa est quia septenarius numerus est mysticus, quo multùm utitur S. Script.; significat enim integrum rei complementum, sicut hebdomas dierum continua et perpetua eorumdem est revolutio; hinc sabbatum erat septimus dies : sic septimus annus erat libertatis, et sabbati terræ; septem hebdomadæ dierum, erant pentecoste; septem hebdomadæ annorum, erant jubilæum. Hinc septenarius in Scripturâ significat plenitudinem et universitatem, inquit S. Augustinus, ut patet 1 Reg. 2, 5, in Hebræo; Jerem. 15, 9; Eccles. 11, 2.

Causam hujusce rei arithmeticam dat Philo lib. de mundi Opificio : Septenarius, inquit, solus intra denarium, nec gignit, nec gignitur, sine patre est et matre. Unde Pythagoræi eum vocant virginem; hinc congruit Deo et rebus divinis, ideòque græcum ejus nomen ἑπτὰς, à veteribus dictum est septas, ἀπὸ τοῦ σεβασμοῦ, id est, à cultu et reverentiâ. Sic enim græca aspiratio sæpè in litteram *s* vertitur, teste Prisciano, ut ex ἅλς factum est sal, ex ὑπὲρ, super, ex ὗς, sus, ex ὕλη, sylva, ex ἡμισυ, semis, ex ἕξ, sex, ex ἑπτά, septem, ex ἕρπω, serpo. Physicam congruentiam dat S. Hieron. in Amos 5 : Galenus, inquit, docet, febres ardentissimas septimo die solvi; si non primo, secundo, id est, decimo quarto die; si non secundo, tertio, id est, vigesimo primo die, ut omnes labores et molestiæ septenario numero conquiescant.

Cicero, in somnium Scipionis, ait septenarium esse nodum et plenitudinem rerum omnium, quia, scilicet, Deus est unitas, à quo fluit senarius creaturarum, videlicet angeli, elementa, mixta inanima, stirpes, bruta et homo; deinde septimo rursùs ad primam unitatem, scilicet Deum, revertimur, in eâque desinimus, à quo, per quem, et in quem omnia sunt dirigenda, ut explicat Andræas Masius in Josue 6, 13.

Hinc Philo lib. 1 Allegor. ait senario significari mortalia, quia senarius est divisibilis; septenario verò, quia secari nequit, significari felicia et immortalia. Unde Deus sex diebus complevit opus suum, scilicet mortale, septimo verò ab eo quievit, sed alias diviniores formationes incœpit. Errat verò Philo in eo, quod subdit : « Nam rusticanæ simplicitatis est pu-« tare, sex diebus, certoque tempore, quod

« mundo posterius est, mundum esse condi-« tum; » ubi sex dies creationis mundi non litteraliter, sed symbolicè accipit, quod et fecit aliquando sanctus Augustinus, quâ de re dixi Genes. 1.

Plura de perfectione septenarii videat qui volet apud Philonem et Macrobium lib. 1 in Somnium Scipionis, c. 6, et A. Gellium lib. 3, et Andr. Masium supra.

Ut sanctifices eum, q. d.: Observa et celebra sabbatum, quasi sanctum, et à reliquis diebus separatum, quietique et recolendo creationis operi, aliisque Dei beneficiis, dicatum, cujus finis ut te moneam, addidi vocem *memento*, Exodi 20, 8. Hæc ergo sanctificatio sabbati, quæ hîc directè præcipitur, non erat alia, quàm vacatio ab omni opere, ut patet v. 14, et Exodi 20, 10; nam colendo hoc modo sabbatum, ut jusserat Deus, tacitè profitebantur Hebræi, Deum creatorem esse et largitorem bonorum omnium. Finis verò præcepti erat, ut otium haberent vacandi Deo rebusque divinis, et Dei beneficiis recolendis, unde Exodi 20, 11, dicitur, quòd Deus benedixerit et sanctificaverit sabbatum, videlicet hoc ipso, quo sabbatum ab aliis diebus, ad suî cultum jam dictum segregavit. Scribit Josephus lib. 7 Belli 24, et Plinius lib. 31, 2, in Judæâ fluvium esse qui per sex dies fluat, septimo fluere desinat, relinquatque alveum siccum, ideòque eum *sabbaticum* vocari.

Nota. Sabbati summa erat solemnitas præ cæteris festis omnibus; unde nec cibum in eo parare licebat, uti de mannâ vidimus Exodi 16, v. 29, nec ignem accendere, ut patet Exodi 35, v. 3, quæ tamen in aliis festis facere licebat. Hinc factum est, ut nomen *sabbati* omnibus aliis festis communicaretur, omniaque vocarentur sabbata, ut patet Levit. 23, v. 11, 24, 33, imò et tota hebdomada, à potiori suî parte et die, vocaretur sabbatum (hinc ait Pharisæus: *Jejuno bis in sabbato,* id est, hebdomade), atque à sabbato reliqui dies denominarentur, ut prima sabbati, sive post sabbatum, erat dies Dominica; secunda sabbati, erat dies lunæ, et ita consequenter. Vide S. Hieron. Epist. 150 ad Hedibiam, q. 4. Usurpatur autem subinde pluralis pro singulari; idemque est *sabbata et sabbatum,* ut una sabbatorum est prima sabbati. Vide Riberam lib. 5 de Templo, c. 1.

De mutatione sabbati, quo creatus est mundus à Deo, in Dominicum, quo recreatus est mundus à Christo resurgente, deque cultu Dominicæ à Christianis debito, vide S. Thom. in opusc. 7, ubi inter cætera docet, quòd fideles in festis tam ab otio, quàm ab opere servili abstinere debeant; nam, ut ait Eccles. c. 33: *Multam malitiam docuit otiositas.* Fideles ergo in festis occupari debere, primò, in sacrificiis tum internis, ut sunt devotio, oratio, gratiarum actio, cumpunctio, actus fidei, spei et charitatis; tum externis; hinc Judæi in sabbato duplicabant sacrificium juge, Numer. 28, 9. Secundò, in lætitiâ spirituali. Tertiò, in carnis et concupiscentiarum mortificatione, ut exhibeant corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, Rom. 12, 1. Quartò, in actibus misericordiæ, Heb. 13, 16: *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus.* Jacobi 1, v. 27: *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc seculo.* Quintò, in legendo et audiendo verbum Dei, aliaque pia. Hoc enim Judæi faciunt etiam hodiè. Act. 13: *Voces Prophetarum quæ per omne sabbatum leguntur.* Nam, ut ait Christus Joan. 8: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Hinc in concilio Carthag. IV, cap. 84, excommunicantur qui die solemni, Ecclesiæ conventu prætermisso, vadunt ad spectacula. Peccant ergo fideles, qui auditâ Missâ otio vacantes, totum diem in chartis vel aleis, aut in choreis inhonestis, ebrietatibus, comessationibus, aliisque peccatis et vanitatibus transigunt; quod in concil. Tolet. III, c. 22, graviter prohibetur. In eos etiam detonat Malach. c. 2: *Ecce ego projiciam vobis brachium, et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, et assument vos secum.* Et Isaias c. 1: *Solemnitates vestras odivit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.* Porrò fructus et præmia colentium festa describit Isaias c. 58, cùm ait: *Si averteris à sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo; et vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum, tunc delectaberis super Domino:* en primus fructus, qui est suavis quædam voluptas spiritûs in rebus ad Deum pertinentibus. *Et sustollam te super altitudines terræ,* en secundus, q. d.: Faciam ut magno animo contemnas omnia terrena, eaque cum S. Paulo arbitreris ut stercora. *Et cibabo te hæreditate Jacob patris tui,* en tertius, q. d.: Replebo te spiritualibus bonis in hæreditate cœlesti. Denique adjiciet Deus et temporalia bona, ut promittit ipse Levit. 16, v. 2 et 4. Qui verò festa violant, puniuntur primò in corpore, puta morbis et casibus, ut

crura vel brachia sibi frangant laborando. Secundò, in bonis damna patiuntur, à furibus spoliantur, eorum equi, boves, etc., moriuntur, domus conflagrat, etc., fiuntque pauperes. Tertiò, bonis spiritualibus privantur. Peccant enim primò in Deum Patrem, cujus potentia die Dominico mundum creavit. Secundò, in Filium, qui eodem die nos redemit. Tertiò, in Spiritum sanctum, qui eodem die ad nos missus est. Audi Jerem. c. 17 : *Si non audieritis me, ut sanctificetis diem sabbati, et ne portetis onus*, etc., *succendam ignem in portis ejus, et devorabit domos Jerusalem, et non extinguetur*. Audi Ezech. c. 20 : *Sabbata mea violaverunt ; dixi ergo, ut effunderem furorem meum in deserto, et consumerem eos*. Vide 2 Esdræ 13, 15. Ita Deus violantem sabbatum morte punit, Exodi 31, 14, et Num. 15, 35 ; vide et 2 Machab. 15, 4 et seq., ubi Nicanor contemnens sabbatum Judæorum, ab eis cæditur. Vide Gregor. Turon. de Gloriâ confess. c. 81, ubi narrat, contemnentem festum B. Mariani igne fuisse punitum, et c. 99 narrat de alio, qui in festo laborans, colli et faciei contorsione punitus est.

Vers. 14. — Non facies in eo quidquam operis, intellige servilis, ut exprimitur in simili Levit. 23, 28, et non necessarii : poterant enim sabbato jumenta adaquare, ex fossis extrahere, etc., uti docet Christus Matth. 12, v. 3 et seq., item ægros curare, uti fecit Christus. Nam, ut ait Tertull. lib. 4 contra Marcion. 12 : *Opus salutis et incolumitatis, non est opus hominis, sed Dei*. Multò minùs vetatur hîc opus spirituale, quale est omnis actio pia et religiosa. Hæc enim sabbatum decet et ornat.

Judæi superstitiosè coluerunt, et etiamnum colunt sabbatum, ut ab omni prorsùs opere abstineant ; hinc Christum persecuti sunt usque ad mortem, eò quòd sabbato ægros curaret. Tritum est illud de Judæo in Angliâ, qui in foveam sabbato cadens, nolensque extrahi, à christiano judice coactus est et Dominico in eâdem remanere ; cùm enim ille diceret :

Sabbata sancta colo, de stercore surgere nolo.

respondit judex, uti referunt annales Angliæ :

Sabbata nostra quidem, Salomon, celebrabis ibidem.

Quin et Machabæi sabbato pugnare et se defendere noluerunt ; sed suorum strage edocti, consilium et mentem mutârunt, 1 Machab. 2, 38 et seq.

Et peregrinus qui est intra portas tuas, q. d. : Negotiator, sive quis alius alienigena etiam incircumcisus et gentilis, cùm tecum est, publicum loci festum non violet, sed servet tecum otium sabbati. Ita Cajetanus et alii.

Vers. 16. — Honora patrem tuum, et matrem. *Honora* primò, amando ; secundò, reverentiam internam et externam exhibendo ; tertiò, obediendo ; quartò, juvando et subveniendo ; hæc enim quatuor complectitur honor, hæcque parentibus sunt debita ; unde Scriptura sub honore etiam munera donaque accipit, ut patet 1 Timoth. 5, v. 3 et 17, atque de iis etiam hoc præceptum intelligit Christus, Matth. 15, 6, ut ibi notat S. Hieron.

Exemplum memorabile pietatis in parentes refert Plinius lib. 7, c. 36 : « Humilis, ait, in « plebe, et ideò ignobilis puerpera, supplicii « causâ carceri inclusam matrem, cùm impe- « trâsset aditum à janitore, semper excussa, « ne quid inferret cibi, deprehensa est uberi- « bus suis alens ; quo miraculo matri donata « salus filiæ pietate est, ambæque perpetuis « alimentis ; et locus ille deæ Pietati consecra- « tus est, templo Pietati exstructo in illius car- « ceris sede, ubi nunc Marcelli theatrum est. » Idem fecit filia Cimonis ducis : « Hæc enim « Cimonem consimili fortunâ affectum, parique « custodiæ traditum, jam ultimæ senectutis, « velut infantem pectori suo admotum aluit ? » inquit Valerius Max. lib. 3. Illustre quoque est quod refert Fulgos. lib. 5, c. 4, de Toletano homine, cujus pater faber aurarius erat à Petro I, rege Castulonis, ob falsas suspiciones ad mortem damnatus erat ; hic enim ejus filius amore in patrem singulari, lacrymis precibusque agere non destitit, ut servato patre ipse pro eo occideretur. Quod assecutus, vitamque amittens, vitam dedit patri à quo vitam acceperat. Ibidem narrat Alexium Isaaci imp. Constant. filium, patrem à fratre imperio oculisque orbatum in regnum armis restituisse, et quanquàm omnes eum imperatorem salutarent, ipsum tamen hoc nomen cum imperio in patrem resignâsse. Insigne quoque est, quod narrat Egnatius lib. 5, cap. 4, de cardinali Grimano, qui pro patre Antonio carceri se obtulit.

Ut longo vivas tempore. Unde Ephes. 6, primum hoc mandatum dicitur in promissione ; æquum enim est, ut filii, qui grati sunt parentibus de vitâ acceptâ, longam ejus conservationem mereantur, uti dixi Ephes. 6, 3 ; vide et S. Thomam in opusc. 7, ubi inter alia ait, post Deum juberi statim coli parentes, ob similitudinem quam habent cum Deo ; nam primò, dant filiis stabilimentum quoad esse, Eccles. 7 :

Gemitus matris tuæ non obliviscaris; memento quoniam nisi per illos natus non fuisses. Secundò, dant filiis nutrimentum; tertiò, documentum, maximè ut timeant Dominum, et abstineant ab omni peccato; illi filios ad sacramenta, ad fidem, ad religionem, ad mores christianos erudiunt et deducunt. Exemplum illustre est in Tobiâ. Addit S. Thomas, filios à parentibus accipere vitam, sicut milites à rege accipiunt feudum, ut, si ei sint fideles, ejus conservationem, sint infideles, ejus privationem mereantur. Affert ex Cassiodoro et S. Ambros. 5 Hexam. exemplum ciconiarum, quæ cùm parentes senuerunt, eos plumis suis fovent, escasque afferunt, et piâ vicissitudine juvenes reddunt, quod à parentibus parvuli susceperunt. Vide novem benedictiones morigeris filiis promissas quas recensui Gen. 9, v. 23 et 26.

Notat Abul. quòd qui honorat parentes, licet citò moriatur, diù tamen vixit, quia tempus mensura est actuum, non otii : unde Sap. 4 dicitur : *Consummatus in brevi, explevit tempora multa;* et sic omnes boni sunt longævi. Sed hic sensus mysticus est, et subtilior quàm solidior. Secundò, S. Hieron. in Ephes. 6, sic explicat, ut *longo vivas tempore,* in terrâ scilicet, non morientium, sed viventium, id est, in cœlo. Verùm sequentia verba, tam hîc, quàm Exodi 20, 12, significant, terram hîc intelligi promissam Israelitis, scilicet Chanaan, q. d. : Si honores parentes, in terrâ Chanaan lacte et melle manante, longævus vives. Fecit et præstitit id Deus rudi illi populo, vel certè idipsum meliori dono et gratiâ spirituali compensavit, uti etiamnum facit. Hoc longævitatis præmium, quasi lege et talione quâdam naturæ, filiis morigeris competit, unde et à gentilibus cognitum fuit, ac experimentis sæpiùs comprobatum. Ita Homerus Iliad. ρ, puta 17, de Hippothoo : *Nec nutricationis,* ait, *vicem parentibus reddidit, et ideò brevis illi contigit vita.* Et Plato cùm in libris de Legibus honorem parentibus debitum commendâsset, ita concludit : *Quòd si ita exactè servaverimus, digna à Diis præmia referemus, plurimùm bonâ cum spe viventes.*

Vers. 17. — Non occides. Vetat hîc occisionem hominis, non bruti aut plantæ, uti intelligebant Manichæi. Vide S. Aug. 1 de Civit. 20 et 21, idque patet ex Hebræo. Soli enim homini competit verbum *ratsach,* id est, occidit; unde *meratsechim* vocantur homicidæ. Vetat ergo hîc Deus injustam hominis occisionem (qualis est ea quæ fit privatâ auctoritate, nisi fiat ad necessariam suî suorumve tutelam), item verbera, rixas, et iram, quæ hùc tendunt, suntque quasi via et inchoatio homicidii. Vide D. Thom. in opusc. 7, pulchrè homicidii et aliorum vitiorum hîc vetitorum deformitatem describentem.

Vers. 18. — Neque mœchaberis. Vetat hîc Deus omnem concubitum extra matrimonium, omnemque membrorum illorum, quæ generationi destinata sunt, abusum, scilicet fornicationem, adulterium, incestum, sodomiam, bestialitatem, pollutionem, vitiaque hisce cognata, uti sunt oscula, verba, aspectus, tactus et gestus impudici. Ex parte enim notiori et famosiori, puta mœchiâ, sive adulterio, totum libidinis genus, omnesque ejus species intelligi voluit. Ita S. August. q. 71. Ex hoc ergo loco, ex communi interpretum sententiâ patet, fornicationem simplicem, quæ est soluti cum solutâ, uti et quamvis libidinem extra conjugium, jure naturæ et divino esse vetitam. Licet ergo Moses in Pentateucho fornicationem hanc disertis et expressis verbis non vetuerit, tamen eam hoc loco universali præcepto comprehendit et vetuit. Fornicationem verò cum conjugatâ, vel desponsatâ, expressè vetuit Deut. 22, 21 et seq., quia hæc est adulterium, quo fit injuria tertio, scilicet sponsæ, ipsique matrimonio, vel sponsalibus. Fornicationem simplicem hîc vetari, sicque intelligendum esse præceptum : *Non mœchaberis,* senserunt et docuerunt veteres Hebræi. Unde Tobias c. 1 : *Attende,* ait, *fili mi, ab omni fornicatione, et præter uxorem tuam, nunquàm patiaris crimen scire.* Et Eccli. c. 19, 3 : *Qui se jungit fornicariis, erit nequam; putredo et vermis hæreditabunt illum.* Vide dicta 1 Cor. 6, 9. Idem colligitur ex Ezech. c. 16, et c. 23, et alibi passim. Prophetæ enim sæpè comparant idololatriam fornicationi, quasi rei turpi, illicitæ et infami.

Notat D. Thom. mœchum et mœcham violare primò, legem naturæ; secundò, ordinationem Dei; tertiò, sacramentum matrimonii, ideòque committere sacrilegium; quartò, esse proditores, quia subtrahunt se suis maritis vel uxoribus, seque tradunt alienis; quintò, esse fures, quia faciunt ut bona virorum vel uxorum veniant ad alienos, puta ad filios adulteri. Vide Prov. 2, 16. Pœnas adulterii apud varias gentes recensui Gen. 38, 29.

Vers. 19. — Furtumque non facies. Pari modo vetatur hîc omnis illicita usurpatio rei alienæ, ait S. August. Notat Philo lib. de Decalogo, post initium, Deum in concione et cœtu

tam multorum millium Hebræorum, singulos compellare, non omnes, nec plures, dicit enim: *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies;* non autem : Non occidetis, non mœchabimini, non furtum facietis. Idque primò, ut doceret unumquemque, dùm Deo Deique legibus paret, honore æquari frequentissimo populo, imò et mundo universo; unde alibi justum laudans ait : *Ego sum Dominus Deus tuus;* secundò, ut quisque legi redderetur obsequentior, dùm sibi, non turbæ, dictum audit, id quod præcipitur; tertiò, ut ostenderet Deus, quanti quemque faceret, utpote quem ad oraculorum suorum epulum invitat, quantique principes et magistratus cives suos etiam abjectissimos æstimare, quàmque decenter et æquè cum eis agere, eosque compellare debeant, utpote quos Rex regum tanto dignatur honore.

Vers. 20. — Nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. A principaliori crimine falsi testimonii, cætera quoque minora ei affinia intellige, puta detractionem, contumeliam, irrisionem, susurrationem, omnemque aliam injuriam quæ proximo per verba irrogatur, denique omnem linguæ abusum. Ita D. Thom. 2-2, q. 122, art. 6.

Audi quantum peccatum sit detractio. Primò, ex S. Script. Eccl. 10, 11 : *Si mordeat serpens in silentio, nihil minùs habet qui occultè detrahit.* Prov. 24, 9 : *Abominatio hominum detractor,* et v. 21 : *Cum detractoribus non commiscearis, quoniam repentè consurget perditio eorum.* Eccli. 28, 15 : *Susurro et bilinguis maledictus, multos enim turbavit pacem habentes.* Rom. 1, 30 : *Detractores Deo odibiles.* Denique Scriptura passim detractorum linguam comparat gladio, novaculæ acutæ, armis et sagittis. Secundò, ex doctoribus et Patribus, qui gravius peccatum docent esse detractionem, quàm sit furtum et rapina; tollit enim famam, quæ auro est præstantior. S. Hier. in Psal. 100, ait eam esse pejorem fornicatione. S. Petrus apud Clement. Epist. 1 ad S. Jacobum, eam æquiparat homicidio : multi enim malunt perdere vitam quàm famam. S. Chrysost. hom. 3 ad popul. : *Detrahens,* ait, *fraternas carnes comedisti, proximi carnem momordisti.* Hæ sunt Thyestææ cœnæ. S. Bernard. de triplici Custodiâ, manûs, linguæ et cordis, linguam detrahentem ait esse viperam et lanceam trisulcam, quæ ictu uno tres confodit, scilicet dicentem, audientem, et eum cui detrahitur. Ait quidam, maximam hominum partem ob hoc crimen interire. Plura vide apud P. Busæum in Panario, Canisium et Felis. in Decal.

Vers. 21. — Non concupisces uxorem proximi tui. Nota. Concupiscentia vetatur speciali præcepto, quia plerique putabant sexto præcepto : *Non mœchaberis,* et septimo : *Non furtum facies,* tantùm vetari actum externum, internum verò non esse vetitum, nec cavendum; quin et post datam à Deo legem, Joseph. 12 Antiq. 13, id putâsse videtur, uti et Judæi alii, quos corrigit Christus Matth. 5, v. 23 et 29, quasi hoc præcepto : *Non concupisces,* tantùm vetetur conatus exterior ad facinus complendum; sed ille jam vetitus est sexto et septimo præceptis, et ut is hoc præcepto vetetur, non tam quia exteriùs se prodit, eo vetatur, quàm quia à malâ voluntate procedit. Illa enim in se mala (ideòque vetita) virus malitiæ suæ actui externo instillat, eamque propriè hæc verba significant et prohibent, cùm dicitur : *Non concupisces.* Unde colligas, omnem alium voluntatis motum, præceptis aliis adversantem, pariter iisdem vetari, quando concupiscentia feminarum et bonorum, ad quam naturaliter maximè proclives sumus, hîc vetatur.

Hæretici, Lutherus et Calvinus in alio sunt extremo : censent enim vetari hîc concupiscentiam, quæ è peccato originali est reliqua, puta motus appetitûs sensitivi et voluntatis inordinatos, qui rationem et liberum voluntatis assensum præveniunt. Verùm hoc esse falsum, et tantùm voluntariam concupiscentiam, sive consensum voluntatis in illicitas delectationes, hîc vetari, multis ostendi Rom. 7, 7.

Non domum, non agrum. Post concupiscentiam uxoris nono præcepto vetitam, decimo hoc vetat concupiscentiam rei alienæ : hæc enim distinguenda esse ostendi v. 7. Hîc ergo rectus ordo præceptorum servatur, qui Exodi 20, 16, non servatur, nisi à Sept.; ibi enim Mosi non fuit propositum servare ordinem, sed tantùm ipsa præcepta enarrare.

Moral. D. Thom. opusc. 7 : « Concupiscentia, « ait, vetita est, primò propter concupiscentiæ « infinitatem, concupiscentia enim quid infini- « tum est. Quilibet autem sapiens debet inten- « dere finem aliquem : imò nullus debet ire per « viam infinitam, Eccles. 5 : *Avarus non implebi- « tur pecuniâ,* Isaiæ 5 : *Væ qui conjungitis domum « ad domum, et agrum agro copulatis!* Et quod « concupiscentia nunquàm satietur, ratio est, « quia cor hominis factum est ad recipiendum « Deum. Unde August. in 1 Confess. : *Fecisti « nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum « donec requiescat in te.* Id ergo quod minus est « Deo, ipsum implere non potest, Psal. 102;

« *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Secundò, « quia aufert quietem quæ multùm est delectabilis. Semper enim cupidi solliciti sunt acquirere non habita, et habita custodire, Eccles. « 5 : *Saturitas divitis non sinit eum dormire.* « Matth. 6 : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor « tuum,* et ideò Christus Lucæ 8 divitias spinis « assimilavit : ut dicit Greg. Tertiò, quia causat in divitiis inutilitatem. Facit enim divitias « esse non utiles, nec sibi, nec aliis. Non enim « utuntur eis nisi conservando, Eccli. 14 : « *Viro cupido et tenaci sine ratione est substantia.* Quartò, quia tollit justitiæ æquitatem, « Exodi. 23 : *Ne accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum.* « Eccli. 31 : *Qui aurum diligit, non justificabitur.* « Quintò, quia necat charitatem Dei et proximi, quia secundùm August., quantò magis « habet quis de charitate, tantò minus de cupiditate; et è converso, Eccl. 7 : *Neque fratrem « charissimum auro spreveris.* Necat etiam charitatem Dei; quia sicut *nemo potest duobus « dominis servire,* ita neque *Deo et mammonæ,* « ut dicitur Matth. 6. Sextò, quia producit « omnem iniquitatem, *est* enim *radix omnium « malorum,* et ideò, si in corde radicata est, et « homicidium, et furtum, et omnia mala operatur, et ideò dicit Apostolus 1 Timoth. 6 : « *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, « et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium « malorum est cupiditas.* » Porrò quomodò concupiscentia superanda sit, ita prosequitur : « Vincitur autem quatuor modis : Primò occasiones exteriores fugiendo, ut puta malam « societatem, et omnia inducentia occasionaliter ad hoc peccatum, Eccli. 9, 5 : *Virginem « ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore « illius. Noli circumspicere in vicis civitatis, nec « oberraveris in plateis illius. Averte faciem tuam « à muliere comptâ, et ne circumspicias speciem « alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt : et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Prov. 6 : *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non « ardeant?* et ideò præceptum fuit Loth ut fugeret ab omni circa regione, Gen. 19. Secundò, « cogitationibus aditum non præbendo, quia « occasio sunt excitandæ concupiscentiæ : idque faciendum est per carnis afflictionem, « 1 Cor. 9 : *Castigo corpus meum,* etc. Tertiò, « orationibus insistendo, *quia nisi Dominus custodierit civitatem,* etc. Sap. 8 : *Scivi quoniam « aliter non possum esse continens, nisi Deus det.* « Matth. 17 : *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, « nisi per orationem et jejunium.* Si enim duo « pugnarent, et velles unum juvare, alterum « verò non, oporteret primo auxilium dare, « secundo verò subtrahere. Inter spiritum autem et carnem est prælium continuum. Unde « oportet, quòd si vis quòd spiritus vincat, « quòd des ei auxilium; et hoc fit per orationem; carni verò subtrahas : et hoc fit per « jejunium, nam caro per jejunium, debilitatur. Quartò, licitis occupationibus insistendo, « Eccli. 33 : *Multam malitiam docuit otiositas.* « Ezech. 16 : *Hæc fuit iniquitas Sodomæ; superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium.* « S. Hieron. : Semper aliquid boni facito, ut « te diabolus inveniat occupatum; inter omnes « occupationes melior est studium Scripturarum. Hieron. ad Paulinum : Ama scientiam « Scripturarum, et carnis vitia non amabis. »

Hæc ergo sunt decem præcepta, quibus, ait S. August. quasi decem chordis, decem bestiæ, id est, vitia superantur; tangis primam chordam, id est, primum præceptum, cadit bestia superstitionis; tangis secundam, et cadit bestia perjurii, et nefandum hæresum; tangis tertiam, et cadit bestia amoris seculi; tangis quartam, et cadit bestia impietatis; tangis quintam, et cadit bestia crudelitatis; tangis sextam, et cadit bestia libidinis; tangis septimam, et cadit bestia rapacitatis; tangis octavam, et cadit bestia falsitatis; tangis nonam, et cadit bestia adulterinæ cogitationis; tangis decimam, et cadit bestia cupiditatis.

Vers. 26. — Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis, etc., et possit vivere? q. d. : Nihil est omnis homo, nullarumque virium, ut tam terribilem Dei præsentiam et vocem audire et sustinere possit, quin protinùs in animi vitæque deliquium incidat, nisi quasi miraculosè à Deo roboretur et conservetur. Sic Daniel. c. 10, ait ad angelum : *Domine, in visione tuâ dissolutæ sunt compages meæ, et nihil remansit in me virium.* Illâ enim lege veteri, quæ erat timoris et servorum, Deus, vel potiùs angelus vice Dei, etiam sanctis se terribilem, æquè ac augustum exhibebat, eosque percellebat. Hinc parentes Samsonis, ex illâ communi hominum illius ævi conceptâ opinione, ob visum Dominum, se morituros putabant, Judic. 13, 22. Vide dicta Exodi 33, 20.

Vers. 31. — Tu verò hic sta mecum. Moses enim, proclamante Deo Decalogum, aliquantùm remotus stabat à populo, in ascensu montis

Sina; inde jussus est à Deo descendere ad populum, ut ei præciperet redire ad castra, quo facto rursùs ascendit ad cacumen et caliginem Sina, ibique manens quadraginta diebus et noctibus, audivit à Deo alia præcepta, judicialia et cæremonialia, quæ doceret populum, ibique tabulas lapideas Decalogo inscriptas à Deo, id est, ab angelo Dei, accepit.

Vers. 32. — Non declinabitis, neque ad dexteram, neque ad sinistram, quia custodia legum est et dicitur via ad Deum, cœlum et beatitudinem; hinc Scriptura dat ei dexteram et sinistram.

CAPUT VI.

1. Hæc sunt præcepta, cæremoniæ, atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus vester ut docerem vos, et faciatis in terrâ, ad quam transgredimini possidendam: — 2. ut timeas Dominum Deum tuum, et custodias omnia mandata et præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi, et filiis, ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ, ut prolongentur dies tui. — 3. Audi, Israel, et observa ut facias quæ præcepit tibi Dominus, et benè sit tibi, et multipliceris ampliùs, sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte et melle manantem. — 4. Audi, Israel: Dominus Deus noster Dominus unus est. — 5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ fortitudine tuâ. — 6. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodiè, in corde tuo: — 7. et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tuâ, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. — 8. Et ligabis ea quasi signum in manu tuâ, eruntque et movebuntur inter oculos tuos; — 9. scribesque ea in limine et ostiis domûs tuæ. — 10. Cùmque introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, pro quâ juravit, patribus tuis, Abraham, Isaac et Jacob, et dederit tibi civitates magnas et optimas, quas non ædificâsti: — 11. domos plenas cunctarum opum, quas non extruxisti, cisternas, quas non fodisti; vineta et oliveta, quæ non plantâsti; — 12. et comederis, et saturatus fueris: — 13. cave diligenter, ne obliviscaris Domini, qui eduxit te de terrâ Ægypti de domo servitutis. Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen illius jurabis. — 14. Non ibitis post deos alienos cunctarum gentium, quæ in circuitu vestro sunt, — 15. quoniam Deus æmulator, Dominus Deus tuus in medio tui: nequando irascatur furor Domini Dei tui contra te, et auferat te de superficie terræ. — 16. Non tentabis Dominum tuum, sicut tentâsti in loco tentationis. — 17. Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia et cæremonias, quas præcepit tibi: — 18. et fac quod placitum est et bonum in conspectu Domini, et benè sit tibi; et ingressus possideas terram, de quâ juravit Dominus patribus tuis, — 19. ut deleret omnes inimicos tuos coram te, sicut locutus est. — 20. Cùmque interrogaverit te filius tuus cras, dicens: Quid sibi volunt testimonia hæc, et cæremoniæ, atque judicia, quæ præcepit Dominus Deus noster nobis? — 21. Dices ei: Servi eramus Pharaonis in Ægypto, et eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti: — 22. fecitque signa atque prodigia magna et pessima in Ægypto contra Pharaonem, et omnem domum illius, in conspectu nostro. — 23. et eduxit nos inde, ut introductis daret terram, super quâ juravit patribus nostris. — 24. Præcepitque nobis Dominus, ut faciamus omnia legitima hæc, et timeamus Dominum nostrum, ut benè sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ, sicut est hodiè. — 25. Eritque nostrî misericors, si custodierimus et fecerimus omnia præcepta ejus coram Domino Deo nostro, sicut mandavit nobis.

---

1. Or, voici les préceptes, les cérémonies et ordonnances que le Seigneur votre Dieu m'a commandé de vous enseigner, afin que vous les observiez dans le pays dont vous allez vous mettre en possession; *et voici aussi les menaces qu'il m'a commandé de vous faire,* — 2. afin que vous craigniez le Seigneur votre Dieu, et que tous les jours de votre vie vous gardiez tous ses commandements et ses préceptes que je vous donne à vous, à vos enfants et aux enfants de vos enfants; et que vous viviez longtemps *sur la terre.* — 3. Ecoutez *donc,* Israël, et ayez grand soin de faire ce que le Seigneur vous a commandé, afin que vous soyez heureux, et que vous vous multipliiez de plus en plus selon la promesse que le Seigneur, le Dieu de vos pères, vous a faite de vous donner une terre où couleraient des ruisseaux de lait et de miel. — 4. Écoutez, *dis-je,* Israël, *ce que je vais vous dire:* Le Seigneur notre Dieu est le seul et unique Seigneur. — 5. *C'est pourquoi* vous aimerez le Seigneur votre Dieu de tout votre cœur, de toute votre âme et de toutes vos forces. — 6. Ces commandements que je vous donne aujourd'hui seront gravés dans votre cœur. — 7. Vous en instruirez vos enfants; vous les mé-

diterez assis dans votre maison ; et marchant dans le chemin, la nuit dans les intervalles du sommeil, le matin à votre réveil. — 8. Vous les lierez comme une marque dans votre main ; vous les porterez *sur le front* entre vos yeux. — 9. Vous les écrirez sur le seuil et sur les poteaux de la porte de votre maison. — 10. Et lorsque le Seigneur votre Dieu vous aura fait entrer dans la terre qu'il a promise avec serment à vos pères, Abraham, Isaac et Jacob, et qu'il vous aura donné de grandes et de très-bonnes villes que vous n'aurez point fait bâtir, — 11. des maisons pleines de toutes sortes de biens, que vous n'aurez point fait faire, des citernes que vous n'aurez point creusées, des vignes et des plants d'olivier que vous n'aurez point plantés, — 12. et que vous vous serez nourris et rassasiés de toutes ces choses, — 13. prenez bien garde de ne pas oublier le Seigneur qui vous a tirés du pays d'Égypte ; de ce séjour de servitude, *et qui vous aura mis en possession de tous ces biens ; mais* vous craindrez le Seigneur votre Dieu ; vous ne servirez que lui seul ; et *quand vous serez obligés de jurer,* vous *ne* jurerez *que* par son nom, *et vous ne le jurerez qu'avec jugement, avec justice et avec vérité.* — 14. Vous ne suivrez point *les dieux* étrangers d'aucune des nations qui sont autour de vous, — 15. parce que le Seigneur votre Dieu, qui est au milieu de vous, est un Dieu jaloux ; *n'adorez donc que lui seul,* de peur que la fureur du Seigneur votre Dieu ne s'allume contre vous, et qu'il ne vous extermine de dessus la terre. — 16. Vous ne tenterez point le Seigneur votre Dieu, comme vous l'avez tenté au lieu de la tentation, *où vous doutâtes de sa puissance et de sa bonté.* — 17. Gardez les préceptes du Seigneur votre Dieu, les ordonnances et les cérémonies qu'il vous a prescrites. — 18. Faites ce qui est bon et agréable aux yeux du Seigneur, afin que vous soyez heureux, et que vous possédiez cet excellent pays où vous allez entrer, que le Seigneur a juré de donner à vos pères, — 19. en leur promettant d'exterminer devant vous tous vos ennemis. — 20. Et lorsque vos enfants vous interrogeront à l'avenir, et vous diront : Que signifient ces commandements, ces cérémonies et ces ordonnances que le Seigneur notre Dieu nous a prescrites ? — 21. Vous leur direz : Nous étions esclaves de Pharaon dans l'Égypte, et le Seigneur nous a tirés de l'Égypte avec une main forte. — 22. Il a fait sous nos yeux dans l'Égypte de grands miracles et des prodiges terribles contre Pharaon et contre toute sa maison ; — 23. et il nous a tirés de ce pays là pour nous faire entrer dans cette terre, qu'il avait promis avec serment à nos pères de nous donner : — 24. Et le Seigneur nous a commandé ensuite d'observer toutes ces lois, et de craindre le Seigneur notre Dieu, afin que nous soyons heureux tous les jours de notre vie, comme nous le sommes aujourd'hui. — 25. Car le Seigneur notre Dieu nous fera miséricorde, *et nous comblera de biens dans la suite de tous les siècles,* si nous observons et si nous pratiquons devant lui tous ses préceptes, selon qu'il nous l'a commandé.

Vers, 4. — Audi, Israel : Dominus Deus noster, Dominus unus est. Hinc Dei nomen est *Echad,* id est unus ; Isaiæ 16, 17, in hebr. : *Qui purificantur ad hortos post Echad,* id est unum, puta Deum ; et Job. 31, 15 : Ab *Echad,* Deus à Syris dictus est *Ahad,* indeque ab Assyriis dictus est *Adad;* nam, ut docet Macrob. 1 Saturn. 23, Adad summus erat Assyriorum deus ; cui etiam deam Atargatim uxorem assignabant ; per Adad solem (quem, quia solus et unus est in mundo, qui omnium viventium est causa, et quasi pater, deum esse putaverunt), per Atargatim terram intelligentes : quòd ex his duobus omnia procreentur.

Ratio cur Deus sit unus, est primò, quia Deus est ens simplicissimum, æquè ac absolutissimum et perfectissimum : ergo unum. Si enim essent duo dii, unus haberet aliquid perfectionis quod non habet alius, ac consequenter aliquid perfectionis utrique deesset ; ergo neuter esset absolutè perfectissimus : ergo neuter esset Deus. Deus enim omnium rerum perfectiones in se continet et complectitur. Unde D. Thom. 1 p. qu. 11, art. 4, docet solum Deum planè et plenè esse unum, quia in solo Deo est plena et summa unitas, puta simplicitas, quæ omnis omninò compositionis est expers, cùm ex adverso angeli componantur ex actu et potentiâ, atque ex essentiâ et existentiâ ; homo verò ex corpore et animâ, cætera ex materiâ et formâ, atque ex subjecto et accidente, quorum nihil est in Deo. Deus ergo summè unus est, quia incompositus et simplicissimus. Secundò, si essent duo dii, haberent duas et diversas voluntates, ergo possent velle contraria : ex quo bellum inter ipsos, et magna perturbatio in orbis regimine consequeretur. Tertiò, si essent duo dii, unus limitaret et stringeret alterius virtutem et imperium : sicut in republicâ, cùm duo sunt consules, unus ab

alio pendet, unus limitat alterius potestatem, imò regimen partitur et dividit. Deus autem est infinitus, et illimitatæ virtutis, qui integrum, non divisum habet imperium; ergo unus est, non duo. Ita S. Cyprian. l. de idolorum Vanitate : « Unus, ait, omnium Dominus est « Deus : neque enim illa sublimitas potest ha- « bere consortem, cùm sola omnium teneat « potestatem. » Quartò, Deus est monarcha mundi : monarchia enim est optimum regimen; unde Homerus non vult plures regere, sed εἷς κοίρανος ἔστω : rex unicus esto. Ita S. Cyprian. loco citato, idque probat exemplis : « Ro- « manos, ait, geminos (Romulum et Remum) « unum non capit regnum, quos unum uteri « cepit hospitium. Pompeius et Cæsar affines « fuerunt, nec tamen necessitudinis fœdus « in æmulâ potestate tenuerunt. Nec tu de « homine mireris, cùm in hoc omnis natura « consentiat. Rex unus est apibus, et dux unus « in gregibus, et in armentis rector unus; « multò magis unus mundi est rector, qui « universa quæcumque sunt verbo jubet, ra- « tione dispensat, virtute consummat. Hic nec « videri potest; visu clarior est : nec compre- « hendi; tactu purior est : nec æstimari; « sensu major est : et ideò sic eum dignè « æstimamus, dùm inæstimabilem dici- « mus. »

Quintò, sicut ab unitate oriuntur omnes numeri, et à centro omnes lineæ quæ ducuntur ad circumferentiam, ita à Deo oriuntur omnes res creatæ; debent ergo in uno principio, puta Deo, quasi in suî centro coire, uniri et terminari. Sextò, unus debet esse mundi rector, qui omnia ita varia, aptè inter se et congruè ordinet et associet; alioqui enim omnia in unum ordinem non convenient, nisi ab uno ordinentur. Oportet ergo ut primum movens et gubernans, quod omnia reducit in unum ordinem, sit tantùm unum, hoc autem est Deus. *Unus ergo Deus, una fides, unum baptisma;* quod axioma non tantùm est fidelium, sed et infidelium philosophorum, oratorum, poetarum, hæreticorum, et mahometanorum, quorum hoc est symbolum : *Non est Deus nisi unus, et Mahomet Apostolus ejus.* Ita D. Thom. et scholast. p. 1, q, 11, a. 3.

Nota : in Hebræo innuitur mysterium Trinitatis et Incarnationis. Sic enim habet : *Audi, Israel, Deus, Deus noster, Deus unus est.* Idem innuitur ab Isaiâ cap. 6, 3, ubi Seraphim clamant : *Sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum;* quod veteres Rabbini, ut R. Simeon filius Joai, sic exponunt : *Sanctus,* ait, *hic est Pater, sanctus hic est Filius, sanctus hic est Spiritus sanctus,* teste Galatino l. 2, c. 1. Additque eos sanxisse, ut minimùm bis in die, scilicet oriente et occidente sole, tam illa Isaiæ, vel potiùs Seraphim verba, quàm hæc Mosis à quolibet Judæo quotidiè recitentur, quod apud eos ad sua usque tempora perseverâsse ait, nimirùm, ut ita personarum Trinitatem cum divinæ essentiæ unitate profiterentur. Nam nomen *Deus* ter repetitum, æquè ut *sanctus* apud Isaiam significat tres personas; secundo verò loco additum, τὸ *noster,* significat Verbum assumpsisse carnem nostram, nobisque datum, et nobis natum esse Emmanuelem. Quâ ratione etiam David dixit Psal. 66 : *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Citat et Genebrardus in fine l. 1 Chronolog. veterem Rabbinum, R. Ibba, qui dicit hos tres *cados,* id est, sanctus, alibi vocari tria specula, tria luminaria, tres supremos patres, principio et fine carentes; alibi vocari coronam sapientiam et intelligentiam; alibi tria *jodim* designantia tres Jehova, id est, tres personas divinas.

Ab Hebræis hoc mysterium acceperunt Ægyptii, apud quos hoc Serapidis oraculum ad Thulem regem extat apud Suidam in voce *Thulis :*

Primùm Deus, deinde Verbum, et Spiritus cum illis.
Illa autem congenita, et in unum coeuntia.

Vers. 5. — Diliges Dominum Deum tuum. Hebr., Chald. et Sept. habent, *et diliges.* Jansen. in c. 71 Concord. Evang. et alii, ponunt vim in τὸ *et,* q. d. : Quia unus est Deus noster, uti præcessit, ideò totam spem et amorem tuum in uno Deo, non in pluribus pones et collocabis. Sed τὸ *et* apud Hebræos sæpè redundat, et sic noster interpres hic illud, ut redundans, omisit.

Est hoc eminentissimæ virtutis, scilicet charitatis, præceptum : sicut enim inter metalla eminet aurum, inter elementa ignis, inter cœlos empyreum cœlum, inter planetas sol, inter angelos Seraphini, ita inter virtutes eminet et præcellit charitas, sive dilectio Dei et proximi. Ea enim est aurum radiantissimum, quo cœlestia emimus bona; ignis est cœlestis qui animos omnium circa se inflammat : empyreum cœlum est, in quo habitat Deus et beati : sol est, qui omnia illuminat, fœcundat et vivificat; seraphica virtus est, quæ S. Franciscum aliosque charitate flagrantes Seraphinos ardentes effecit. Vis plura? accipe. Primò,

charitas est quasi regina, cæteras virtutes regens et moderans. Secundò, est quasi mater alias virtutes alens, reficiens, roborans, sustinens, ait S. Laurentius Justin. lib. de Ligno vitæ, c. 3. Tertiò, charitas facit nos amicos et filios Dei, ejusque hæredes et cohæredes Christi; hinc ait S. Joan. Epist. 1, c. 4: *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Quartò, sola charitas est quæ dividit oves ab hædis; *quæ dividit inter filios regni æterni, et filios perditionis æternæ,* ait S. Aug. lib. 15 de Trinit. c. 18. Quintò, charitas est quasi forma et anima virtutum, eisque vim merendi tribuit, unde ait S. August.: *Sola charitas perducit ad Deum.* Sextò, charitas est vinculum perfectionis, Coloss. 3, 14, quòd nos arctissimè Christo et proximis astringit; unde ait Paulus: *Quis nos separabit à charitate Christi?* etc., et S. Bern. serm. 83 in Cant.: *Conformitas,* ait, *cum Verbo in charitate, maritat animam Verbo.* Septimò, charitas est ignis inextinguibilis, qui omnia, etiam dura ut ferrum, vincit et superat. Nam omnia vincit amor, et *fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Quid amore violentiu? triumphat de Deo amor,* ait S. Bernar. serm. 64 in Cant. Charitas imperat odio, iræ, timori, cupiditati, oculis, auribus, naribus, etc., omniaque in Deum dirigit. Octavò, charitas quasi aquila solem, puta Deum, irretortis oculis intuetur; et ad eum igneis alis duabus, puta amore Dei et proximi, evolat, ait S. Aug. in Psal. 121. Hic idem Aug. in 1 Joan. 4, tract. 7: *Semel,* ait, *breve præceptum ubi præcipitur: Dilige et fac quod vis.*

Ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua. Nota. Pro, *ex totâ fortitudine tuâ*, hebr. est, *bechol meodecha,* id est, *ex toto valdè tuo,* quod Chald. refert ad bona æterna, vertitque, *ex omni substantiâ tuâ,* vel, *ex omnibus divitiis tuis;* verùm meliùs vertit noster, et Sept. ἐξ ὅλης δυναμέως σου, id est, *ex omni virtute,* hoc est, fortitudine, *tuâ,* quod S. Lucas, c. 10, 27, vertit, *ex omnibus viribus tuis et ex omni mente tuâ.* S. Matth. verò, c. 22, 37, vertit, *in totâ mente tuâ.* Diliges ergo Deum *ex omni valdè tuo,* id est, diliges Deum ex omni facultate et possibilitate tuâ, et, ut Vatabl. vertit, *pro omni virili tuo.*

Quæres an et quomodò distinguantur hæc tria, scilicet, diliges Deum ex toto corde, ex totâ animâ, et ex toto valdè, id est, totâ fortitudine, vel ex totis viribus? — Primò, Rabanus hic animæ rationali, ait, quæ memoriâ constat, intellectu et amore, SS. Trinitatis fides commendatur in eo, quod dicit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ virtute tuâ,* quasi diligere ex toto corde, sit diligere ex totâ memoriâ, quæ patri adscribitur: ex totâ animâ, sit ex toto intellectu, qui Filio datur; ex totâ fortitudine, sit ex totâ voluntate, quæ Spiritui S. accommodatur. Nyssenus verò lib. de Creatione hominis, per animam accipit partem animæ vegetativam, per cor sentientem, per mentem intelligentem.

Rursùm S. Aug. lib. 1 de Doct. christ. c. 22, per cor accipit cogitationes, per animam vitam, per mentem, sive virtutem intellectum, quasi hic præcipiat Deus, ut hæc omnia in illum, qui ea nobis contulit, conferamus. Audi S. Aug.: « Cùm, ait, diliges ex toto corde, ex totâ animâ, ex totâ mente, nullam « vitæ nostræ partem reliquit quæ vacare debeat, et quasi locum dare, ut aliâ re velit « frui, sed quidquid aliud diligendum venerit « in animum, illùc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit. Sic enim proximum « diligens sicut seipsum, totam dilectionem suî « et illius refert in illam dilectionem Dei, quæ « nullum à se rivulum extra se duci patitur, « cujus derivatione minuatur. » Secundò, S. Bern. serm. 20 in Cant.: « Mihi, ait, videtur amor cordis ad zelum pertinere affectionis, animæ verò amor ad industriam seu « judicium rationis; virtutis verò dilectio ad « animi posse referri constantiam vel vigorem, quasi dicat: Dilige Dominum Deum « tuum toto et pleno cordis affectu; dilige « totâ rationis vigilantiâ, et circumspectione; « dilige et totâ virtute, ut nec mori pro ejus « amore pertimescas. Fortis enim est ut mors « dilectio, dura sicut infernus æmulatio. » Tertiò, simpliciùs hæc tria secundùm phrasim hebræam accipi possunt, ut unum idemque significent; tantùm enim ad majorem energiam et inculcationem, fit hæc trina repetitio. Sensus ergo est, q. d.: Diliges Deum ex totâ voluntate, totoque ejus affectu et conatu. Hujus rei et sensùs genuini signum est, quòd Script. ex hisce tribus, aliquando tria ponat, aliquando duo tantùm, ut c. 10, 12: *Diligas eum,* etc., *in toto corde tuo, et in totâ animâ tuâ.* Simile est 4 Reg. 23, 3. Aliquando addit quartum, videlicet, *ex totâ mente tuâ,* ut patet Luc. 10, 27. Idem ergo hæc omnia significant, scilicet, *diliges Deum ex toto corde, totâ animâ, totâ virtute,* totâ mente tuâ, id est, toto animo et affectu, ita scilicet, ut omnia Dei præce-

pta impleas, et nullam amoris tui partem des idolo, aut rei cuiquam Deo contrariæ, quasi plures habeas deos. Deus enim tuus unus est; ergo amor tuus in plures deos non est partiendus, sed unus Deus tibi amandus, unoque eo tibi fruendum est, ut ait S. Aug. l. 1 de Doctrinâ Christi, c. 22, in quem proinde omnia tua referas oportet, ita ut generatim velis, ipsum esse finem omnium tuarum cogitationum, actionum et amorum, ut eò venire merearis, ubi continuo et intentissimo actu, Deum in æternum diligas; quæ dilectio hîc præstari non potest, sed præmii loco dabitur in cœlis; quare neque hîc secundùm litteram præcipitur (est enim finis præcepti, qui ipso præcepto non præcipitur, sed tantùm medium ad finem), sed tantùm secundùm sensum anagogicum insinuatur. Secundùm quem sensum hæc verba accipit S. Aug. l. de Spiritu et Litt. c. ult., ubi præceptum hoc dilectionis Dei, à nobis in hâc vitâ impleri posse negat; sicuti et ibidem asserit, præceptum illud : *Non concupisces,* à nobis hîc impleri non posse, sed nos tendere eò, ut in cœlo illud impleamus, videlicet secundùm sensum anagogicum; nam secundùm sensum litteralem præcipitur tantùm, ut desideria prava omninò evellere conemur, eòque conari possumus in hâc vitâ : secundùm anagogicum verò sensum innuitur, ut nulla in nobis talia desideria sint, quod non præcipitur, ut hîc impleatur, sed præsentis luctæ erit merces in cœlo. Ex dictis patet, hoc præceptum litteraliter in hâc vitâ impleri posse. Possumus enim diligere Deum ex totâ possibilitate nostrâ, seu quantùm pro statu et infirmitate hujus vitæ possibile est; et quia alioqui frustra præciperetur nobis in hâc vitâ, adeòque Deus præciperet impossibilia, quæ nemo præstare potest. Denique Josiam regem, ac similes implêsse hoc præceptum, patet 3, Reg. 23, 25. Vide Bellarm. l. 2 de Monachis, c. 13. Quare non est necesse, cum Jansenio, confugere ad hyperbolem, hocque præceptum exponere hyperbolicè; quasi dicat : *Diliges Deum ex toto corde,* id est, ita ut præcipua cogitatio et dilectio tua versetur circa Deum; sicuti vulgò dicimus : Hic homo totus est in studiis, cætera facit obiter. Hæc enim hyperbole improprium facit sensum, atque elevat vim et energiam hujus primi et maximi mandati. Hoc ergo præcepto exigitur ab homine totus et summus Dei amor, non extensivè aut intensivè, sed tantùm comparativè, finaliter et appretiativè. Primò, comparativè, ut scilicet ita totum cor et affectum des Deo, ut nullam ejus partem des dæmoni aut peccato. Ita Vasquez, 1-2, q. 109, art. 3. Secundò, finaliter, ut in genere Deum habeas, quasi finem omnium tuarum actionum, eumque ut summum bonum et finem ultimum rebus omnibus præferas, ut malis omnes res perdere, quin et vitam tuam, quàm Deum Deique gratiam. Tertiò, appretiativè, ut applices totum cor, id est, voluntatem tuam, ad ejus legi per omnia obediendum, ut sanctæ ejus voluntati te per omnia conformes : ac proinde diligas eum pleno amore, non tantùm concupiscentiæ, sed et amicitiæ, unde quod hîc dicitur : *Ex toto corde,* alibi dicitur : *Ex corde integro,* vel : *Cor ejus perfectum erat cum Deo,* et, *incessit in omnibus mandatis Domini.* Nam in hoc dilectionis præcepto, omnia particularia Dei præcepta virtute continentur, sicuti conclusiones continentur in suis principiis; tum quia amor Dei includit obedientiam Dei; tum quia, sicut Deus est idea et speculum perfectissimum, in quo res perfectiùs apparent et videntur à beatis, quàm in seipsis; ita quoque ipse est totum bonum quod maximè est diligibile, et in eo est ordo diligibilium; dilecto ergo ipso, omnia diligemus quæ diligibilia sunt, ait Abul. Atque hæc est causa, cur in charitate et dilectione Dei, omnis hujus vitæ perfectio, tam christiana quàm Mosaica consistat, uti docent patres et doctores. Nam reliqua, ut *jejunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas et privatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt,* ait abbas Moses apud Cassian. collat. 1, c. 7.

Quæres secundò, cur Deus diligendus sit ex toto corde? — Respondeo : Causa à priori est, prima, quia Deus est creator, donator et conservator ipsius cordis, omniumque bonorum naturalium et supernaturalium, quæ in corde, totoque homine sunt; ergo par est, ut hæc omnia in eum redeant, et per amorem quasi refluant. Amor enim Dei est summus Dei cultus et honor. Unde S. Aug. in Sent. sent. 244 : « Hoc, ait, ab homine colitur, quod diligit. Unde quia Deus omnibus rebus major et « melior invenitur, plus omnibus diligendus « est, ut colatur. » Unde S. Bern. Epist. 353, quærenti cuidam, *quid à nobis requirat Deus?* resp. : « Cor nostrum, nihil dignius perficere « potest, quàm ut ei se restituat à quo factum « est, et hoc à nobis Dominus expetit, dicens : « *Fili, da mihi cor tuum.* Tunc, siquidem cor « hominum Deo datur, quando omnis cogita- « tio terminatur in eum, gyrat et circumfle-

« etitur super eum, et nihil vult possidere pe-
« nitùs præter eum, sicque colligato sibi animo
« eum diligit, ut sine ipso amarus sit omnis
« amor; nec aliud dixerim cor Domino dare,
« quàm ipsum captivare in omne obsequium
« ejus, et ita voluntati ejus ex toto supponere,
« ut nihil aliud velit, quàm quod noverit eum
« velle. Itaque cor Domino datum, ipsum in
« omnibus et de omnibus adorabit, et gratias
« aget, etiamsi multa sensibus nostris molesta
« videantur, etc. Qui cor suum dedit Deo,
« cantabit melodicè, et dicet cum prophetâ
« David : *Paratum cor meum, Deus, paratum*
« *cor meum : cantabo et psallam in gloriâ meâ,*
« etc. Proinde omnes qui cor suum Deo tradi-
« derunt, psallunt in tribulationibus, in pres-
« suris, in angustiis, in fame et siti, in nudi-
« tate et dejectione, in maledictis, in convi-
« ciis et derisionibus, in flagellis, ac etiam
« morte intentatâ in cordibus plus exultant. »
Et inferiùs : « Conversio totalis ad Deum cor-
« dis nostri est alienatio à seculo, et à seipso,
« et in Deo fieri per virtutem et in ipso quie-
« scere per invisibilem et remotam animi pa-
« cem, » etc. Secunda, quia Deus creavit cor,
sive mentem ad imaginem et similitudinem
suam; unde tribuit ei capacitatem quamdam
infinitam, quæ à nullâ re creatâ, sed à solo
Deo impleri et satiari potest. « Cor parvum est,
« inquit Hugo l. 3 de Animâ, et magna cupit;
« vix ad unius milvi refectionem sufficere
« posset, et totus mundus ei non sufficit. » Et
hoc est, quod ait S. August. : « Fecisti nos
« Domine ad te, et inquietum est cor nostrum
« donec requiescat in te. » Deus ergo est cen-
trum cordis et amoris nostri; unde dicebat
abbas Antonius : *Ego Deum amo, non timeo.*
Tertia, quia Deus, uti principium, ita finis est
hominis, omniumque creaturarum; omnes er-
go eum, ut talem toto corde et affectu prose-
qui et diligere debent. Quocirca traduntgraves
auctores, S. August. in suis amoris cum Deo
deliciis et colloquiis, ita Deum affari solitum :
« Domine, valdè exultat in te anima mea, dùm
« cogitat quòd tu sis Deus noster. Quare, si
« per impossibile fieri posset, ut Augustinus
« esset Deus, et tu esses Augustinus, omninò
« vellem ut tu esses Deus, non Augustinus. »
Quæ sententia sanè accipienda est: explicabo
eam (Deo dante) proximo opere in prophetas,
Ezech. 8, v. 3 et 5. Quarta, quia Deus est
summum, immensum et increatum bonum,
quod est fons omnis boni, quodque in se om-
nia bona, tam creata, quàm possibilia continet
in gradu eminentissimo et perfectissimo ; ergo
summè est amabilis, ergo ex toto corde aman-
dus; cætera enim bona præ Deo vana et nihil
sunt, fumus et umbra sunt, ac proinde per se
non sunt diligenda, sed tantùm propter Deum.
Omnis copia, quæ Deus meus non est, egestas est,
ait S. Aug. Meritò ergo B. Jacoponus amore
Dei ebrius, jugiter flebat, ac rogatus causam,
hanc dedit : *Quia amor* (Deus) *non amatur.*
Meritò B. Magdalena, quasi cerva sagittis amo-
ris Christi saucia, dicebat : *Quæsivi quem dili-*
git anima mea per vicos et plateas, inveni eum,
tenui eum, nec dimittam. Meritò per triginta
annos in horridâ speluncâ, solo ejus amore
dulcissimè se pavit, ut jure canat de eâ Petrar-
cha :

Namque famem, frigus, durum quoque saxa cubile,
Dulcia fecit amor.

Dulcedo enim divini amoris cùm cor alicujus
occupârit, facit, ut omnis mundi et carnis
dulcedo amarescat, et amaritudo dulcescat. Id
expertus B. Greg. Nazianz. ; ita scribit ad
Nemesium :

Namque tuum superâ feriat si Christus ab arce
Pectus, et in medio figat tibi corde sagittam ;
Sejunctim inspiciens utrumque oculatus amorem,
Quanto sit Domini stimulus mage dulcis habebis
Perspectum.

Quis non amore liquescat, si Deum pro se
hominem factum, si Jesum parvulum, si labo-
rantem, si sudantem, si algentem, si corona-
tum, si crucifixum intueatur? Meritò S. Aug.
lib. de sanctâ Virg. c. 55 : *Toto*, ait, *vobis fi-*
gatur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce.
Et sponsa : *Fulcite me floribus, stipate me malis,*
quia amore langueo. S. Catharina Senensis amo-
ris Christi sponsi sui vulnere sauciata, instan-
ter ab eo petiit, ut à se cor suum et propriam
voluntatem radicitùs evelleret, ut tota transiret
in ejus amorem. Visa est sibi videre Christum
cor sibi è latere eximentem, et post aliquot
dies aliud cor illustre afferentem et dicentem :
Ecce, filia mea, habes pro corde tuo cor meum ;
exinde tota mutata mirè amore Christi æstua-
vit. Josaphat rex, teste Damasceno, in ejus
Vitâ 37, amore hoc æstuans regnum reliquit,
purpuram cum cilicio commutavit, ex aulâ in
eremum secessit, voluptates, opes et gloriam
ut stercora calcavit, ad omnia dura et acerba
monasticæ vitæ studia alacri animo se tradi-
dit, illud Psalmistæ clamans : *Adhæsit anima*
mea post te, ô Christe, *suscipiat me dextera*
tua; quemadmodùm desiderat cervus ad fontes
aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus,

Ita exultans in paupertate currebat per eremum quærens suum præceptorem Barlaam, cui deinde ad finem usque vitæ, in isto rigore alacris et constans adhæsit.

Tropol. S. Bern. : « *Diliges,* ait, *Deum ex* « *toto corde,* id est, dulciter, ne illectus ; *ex* « *totâ animâ,* id est, prudenter, ne deceptus ; « *ex totâ fortitudine,* id est, fortiter, ne op- « pressus ab amore Domini avertaris. »

Hoc ergo dilectionis præceptum infige animo, et omnia dura, omnes tentationes, omnes labores facilè superabis, vitamque ages suavissimam æquè ac sanctissimam : nam, ut ait Petrus Ravennas, *teneræ militiæ est, solo amore de omnibus vitiis reportare victoriam. Quis* enim, ait Paulus, *nos separabit à charitate Dei, tribulatio, angustia,* etc. ; *certus sum, quia neque mors, neque vita,* etc. Deus se totum dedit tibi, tu te totum da, imò redde Deo. O quàm felix est, qui totum cor et affectum Deo dat ! qui non delicias, non opes, non aliquid creatum amat, sed unum, immensum et æternum bonum ! *Serò te amavi, pulchritudo tam antiqua et nova, serò te amavi ; cognoscam te, cognitor meus, cognoscam te,* ait S. August. lib. 10 Confes. 17. O Domine, si te tuaque bona nôssent homines, si perspicerent, quàm sis per omnia præstans et amabilis, quomodò amarent te, et præ te cætera omnia despicerent ! quàm suavis es amanti ! quàm potens speranti ! quàm deliciosus fruenti ! tu enim es abyssus et oceanus bonorum omnium. O charitas ! quæ semper ardes, et nunquàm extingueris, charitas Deus meus, accende me ; jubes ut amem te, da quod jubes, et jube quod vis. Da, Domine Jesu, ut amore amoris tui, moriamur amori carnis et mundi, qui pro amore amoris nostri dignatus es mori. Utinam mille cordibus te amare, mille linguis te laudare possemus !

Jesu, cordis tripudium,
Jesu, dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Mel, nectar, melos aurium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.

Vide S. Bernard. serm. de diligendo Deo, et serm. de triplici Dilectione, et tract. de diligendo Deo.

Vers. 7. — Et narrabis, hebr. *et acues,* id est, ut Vatablus et alii, iterabis, revolves, repetes hæc mea præcepta, filiis tuis. Secundò, *acues,* id est, acutè, hoc est, præcisè, distinctè, clarè et apertè præpones et explicabis ea filiis tuis : sicuti materia vel quæstio obscura acuitur à doctore, dùm ab eo clarè per partes pertractatur, exponitur, ventilatur et discutitur. Est metaphora ducta à gladio, qui dùm acuitur, sæpiùs impellitur ad cotem. Significat ergo crebrò et continuò revolvenda et explicanda et inculcanda esse filiis Dei præcepta, ut et ipsi acuantur et incitentur ad ea cognoscenda et exequenda. Tradunt Hebræi, Jerosolymis tantum olim fuisse studium legis divinæ, ut ultra quadringentas publicas scholas et synagogas habuerint, in quibus lex Dei docebatur.

Et meditaberis. Hebraicè, *loqueris* cum eis, sicut famulus cum hero suo familiariter loquitur, ut ejus mentem exquirat, quam opere expleat.

Dormiens. Hebraicè, *incubando,* dùm cubitum concedis, vel dùm cubas, neque enim dormiens quis meditari potest. Est hæc Christianorum piorum sancta et utilis praxis, ut, cùm cubitum concedunt, orent et pii aliquid cogitent, in eâque cogitatione indormiant, ita præter alia diaboli tentationes et illusiones, atque fœda phantasmata elidunt et evadunt. Idem faciunt cùm noctu evigilant. Quâ de re audi sancientem S. Bern. lib. de Vitâ solitar. : « Itu- « rus ad somnum, semper aliquid tecum de- « fer in memoriâ, vel cogitatione, in quo pla- « cidè obdormias, quod nonnunquàm etiam « somniare juvet, quod etiam evigilantem te « excipiens, in statum hesternæ intentionis « restituat. Sic tibi nox sicut dies illuminabi- « tur, et nox illuminatio tua erit in deliciis « tuis. Placidè obdormies ; in pace quiesces ; « facilè evigilabis, et surgens facilis et agilis « eris ad redeundum in id, unde non totus « discessisti. Sobrium enim cibum, sobriumque « sensum, sequitur sobrius somnus ; carnalis « verò somnus et brutus, et sicut dicitur le- « theus, abominandus est servo Dei. » Hinc R. Moses censuit, gallos gallinaceos suo cantu mediâ nocte, homines docere, ut tum surgant ad laudandum Deum ; testis est Pineda in Job c. 38, 36. Ubi S. Gregor. tradit, gallos profundioribus horis noctis valentiores ac productiores edere cantus ; manè verò leniores ac minutiores ; quasi qui prioribus excitent dormientes, posterioribus invitent jam expergefactos, ad matutinam orationem Deo fundendam ; quem ipsi suaviori voce laudant, ac suo modulo venerantur : unde et Ecclesia canit :

Gallus jacentes excitat,
Et somnolentos increpat.

Denique hinc S. Ephrem tom. 3, Serm. ascet. et B. Dorotheus serm. 11, et S. Bern. lib. 3 de Vitâ solit., impensè viris piis tam vespere quàm

manè exactam suî curam, custodiam et examen commendant; quin et Pythagoras, ait S. Hier. l. 3 contra Ruffinum c. 10, sanxit, « duorum quàm « maximè habendam esse curam, manè et ve- « sperî, id est, eorum quæ acturi sumus, et « eorum quæ gesserimus. » Unde et « nocturnæ « aves, ait S. Ambr. lib. 5 Hexam. c. 24, « canoro carmine occasum diei solent prose- « qui, ne immunes abeant gratiarum actionum, « quibus creatorem suum omnis creatura col- « laudat. » Idem serm. in Malach. prophet. in fine tom. 2 : « Aves, ait, propter viles escas « gratias agunt, tu pretiosissimis epulis pa- « sceris, et ingratus es? Imitare ergo, frater, « minutissimas aves, manè et vespere Creatori « gratias referendo. Et si es devotior, imitare « lusciniam, cui quoniam ad dicendas laudes « sola dies non sufficit, nocturna spatia pervi- « gili cantilenâ decurrit. Et tu igitur laudibus « tuis diem vincens, operi tuo adde nocturna « curricula, et insomnem suscepti laboris in- « dustriam psalterii serie consolare. » Audi Senecam lib. 3 de Irâ : « Animus, ait, quoti- « diè ad rationem reddendam vocandus est. « Faciebat hoc Sextius, ut consummato die, « cùm se ad nocturnam quietem recepisset, « interrogaret animum suum : Quod hodiè « malum tuum sanâsti? cui vitio obstitisti? « quâ parte melior es? Desinet ira vel mode- « ratior erit, quæ sciet sibi quotidiè ad judi- « cem veniendum. Quid ergo pulchrius hâc « consuetudine excutiendi totum diem? qualis « ille somnus post recognitionem suî sequitur? « quàm altus, quàm tranquillus et liber! » Audi Hugonem Vict. lib. 3 de Animâ : « Redi « ad cor tuum, et subtiliter discute teipsum : « considera unde venis, quò tendis, quomodò « vivis, quid agis, quid amittis, quantùm quo- « tidiè proficis vel deficis, quibus cogitationi- « bus magis incusaris, quibus affectibus tan- « geris, quibus tentationum machinis à mali- « gno spiritu acriùs impugnaris : et cùm to- « tum interioris et exterioris hominis statum « plenè cognoveris, non solùm qualis sis, ve- « rùm etiam qualis esse debeas, de cognitione « tuî poteris sublevari ad contemplationem « Dei. » Audi S. Bern. : « Est primùm homi- « nis sapientiam affectantis contemplari, quid « ipse sit, quid intra se, quid infra, quid su- « pra, quid contra, quid ante, quid postea sit. « Hæc consideratio quadripartitum parit fru- « ctum, vilitatem suî, charitatem proximi, « contemptum mundî, amorem Dei. »

Secundò, Lyran. et Abul. ita exponunt, q. d. : Interdiù ita jugiter et efficaciter meditare hæc mea præcepta, ut eadem tibi dormienti in somnis recurrant; nam, ut ait Aristot. 1 Ethic., *meliora sunt phantasmata in somnis studiosi;* id est, ejus, qui studet virtuti. Ita S. Xaverius ex diurnâ orandi consuetudine, etiam dormiens orabat, exclamabatque : O Deus! ô Jesu amor mi, Deus meus et omnia! Tales erant olim et monachi illi, qui quòd parùm dormirent, et ferè pervigilarent in Dei laudibus, dicti sunt acœmetæ, quasi dicas : *Non dormientes;* qualis fuit Isidorus, de quo Palladius in Lausiaca ait, quòd nunquàm datâ operâ dormierit; sed in opere, ait, vel sumptione cibi somno oppressus connivebat aliquando, ita ut frustum quod ori ingesserat, ex eo excideret; causam rogatus resp. : « Si quando persuaseris angelis ut « dormiant, tum virtutis studioso quoque per- « suaseris. » Tales enim ex diutinâ et assiduâ meditatione de Deo, rebusque divinis, easdem somniabant. Hinc Plutarch. lib. *quomodò quis suos in virtute profectus sentire possit,* ex Zenone hoc dat signum magni in eâ progressûs : « Ex « somniis, ait, deprehendere licet, num quis « profecerit in studio virtutis. Si enim in som- « nis nullâ capitur voluptate erga turpitudi- « nem, neque gravi inhiet crimini quo se con- « taminet, prorsùsque nihil videt cum vitio et « fœditate conjunctum, consentaneum est om- « nia in tuto esse posita. Siquidem, ut equi « jugales rectò currere instructi, non deserunt « viam, etiam dormiente aurigâ, ita bruti af- « fectus domiti, nec in somnis facilè recalci- « trant. » Hinc S. Hieron. Eustochium virginem ita instituit : « Esto, ait, cicada noctium, « psalle spiritu, psalle et mente : lava per sin- « gulas noctes lectum tuum, lacrymis stratum « tuum riga. » Et : « Sanctis ipse etiam som- « nus oratio est. » Denique monet Jeremias Thren. 2, 19, dicens : *Consurge, lauda* (id est, ora Deum) *nocte in principio vigiliarum;* noctem enim Judæi, æquè ac Romani, distribuebant in quatuor vigilias, et in singularum principio Jeremias suadet, ut laudemus Deum. Ita Ecclesia olim noctu faciebat; inde enim habemus in Officio ecclesiastico tres Nocturnos et Laudes.

Atque consurgens. Unde inolevit in bonis Christianis usus hic, inquit Abulens. ut, cùm primùm è lecto surrexerint, mox à Dei laudibus incipiant, vel aliquid pium et sanctum meditentur. Incredibile enim est quantùm animæ prosit meditatio matutina. Experientia quotidiana nos clarè docet, eam esse totius societatis nostræ fulcrum et fundamentum,

omnemque zelum, efficaciam et fructum cunctarum actionum nostrarum per diem, ex eâ manare et profluere. Quisquis ergo hæc legis, obtestor te per tuam aliorumque salutem, ut idipsum experiaris et practices, præsertim si theologus sis aut ecclesiasticus; ac discas et assuescas quotidiè aliquid meditari de brevitate vitæ, de tuâ morte, judicio, æternitate, de vitâ et passione Christi aut sanctorum, indeque efficacia proposita concipias, quòd illo die iram, superbiam, gulam, etc., mortificabis, quòd te in humilitate, charitate, patientiâ, etc., exercebis; quòd has illasve animas convertes; atque senties per totum diem magnum robur et animos tibi addi, ad eadem perficienda, præsertim si proposita pia quæ manè concepisti, per diem subinde recolas et renoves, atque per orationes jaculatorias acuas et accendas. Primitiæ ergo cogitationum et actionum, æquè ac diei, Deo dandæ sunt; idque primò, quia illæ Deo, utpote primæ causæ, auctori naturæ et gratiæ, datorique bonorum omnium quasi debentur, uti docet S. Basil. in fusior. Reg. resp. 37, et S. Ambros. in Psalm. 118, serm. 19, n. 4, et S. Dionys. de divin. Nomin, cap. 3; imò Apollonii Thyanæi fuit hoc præceptum: *Adveniente aurorâ cum diis esse versandum,* teste Philostrato in ejus Vitâ lib. 1, c. 12. Secundò, quia decet, ut omnes actiones diurnæ sumant à Deo principium (hinc illud Arati et Theocriti: Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, quod Virg. vertit, à *Jove principium*), atque ex eo dirigantur in sanctum finem, ac perfectè per omnia fiant. Hinc S. Bern. de Vitâ solit. idipsum jubet: « Ut surgentibus, « ait, nobis ad laudes Dei, omnis exinde tenor « operis nostri in ipsius laudibus formetur et « vivificetur. » Et S. Ephrem tom. 1, serm. de orando Deo: « Si orationem operi præmiseris « et surgens è lecto, primorum motuum tuo« rum initia ab oratione duxeris, aditus pec« cato in animam non patebit. » Et Salomon Proverb. 8, 17: *Qui manè vigilant ad me, invenient me; mecum sunt divitiæ et gloria.* Tertiò, quia idipsum faciunt angeli, sol, aves, aliæque creaturæ. Audi S. Basil. Epist. 1 ad Greg. Naz.: « Ecquid beatius, quàm hominem in terrâ « concentum angelorum imitari? ineunte sta« tim die in orationes ire? in hymnis et can« ticis creatorem venerari? » Et S. Ambros. in Psalm. 118, serm. 19: « Grave est, si te otio« sum in stratis solis orientis radius invere« cundo pudore conveniat, et lux clara feriat « oculos somnolento adhuc torpore depressos. « Occurre ergo ad solis ortus, ne lumina tua « primus diei fulgor exagitet. » Et infra: « Si « hunc solem (Christum) præveneris, antequàm « iste surgat, aspicies Christum illuminantem; « ipse priùs in tui cordis illucescet arcano; « iterùmque dices ad eum: *Exitus matutinos,* « *et vespere delectabis.* » Quartò, quia idipsum fecerunt sapientes et sancti. Therapeutæ apud Philonem libro de Vitâ contempl.: « Quotidie « bis precari solent, manè ac sub vesperam; « oriente sole petentes diem verè felicem, ut« que mentes eorum cœlesti repleantur lu« mine. » Esseni, ait Josephus lib. 2 Belli c. 7, « ante solis ortum nihil profani loquuntur; « sed ei (non soli, sed solis auctori Deo) patria « quædam vota celebrant, quasi ut oriatur pre« cantes. » Sic olim Christiani antelucanos agebant cœtus, ad canendum Christo et Deo, teste Plinio ad Trajanum. De hymnis matutinis monachorum ad galli cantum, testis est S. Chrys. in 7 ad Timoth. homil. 14. Ita Theodoricus, rex Gothorum, « antelucanos suorum sacerdotum cœ« tus, minimo comitatu expetebat quotidiè, et « grandi sedulitate venerabatur, » ait Sidonius Apollin. l. 1, Epist. 2. Alexander Severus imper. à Mammeâ matre edoctus, manè in larario suo rem divinam faciebat, ait Lampridius. Denique his omnibus antiquior David Psalm. 62, 1: *Deus,* ait, *Deus meus, ad te de luce vigilo;* et vers. 7: *Sic memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te,* et Psal. 5, 4: *Domine, manè exaudies vocem meam, manè astabo tibi et videbo,* et Psal. 58, 17: *Exaltabo manè misericordiam tuam,* et Psal. 87, 14: *Manè oratio mea præveniet te.*

Sensus horum omnium est, q. d. Moses: Crebrò pro commoditate tuâ, ô Israelita, de præceptis Dei, et maximè de illo primo et maximo, quod immediatè præcessit, scilicet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* cogitabis, loqueris et meditaberis, tam domi quàm foris, tam manè quàm vespere. Hinc hebr. *thora,* id est, lex, nonnulli, ut P. Pineda in Job c. 22, 22, deducunt à *thur,* id est, explorare, aut circumquàque lustrare et obsidere; quia lex universa assiduè et diligenter est exploranda, et circumquàque custodienda ac observanda, ne quis in uno offendat. Cùm enim præcepta omnia legis connexa sint, et in hoc dilectionis Dei præcepto, quasi in centro coeant, *hinc in uno offendens fit omnium reus,* Jacobi, 2, 10. Circumlustranda ergo, et quasi obsidenda est legis custodia, ejusque murus omni ex parte tuendus, ne quà hosti pateat aditus ad legis mentisque expugnationem.

Vers. 8. — Ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos. Pro, *movebuntur*, hebr. est, *totaphot*, quod Pagnin. et Vatabl. vertunt, *frontalia;* alii, *specilla*, vel *conspicilia* (per præcepta enim Dei conspicimus quid bonum, quid velit Deus, Psal. 118, 6), alii, *monimenta*, vel, *memorialia*. Noster Exodi 13, 16, vertit : *Quasi appensum quid, ob recordationem ante oculos tuos*. Sept., *immobile ante oculos tuos*. Porrò *totaphot* nonnulli deducunt à *taphaph*, id est, plodere, complodere, eò quòd *totaphot* sive *frontalia* ad frontem plodendo, per singulos ictus et pulsus, quasi campanulæ sonantes, admonerent Hebræos de servandâ lege et præceptis Dei. Unde vocabantur *phylacteria*, q. d. : Conservatoria legis. Judæi olim hæc omnia ad litteram, uti sonant, acceperunt, ut patet Matth. 23, 5, unde etiamnum sententias hebraicas legis suæ parietibus suis domi inscribunt, et cùm orant, appendunt ante se chartulam, continentem hæc verba : *Audi, Israel: Dominus Deus noster, Deus unus est*, usque ad v. 10, *cùm introduxerit*, etc. Verùm meliùs ea metaphoricè vel parabolicè accipias, q. d. : Ita continuam præceptorum et dilectionis Dei habebis recordationem, ac si ipsa frontalibus, dextralibus, et liminaribus inscripta, tuis oculis perpetuò objicerentur et obversarentur. Ita Abulens. Vide dicta Exodi 13, 9. Simili metaphorâ ait Deus Sioni, Isaiæ 49, 16 : *In manibus meis descripsi te*, quod explicat dùm subdit : *Muri tui coram oculis meis semper*. Piè et verè S. Aug. in Soliloq. c. 18: « Omni, ait, momento, ô Domine, me tibi obligas « dùm omni momento mihi tua magna beneficia « præstas. Sicut ergo nulla hora est, vel punctum in omni vitâ meâ, quo tuo beneficio non « utar, sic nullum debet esse momentum, quo te « non habeam ante oculos in meâ memoriâ, et « te non diligam ex omni fortitudine meâ. »

Vers. 14. — Non ibitis post deos alienos, non sequemini cultum deorum alienorum.

Vers. 16. — Sicut tentasti in loco tentationis, qui inde hebr. dictus est, *massa umeriba*. Exod. 17, 7.

Vers. 17. — Testimonia, id est, leges, quæ testantur quid velit Deus à nobis fieri.

Vers. 20. — Cras, tempore futuro.

Vers. 25. — Eritque nostri misericors. Hebr., *et justitia erit nobis*. Sed *justitia* hîc et alibi capitur pro misericordiâ, cujus rei causas dedi 2 Cor. 9, 9.

CAPUT VII.

1. Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam possessurus ingrederis, et deleverit gentes multas coram te, Hethæum, et Gergesæum, et Amorrhæum, Chananæum, et Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, septem gentes multò majoris numeri quàm tu es, et robustiores te : — 2. tradideritque eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eas usque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum; — 3. neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo. — 4. quia seducet filium tuum, ne sequatur me, et ut magis serviat diis alienis; irasceturque furor Domini, et delebit te citò. — 5. Quin potiùs hæc facietis eis : Aras eorum subvertite, et confringite statuas, lucosque succidite, et sculptilia comburite, — 6. quia populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. — 7. Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis junctus est Dominus, et elegit vos, cùm omnibus sitis populis pauciores : — 8. sed quia dilexit vos Dominus, et custodivit juramentum, quod juravit patribus vestris : eduxitque vos in manu forti, et redemit de domo servitutis, de manu Pharaonis regis Ægypti. — 9. Et scies, quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis et fidelis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus se, et his qui custodiunt præcepta ejus, in mille generationes; — 10. et reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos, et ultra non differat, protinùs eis restituens quod merentur. — 11. Custodi ergo præcepta, et cæremonias, atque judicia, quæ ego mando tibi hodiè ut facias. — 12. Si postquàm audieris hæc judicia, custodieris ea et feceris, custodiet et Dominus Deus tuus pactum tibi, et misericordiam quam juravit patribus tuis : — 13. et diliget te ac multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, et fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo et armentis, gregibus ovium tuarum super terram, pro quâ juravit patribus tuis ut daret eam tibi. — 14. Benedictus eris inter omnes populos. Non erit apud te sterilis utriusque sexûs, tam in hominibus quàm in gregibus tuis. — 15. Auferet Dominus à te omnem languorem : et infirmitates Ægypti pessimas, quas novisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis. — 16. Devorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus est tibi. Non parcet eis oculus tuus, nec servies diis eorum, ne sint in ruinam tui. — 17. Si dixeris in corde tuo : Plu-

res sunt gentes istæ quàm ego, quomodò potero delere eas? —18. Noli metuere, sed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni et cunctis Ægyptiis, — 19. plagas maximas, quas viderunt oculi tui, signa atque portenta, manumque robustam, et extentum brachium, ut educeret te Dominus Deus tuus. Sic faciet cunctis populis, quos metuis. — 20. Insuper et crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes, atque disperdat, qui te fugerint, et latere potuerint. — 21. Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est, Deus magnus et terribilis : — 22. ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pariter; ne fortè multiplicentur contra te bestiæ terræ. — 23. Dabitque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo; et interficiet illos donec penitùs deleantur. — 24. Tradetque reges eorum in manus tuas, et disperdes nomina eorum sub cœlo; nullus poterit resistere tibi, donec conteras eos. — 25. Sculptilia eorum igne combures : non concupisces argentum et aurum, de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quia abominatio est Domini Dei tui. —26. Nec inferes quidpiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut et illud est. Quasi spurcitiam detestaberis, et velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis, quia anathema est.

---

1. Lorsque le Seigneur votre Dieu vous aura fait entrer en cette terre que vous allez posséder, et qu'il aura exterminé devant vous plusieurs nations *qui l'occupent maintenant, et dont les principales sont* les Héthéens, les Gergéséens, les Amorrhéens, les Chananéens, les Phereséens, les Hévéens, et les Jébuséens, qui sont sept peuples beaucoup plus nombreux et plus puissants que vous n'êtes; —2. lors, *dis-je,* que le Seigneur votre Dieu vous les aura livrés, vous les ferez tous passer au fil de l'épée, sans qu'il en demeure un seul. Vous ne ferez point d'alliance avec eux ; et vous n'aurez aucune compassion d'eux, *parce que c'est moi qui vous ordonne de me venger de leur impiété.* — 3. Vous ne contracterez point de mariage avec ces peuples. Vous ne donnerez point vos filles à leurs fils, ni vos fils n'épouseront point leurs filles *idolâtres;* — 4. parce que, *si vous en usez autrement,* elles séduiront vos fils, et leur persuaderont de m'abandonner, et d'adorer des dieux étrangers plutôt que moi. Ainsi la fureur du Seigneur s'allumera *contre vous,* et vous exterminera dans peu de temps. — 5. Voici, au contraire, la manière dont vous agirez avec eux : Renversez leurs autels, brisez leurs statues, abattez leurs bois *profanes,* et brûlez tous leurs ouvrages de sculpture, *qu'ils ont faits pour les adorer,* — 6. parce que vous êtes un peuple saint *et* consacré au Seigneur votre Dieu, *parmi lequel il ne doit point y avoir de Dieu étranger. En effet,* le Seigneur votre Dieu vous a choisis afin que vous fussiez le peuple qui lui fût propre et particulier d'entre tous les peuples qui sont sur la terre. — 7. Ce n'est pas que vous surpassiez en nombre toutes les nations, que le Seigneur s'est uni à vous, et vous a choisis pour lui; puisqu'au contraire vous êtes en plus petit nombre que tous les autres peuples; — 8. mais c'est parce que le Seigneur vous a aimés, et qu'il a gardé le serment qu'il avait fait à vos pères, en vous faisant sortir *de l'Egypte* par sa main toute-puissante, en vous rachetant de ce séjour de servitude, et en vous tirant des mains de Pharaon, roi d'Egypte, *comme il leur avait promis.* — 9. Vous saurez donc que le Seigneur votre Dieu est lui-même le Dieu fort et fidèle qui garde son alliance et sa miséricorde jusqu'à mille générations envers ceux qui l'aiment et qui gardent ses préceptes, — 10. et qui, au contraire, punit promptement ceux qui le haïssent, en sorte qu'il ne diffère pas de les perdre entièrement et de leur rendre sur-le-champ ce qu'ils méritent. — 11. Gardez donc les préceptes, les cérémonies et les ordonnances que je vous commande aujourd'hui d'observer, *afin que vous viviez et que vous soyez heureux.* —12. *Car,* si après avoir entendu ces ordonnances, vous les gardez et les pratiquez, le Seigneur votre Dieu gardera aussi à votre égard l'alliance et la miséricorde qu'il a promise à vos pères avec serment. — 13. Il vous aimera et vous multipliera; il bénira le fruit de votre ventre et le fruit de votre terre, votre blé, vos vignes, votre huile, vos bœufs et vos troupeaux de brebis, dans la terre qu'il a promis avec serment à vos pères de vous donner. — 14. Vous serez bénis entre tous les peuples; il n'y aura point parmi vous de stérile de l'un ni de l'autre sexe, ni dans les hommes ni dans vos troupeaux. —15. Le Seigneur éloignera de vous toutes les langueurs, et il ne vous frappera point des plaies très-malignes dont vous savez qu'il a frappé l'Egypte; mais il en frappera au contraire tous vos ennemis. — 16. Vous exterminerez tous les peuples que le Seigneur votre Dieu vous

doit livrer. Vous ne vous laisserez point toucher de compassion pour les épargner, et vous n'adorerez point leurs dieux, de peur qu'ils ne deviennent le sujet de votre ruine. — 17. Si vous dites en vous-mêmes : Ces nations sont plus nombreuses que nous ; comment pourrons-nous les exterminer? — 18. ne craignez point, mais souvenez-vous de la manière dont le Seigneur votre Dieu a traité Pharaon et tous les Egyptiens, — 19. de ces grandes plaies dont vos yeux ont été témoins, de ces miracles et de ces prodiges, de cette main forte, et de ce bras étendu que le Seigneur votre Dieu a fait paraître pour vous tirer *de l'Egypte*. C'est ainsi qu'il traitera tous les peuples que vous pouvez craindre. — 20. Le Seigneur votre Dieu enverra même contre eux des frelons, jusqu'à ce qu'il ait détruit et perdu entièrement tous ceux qui auront pu vous échapper et se cacher. — 21. Vous ne *les* craindrez *donc* point, parce que le Seigneur votre Dieu est au milieu de vous, ce Dieu grand et terrible, *qui fait tout ce qu'il veut*. — 22. Ce sera lui-même qui perdra devant vous ces nations peu-à-peu et par parties. Vous ne pourrez les exterminer toutes ensemble, de peur que les bêtes de la terre ne se multiplient et ne s'élèvent contre vous, *vous trouvant trop faibles pour leur résister*. — 23. Mais le Seigneur votre Dieu vous abandonnera ces peuples, il les fera mourir *peu-à-peu*, jusqu'à ce qu'ils soient détruits entièrement. — 24. Il vous livrera leurs rois entre les mains; et vous exterminerez leur nom de dessous le ciel. Nul ne pourra vous résister, jusqu'à ce que vous les ayez réduits en poudre. — 25. Vous jeterez dans le feu les images taillées de leurs Dieux; vous ne désirerez ni l'argent ni l'or dont elles sont faites; et vous n'en prendrez rien du tout pour vous, de peur que ce ne vous soit un sujet de ruine, parce qu'elles sont l'abomination du Seigneur votre Dieu. — 26. Il n'entrera rien dans votre maison qui vienne de l'idole, de peur que vous ne deveniez anathème, *et que vous ne soyez condamnés à périr*, comme l'idole même. Vous la détesterez *donc* comme de l'ordure; vous l'aurez en abomination comme les choses les plus sales et qui font le plus d'horreur, parce que c'est un anathème *et un objet de la haine et de la colère du Seigneur*.

Vers. 1. — Septem gentes. Genes. 15, 19, numerantur decem gentes Chananæorum, quas expulerunt Hebræi; tres ergo reliquæ, vel ante perierant, vel aliis septem permixtæ fuerunt, uti dixi Gen. 15.

Tropol. septem gentes hostiles significant septem vitia capitalia; de quâ re fusè agit Cassian. collatione 5, c. 16 et seq.

Vers. 2. — Tradideritque eas tibi, hebr., *ante te*, id est, in potestatem tuam.

Vers. 3. — Neque sociabis cum eis conjugia. Nota. Tantùm vetatur hic, ne misceant connubia cum Chananæis quamdiù manent idololatræ. Nam, si convertantur, et ad populum Dei aggregentur, jam Judæi sunt, non Chananæi, itàque cum iis conjugium inire fas est. Cessat enim tunc ratio legis quæ datur v. 4, *quia seducet filium tuum, ne sequatur me, et ut magis serviat diis alienis*. Sic Salmon duxit Rahab Jerichuntinam, quæ receperat exploratores missos à Josue Matth. 1, 5; nam Rahab facta est proselyta, et sacra Judaica suscepit.

Vers. 6. — Quia populus sanctus es Domino. *Sanctus*, id est, separatus ab aliis gentibus, verique Dei religioni addictus.

Ut sis ei populus peculiaris. Hebr. : *Ut sis ei populus segulla*, id est, instar cimelii, sive rei charissimæ et pretiosissimæ. Vide dicta Exodi 19, 5.

Vers. 10. — Et reddens odientibus se statim. Pro *statim*, hebr. est, *in facies suas*, id est, dùm adhuc vivunt, q. d. : Deus pœnam peccatis parentum debitam non differt in filios, sed eam ipsis parentibus, dùm vivunt, irrogat. Chald. hæc non de pœnâ accipit, sed de bonis et præmiis virtutum aliquarum, quas habent impii; vertit enim : *Retribuens inimicis suis bona quæ ipsi faciunt coram eo, in vitâ suâ, ut perdat eos* (in futurâ vitâ), *et non differt facere bonum inimicis suis, pro bonis, quæ faciunt coram eo, sed in vitâ eorum retribuit eis*. Verùm hunc sensum elidunt ea, quæ sequuntur : *Ita ut disperdat eos, et ultra non differat, protinùs restituens eis quod merentur*. Genuinus ergo sensus est de pœnâ impiorum, q. d. : Cavete, ô Hebræi, ne Deum offendatis : quia sicut Deus præstat bona diligentibus se in mille, id est, plurimas generationes, ita statim punit odientes se, ut patuit in pœnâ colentium vitulum aureum, Exodi 32, et concupiscentium carnes, Num. 11, et pœna Core, Dathan et Abiron, Num. 16, et pœna murmuris Mariæ, Num. 12.

Vers. 13. — Benedicetque fructui ventris tui, puta filiis tuis; copia liberorum erat benedictio veterum illorum, uti Rebeccæ, Genes. 24, 60, et Abrahæ, Genes. 22, 17, et Liæ, Genes. 30, 13, idque tum propter se, fœcunditas

enim magnum est bonum, tam parentum, quàm reipublicæ, tum ob spem Messiæ, ex posteris ipsorum nasciturî. Hinc nota erat apud Hebræos, esse sterilem et illiberem; suspicio enim erat, talem scelus aliquod admisisse, ob quod hâc communi, quasi gentis suæ, benedictione privaretur, ut colligitur Oseæ 9, 14, et Genes. 20, 18. Ita Maldonatus in Lucæ 1, 25.

Vers. 16. — Devorabis omnes populos, gladio eos consumendo, et opes eorum diripiendo, ita ut non parcat eis oculus tuus, ut scilicet nemini hostium Chananæorum, in terrâ tibi promissâ parcas, sed omnes occidas; idque primò, propter enormia eorum scelera, maximè libidines, uti dixi Levit. 18, 27; secundò, ne sint Judæis scandalo, ut hic dicitur, eosque trahant ad enormem libidinem.

Vers. 20. — Et crabrones. De his crabronibus dixi Exodi 23, 28, et Josue ult. v. 12.

Vers. 21. — Deus tuus in medio tui est, tecum est, te adjuvat. Similis phrasis est Exodi 17, 7.

Vers. 22. — Non poteris eas delere pariter, id est, simul, eodem tempore. Vide dicta Exod. 23, 29.

Vers. 24. — Disperdes nomina eorum, disperdes eos cùm totâ prosapiâ, ne nomina eorum maneant in filiis, sed tota eorum memoria deleatur.

Vers. 25. — Argentum et aurum de quibus facta sunt. Hebr. est, *quod est super ea*, id est, quo tecta, vel cooperta sunt. Solebant enim idola lignea, vel ænea inaurari, et auro vel argento obduci, ad ornatum et ad reverentiam eis conciliandam.

Quia (quòd) abominatio est Domini Dei tui, abominabile est coram Deo tuo.

Vers. 26. — Ne fias anathema, sicut et illud est. Hebr., *ne fias cherem*, id est, res excidio addicta, quæ succidenda et ad nihilum redigenda est, *sicut est ipsum idolum;* hoc enim succidi et annihilari debet. De *cherem* vide dicta Levit. ult. v. 28.

CAPUT VIII.

1. Omne mandatum, quod ego præcipio tibi hodiè, cave diligenter ut facias; ut possitis vivere, et multiplicemini, ingressique possideatis terram, pro quâ juravit Dominus patribus vestris. — 2. Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te, atque tentaret, et nota fierent quæ in tuo animo versabantur, utrùm custodires mandata illius, an non. — 3. Afflixit te penuriâ, et dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu et patres tui: ut ostenderet tibi quòd non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei. — 4. Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquàm vetustate defecit, et pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est; — 5. ut recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudivit te, — 6. ut custodias mandata Domini Dei tui, et ambules in viis ejus, et timeas eum. — 7. Dominus enim Deus introducet te in terram bonam, terram rivorum, aquarumque et fontium: in cujus campis et montibus erumpunt fluviorum abyssi; — 8. terram frumenti, hordei, ac vinearum, in quâ ficus et malogranata, et oliveta nascuntur: terram olei ac mellis; — 9. ubi absque ullâ penuriâ comedes panem tuum, et rerum omnium abundantiâ perfrueris: cujus lapides ferrum sunt, et de montibus ejus æris metalla fodiuntur: — 10. ut cùm comederis, et satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terrâ optimâ, quam dedit tibi. — 11. Observa, et cave nequando obliviscaris Domini Dei tui, et negligas mandata ejus atque judicia et cæremonias, quas ego præcipio tibi hodiè: — 12. ne postquàm comederis et satiatus fueris, domos pulchras ædificaveris in eis, — 13. habuerisque armenta boum, et ovium greges, argenti et auri, cunctarumque rerum copiam, — 14. elevetur cor tuum, et non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terrâ Ægypti, de domo servitutis: — 15. et ductor tuus fuit in solitudine magnâ atque terribili, in quâ erat serpens flatu adurens, et scorpio ac dipsas, et nullæ omninò aquæ: qui eduxit rivos de petrâ durissimâ, — 16. et cibavit te mannâ in solitudine, quod nescierunt patres tui, et postquàm afflixit ac probavit, ad extremum misertus est tuî, — 17. ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea et robur manûs meæ hæc mihi omnia præstiterunt: — 18. sed recorderis Domini Dei tui, quòd ipse vires tibi præbuerit, ut impleret pactum suum, super quo juravit patribus tuis, sicut præsens indicat dies. — 19. Sin autem oblitus Domini Dei tui, secutus fueris Deos alienos, coluerisque illos et adoraveris, ecce nunc prædico tibi quòd omninò dispereas. — 20. Sicut gentes, quas delevit Dominus in introitu tuo, ita et vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.

---

1. Prenez bien garde d'observer avec grand soin tous les préceptes que je vous prescris

aujourd'hui, afin que vous puissiez vivre, que vous vous multipliiez *de plus en plus*, et que vous possédiez le pays où vous allez entrer, que le Seigneur a promis à vos pères avec serment, *et dont il va vous mettre en possession.* — 2. Vous vous souviendrez de tout le chemin par où le Seigneur votre Dieu vous a conduits dans le désert pendant quarante ans, *et de tous les maux que vous avez soufferts pendant ce temps,* pour vous punir et pour vous éprouver, afin que ce qui était caché dans votre cœur fût découvert, et que l'on connût si vous seriez fidèles ou infidèles à observer ses commandements. — 3. Il vous a affligés de la faim, et il vous a donné pour nourriture la manne qui était inconnue à vous et à vos pères, pour vous faire voir que l'homme ne vit pas seulement de pain, mais de toute parole qui sort de la bouche de Dieu, *et de tout ce qu'il veut bien lui donner pour sa nourriture.* — 4. Voici la quarantième année *que vous êtes en chemin* : et cependant les habits dont vous étiez couverts ne se sont point rompus par la longueur de ce temps, ni les souliers que vous aviez aux pieds ne se sont point usés.—5. Pensez donc en vous-mêmes, *à la vue de ces merveilles,* que le Seigneur votre Dieu s'est appliqué à vous instruire *et à vous régler,* comme un homme s'applique à instruire *et à corriger* son fils,—6. afin que vous observiez les commandements du Seigneur votre Dieu, que vous marchiez dans ses voies et que vous soyez pénétrés de sa crainte, *et qu'ainsi vous vous rendiez dignes des biens dont il veut vous combler.* — 7. Car le Seigneur votre Dieu est près de vous faire entrer dans une bonne terre, dans une terre pleine de ruisseaux, d'étangs et de fontaines, où les sources des fleuves répandent leurs eaux en abondance dans les plaines et le long des montagnes, *sans qu'on soit obligé de les y conduire par des canaux ;* — 8. dans une terre qui produit du froment, de l'orge et des vignes, où naissent les figuiers, les grenadiers, les oliviers ; dans une terre d'huile et de miel, — 9. où vous mangerez votre pain sans que vous en manquiez jamais, où vous serez dans une abondance de toutes choses ; *une terre* dont les pierres sont *propres à faire* du *fer,* et *où il y a* des montagnes desquelles on tire les métaux d'airain : *le Seigneur, dis-je, vous mettra en possession de cette terre,* — 10. afin qu'après avoir mangé, et vous être rassasiés *des fruits de ce pays,* vous bénissiez le Seigneur votre Dieu qui vous a donné une terre si excellente. — 11. Prenez bien garde de n'oublier jamais le Seigneur votre Dieu : et de ne point négliger ses préceptes, ses lois et ses cérémonies que je vous prescris aujourd'hui ; — 12. de peur qu'après que vous aurez mangé, et que vous serez rassasiés, que vous aurez bâti de belles maisons, et que vous vous y serez établis, — 13. que vous aurez eu des troupeaux de bœufs et des troupeaux de brebis, et une abondance d'or et d'argent, et de toutes choses, — 14. votre cœur ne s'élève, et que vous ne vous souveniez plus du Seigneur votre Dieu qui vous a tirés du pays d'Egypte, ce séjour de servitude ; — 15. qui a été votre conducteur dans un désert vaste et affreux, où il y avait des serpents qui brûlaient par leur souffle, des scorpions et des dipsades, *dont la morsure cause une soif mortelle,* et où il n'y avait aucune eau *pour la désaltérer ;* qui a fait sortir des ruisseaux de la pierre la plus dure, *pour apaiser cette soif dont vous étiez pressés ;* — 16. qui vous a nourris dans cette solitude de la manne inconnue à vos pères ; et qui, après vous avoir punis et vous avoir éprouvés *par beaucoup de fatigues et de travaux,* a eu enfin pitié de vous, *en vous faisant entrer dans cette terre qu'il vous avait promise et qu'il ne vous a donnée qu'après vous avoir fait long-temps sentir votre faiblesse et votre impuissance.* — 17. afin que vous ne disiez point dans votre cœur : C'est par ma propre puissance et par la force de mon bras que j'ai acquis toutes ces choses ; — 18. mais que vous vous souveniez que c'est le Seigneur votre Dieu qui vous a donné lui-même toute votre force, pour accomplir ainsi l'alliance qu'il a jurée avec vos pères, comme il paraît par ce que vous voyez aujourd'hui. — 19. Que si *après cela,* oubliant le Seigneur votre Dieu, vous suivez des dieux étrangers, que vous les serviez et les adoriez, je vous prédis dès maintenant que vous serez tout-à-fait détruits. — 20. *Oui, je vous le déclare positivement,* vous périrez misérablement, comme les nations que le Seigneur a détruites à votre entrée, si vous êtes désobéissants à la voix du Seigneur votre Dieu.

VERS. 1. — OMNE MANDATUM, QUOD EGO PRÆCIPIO TIBI HODIÈ, CAVE DILIGENTER UT FACIAS. *Cave,* id est, cautè observa, et, ut hebr. est, *custodi*, quia hoc fieri debet propter Deum, et ex mandato Dei ; nam, ut rectè ait Abul., « si « homines servientes dominis terrenis, pro- « pter eorum reverentiam attentissimi sunt, « ne quid in eorum ministerio deficiat, quàm

« attenti et cauti esse debemus, cùm Deo mi-
« nistramus, vel aliquod ejus mandatum faci-
« mus? quia reverentia Dei, æquè ac maje-
« stas, distat in infinitum à reverentiâ et ma-
« jestate hominum. Idcircò cum magno timore
« facere debemus mandata Dei, caventes di-
« ligentissimè ne quid ibi deficiat; hinc dicitur
« psal. 2: *Servite Domino in timore, et exultate*
« *ei cum tremore*, et alibi: *Maledictus qui facit*
« *opus Domini negligenter!* Hanc ergo reveren-
« tiam et cautelam significat τὸ, cave ut facias,
« id est, sis multùm attentus ad hæc.» Hucusque Abul.

Vers. 3. — Afflixit te penuria. Nam in deserto Hebræi non invenerunt carnes, nec segetes, imò nec olera sæpè: unde murmurârunt, ideòque Deus dedit eis manna, ut patet Exodi 16, 3.

Moraliter disce hic, Deum eos, quos affligit penuriâ, pascere mannâ, id est cibo spiritali, ut qui jejunant ventre, reficiantur in mente; ut qui carent consolationibus terrenis, abundent cœlestibus. Sicut vice versâ, qui abundant consolationibus humanis, destituuntur divinis, unde et filii Israel mox ut gustârunt fruges terræ Chanaan, perdiderunt manna de cœlo, Josue 5, 12. Sic Jacob pauper et miser fugiens Esaü, vidit scalam erectam in cœlum, Deumque illi innixam, Gen. 28, 12. Sic S. Joannes in exilio fame et ærumnis afflictus, vidit sublimia illa mysteria Apocalypseos. Sic Stephanus in lapidatione vidit Jesum stantem à dextris virtutis Dei. Hinc Christus Joannis discipulis hoc suî signum ab Isaiâ prædictum assignat: *Pauperes evangelizantur*, Matth. 11, 5. Et S. Jacobus Epist. c. 2, 5: *Nonne*, ait, *Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se? Ita religiosus est pauper in cellâ, dives in conscientiâ*, ait S. Bern. Et Apost. 2 Cor. 4, cùm dixisset, v. 8: *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur* (penuriâ affligimur), *sed non destituimur*, subdit v. 16: *Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intùs est renovatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivat homo (vos enim sustentavit in deserto per 40 annos, sine pane, per manna), sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei, hebr., *super omne quod egreditur os Domini, vivet homo;* q. d.: Homo vivet re quâcumque, quam jusserit Dominus, aut ordinârit ad vitæ humanæ sustentationem, uti Judæi vixerunt ex mannâ; adeò, ait Abul. ut, si Deus mandaret nobis, ut comederemus colubros, basiliscos, lapides, æs, etc., meliùs illis, quàm delicatissimis cibis nutriremur; imò, si vellet, aut juberet, sine omni cibo viveremus; uti Simeon Stylites viginti octo quadragesimas sine cibo et potu transegit, et Christus 40 dies vixit sine cibo in deserto, atque tentanti eum diabolo ad gulam, respondit hæc ipsa verba: *Non in solo pane vivit homo*, etc. Sic et Elias, Moses, et alii diù sine cibo vixerunt. Simile etiamnum fit in sanctis, qui orationi et contemplationi intenti, spiritualibus delectationibus pascuntur, quæ memoriam et appetitum cibi et rerum sensibilium extinguunt. Ita Cassian. collat. 19, c. 4, refert de Joanne abbate, quòd deliciis spiritualibus occupatus, non recordabatur an pridiè comedisset, nec ne.

Nota hebraismum: *Egressus est sermo ex aliquo*, vel ex ore alicujus, id est, placitum, libitum, vel decretum est illi. Sic dicit Laban cum suis Gen. 24, 50: *A Domino egressus est sermo, non possumus extra placitum ejus quidquam aliud loqui tecum*, q. d.: Domino placet, ut Rebecca nubat Isaaco, nos Dei placito reluctari non possumus, nec debemus: et Jerem. 44, 17, dicunt impii Judæi: *Faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro*, id est, omne quod libuerit.

Mysticè, S. Ambr. in Luc. 4: Vivit, ait, homo omni verbo Dei, id est, alimento verbi cœlestis, quo alitur anima, præ quo fames corporis est negligenda; et tale verbum, primò, est Christus; secundò, S. Scriptura; tertiò, oratio, et inspiratio Dei. Hunc sensum volunt aliqui esse litteralem, sed ex dictis patet esse mysticum.

Vers. 4. — Vestimentum tuum quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit. Quia, inquit Aben Esra, manna fuit talis temperamenti, ut non gigneret sudorem, quo vestes perustæ inveterantur. Sed hoc non sufficiebat hîc; solo enim usu teruntur vestes, præsertim si quis iter faciat. Fuit ergo miraculosa soliditas, per 40 annos à Deo concessa vestibus Hebræorum, ut nullatenùs rumperentur, vel tererentur. Hinc rursùm videntur vestes hæ cum parvulis crevisse; nam alioqui illæ crescentium corporibus non quadrâssent, itàque Hebræi grandiores facti, nudi incedere debuissent; unde enim singuli in tanto numero, vestes alias sibi comparâssent? ita Abul. Ita S.

Apollonii (qui fuit pater 500 monachorum, miræ sanctitatis vir) vestimenta non veterascebant, ait Pallad. in Lausiaca cap. 52, cùm tamen in deserto Thebaidis vixerit 40 annis, æquè ac Hebræi. Simile miraculum præstitit Deus S. Abrahamio eremitæ, quod enarrat S. Ephrem, qui ei fuit familiaris, in illius Vitâ : « Erat, ait, aspectus ejus velut flos rosæ : « divinâ enim gratiâ ipse sustentabatur in omnibus, et jucunditate spiritalis lætitiæ fruebatur. Quin et in horâ obdormitionis suæ ita « specioso vultu cernebatur, quasi angelorum « comitatu stipatus fuisset. Sed et alia in eo « admiranda Dei gratia visa est, quòd totis « quinquaginta abstinentiæ suæ annis, vestem « cilicinam, quâ indutus fuerat, nunquàm « mutaverit, quæque ita perseveranter ad « finem usque vitæ ipsi servivit, ut etiam alii « participes ejusdem illius vestis postea fuerint, « quæ ei priùs jam inveterata usui fuerat. » Causa meritoria hujus integritatis corporis et vestium, fuit integritas et constantia mentis. « Per omne enim tempus conversionis suæ « nunquàm à regulâ instituti sui deflexit, neque unquàm iisdem temporibus dies illum « aliqua sine lacrymis præteriit. Non appropinquavit corpori ejus oleum, neque faciem « suam, aut pedes unquàm aquâ abluit. Sic « autem se in sui instituti certamine gerebat, « quasi quotidiè moriturus esset. In admirandâ « illâ suâ abstinentiâ, assiduisque vigiliis, ac « lacrymarum fluentis, humicubationibus et « corporis maceratione nunquàm remissior aut « imbecillior factus est, neque segnitie, vel « tædio aliquo fatigatus : sed velut esuriens « quispiam, aut sitiens, sic mens ejus nunquàm sui instituti dulcedine poterat satiari. » Ita S. Maria Ægyptiaca in eremo vixit 47 annis, ac primis septemdecim duobus panibus (quos secum eò detulerat) et oleribus victitans, reliquis triginta sine cibo vitam egit, ac vestibus consumptis nuda, frigore et æstu tosta, ut videretur Æthiopissa. Hinc ipsa ad Zozimam : « Cibus, ait, potus et vestimentum « mihi est verbum Dei ; quia *non in solo pane « vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit « de ore Dei.* » Et Job 24, juxta Sept. : *Eò quòd ipsi non habeant vestimentum, petram sibi circumdederunt.* Et S. Paulus primus eremita anno ætat. 113 moriens ad S. Antonium : « En, « ait, quem tanto labore quæsisti, putridis « senectute membris, operit inculta canities, « en vides hominem pulverem mox futurum ; « sed quia jam dormitionis meæ tempus instat, « et, quod semper cupiebam dissolvi, et esse « cum Christo, peracto cursu superest mihi « corona justitiæ ; tu missus es à Domino, qui « humo corpusculum meum tegas, imò terræ « terram reddas. » Ita S. Hier. in Vitâ S. Pauli.

Apud Judæos traditio est, ipsorum majores in Ægypto tria quæ à suis acceperant majoribus, non mutâsse, scilicet *nomina, linguam*, et *vestes*. Ita refert noster Serarius in Josue c. 2, q. 25.

Pes tuus non est subtritus : hebr. *non intumuit*, q. d. : Pes tuus neque intumuit, neque læsus, aut attritus est. Solent enim itinerantes, in pedibus contrahere turgentes vesicas, quæ priùs inflantur, quàm subterantur ; rursùm solent diù ambulando, pellem pedum deterere.

Dices : Num. 11, 1 dicitur, quòd populus dolebat propter laborem itineris. — Respondeo : Labor iste fuit modicus, scilicet fatigatio aliqua, non autem pedum læsio. Adde, laborem hunc non tam fuisse causam, quàm prætextum murmuris, ut ibi dixi. Denique, unicus fuit iste unius illius temporis, vel diei labor ; cæteris enim diebus deinceps, eos laborâsse non legimus. Ita Abulens. ; quinimò omnes valentes et vegetos fuisse ad iter, sat significat Psaltes psalm. 104, 37 : cùm ait : *Non erat in tribubus eorum infirmus.* Secundò : *Pes tuus non est subtritus*, pes, id est, calceus, tum quia pes, id est, calceus opponitur hic vestimento, tum quia ita se explicat Moses Deut. 29, dicens : *Non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt.* Sic Exod. 21, 3, Hebr. *gaph*, id est, corpus, sumitur pro corporis indumento, unde noster vertit, *cum quâ veste* (hebr. est *gaph*, id est, cum corpore) *intravit, cum tali exeat.* Sic Isaiæ 41, 3 : *Semita in pedibus ejus non apparebit ; in pedibus*, id est, in calceis lutulentis et detritis. Sic Saraballa Chald. significat tibias et tibialia, teste S. Hier, in Daniel. 3. Ita Sanchez Prolegom. in Cant.

En quadragesimus annus est, ex quo Ægypto egressi hæc vestium et sanitatis beneficia à Deo continuè percepimus.

Vers. 9. — Cujus (terræ Chanaan) lapides ferrum sunt, q. d. : In Chanaan sunt fodinæ ferreæ, è quibus eruuntur lapides et massæ rubricæ, ex quibus conflatur ferrum.

Vers. 10. — Ut cum comederis et satiatus fueris, benedicas Domino. Judæi etiamnum in conviviis utuntur longâ benedictione et gratiarum actione, adeòque in festis seorsim calicem et seorsim panem benedicunt ; quin et in

mensâ quoties novi et lauti quid affertur, iterant benedictionem, ut cùm lautius vinum, vel aromata, vel fructus arborum, etc., afferuntur, dicunt : *Benedictus sis, Domine Deus noster creator, qui bonus es, et benefacis omnibus, qui creâsti hoc sapidum vinum, hæc aromata, hos fructus*, etc., ut patet ex eorum libro rituali. Hinc et Christus tum aliàs, tum in ultimâ cœnâ gratias egit, et benedixit tam calicem quàm panem. Et Apostolus 1 Timoth. 4, 3, dicit cibos quos creavit Deus, percipiendos esse cum gratiarum actione : *Quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.* Vide ibi dicta.

Vers. 15. — In qua erat, etc., dipsas. Chald. vertit, *locus sitis*, recentiores vertunt, *siccitas;* sed nostro interpreti consentiunt Sept. Et hebr. *tsimmaon*, à *tsimma*, id est, à siti, deducitur ; unde Isidorus lib. 12 Etymol. 4 : Dipsas, inquit, latinè dicitur situla, scilicet à siti ; dipsades enim vocantur serpentes nocentissimi, eò quòd morsi ab eis, continuò inarescant, et siti ardeant ; quare potum incessanter hauriente, tandem crepant et dissiliunt. De his agit Solinus in Polyhist. c. de Africâ, et alii historici, præsertim qui de exercitu Catonis in Lybiâ scribunt, ubi sub arenæ cumulis id genus serpentis delitescit. Iidem narrant militem à dipsade morsum ad mare insano impetu accurrisse, cùmque magnam salsarum aquarum vim ebibisset, repentè extinctum esse. Magna ergo fuit Dei providentia et benevolentia erga Hebræos, quòd ipsi per 40 annos ab his serpentibus, qui in deserto abundant, non sint læsi.

Vers. 16. — Et postquam afflixit, ac probavit, heb. : *Ut affligeret, et probaret te, atque sic tandem benefaceret tibi.* Sed eòdem redit sensus, q. d. : Priùs te Deus afflixit et probavit per sitim et famem, sed mox dando aquas et manna, misertus est tui : patet ex præcedenti.

Vers. 17. — Ne diceres in corde tuo : Fortitudo mea et robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt. Errat ergo Seneca dicens : *Deorum immortalium munus est quòd vivimus, philosophiæ quòd benè vivimus;* et ille qui dicebat Jovi : *Det vires, det opes, animum æquum mihi ipse parabo.* Nota. Permittit Deus suos in arcta redigi, ut eos doceat diffidere sibi suisque viribus, et fidere Deo ; hinc orat totus Israel imminente Holopherne, Judith 6 : *Ostende, Domine, quoniam non derelinquis præsumentes de te, et de suâ virtute gloriantes humilias;* nam, ut dicitur Prov. 18, 10 : *Turris fortissima nomen Domini; ad ipsam currit justus, et exaltabitur*, et Psal. 30, 5 : *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus.* Ita Judas Machabæus invocato Deo, Nicanorem aliosque hostes prostravit, 2 Mach. 15.

Docet S. Basil. Instit. de Vitâ perfectâ, servos Dei à dæmone variis tentationibus agitari, sed eos vinci qui plus æquo sibi confidunt : nam, ut ait Serapion apud Cassian. collat. 5, cap. 4 : « Impossibile est de quâlibet passione « triumphum quempiam promereri, priusquàm « intellexerit, industriâ, vel labore proprio vi- « ctoriam certaminis semet obtinere non pos- « se. » Et Jerem. c. 17 : *Maledictus*, ait, *homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum.* S. August. in Soliloq. cap. 15 : « Credebam, ait, me fore aliquid, cùm « nihil essem; cogitabam me esse prudentem, « et deceptus sum ; dixi quòd dives essem, et « nullius egerem, et nesciebam quoniam pau- « per eram, cæcus, nudus, miser et miserabi- « lis. Sed nunc video, quoniam si quid boni « est, parvi vel magni, donum tuum est. Cre- « debam me sufficere per me, nec percipiebam « quoniam tu regebas me, donec aliquantulum « te elongâsti à me, et cecidi statim in me, et « quòd surrexi fuit ex te. » Hinc orat David Psal. 17, 2 : *Diligam te, Domine, fortitudo mea; Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.* Davidis exemplum secuti sunt sancti Patres in eremo, qui teste Cassiano col. 10, c. 10, ad quasvis vel tentationes, vel actiones statim in initio orabant : *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina.* Eumdem versic. usurpat Ecclesia initio Horarum canonicarum. Causam dat ibidem Cassian. Et S. Paulus Philipp. 2 : *Deus est qui operatur in vobis velle et perficere;* et c. 4 : *Omnia possum in eo qui me confortat;* et 2 Cor. 4 : *Deo autem gratias, qui semper nos triumphat* (triumphare facit) *in Christo Jesu;* et S. Jacobus c. 1 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursùm est, descendens à Patre luminum.* Et poeta : *In ipso vivimus, movemur, et sumus. Neque enim*, ut ait S. Aug. lib. 4 de Genesi ad litt. c. 12, *mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus suum regimen subtraxerit.*

CAPUT IX.

1. Audi, Israel : Tu transgredieris hodiè Jordanem, ut possideas nationes maximas et fortiores te, civitates ingentes et ad cœlum

usque muratas, — 2. populum magnum atque sublimem, filios Enacim, quos ipse vidisti, et audisti, quibus nullus potest ex adverso resistere. — 3. Scies ergo hodiè quòd Dominus Deus tuus ipse transibit ante te, ignis devorans atque consumens, qui conterat eos et deleat, atque disperdat ante faciem tuam velociter, sicut locutus est tibi. — 4. Ne dicas in corde tuo, cùm deleverit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo : Propter justitiam meam introduxit me Dominus ut terram hanc possiderem, cùm propter impietates suas istæ deletæ sint nationes. — 5. Neque enim propter justitias tuas, et æquitatem cordis tui, ingredieris ut possideas terras earum : sed quia illæ egerunt impiè, introeunte te deletæ sunt; et ut compleret verbum suum Dominus, quod sub juramento pollicitus est patribus tuis, Abraham, Isaac et Jacob. — 6. Scito ergo quòd non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cùm durissimæ cervicis sis populus. — 7. Memento, et ne obliviscaris quomodò ad iracundiam provocaveris Dominum Deum tuum in solitudine. Ex eo die, quo egressus es ex Ægypto usque ad locum istum, semper adversùm Dominum contendisti. — 8. Nam et in Horeb provocâsti eum, et iratus delere te voluit, — 9. quando ascendi in montem, ut acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti quod pepigit vobiscum Dominus : et perseveravi in monte quadraginta diebus ac noctibus : panem non comedens, et aquam non bibens. — 10. Deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei, et continentes omnia verba quæ vobis locutus est in monte de medio ignis, quando concio populi congregata est. — 11. Cùmque transissent quadraginta dies, et totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas fœderis, — 12. dixitque mihi : Surge, et descende hinc citò : quia populus tuus, quem eduxisti de Ægypto, deseruerunt velociter viam quam demonstrâsti eis; feceruntque sibi conflatile. — 13. Rursùmque ait Dominus ad me : Cerno quòd populus iste duræ cervicis sit; — 14. dimitte me ut conteram eum, et deleam nomen ejus de sub cœlo, et constituam te super gentem, quæ hâc major et fortior sit. — 15. Cùmque de monte ardente descenderem, et duas tabulas fœderis utrâque tenerem manu; — 16. vidissemque vos peccâsse Domino Deo vestro, et fecisse vobis vitulum conflatilem, ac deseruisse velociter viam ejus, quam vobis ostenderat : — 17. projeci tabulas de manibus meis, confregique eas in conspectu vestro. — 18. Et procidi ante Dominum sicut priùs, quadraginta diebus et noctibus panem non comedens, et aquam non bibens, propter omnia peccata vestra quæ gessistis contra Dominum, et eum ad iracundiam provocâstis. — 19. Timui enim indignationem et iram illius, quâ adversùm vos concitatus, delere vos voluit. Et exaudivit me Dominus etiam hâc vice. — 20. Adversùm Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum conterere, et pro illo similiter deprecatus sum. — 21. Peccatum autem vestrum quod feceratis, id est, vitulum, arripiens, igne combussi, et in frusta comminuens, omninòque in pulverem redigens, projeci in torrentem, qui de monte descendit. — 22. In incendio quoque et in tentatione, et in Sepulcris concupiscentiæ provocâstis Dominum : — 23. et quando misit vos de Cadesbarne, dicens : Ascendite, et possidete terram, quam dedi vobis, et contempsistis imperium Domini Dei vestri, et non credidistis ei, neque vocem ejus audire voluistis : — 24. sed semper fuistis rebelles à die quâ nôsse vos cœpi. — 25. Et jacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret vos, ut fuerat comminatus : — 26. et orans dixi : Domine Deus, ne disperdas populum tuum, et hæreditatem tuam, quam redemisti in magnitudine tuâ, quos eduxisti de Ægypto in manu forti. — 27. Recordare servorum tuorum, Abraham, Isaac, et Jacob : ne aspicias duritiam populi hujus, et impietatem atque peccatum; — 28. ne fortè dicant habitatores terræ, de quâ eduxisti nos : Non poterat Dominus introducere eos in terram, quam pollicitus est eis, et oderat illos : idcircò eduxit ut interficeret eos in solitudine : — 29. qui sunt populus tuus et hæreditas tua, quos eduxisti in fortitudine tuâ magnâ, et in brachio tuo extento.

---

1. Ecoutez, Israël : *Je vous proteste* aujourd'hui *avec vérité, que* vous passerez *bientôt* le Jourdain pour vous rendre maître de ces nations, qui sont plus nombreuses et plus puissantes que vous; de ces grandes villes dont les murailles s'élèvent jusqu'au ciel; — 2. de ce peuple d'une taille haute et surprenante; de ces enfants d'Enac que vous avez vu vous-même, *en la personne d'Og, roi de Basan*, et dont vous avez entendu parler *aux espions*, et à qui, *selon eux*, nul homme ne peut résister. — 3. Vous saurez donc aujourd'hui que le

Seigneur votre Dieu passera lui-même devant vous comme un feu dévorant et consumant, qui les réduira en poudre, les perdra, les exterminera en peu de temps devant votre face, selon qu'il vous l'a promis. — 4. Après que le Seigneur votre Dieu les aura détruits devant vos yeux, ne dites pas dans votre cœur : C'est à cause de ma justice que le Seigneur m'a fait entrer dans cette terre, et qu'il m'en a mis en possession; puisque ces nations ont été détruites à cause de leurs impiétés, *et non à cause de vos mérites.* — 5. Car ce n'est ni votre justice, ni la droiture de votre cœur, qui sera cause que vous entrerez dans leur pays pour le posséder; mais elles seront détruites à votre entrée, parce qu'elles ont agi d'une manière impie, et que le Seigneur voulait accomplir ce qu'il a promis avec serment à vos pères, Abraham, Isaac et Jacob. — 6. Sachez donc que ce ne sera point pour votre justice que le Seigneur votre Dieu vous fera posséder cette terre si excellente, puisque vous êtes, *au contraire,* un peuple d'une tête dure et inflexible. — 7. Souvenez-vous, *en effet,* et n'oubliez jamais de quelle manière vous avez excité contre vous la colère du Seigneur votre Dieu dans le désert. Depuis le jour que vous êtes sortis de l'Egypte, jusqu'à ce lieu où nous sommes, vous avez toujours murmuré contre le Seigneur. — 8. Car vous l'avez irrité dès le temps que nous étions à Horeb; et s'étant mis en colère contre vous, il voulut vous perdre *dès lors.* — 9. Ce fut quand je montai sur la montagne pour y recevoir les tables de pierre, les tables *sur lesquelles étaient écrites les paroles* de l'alliance que le Seigneur fit avec vous : et je demeurai toujours sur cette montagne pendant quarante jours et quarante nuits, sans boire ni manger. — 10. Le Seigneur me donna alors deux tables de pierre écrites du doigt de Dieu, qui contenaient toutes les paroles qu'il vous avait dites du haut de la montagne du milieu du feu, lorsque tout le peuple était assemblé. — 11. Après que les quarante jours et les quarante nuits furent passés, le Seigneur me donna les deux tables de pierre, les tables *où étaient écrites les paroles* de l'alliance *qu'il avait faite avec vous,* — 12. et il me dit : Levez-vous, descendez vite de cette montagne, parce que votre peuple que vous avez tiré de l'Egypte a aussitôt abandonné la voie que vous lui aviez montrée; ils se sont fait une idole jetée en fonte. — 13. Le Seigneur me dit encore : Je vois que ce peuple a la tête dure. — 14. Laissez-moi faire, et je le réduirai en poudre; j'effacerai son nom de dessous le ciel, et je vous établirai sur un autre peuple, qui sera plus grand et plus puissant que celui-ci. — 15. Je descendis donc de cette montagne qui était tout ardente, tenant dans mes deux mains les deux tables de l'alliance; — 16. et voyant que vous aviez péché contre le Seigneur votre Dieu, et que vous vous étiez fait un veau de fonte *pour l'adorer au lieu du Seigneur,* et que vous aviez abandonné si tôt la voie qu'il vous avait montrée, — 17. je jetai de mes mains les tables, et je les brisai à vos yeux, *pour vous faire comprendre combien vous vous étiez rendus indignes de recevoir une si sainte loi.* — 18. *Et étant remonté sur la montagne,* je me prosternai devant le Seigneur comme j'avais fait auparavant, *et je demeurai de nouveau* quarante jours et quarante nuits sans boire ni manger, à cause de tous les péchés que vous aviez commis contre le Seigneur, et par lesquels vous aviez excité sa colère contre vous. — 19. Car j'appréhendais l'indignation et la fureur qu'il avait conçue contre vous, et qui le portait à vouloir vous exterminer. Et le Seigneur m'exauça encore pour cette fois. — 20. Il fut aussi extrêmement irrité contre Aaron, et il voulut le perdre : mais je l'apaisai de même en priant pour lui. — 21. Je pris alors votre péché, c'est-à-dire, le veau que vous aviez fait; et l'ayant brûlé dans le feu, je le rompis en morceaux; je le réduisis tout-à-fait en poudre, et je le jetai dans le torrent qui descend de la montagne, *afin de vous faire mieux sentir le néant de cette fausse divinité.* — 22. Vous avez aussi irrité le Seigneur dans les trois lieux, dont l'un fut appelé l'embrasement, l'autre la tentation, et le troisième les sépulcres de la concupiscence. — 23. Et lorsque le Seigneur vous envoya de Cadès-Barné, en vous disant : Montez et allez prendre possession de la terre que je vous ai donnée, vous méprisâtes le commandement du Seigneur votre Dieu; vous ne crûtes point ce qu'il vous disait, et vous ne voulûtes point écouter sa voix; — 24. mais vous lui avez toujours été rebelles depuis le jour que j'ai commencé à vous connaître. — 25. *Après donc que j'eus brisé votre idole, je remontai sur la montagne,* et je me prosternai devant le Seigneur, *durant* quarante jours et quarante nuits, le priant et le conjurant de ne point vous perdre, selon la menace qu'il en avait faite; — 26. et je lui dis dans ma prière : Seigneur, *mon* Dieu, ne perdez point votre peuple

et votre héritage; ne perdez point ceux que vous avez rachetés par votre grande puissance, que vous avez tirés de l'Egypte par la force de votre bras. — 27. Souvenez-vous de vos serviteurs Abraham, Isaac et Jacob. Ne considérez point la dureté de ce peuple, ni leur impiété et leur péché, — 28. de peur que les habitants du pays d'où vous nous avez tirés ne disent : Le Seigneur ne pouvait les faire entrer dans le pays qu'il leur avait promis : mais comme il les haïssait, il les a tirés *de l'Egypte* pour les faire mourir dans le désert. *Il est vrai, Seigneur, que leurs iniquités méritent que vous les traitiez ainsi;* — 29. *mais* ils sont votre peuple et votre héritage; et ce sont eux que vous avez fait sortir *de l'Egypte* par votre grande puissance et en déployant toute la force de votre bras. *Ne perdez donc pas maintenant ceux pour qui vous avez eu tant de bonté.*

Vers. 1. — Transgredieris hodiè Jordanem. *Hodiè*, id est, nunc, brevi, puta intra paucas septimanas; nam eodem præcisè die non transierunt Hebræi Jordanem, sed post duos menses; hæc enim dixit Moses primâ die mensis undecimi, ut patet c. 1, v. 3. Hebræi autem transierunt Jordanem decimâ die mensis primi anni sequentis, ut patet Josue 4, 19.

Et ad cœlum usque muratas, id est, altissimis muris muratas. Est hyperbole, qualis est illa Poetæ :

Aurea femineus perstringit sidera clamor.

Simili hyperbole ait Christus, quòd in destructione Jerusalem, non manebit lapis super lapidem : ita enim vulgò loquimur, cùm horrendum aliquod plenumque excidium menti subjicere volumus; S. Scriptura autem sermoni vulgari se accommodat.

Vers. 3. — Deus tuus ipse transibit ante te, videlicet devorans et delens, uti sequitur, hostes tuos, tam efficaciter et velociter, quàm ignis ligna aut stipulam absumit.

Vers. 5. — Æquitatem (hebr. rectitudinem) cordis tui, puta mentis et voluntatis tuæ.

Vers. 6. — Cum durissimæ cervicis sis populus, quasi dicat : Cùm maximè cervicosus, rebellis et inobediens sis.

Vers. 10. — Digito Dei, digito suo. Hebræi enim sæpè pronomen absolutum ponunt pro reciproco.

Concio, cœtus populi.

Vers. 18. — Procidi ante Dominum, non statim à confractione tabularum legis; nam priùs cecidit Moses 23 millia adorantium vitulum, populum graviter increpuit, vitulum contrivit, etc., quæ posteriùs hîc narrantur, sed anteriùs facta sunt, scilicet antequàm Moses ascenderet rursùm in Sinâ, ibique coram Domino procederet. Hoc enim post omnia jam dicta, scilicet postridiè, factum est, ut patet Exodi, 32 et sequentibus

Putant aliqui Mosen ternos 40 dies, sive tres quadragesimas in Sinâ coram Domino jejunâsse, scilicet primam, antequàm acciperet à Deo primas legis tabulas, Exodi 24, 18. Secundam, ante secundas, Exodi 34, 28. Tertiam mediam inter utramque, quâ supplicavit Domino ut parceret populo, qui vitulum aureum adorârat, uti hic dicitur v. 25; ita censent Hebræi, Hugo Cardin. et Cajetan. in c. 10 Exodi, Genebrar., Adrichom., Marzilla in c. 10 Deut. Idem probabile esse censent Lyran. in c. 10 Deut., Abulensis (etsi contrariam sententiam ipse amplectatur) in cap. 33 Exodi q. 3, Dionys. in c. 34 Exodi, Salianus anno mundi 2544. Probant id, quia Moses hoc cap. ter nominat 40 dies sui jejunii, scilicet v. 12, v. 18, et v. 25; sed 40 dies v. 25 iidem sunt cum illis v. 18, ut liquet intuenti. Quare communior doctorum est sententia, Mosen duas tantùm quadragesimas jejunâsse, ac proinde tertiam jam nominatam eamdem esse cum secundâ. Nam Moses orando veniam adorati vituli à populo simul disposuit se ad accipiendum secundas legis tabulas, eidem populo pœnitenti communicandas. Ratio est, quia Moses in Exodo, ubi hæc fusè narrat, tantùm bis nominat 40 dies sui jejunii, scilicet primos ante primas legis tabulas, Exodi 24, 15, secundos ante secundas, Exodi 34, 28. Vide Abulens. loco jam citato.

Vers. 22. — In incendio quoque. Locus hic dictus est Incendium, in quo murmurârunt Hebræi, ob laborem itineris, ideòque Deus in eos ignem immisit, ut dicitur Num. 11, v. 1.

In tentatione. Ubi Hebræi tentârunt Deum postulantes aquam, in Raphidim, ideòque locus dictus est hebr. *Massa*, id est, Tentatio, Exodi 17, 7, sicut et sequens locus dictus est Sepulcra concupiscentiæ, Num. 11, 14.

Nota. Est hîc hysteron proteron, sive inversus ordo : jungit enim Moses has tentationes cum illâ in Horeb, ut conglobando plures Hebræorum tentationes et murmura, eorum duritiem exaggeret, et postea v. 25, redit ad secundam mansionem 40 dierum in monte Horeb, sive Sina, quæ contigit ante incendium,

et ante Sepulcra concupiscentiæ, et ante missos exploratores.

CAPUT X.

1. In tempore illo dixit Dominus ad me : Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, et ascende ad me in montem, faciesque arcam ligneam ; — 2. et scribam in tabulis verba quæ fuerunt in his quas ante confregisti : ponesque eas in arcâ. — 3. Feci igitur arcam de lignis Setim. Cùmque dolâssem duas tabulas lapideas, instar priorum, ascendi in montem, habens eas in manibus. — 4. Scripsitque in tabulis, juxta id quod priùs scripserat, verba decem, quæ locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus est ; et dedit eas mihi. — 5. Reversusque de monte, descendi, et posui tabulas in arcam quam feceram, quæ hucusque ibi sunt, sicut mihi præcepit Dominus. — 6 Filii autem Israel moverunt castra ex Beroth filiorum Jacan in Mosera, ubi Aaron mortuus ac sepultus est, pro quo, sacerdotio functus est Eleazar filius ejus. — 7. Inde venerunt in Gadgad ; de quo loco profecti, castrametati sunt in Jetebatha, in terrâ aquarum atque torrentium. — 8. Eo tempore separavit tribum Levi, ut portaret arcam fœderis Domini, et staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius usque in præsentem diem. — 9. — Quamobrem non habuit Levi partem nèque possessionem cum fratribus suis, quia ipse Dominus possessio ejus est, sicut promisit ei Dominus Deus tuus. — 10. Ego autem steti in monte, sicut priùs, quadraginta diebus ac noctibus : exaudivitque me Dominus etiam hâc vice, et te perdere noluit. — 11. Dixitque mihi : Vade et præcede populum, ut ingrediatur, et possideat terram, quam juravi patribus eorum ut traderem eis. — 12. Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in totâ anima tuâ ; — 13. custodiasque mandata Domini, et cæremonias ejus quas ego hodiè præcipio tibi, ut benè sit tibi ? — 14. En Domini Dei tui cœlum est, et cœlum cœli, terra, et omnia quæ in eâ sunt ; — 15. et tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, et amavit eos, elegitque semen eorum post eos, id est, vos, de cunctis gentibus, sicut hodiè comprobatur. — 16. Circumcidite igitur præputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis ampliùs ; — 17. quia Dominus Deus vester, ipse est Deus deorum, et Dominus dominantium, Deus magnus et potens, et terribilis, qui personam non accipit, nec munera ; — 18. facit judicium pupillo et viduæ, amat peregrinum, et dat ei victum atque vestitum. — 19. Et vos ergo amate peregrinos, quia et ipsi fuistis advenæ in terrâ Ægypti. — 20. Dominum Deum tuum timebis, et ei soli servies ; ipsi adhærebis, jurabisque in nomine illius. — 21. Ipse est laus tua, et Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia et terribilia, quæ viderunt oculi tui. — 22. In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Ægyptum : et ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus tuus sicut astra cœli.

---

1. En ce temps-là, le Seigneur me dit : Taillez-vous deux tables de pierre comme étaient les premières, et montez vers moi sur la montagne ; et *lorsque vous en serez descendu,* vous ferez une arche de bois *pour les mettre ainsi que je vous l'ai ordonné.* — 2. J'écrirai sur ces tables les commandements qui étaient sur celles que vous avez rompues auparavant : et vous les mettrez dans l'arche, *comme vous y auriez mis les premières, si elles avaient subsisté.* — 3. Je fis donc *faire dans la suite* une arche de bois de Sétim, *sur le modèle que le Seigneur m'en avait donné ; et cependant,* ayant taillé deux tables de pierre comme les premières, je montai la montagne, les tenant entre mes mains. — 4. Et le Seigneur écrivit sur ces tables, comme il avait fait sur les premières, les dix commandements qu'il vous fit entendre en vous parlant du haut de la montagne, du milieu du feu, lorsque le peuple était assemblé ; et il me les donna. — 5. Je revins ensuite, et descendis la montagne ; *et quelque temps après,* je mis les tables dans l'arche que j'avais faite, où elles sont demeurées jusqu'aujourd'hui, selon que le Seigneur me l'avait commandé. — 6. Or, les enfants d'Israel *étant partis du mont Sinaï, et ayant long-temps erré dans le désert,* décampèrent de Béroth, qui appartenait aux enfants de Jacan, et ils allèrent à Mosera, *située au pied du mont Hor,* où Aaron est mort et a été enseveli, Eléazar son fils lui ayant succédé dans les fonctions du sacerdoce. — 7. Ils vinrent de là, *c'est-à-dire, de Bénéjacan,* à Gadgad, d'où étant partis, ils campèrent à Jétébatha, qui est une terre pleine d'eaux et de torrents. — 8. En ce temps-là, le Seigneur sépara *de nouveau* la tribu de Lévi *des autres tribus,* afin qu'elle portât l'arche d'alliance du Seigneur, qu'elle assistât devant lui dans les

fonctions de son ministère, et qu'elle donnât la bénédiction *au peuple* en son nom, comme elle fait encore aujourd'hui. — 9. C'est pourquoi Lévi n'a point eu part avec ses frères au pays qu'ils possèdent, parce que le Seigneur est lui-même son partage, selon que le Seigneur votre Dieu le lui a promis, *en récompense du zèle avec lequel ils se joignirent à moi, pour venger l'injure que vous lui aviez faite en adorant le veau d'or.* — 10. *Après que nous eûmes ainsi apaisé la colère du Seigneur, et satisfait sa justice, les enfants de Lévi restèrent dans le camp;* et pour moi, *je retournai vers le Seigneur, et* je demeurai encore sur la montagne quarante jours et quarante nuits, comme j'avais fait la première fois; et le Seigneur m'exauça encore pour lors, et ne voulut pas vous perdre. — 11. Il me dit ensuite : Allez et marchez à la tête de ce peuple, afin qu'ils entrent en possession de la terre que j'ai promis avec serment à leurs pères de leur donner. — 12. Maintenant donc, Israël, qu'est-ce que le Seigneur votre Dieu demande de vous, sinon que vous craigniez le Seigneur votre Dieu, que vous marchiez dans ses voies, que vous l'aimiez, que vous serviez le Seigneur votre Dieu de tout votre cœur et de toute votre âme, — 13. et que vous observiez les commandements et les cérémonies du Seigneur, que je vous prescris aujourd'hui, afin que vous soyez heureux? — 14. Vous voyez que le ciel et le ciel des cieux, la terre et tout ce qui est dans la terre, appartiennent au Seigneur votre Dieu; — 15. et cependant le Seigneur a fait une étroite alliance avec vos pères; il les a aimés; et il a choisi leur postérité après eux, c'est-à-dire vous-mêmes, d'entre toutes les nations, comme il paraît visiblement en ce jour. — 16. Ayez donc soin, *pour répondre à une faveur si singulière,* de circoncire votre cœur : et ne vous endurcissez pas davantage *contre les exhortations que je vous fais de n'avoir point d'autre Dieu que le Seigneur, qui seul mérite d'être craint, aimé et adoré,* — 17. parce que le Seigneur votre Dieu est lui-même le Dieu des dieux, et le Seigneur des seigneurs, le Dieu grand, puissant et terrible, qui n'a point d'égard à la qualité des personnes, qu'on ne gagne point par les présents, — 18. qui fait justice à l'orphelin et à la veuve, qui aime l'étranger, et qui lui donne de quoi vivre et de quoi se vêtir. — 19. Aimez donc aussi les étrangers, parce que vous l'avez été vous-mêmes dans l'Egypte; *et soyez en tout fidèles au Seigneur.* — 20. *Si cela est ainsi,* vous craindrez le Seigneur votre Dieu, et vous ne servirez que lui seul; vous lui demeurerez attachés, et vous ne jurerez que par son nom.— 21. *Pourriez-vous penser à jurer par un autre?* c'est lui-même qui est votre gloire et votre Dieu; c'est lui qui a fait en votre faveur ces merveilles si grandes et si terribles, dont vos yeux ont été témoins.—22. Vos pères n'étaient qu'au nombre de soixante-dix personnes lorsqu'ils descendirent en Egypte; et vous voyez maintenant que le Seigneur votre Dieu vous a multipliés comme les étoiles du ciel.

Vers. 1. — Faciesque arcam ligneam, illam scilicet, cujus fabrica descripta est in Exodo. Nota. Fabricata est à Mose, post acceptas à Deo secundas tabulas legis, ut patet Exodi 34, 28, conferendo cum Exodi 37, 1; sed ante eas, jussit Deus arcam fabricari Exodi 25, 10. Fit hîc mentio arcæ, quia arca facta est propter tabulas legis, ut scilicet earum esset cista et custos. Est ergo hîc hysteron proteron : narratur enim arcæ fabrica ante datas tabulas legis, cùm post illas contigerit.

Vers. 6. — Filii autem Israel moverunt castra. Est hîc rursùm hysteron proteron; interrumpitur enim series cœptæ orationis, usque ad v. 10; talia plura sunt in hisce libris. Est ergo hîc quasi parenthesis, adjecta propter tribum Leviticam; quia enim arcæ, in quâ erant tabulæ legis, præcessit mentio, hinc per parenthesin subditur mors Aaronis, qui Deum offenderat, et successio filii ejus Eleazari, ad quem custodia legum à Deo datarum pertinebat; deinde institutio tribûs Levi, et Levitarum consecratio, quorum erat portare arcam coram populo, ut per eam populum de fœdere et lege Dei servandâ, perpetuò admonerent.

In Mosera. Distinguitur hæc mansio à Moseroth Num. 33, 31 : nam Moseroth non est Hor, cùm inter Moseroth et Hor multæ interjiciantur mansiones Num. 33; Mosera autem est Hor: in Moseroth ergo fuit vigesima septima, in Moserâ trigesima quarta mansio Hebræorum. Similiter, *Beroth filiorum Jacan,* seu, ut hebr. est, *Beroth Bene Jacan,* alia est mansio à *Bene Jacan* de quâ Num. 33, 31, uti patet legenti. Neque novum est, diversa loca habere eadem vel affinia nomina, et contra eumdem locum habere plura nomina.

Mosera ergo Num. 33, 37, vocatur Hor; ibi enim mortuus est Aaron, et consequenter Beroth filiorum Jacan et Cades de quo Num. 33, 37. Ita Abulens. Quæ verò mansiones Num. 33

respondeant Gadgad, et Jetebatha, quæ hîc sequuntur, non constat; Vatabl. tamen opinatur, Gadgad esse Oboth.

Vers. 8.—Eo tempore separavit (Dominus, uti habent hebræa) tribum Levi. Verisimile est, hanc esse secundam separationem Levitarum, et diversam ab eâ quæ contigit in Sinâ, vivente Aarone Num. 3, 6. Hæc enim videtur contigisse post mortem Aaron, in Jetebathâ, sub Eleazaro; alioqui enim frustra mors Aaronis, et Eleazari successio hîc insereretur vers. 7. Fuit ergo hæc quasi confirmatio, et primæ separationis, quæ facta est Num. 3, repetitio, sub novo pontifice; ita Cajetanus. Aliter Abulens. Ipse enim censet, hanc esse eamdem separationem tribûs Levi cum illâ Numer. 3; versum enim 6 et 7, obiter interjici, ut refricent mortem Aaronis, itàque hunc versum 8 connectendum esse cum v. 5. Tunc enim omnia optimè cohærent; quæ sententia satis est probabilis, plura enim talia Pentateucho interjecta sunt, uti dixi in proœmio Geneseos.

Ut portaret arcam fœderis, communium Levitarum hoc erat; sed quod sequitur, et staret coram eo in ministerio, ad sacerdotes tantùm, qui ejusdem cum Levitis erant tribûs, videtur referendum. Hi enim soli stabant coram Domino, ministrantes in tabernaculo, et sacrificantes, et horum erat benedicere populum.

Vers. 9.—Dominus possessio ejus, q. d.: Ea quæ Domino dantur, puta oblationes, primitiæ, etc., cedunt in possessionem Levitarum; nec enim aliam habent in Israel.

Vers. 10.—Ego autem steti in monte, sicut prius, quadraginta diebus. Nonnulli putant, Mosen ter per 40 dies, fuisse in monte Sina, et hanc tertiam esse vicem. Verùm patet hanc non tertiam, sed secundam esse, atque eamdem cum illâ, de quâ cap. præced. v. 18. Quare rursùm est hîc hysteron proteron; hic enim versus recto ordine ponendus esset ante initium capitis.

Vers. 12. — Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te? q. d.: Cùm toties tibi, ô Israel, Deus peccata condonârit, hoc unicum pro omni suo beneficio et clementiâ, petit à te, ut scilicet deinceps timeas eum; æquum ergo est ut hoc facias.

Nota. Timor Dei refrenat animam à concupiscentiis, et incitat ad omne bonum. *Beatus homo qui semper est pavidus*, Prov. 28. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis; potens in terrâ erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. Gloria et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in seculum seculi*, psal. 111. *Timor Domini sicut paradisus benedictionis*, Eccles. 40. *Deum time, et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo*. Eccles. 12. *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore*, psal. 2. *Si Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Malach. 1, 6. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potiùs timete eum qui potest et corpus et animam mittere in gehennam*, Matth. 10. *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua*. Eccli. 27. Hinc ait Jonas: *Hebræus ego sum, et Deum cœli timeo*. Secundò, timor Dei est initium sapientiæ et pietatis, imò est consummatio earumdem, inquit Sapiens; quantùm ergo crescis in timore Dei, tantùm crescis in sapientiâ et pietate, tantùmque places Deo. *Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei*, Eccli. 2. *A timore tuo concepimus, et peperimus spiritum salutis*, Isaiæ 26, juxta Septuag. Hinc de S. Monicâ matre suâ, ait S. August. in Confess.: Erat in corde ancillæ tuæ timor castus, etc. Tertiò, timor filialis non est aliud quàm amor Dei: ex eo enim quòd amamus Deum quasi patrem, timemus eum offendere. *Ad omne opus bonum ducit amor et timor Dei: ad omne peccatum ducit amor et timor mundi*, inquit S. August. in Sententiis. Quartò, timor Dei dat constantiam in tentationibus et adversis. *Qui timet Dominum nihil trepidabit, et non pavebit: quoniam ipse est spes ejus*, Eccli. 34. Timore Dei martyres superârunt tormenta. Quintò, timor Dei parit Dei favorem et bona omnia. *Misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum*, canit B. Virgo. *Multa bona habebimus, si timuerimus Deum*, Tobiæ 4. *Non est inopia timentibus eum*, Psal. 33. Sextò, parit cordis gaudium. *Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam et gaudium*, Eccli. 1. Denique parit fiduciam de felici ex hâc vitâ transitu, estque custos castitatis, innocentiæ et virtutum omnium, inquit S. Hier. Epist. 127.

Vers. 14.—Cœlum cœli. Hebr. *cœli cœlorum*, id est, cœli vastissimi et altissimi, qui omnes inferiores orbes ambiunt.

Vers. 15.—Patribus tuis conglutinatus est Dominus. Verbum, *conglutinatus*, significat vehementiam amoris divini, quòd per eam arctissimè nos sibi Deus uniat, qui summus est amoris effectus, æquè ac indicium. Sic anima Sichem dicitur conglutinata cum Dinâ, Gen. 34, 3, et anima Jacob dicitur dependere ex

animâ Benjamin, vel ut Hebr. est, *illi colligata* esse, Gen. 44, 34.

VERS. 16. — CIRCUMCIDITE IGITUR PRÆPUTIUM CORDIS VESTRI. Septuag. σκληροκαρδίαν, id est, duritiam, et, ut Chald., insipientiam cordis vestri. Præputium enim metaphoricè cordi tribuitur, et significat voluntatem pravitate, luxuriâ, vanitate et cæcitate obtectam et obduratam. Vide dicta Levit. 29, 41. S. Gregorius verò 28 Moral. 7, per cor accipit mentem, sive rationem : ait enim : *Circumcidite præputia cordis vestri, id est, postquàm luxuriam à carne extinguitis, etiam superflua cogitationum resecate.*

VERS. 18 et 19. — AMAT (Deus) PEREGRINUM ; ET VOS ERGO AMATE PEREGRINOS. Deus hic Hebræis commendat misericordiam, ut miseris, quales sunt peregrini, pupilli et viduæ, opitulentur, sicut Deus eos peculiariter amat et juvat, nam, ut ait Psaltes : *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.*

VERS. 21. — IPSE (Deus) EST LAUS TUA. Id est, ipse est objectum laudis tuæ, vel materiale, quem scilicet jugiter laudare debes ; vel formale, propter quem laudaris, quique te omnibus gentibus laudabilem facit. Secundò, Deus est laus, id est, fortitudo et virtus tua, qui te omnibus populis laudabilem facit. Metonymicè ponitur effectus pro causâ. Sic ait Poeta : *Sunt sua præmia laudi*, id est, virtuti ; et Psalm. 8 : *Ex ore infantium et lactantium perfecisti laudem,* hebr. est, *undâsti fortitudinem.* Et psalm. 105 : *Laudamini* (id est, confirmamini, animos capite) *in nomine sancto ejus.*

Nota. Deus est summa majestas, bonitas, sapientia, potentia, providentia, quâ nos creat, conservat, pascit, protegit, justificat, glorificat : hinc summè à nobis est laudandus, hocque solum ei rependere possumus. *Immola Deo sacrificium laudis,* psalm. 49, 9. *Te decet hymnus, Deus, in Sion,* psalm. 64, 2. Angelorum opus est laudare Deum, inquit S. Basil. in psalm. 28. Angeli enim assiduè clamant : *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth,* Isaiæ 6. Beati in cœlo non aliud habent negotium ; eorum enim vox est Apoc. 4 : *Dignus es, Domine, Deus noster, accipere gloriam et honorem, et virtutem, et divinitatem ; quia tu creâsti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.* Testantur magi et sagæ, inter se esse ordinem quemdam hierarchicum, id est, diabolicum, scilicet summos inter eos non aliud facere, quàm blasphemare Deum, medios intoxicare homines et animalia ; infimos cooperari mediis. Ita è contrario summi in hâc vitâ sancti sunt qui cum B. Virgine assiduè canunt : *Magnificat anima mea Dominum ; et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo ;* medii, qui in vitâ activâ proximos juvant ad salutem ; infimi, qui mediis per suas opes et opera externa subserviunt.

Sol, luna, omnesque creaturæ mutâ voce laudant Deum, clamant enim : *Ipse fecit nos, et non ipsi nos. Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis. Exaltate illum quantùm potestis ; major est enim omni laude.* Eccli. 43, 32. Ita fecit David psalm. 33 : *Benedicam Dominum in omni* (tam adverso, quàm prospero) *tempore : semper laus ejus in ore meo. Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum. Benedicat omnis caro nomen sanctum ejus.* Hinc omnes angelos, homines et creaturas cum Davide et tribus pueris in camino, invitare debemus ad Dei laudem, dicentes : *Benedicite Dominum, omnes angeli ejus, cœlum, sidera, pisces, volucres ; laudate et superexaltate eum in secula.* Hinc rursùm non tantùm ore, sed corde toto ac opere Deum laudare debemus, ut vita nostra sit continua Dei laus, ac præsertim ut peccatores, qui suis peccatis Deum blasphemant, convertamus, ut suâ pœnitentiâ, et piâ vitâ Deum laudent. Utinam te, Domine, mille cordibus, mille linguis, imò omnium hominum et angelorum voce laudare possem !

CAPUT XI.

1. Ama itaque Dominum Deum tuum, et observa præcepta ejus, et cæremonias, judicia atque mandata, omni tempore.—2. Cognoscite hodiè quæ ignorant filii vestri, qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri, magnalia ejus et robustam manum, extentumque brachium,—3. signa et opera quæ fecit in medio Ægypti, Pharaoni regi, et universæ terræ ejus, — 4. omnique exercitui Ægyptiorum, et equis ac curribus : quo modo operuerint eos aquæ maris Rubri, cùm vos persequerentur, et deleverit eos Dominus usque in præsentem diem : — 5. vobisque quæ fecerit in solitudine donec veniretis ad hunc locum ; — 6. et Dathan atque Abiron, filiis Eliab, qui fuit filius Ruben, quos aperto ore suo terra absorbuit, cum domibus et tabernaculis, et universâ substantiâ eorum, quam habebant in medio Israel. —7. Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit,— 8. ut custodiatis universa

mandata illius, quæ ego hodiè præcipio vobis, et possitis introire, et possidere terram, ad quam ingredimini, — 9. multoque in eâ vivatis tempore : quam sub juramento pollicitus est Dominus patribus vestris, et semini eorum lacte et melle manantem. — 10. Terra enim, ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, de quâ exîsti, ubi jacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ ; — 11. sed montuosa est et campestris ; de cœlo expectans pluvias,— 12. Quam Dominus Deus tuus semper invisit, et oculi illius in eâ sunt à principio anni usque ad finem ejus. 13. Si ergo obedieritis mandatis meis, quæ ego hodiè præcipio vobis, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et serviatis ei in toto corde vestro, et in totâ animâ vestrâ, — 14. dabit pluviam terræ vestræ temporaneam et serotinam, ut colligatis frumentum et vinum et oleum,— 15. fœnumque ex agris ad pascenda jumenta, et ut ipsi comedatis ac saturemini. —16. Cavete ne fortè decipiatur cor vestrum et recedatis à Domino, serviatisque diis alienis, et adoretis eos :—17. iratusque Dominus claudat cœlum, et pluviæ non descendant, nec terra det germen suum, pereatisque velociter de terrâ optimâ, quam Dominus daturus est vobis. — 18. Ponite hæc verba mea in cordibus et in animis vestris, et suspendite ea pro signo in manibus, et inter oculos vestros collocate. —19. Docete filios vestros ut illa meditentur, quando sederis in domo tuâ, et ambulaveris in viâ, et accubueris atque surrexeris. —20. Scribes ea super postes et januas domûs tuæ ;— 21. ut multiplicentur dies tui, et filiorum tuorum, in terrâ, quam juravit Dominus patribus tuis ut daret eis quamdiù cœlum imminet terræ. — 22. Si enim custodieritis mandata quæ ego præcipio vobis, et feceritis ea, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis ejus, adhærentes ei, — 23. Disperdet Dominus omnes gentes istas ante faciem vestram, et possidebitis eas quæ majores et fortiores vobis sunt. — 24. Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit. A deserto, et à Libano ; à flumine magno Euphrate usque ad mare occidentale erunt termini vestri — 25. Nullus stabit contra vos: terrorem vestrum et formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram quam calcaturi estis, sicut locutus est vobis. 26. Et propono in conspectu vestro hodiè benedictionem aut maledictionem : — 27. benedictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodiè præcipio vobis : — 28. maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de viâ, quam ego nunc ostendo vobis, et ambulaveritis post deos alienos, quos ignoratis. — 29. Cùm verò introduxerit te Dominus Deus tuus in terram ad quam pergis habitandam, pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal : —30. qui sunt trans Jordanem, post viam quæ vergit ad solis occubitum, in terrâ Chananæi qui habitat in campestribus contra Galgalam, quæ est juxta vallem tendentem et intrantem procul.—31. Vos enim transibitis Jordanem, ut possideatis terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, et habeatis et possideatis illam. — 32. Videte ergo ut impleatis cæremonias atque judicia, quæ ego hodiè ponam in conspectu vestro.

---

1. Aimez donc le Seigneur votre Dieu, et gardez en tout temps ses préceptes et ses cérémonies, ses lois et ses ordonnances.—2. *Rappelez dans votre esprit, et* considérez *attentivement* aujourd'hui ce que vos enfants ignorent, eux qui *étant nés dans le désert,* n'ont point vu les châtiments du Seigneur votre Dieu, ses merveilles, *et les effets de* sa main toute-puissante, et de la force de son bras, — 3. les miracles et les œuvres *prodigieuses* qu'il a faites au milieu de l'Egypte sur le roi Pharaon et sur tout son pays,— 4. sur toute l'armée des Egyptiens, sur leurs chevaux et leurs chariots ; de quelle sorte les eaux de la mer Rouge les ont enveloppés lorsqu'ils vous poursuivaient ; le Seigneur les ayant exterminés, *d'une manière si terrible, que* jusqu'aujourd'hui *l'Egypte n'a pu s'en relever.*— 5. *Souvenez-vous* aussi de tout ce qu'il a fait à votre égard dans ce désert, jusqu'à ce que vous soyez arrivés en celui-ci ; — 6. et de quelle sorte il punit Dathan et Abiron, fils d'Eliab qui était fils de Ruben, la terre s'étant entr'ouverte et les ayant abîmés avec leurs maisons, leurs tentes, et tout ce qu'ils possédaient au milieu d'Israël. —7. Vous avez vu de vos yeux toutes ces œuvres merveilleuses que le Seigneur a faites *devant vous,* — 8. afin que, *touchés de ces prodiges, et instruits par ces exemples,* vous gardiez tous ses préceptes que je vous prescris aujourd'hui, que vous puissiez vous mettre en possession de la terre où vous allez entrer, — 9. et que vous viviez long-temps en cette terre où coulent des ruisseaux de lait et de miel, et que le Seigneur avait promise avec serment à

vos pères et à leur postérité.—10. Car la terre dont vous allez entrer en possession n'est pas comme la terre d'Égypte d'où vous êtes sortis, où après qu'on a jeté la semence, on fait venir l'eau par des canaux pour l'arroser, comme on fait dans les jardins, *et cela avec beaucoup de dépense, de peine et de travail :* — 11. mais c'est une terre de montagnes et de plaines, qui attend les pluies du ciel, *et qui les reçoit à propos,* —12. que le Seigneur votre Dieu a toujours visitée, et sur laquelle il jette des regards favorables, depuis le commencement de l'année jusqu'à la fin.—13. Si vous obéissez donc aux commandements que je vous fais aujourd'hui d'aimer le Seigneur votre Dieu, et de le servir de tout votre cœur et de toute votre âme, — 14. il donnera à votre terre les premières et les dernières pluies; *il l'arrosera après les semailles et avant la moisson,* afin que vous recueilliez de vos champs le froment, le vin et l'huile *avec abondance,* — 15. et du foin pour nourrir vos bêtes, et que vous ayez vous-mêmes de quoi manger et vous rassasier. — 16. *Mais aussi* prenez bien garde que votre cœur ne se laisse pas séduire, et que vous n'abandonniez pas le Seigneur pour servir et adorer des dieux étrangers, — 17. de peur que le Seigneur étant en colère ne ferme le ciel, que les pluies ne tombent plus, que la terre ne produise plus son fruit, et que vous ne soyez exterminés en peu de temps de cette terre excellente que le Seigneur va vous donner. — 18. Gravez ces paroles que je vous dis dans vos cœurs et dans vos esprits; tenez-les attachées à vos mains, et présentes à vos yeux pour vous en souvenir; — 19. apprenez-les à vos enfants, afin qu'ils les méditent; *instruisez-les* lorsque vous êtes assis en votre maison, ou que vous marchez, lorsque vous vous couchez ou que vous vous levez; — 20. écrivez-les sur les poteaux et sur les portes de votre logis, — 21. afin que vos jours et ceux de vos enfants se multiplient dans la terre que le Seigneur a promis avec serment de donner à vos pères, pour la posséder tant que le ciel couvrira la terre. — 22. Car si vous observez et si vous pratiquez les commandements que je vous fais d'aimer le Seigneur votre Dieu, de marcher dans toutes ses voies, et de demeurer très-étroitement unis à lui, — 23. le Seigneur exterminera devant vos yeux toutes ces nations qui sont plus grandes et plus puissantes que vous, et vous posséderez leur pays; — 24. tout lieu où vous aurez mis le pied sera à vous : les confins de votre pays seront depuis le désert *de l'Arabie Pétrée, qui est au midi,* jusqu'au Liban, *qui est au septentrion, et* depuis le grand fleuve d'Euphrate *qui est à l'orient,* jusqu'à la mer *Méditerranée* qui est à l'occident : — 25. nul ne pourra subsister devant vous. Le Seigneur votre Dieu répandra la terreur et l'effroi de votre nom sur toute la terre où vous devez mettre le pied, selon qu'il vous l'a promis. — 26. Vous voyez que je vous mets aujourd'hui devant les yeux la bénédiction et la malédiction ;—27. la bénédiction, si vous obéissez aux commandements du Seigneur votre Dieu, que je vous prescris aujourd'hui; — 28. et la malédiction, si vous n'obéissez point aux ordonnances du Seigneur votre Dieu, et si vous vous retirez de la voie que je vous montre maintenant, pour courir après des dieux étrangers que vous ne connaissez pas. — 29. Mais lorsque le Seigneur votre Dieu vous aura fait entrer dans la terre que vous allez habiter, vous mettrez *six tribus pour prononcer* la bénédiction sur la montagne de Garizim, et *six autres tribus pour prononcer* la malédiction sur la montagne d'Hébal, — 30. qui sont au-delà du Jourdain, à côté du chemin qui mène vers l'occident, dans les terres des Chananéens, qui habitent dans les plaines, vis-à-vis de Galgala, près d'une vallée qui s'étend et s'avance bien loin.—31. Car vous passerez le Jourdain pour posséder la terre que le Seigneur votre Dieu vous doit donner, afin que vous en soyez les maîtres, et qu'elle soit votre héritage. — 32. Prenez donc bien garde à accomplir les cérémonies et les ordonnances que je vous proposerai aujourd'hui.

Vers. 2. — Cognoscite, id est, considerate. Est metalepsis.

Disciplinam. Hebr. *musar*, id est, castigationem, quâ scilicet variis pœnis et modis Deus vos, quasi pueros erudivit, et formavit, tum in Ægypto, tum post egressum ex Ægypto. Ita Vatabl.

Vers. 4. — Quomodo, etc., deleverit eos (Ægyptios) usque in præsentem diem, id est, omninò deleverit eos, ita ut nunc nemo superstes sit, qui vobis noceat.

Vers 6. — Eliab, qui fuit filius Ruben, non immediatus, sed mediatus, puta nepos, vel abnepos.

Vers. 10. — Cum domibus, cum filiis et familiâ. Vide sex domûs significationes apud Abul. hîc.

Terra Ægypti, etc., ubi aquæ ducuntur ir-

RIGUÆ. Hebr. est, *quam rigabas pede, sicut hortum*; rigare pede, est rigare labore et fossione suâ, videlicet ex flumine Nilo deducendo aquas, per sulcos et fossas, q. d.: Aquam in Ægypto non habebatis, nisi in campis, nec nisi per laborem vestrum, deducendo scilicet sulcos ex Nilo in campos, uti in hortis fieri solet; in Ægypto enim raræ, vel nullæ sunt pluviæ. At in Chanaan, terra et in campis et in montibus, sine labore ex cœlo et cœlesti pluviâ abundè irrigatur, q. d.: ergo multò melior est terra Chanaan, ad quam tenditis, Ægypto, unde exîstis.

VERS. 11. — DE CŒLO EXPECTANS PLUVIAM. Hebr., *de pluviâ cœli bibit aquam*, q. d.: Terra Chanaan, non aquâ Nili, sed cœlesti irrigatur; unde Deus eam visitat, oculique Domini toto anno super eam sunt, quia ejus curam semper gerit Dominus, providens stato tempore pluviam, ventum, calorem, frigus, etc., ne quid desit ad fructus et fruges producendas et maturandas.

VERS. 14. — TEMPORANEAM ET SEROTINAM. Pluvia temporanea est, quæ maturè et tempestivè mense octobri, jactis in terram seminibus, in Judæâ depluit, itàque semina germinare facit. Serotina est, quæ serò mense aprili aut maio, depluit, frugesque et fructus ad maturitatem producit. Significat ergo hæc phrasis omnem pluviam tempestivam, opportunam frugibus. Hinc Prophetæ, ut Osee c. 6, v. 3, et Joel c. 2, v. 23, comparant Christum pluviæ temporaneæ et serotinæ, quia Christi adventus gratissimus et maximè opportunus fuit mundo et hominibus ad salutem. Erant enim hæ pluviæ et gratissimæ omnibus, et multùm expectatæ, maximèque necessariæ.

Allegor. pluvia temporanea fuit doctrina legis data per Mosen, quâ semina jacta per patres legis naturæ germinârunt. Doctrina legis novæ est pluvia serotina, quâ fructus maturescunt et perficiuntur. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex*, ut ait Apostolus; quia perfectio et maturitas Evangelio servabatur. Et hoc est quod ait Zachar. c. 11, v. 1: *Petite à Domino pluviam in tempore serotino*, id est, petite à Deo doctrinam Evangelii, quâ arida totius terræ irrigentur, uti explicat S. Hier.

Hinc patet, terram promissam ex se et naturâ suâ, ante ingressum Hebræorum, cùm incoleretur à Chananæis, fuisse valdè fertilem. Unde vocatur terra lacte et melle manans, et talis ab exploratoribus inventa est Num. 13, 28; præcipuam tamen suam ubertatem habuit ex influentiâ Dei, et populi religione, ut patet hinc v. 13, et Isaiæ 1, v. 19. Unde peccante populo, eam subtrahebat Deus, ut minatur hîc v. 17, et ita evenisse, patet Aggæi 1, 9 et sequent., Amos 4, 7 et sequent., Jerem. 12, 13, et passim in Prophetis. Sic Pentapolis, quæ olim fuit fertilissima, ut patet Genes. 13, 10, ob peccata Sodomitarum, conversa fuit in mare salsissimum. Hinc illud Psalm. 106, 34: *Convertit terram fructiferam in salsuginem, à malitiâ inhabitantium in eâ.*

Anagogicè, fœcunditas terræ promissæ significabat abundantiam bonorum spiritualium, in terrâ viventium, quæ electis promissa in cœlis; quâ de re vide Procopium hîc.

VERS. 18. — SUSPENDITE EA PRO SIGNO: assiduè ea vobis proponite, est catachresis. Vide dicta c. 6, 8. Aliter Abulensis. Per manum, inquit, significatur operatio, per oculum intellectûs consideratio, q. d.: Præcepta ista sint colligata in manibus, id est, in operatione vestrâ, quæ signatur per manum, sintque inter oculos vestros, id est, in consideratione mentis vestræ, ut assiduè consideretis num in aliquo deficiatis.

VERS. 21. — QUAMDIU CŒLUM IMMINET TERRÆ. Hebr., *juxta dies cœli super terram*, id est, quamdiù cœlum terræ imminebit, puta in æternum: est hyperbole, significans, *in finem usque mundi*, sive usque ad diem judicii. Itaque nisi peccâssent Judæi, derelinquendo Deum, et Messiam respuendo, possedissent terram promissam usque ad finem mundi. Hoc enim eis hîc promittit Deus.

VERS. 22. — VIIS EJUS, mandatis ejus, quæ sunt quædam viæ directivæ actuum nostrorum ad finem ultimum, scilicet ad Deum et ad beatitudinem.

VERS. 26. — EN PROPONO IN CONSPECTU VESTRO HODIE BENEDICTIONEM ET MALEDICTIONEM. Acer hic est stimulus ad Dei legem et metum. Vis benedici à Deo? Deum time, Deo obedi; si enim ei sis inobediens, maledicet, id est, malefaciet tibi, teque acerrimè et in hâc vitâ et in futurâ puniet. Eodem stimulo urget Hebræos Moses c. 30, 19, cùm ait: *Testes invoco hodiè cœlum et terram, quòd proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum.*

VERS. 29. — PONES BENEDICTIONEM SUPER MONTEM GARIZIM, MALEDICTIONEM SUPER MONTEM HEBAL, q. d.: Curabis à Levitis proclamari benedictionem ex monte, vel potiùs versùs montem Garizim, super observantes legem Dei, et

maledictionem ex monte, vel potiùs versùs montem Hebal, super prævaricatores legis, populo respondente : Amen. Vide hæc fusiùs explicata cap. 28, in fine, et Josue 8, sub finem.

Vers. 30. — Quæ est juxta vallem tendentem et intrantem procul. Pro, *vallem*, hebr. est, *elon*, quæ vox ilicem, vel arborem è quercuum genere significat, uti Septuag. et noster passim vertunt; sed noster hìc quercetum, per quercus synecdochicè significari intellexit, vallem scilicet quercubus refertam; vallem enim fuisse, optimè nôrat S. Hier., qui loca sancta accuratè illustravit. Rursùm, pro *vallem tendentem*, hebraicè est, *elon more*, id est, quercetum, vel vallis monstratoris, uti docet Masius in Josue 24. Jam vallis monstratoris, est vallis protensa, monstrabilis, magna, pulchra, et, ut noster vertit Genes. 12, 6, illustris. Est hæc vallis juxta Sichem, ad quam primò venit Abraham, veniens ex Chaldæâ in Chanaan. Nam juxta Sichem esse montes hos Garizim et Hebal, docet Josephus oculatus testis, cui potiùs credendum est, quàm Eusebio; is enim auctor est lib. de Locis hebraicis, qui falsò S. Hieronymo tribuitur, uti rectè probat Masius in Josue 8, 30.

CAPUT XII.

1. Hæc sunt præcepta atque judicia, quæ facere debetis in terrâ quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi, ut possideas eam cunctis diebus quibus super humum gradieris. — 2. Subvertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos super montes excelsos, et colles, et subter omne lignum frondosum. — 3. Dissipate aras eorum et confringite statuas, lucos igne comburite, et idola comminuite : disperdite nomina eorum de locis illis. — 4. Non facietis ita Domino Deo vestro : — 5. sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, et habitet in eo, venietis; — 6. et offeretis in loco illo holocausta et victimas vestras, decimas et primitias manuum vestrarum, et vota atque donaria, primogenita boum et ovium. — 7. Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri; ac lætabimini in cunctis, ad quæ miseritis manum, vos et domus vestra, in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester. — 8. Non facietis ibi quæ nos hìc facimus hodiè, singuli quod sibi rectum videtur. — 9. Neque enim usque in præsens tempus venistis ad requiem, et possessionem, quam Dominus Deus vester daturus est vobis. — 10. Transibitis Jordanem, et habitabitis in terrâ quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut requiescatis à cunctis hostibus per circuitum, et absque ullo timore habitetis — 11. in loco quem elegerit Dominus Deus vester, ut sit nomen ejus in eo; illùc omnia, quæ præcipio, conferetis, holocausta, et hostias, ac decimas, et primitias manuum vestrarum, et quidquid præcipuum est in muneribus, quæ vovebitis Domino. — 12. Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro, vos et filii ac filiæ vestræ, famuli et famulæ, atque Levites qui in urbibus vestris commorantur, neque enim habet aliam partem et possessionem inter vos. — 13. Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris; — 14. sed in eo quem elegerit Dominus, in unâ tribuum tuarum offeres hostias, et facies quæcumque præcipio tibi. — 15. Sin autem comedere volueris, et te esus carnium delectaverit, occide et comede juxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi in urbibus tuis : sive immundum fuerit, hoc est, maculatum et debile : sive mundum, hoc est, integrum et sine maculâ, quod offerri licet, sicut capream et cervum, comedes, — 16. absque esu duntaxat sanguinis, quem super terram quasi aquam effundes. — 17. Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, et vini, et olei tui, primogenita armentorum et pecorum, et omnia quæ voveris, et spontè offerre volueris, et primitias manuum tuarum; — 18. sed coram Domino Deo tuo comedes ea, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, tu et filius tuus et filia tua, et servus et famula, atque Levites qui manet in urbibus tuis : et lætaberis et reficieris coram Domino Deo tuo, in cunctis ad quæ extenderis manum tuam. — 19. Cave ne derelinquas Levitem in omni tempore quo versaris in terrâ. — 20. Quando dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut locutus est tibi, et volueris vesci carnibus, quas desiderat anima tua, — 21. Locus autem, quem elegerit Dominus Deus tuus ut sit nomen ejus ibi, si procul fuerit, occides de armentis et pecoribus, quæ habueris, sicut præcepi tibi, et comedes in oppidis tuis, ut tibi placet. — 22. Sicut comeditur caprea et cervus, ita vesceris eis : et mundus et immundus in commune vescentur. — 23. Hoc solùm cave, ne sanguinem comedas; sanguis enim eorum pro animâ est : et idcircò non debes animam comedere cum carnibus; — 24. sed super terram fundes quasi aquam, — 24. ut benè sit tibi et filiis tuis post te, cùm feceris quod placet in conspectu Domini, — 26.

Quæ autem sanctificaveris, et voveris Domino, tolles, et venies ad locum quem elegerit Dominus; — 27. et offeres oblationes tuas, carnem et sanguinem super altare Domini Dei tui : sanguinem hostiarum fundes in altari : carnibus autem ipse vesceris. — 28. Observa et audi omnia quæ ego præcipio tibi, ut benè sit tibi et filiis tuis post te in sempiternum, cùm feceris quod bonum est et placitum in conspectu Domini Dei tui. — 29. Quando disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes ad quas ingredieris possidendas, et possederis eas, atque habitaveris in terrâ earum, — 30. cave ne imiteris eas, postquàm te fuerint introeunte subversæ, et requiras cæremonias earum, dicens : Sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita et ego colam. — 31. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios et filias, et comburentes igni.—32. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino : nec addas quidquam, nec minuas.

---

1. Or, voici, *dans un plus grand détail*, les préceptes et les ordonnances que vous devez observer *lorsque vous serez* dans le pays que le Seigneur, le Dieu de vos pères, vous doit donner, afin que vous le possédiez pendant tout le temps que vous serez sur la terre. — 2. Renversez tous les lieux où les nations dont vous posséderez le pays ont adoré leurs dieux sur les hautes montagnes, et sur les collines, et sur tous les arbres couverts de feuilles. — 3 Détruisez leurs autels, brisez leurs statues, brûlez leurs bois *profanes*, réduisez en poudre leurs idoles, et effacez de tous ces lieux la mémoire de leur nom. — 4. Vous ne vous conduirez pas comme ces nations à l'égard du Seigneur votre Dieu, *vous ne lui offrirez pas des sacrifices dans vos maisons, ni dans des lieux profanes;* — 5. mais vous viendrez au lieu que le Seigneur votre Dieu aura choisi d'entre toutes vos tribus pour y établir son nom et pour y habiter; — 6. et vous offrirez dans ce lieu-là vos holocaustes et vos victimes, les dîmes et les prémices *des ouvrages* de vos mains, vos vœux et vos dons, les premiers-nés de vos bœufs et de vos brebis. — 7. Vous mangerez là en la présence du Seigneur votre Dieu, et vous y goûterez avec joie, vous et vos familles, de tous les *fruits des* travaux de vos mains que le Seigneur votre Dieu aura bénis. — 8. Vous ne vivrez plus alors comme on vit ici aujourd'hui, où chacun suit ce qui paraît droit à ses yeux, *sans s'assujétir à la plupart des cérémonies de la loi, que les mouvements continuels où vous avez été ne vous ont pas permis jusqu'à présent de pratiquer.* — 9. Car vous n'êtes point encore entrés jusqu'à ce jour dans le repos et l'héritage que le Seigneur votre Dieu vous doit donner. — 10. *Mais* vous passerez le Jourdain, et vous habiterez dans le pays que le Seigneur votre Dieu vous donnera, afin que vous soyez en repos du côté de tous les ennemis qui vous environnent, et que vous demeuriez sans aucune crainte — 11. dans le lieu que le Seigneur votre Dieu aura choisi pour y établir *sa gloire et* son nom. Ce sera là que vous apporterez, selon l'ordre que je vous prescris, vos holocaustes, vos hosties, vos dîmes, et les prémices *des ouvrages* de vos mains, et tout ce qu'il y aura de meilleur dans les dons que vous aurez fait vœu d'offrir au Seigneur. — 12. C'est là que vous ferez des festins de réjouissance devant le Seigneur votre Dieu, vous, vos fils et vos filles, vos serviteurs et vos servantes, et les Lévites qui demeurent dans vos villes; car ils n'ont point d'autre part, et ils ne possèdent point autre chose parmi vous *que les offrandes que vous ferez au Seigneur.* — 13. Prenez bien garde de ne point offrir vos holocautes dans tous les lieux que vous verrez, *et que vous croirez propres à y offrir des sacrifices.* — 14. Mais offrez vos hosties dans celui que le Seigneur aura choisi en l'une de vos tribus, et observez-y tout ce que je vous ordonne ici aujourd'hui. — 15. Que si vous voulez manger *de la viande,* si vous aimez à vous nourrir de chair, tuez *des bêtes,* et mangez-en selon la bénédiction que le Seigneur votre Dieu vous aura donnée dans vos villes; soit que ces bêtes soient impures, c'est-à-dire, qu'elles aient quelque tache ou quelque défaut dans les membres du corps; soit qu'elles soient pures, c'est-à-dire, entières et sans tache, comme celles qui peuvent être offertes à Dieu, mangez-en ainsi que *vous mangez* de la chèvre et du cerf : — 16. abstenez-vous seulement de manger du sang; et ayez soin de le répandre sur la terre comme de l'eau. — 17. Vous ne pourrez manger dans vos villes, *ni ailleurs,* la dîme de votre froment, de votre vin et de votre huile, ni les premiers-nés des bœufs et des autres bestiaux, ni rien de ce que vous aurez voué, ou que vous voudrez de vous-mêmes offrir à Dieu, ni les prémices *des ouvrages* de vos mains : — 18. mais vous mangerez de ces choses devant le Seigneur votre Dieu, dans le lieu que le Seigneur votre Dieu

aura choisi, vous, votre fils, et votre fille, votre serviteur et votre servante, et les Lévites qui demeurent dans vos villes; et vous prendrez votre nourriture avec joie devant le Seigneur votre Dieu, en recueillant le fruit de tous les travaux de vos mains. — 19. Prenez bien garde de ne pas abandonner le Lévite pendant tout le temps que vous serez sur la terre. — 20. Quand le Seigneur votre Dieu aura étendu vos limites, selon qu'il vous l'a promis, et que vous voudrez manger de la chair dont vous aurez envie; — 21. si le lieu que le Seigneur votre Dieu aura choisi pour y établir son nom est *près, vous répandrez en sa présence le sang des animaux que vous tuerez; si le lieu est* éloigné, vous pourrez tuer des bœufs et des brebis que vous aurez, selon que je vous l'ai ordonné, et vous en mangerez dans vos villes comme vous le désirerez. — 22. Vous mangerez de cette chair comme vous mangez de celle des chèvres et des cerfs; et le pur et l'impur en mangeront indifféremment. — 23. Gardez-vous seulement de manger du sang de ces bêtes, car leur sang est leur vie; et ainsi vous ne devez pas manger avec leur chair *ce qui est* leur vie: — 26. mais vous répandrez ce sang sur la terre comme de l'eau, — 25. afin que vous soyez heureux, vous, et vos enfants après vous, ayant fait ce qui est agréable aux yeux du Seigneur.— 26. Quant aux choses que vous aurez consacrées, et que vous aurez vouées au Seigneur, vous les prendrez; et étant venus au lieu que le Seigneur aura choisi, — 27. vous présenterez en oblation la chair et le sang sur l'autel du Seigneur votre Dieu; vous répandrez le sang des hosties autour de l'autel; et pour vous, vous en mangerez la chair. — 28. Observez et écoutez bien toutes les choses que je vous ordonne, afin que vous soyez heureux pour jamais, vous, et vos enfants après vous, lorsque vous aurez fait ce qui est bon et agréable aux yeux du Seigneur votre Dieu. — 29. Quand le Seigneur votre Dieu aura exterminé devant vous les nations dont vous allez posséder le pays; que vous en serez actuellement en possession, et que vous habiterez dans leurs terres, — 30. prenez bien garde de ne pas imiter ces nations, après qu'elles auront été détruites à votre entrée, et de vous informer de leurs cérémonies, en disant: Je veux suivre moi-même le culte dont ces nations ont honoré leurs dieux. — 31. Vous ne rendrez point de semblable culte au Seigneur votre Dieu; car elles ont fait, pour *honorer* leurs dieux, toutes les abominations que le Seigneur a en horreur, en leur offrant *en sacrifice* leurs fils et leurs filles, et les brûlant dans le feu. — 32. Faites seulement en l'honneur du Seigneur ce que je vous ordonne, sans y rien ajouter ni rien ôter.

Vers. 2. — Gentes quas (id est, quarum terram et opes) possessuri estis.

Subter omne lignum frondosum. Gentiles enim arbores consecrabant diis, præsertim Dianæ, quam nemoribus delectari putabant. Hinc in historiis martyrum sæpè legimus, eos fuisse ad aliquem arborem ductos, ut ibi deos adorarent: nec rarò arbores istas ad preces martyrum radicitùs fuisse evulsas.

Vers. 3. — Disperdite nomina eorum. Ita legendum cum Rom. et Hebr., non *earum*, uti legunt Plantin., q. d.: Ita disperdite idola, eorumque templa, aras et lucos, ut ne memoria quidem idolorum relinquatur in eis, imò ut nomina eorum prorsùs aboleantur, et æternâ oblivione sepeliantur.

Vers. 4. — Non facietis ita Domino Deo vestro, q. d.: Non ubilibet in montibus, collibus, lucis, uti faciunt idololatræ, sed in uno tantùm loco, quem elegerit Dominus, sacrificabitis. Ubi nota: Deus ad hoc primò elegit locum Silo; ibi enim positum fuit tabernaculum et altare, Josue 18, 8, ibique mansit toto tempore judicum, usque ad Heli, ut patet Judic. ult. 9; inde voluit illud Deus transferri in Nobe, 1 Reg. 21, 1; inde in Gabaon, inde demùm transtulit illud Salomon in Jerusalem, ad templum à se exstructum, 2 Paral. 1, 3 et 13.

Vers. 5. — Ut ponat nomen suum ibi, ut memoria nominis ejus specialiter eo loco sit, ibique colatur, ipseque habitet ibi, tanquàm in templo suo.

Vers. 6. — Primitias manuum vestrarum, primitias frugum, quas manibus, et labore vestro messuistis.

Vota, oblationes ex voto.

Vers. 7. — Comedetis in conspectu Dei vestri, de hostiis pacificis, sive de oblationibus quibus vesci licitum est laicis. Nam hostiis pro peccato, votivis et holocaustis vesci non poterant laici, ut patet Num. 18, v. 9 et 15.

In conspectu Dei, id est, atrio, coram tabernaculo, quod est sedes et domus Dei.

In cunctis ad quæ miseritis manum, quæ scilicet labore vestro pepereritis vobis, in his lætabimini, epulando ex iis coram Domino.

Nota. Voluit Deus Judæos celebrare sua festa

et victimas cum gaudio, ut ad illa libentiùs et crebriùs redirent, utque eos, et magis Christianos, incitaret ad gaudium spiritale, quo coli vult Deus, ut sit in lætitiâ, quasi perenne cum eo festum ineamus, quod in cœlo consummabimus. Ita David ps. 76, 4 : *Renuit,* inquit, *consolari anima mea ; memor fui Dei, et delectatus sum ;* et ps. 83, 3 : *Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum ;* et S. Paulus 1 Thessal. 5, 16 : *Semper gaudete ;* et Philip. 4, 4: *Gaudete in Domino semper, iterùm dico, gaudete.* Rursùm psal. 67, 4 : *Justi epulentur, et exultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitiâ.* Gaude, non in seculo, sed in Domino : « Illud verum « et solum est gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur, et quod « cùm possederis, nemo tollet à te : cui comparata omnis aliunde jucunditas, mœror est, « omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremò « quodcumque aliud delectare possit, molestum, » inquit S. Bernard., Epist. 114. Ita Esther regina cap. 14, 16 : *Tu scis* (Domine) *quòd abominer signum superbiæ et gloriæ meæ, quod est super caput meum, et nunquàm lætata sit ancilla tua* (ô purum cor !) *ex quo hùc translata sum, usque in præsentem diem, nisi in te, Domine Deus.* Hæc lætitia dilatat cor et spiritum, animamque et corpus vegetat, ac omnia à Deo impetrat. *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui,* ps. 36, 4. *Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa,* Prov. 17, 22. Rursùm omnia dura evincit: *Ibant* Apostoli *à conspectu concilii gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati,* et Paulus : *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis,* et Jacobus : *Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in varias tentationes incideritis.* Medium ad hoc gaudium suggerit Eccl. c. 3, v. 12 : *Cognovi,* inquit, *quòd non esset melius nisi lætari, et facere benè in vitâ suâ.* Vis semper esse lætus? benè facito, bona conscientia semper gaudet. *Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam et gaudium, et longitudinem dierum,* Eccli. 1, 11. Quis non gaudeat semper in tribulationibus, cogitans illud S. Pauli : *Momentaneum et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis?*

Vers. 8. — Singuli quod sibi rectum videtur. Non enim servabant Hebræi cæremonialia hæc præcepta in deserto, uti superiùs dixi.

Vers. 10 et 11. — Habitetis in loco quem elegerit Dominus, q. d. : Commoremini securè in loco ubi est tabernaculum, quando ter in anno ad illud omnis Israel, juxta præceptum meum, confluet, non metuentes, ne hostes fines vestros invadant.

Vers. 12. — Levites qui in urbibus tuis commorantur. *Tuis,* quas scilicet tu, ô Israel, Levitis dedisti ; in illis enim 48 sibi datis à populo, seorsùm habitabant Levitæ.

Vers. 15. — Si autem comedere volueris, videlicet carnes, extra tabernaculum, in urbe tuâ, comede juxta benedictionem Dei tui, id est, comede de illis, quæ beneficè et largiter dederit tibi Deus.

Sive immundum fuerit, hoc est, maculatum. *Maculatum,* id est, mancum (opponitur enim integro), puta si sit cæcum, claudum, mutilum ; hæ enim sunt maculæ victimarum, ut patet Levit. 22, 22.

Sicut capream et cervum comedes. Vox *sicut,* non ad præcedens *offerri,* sed ad sequens *comedes,* referenda est : sensus enim est : Comedes quæ Domino immolari possunt, puta oves et boves ; esto sint mancæ, quas immolare non licet, sicut capream et cervum, quas pari modo immolare non licet ; patet ex hebræo.

Vers 18. — In cunctis ad quæ extenderis manum, id est, in omnibus bonis et facultatibus tuis.

Vers. 20 et 21. — Quando, etc., volueris vesci carnibus, etc. ; locus autem quem elegerit Dominus Deus tuus, ut sit nomen ejus ibi, si procul fuerit, occides de armentis et pecoribus, etc., et comedes. Nota. Jussit Deus Levit. 3, v. ult., et 17, 11, omnem sanguinem animalium mactatorum sibi effundi et offerri ; adipem verò animalium eorum, quæ immolari poterant, puta ovis, bovis et capræ, esto actu non immolarentur, sed tantùm mactarentur ad esum, sibi jussit incendi et adoleri, Levitici 7, 25, si nimirùm animal hoc Hierosolymæ, vel non procul à templo mactaretur. Unde hîc, non quidem expressâ lege sancit, sed tamen tacitè innuit, congruum esse, ut qui non procul à templo habitant, cùm animal aliquod tale, scilicet immolabile, mactare volunt ad esum, illud mactent ad ostium tabernaculi, vel templi, tum ut sanguis coram Deo fundatur, tum ut adeps Deo adoleatur, quo facto reliquâ carne vesci posse. Licet enim *locus quem elegit Dominus,* intelligi possit Hierosolyma, vel urbs, in quâ erat tabernaculum aut templum, tamen magis propriè intelligitur ipsum tem-

plum vel tabernaculum, quia additur, *ut sit nomen ejus ibi;* hoc enim propriè competit templo, ut dixi v. 5 et 14. Rursùm, licet Hierosolymitæ rigido jure absolutè possent domi mactare ovem et bovem, dummodò sanguinem Deo effunderent, et adipem mitterent ad templum, adolendum Deo, tamen magis decens erat dignumque Deo, ut ea mactarentur juxta templum, ut ita ipsa quasi censerentur Deo mactari, et offerri per suas primitias, partesque nobilissimas, puta per sanguinem, qui Deo effundebatur coram tabernaculo, et per adipem, qui Deo adolebatur cum aliis victimis, in altari holocaustorum ; hinc consequenter videtur, quòd hæc animalia ferè mactata fuerint à sacerdotibus, quorum proinde ingens erat turba, quibus pro honorario, pars aliqua animalis mactati dabatur. Quia verò nimis molestum fuisset iis qui in aliis, præsertim remotis à templo, urbibus habitabant, singulos boves suos et oves mactandos adducere Hierosolymam ad templum, indeque mactatos domum reducere; hinc Deus hîc cum iis dispensat, permittitque ut domi suæ eosdem mactent, dummodò ibidem sanguinem Domino effundant ; et adipis esu ob Domini honorem abstineant. Ita Abulensis, Oleaster et alii.

Disce hic, Christiane, quàm epulas tuas cibumque omnem Deo offerre, quàmque tam ante, quàm post mensam, Deo benedicere debeas.

Lyranus tamen putat, hanc legem loqui tantùm de primogenitis ovium et boum, quæ Deo offerri et immolari debebant in tabernaculo, vel templo ; sed si longè ab eo abessent, poterant possessores ea vendere, vel comedere dummodò pretium eorum afferrent ad templum, ut dicitur c. 14, v. 24. Verùm hic primogenitorum nulla fit mentio, sed tantùm carnium. Rursùm, primogenita illa cap. 14 vendi jubentur, et pretium afferri ad templum, ut ibi ex eo aliud animal ematur, quod Deo immoletur, ut deinde ex eo epulentur coram Domino ; quæ omnia planè diversa sunt ab hoc casu. Denique ex primogenitis, utpote Deo immolatis, vesci non poterant immundi, qui tamen vesci poterant hisce carnibus, ut patet vers. seq.

Vers. 22. — Mundus et immundus in commune vescentur. Hebr. *simul,* vel pariter, id est, sine discrimine, *vescentur ;* quia videlicet hæ carnes non sunt Deo oblatæ.

Vers. 23. — Sanguis enim eorum pro anima est. Hebr., Chald. et Septuag.: *Sanguis enim eorum est anima,* id est, sanguis eorum est vehiculum animæ, id est, vitæ; quia sanguine alitur et conservatur vita, ideòque pro animali et vitâ animalis, sanguinem mihi dari et libari volo; ne ergo comedas vitam ejus, comedendo sanguinem ; vita enim mihi debetur. Vide dicta Lev. 5, ult. et c. 17, 11.

Vers. 27. — In altari, juxta altare, ad basin altaris.

Carnibus vesceris, si videlicet, obtuleris eas in hostiam pacificam.

Vers. 32. — Quod præcipio tibi, hoc tantum facito, q. d. : Ne facias, aut fingas tibi in cerebro tuo idolum, uti præcessit; sed in rebus et cæremoniis Dei, fac tantùm illud, quod Deus vel per se, vel per vicarios suos, puta sacerdotes, præcepit. Vide dicta c. 4, v. 2.

CAPUT XIII.

1. Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum, — 2. et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi : Eamus, et sequamur deos alienos quos ignoras, et serviamus eis , — 3. non audies verba prophetæ illius aut somniatoris : quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palàm fiat utrùm diligatis eum an non, in toto corde, et in totâ animâ vestrâ. — 4. Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, mandata illius custodite, et audite vocem ejus ; ipsi servietis, et ipsi adhærebitis. — 5. Propheta autem ille, aut fictor somniorum interficietur : quia locutus est ut vos averteret à Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terrâ Ægypti, et redemit vos de domo servitutis, ut errare te faceret de viâ, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus, et auferes malum de medio tui. — 6. Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ aut filius tuus vel filia, sive uxor quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clàm dicens : Eamus, et serviamus diis alienis, quos ignoras tu, et patres tui, — 7. cunctarum in circuitu gentium, quæ juxta vel procul sunt, ab initio usque ad finem terræ, — 8. non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus ut miserearis et occultes eum. — 9. Sed statim interficies ; sit primùm manus tua supra eum et postea omnis populus mittat manum. — 10. Lapidibus obrutus necabitur , quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo, qui eduxit te de terrâ Ægypti de domo servitutis ; — 11. ut omnis Israel audiens timeat, et nequaquàm ultra faciat quippiam hujus rei simile. — 12. Si audieris in

unâ urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: — 13. Egressi sunt filii Belial de medio tui, et averterunt habitatores urbis suæ, atque dixerunt : Eamus, et serviamus diis alienis, quos ignoratis ; — 14. quære sollicitè et diligenter ; rei veritate perspectâ, si inveneris certum esse quod dicitur, et abominationem hanc opere perpetratam , — 15. statim percuties habitatores urbis illius in ore gladii, et delebis eam, ac omnia quæ in illâ sunt, usque ad pecora. — 16. Quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum ejus, et cum ipsâ civitate succendes, ita ut universa consumas Domino Deo tuo, et sit tumulus sempiternus ; non ædificabitur ampliùs, — 17. et non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tuâ : ut avertatur Dominus ab irâ furoris sui, et misereatur tui, multiplicetque te sicut juravit patribus tuis, — 18. quando audieris vocem Domini Dei tui, custodiens omnia præcepta ejus quæ ego præcipio tibi hodiè, ut facias quod placitum est in conspectu Domini Dei tui.

---

1. S'il s'élève au milieu de vous un prophète ou quelqu'un qui dise qu'il a eu une vision en songe, et qui prédise quelque chose d'extraordinaire et de prodigieux, — 2. et que ce qu'il avait prédit soit arrivé, et qu'il vous dise en même temps : Allons, suivons les dieux étrangers qui vous sont inconnus, et servons-les ; — 3. vous n'écouterez point les paroles de ce prophète ou de cet inventeur de visions et de songes, parce que le Seigneur votre Dieu, *en permettant que leurs prédictions arrivent, n'approuve pas ce qu'ils disent ; mais il* vous éprouve, afin qu'il paraisse clairement si vous l'aimez de tout votre cœur et de toute votre âme, ou si vous ne l'aimez pas de cette sorte. — 4. *Si vous l'aimez véritablement,* suivez le Seigneur votre Dieu, craignez-le, gardez ses commandements, écoutez sa voix, servez-le et attachez-vous à lui seul ; — 5. mais que ce prophète ou cet inventeur de songes soit puni de mort, parce qu'il vous a parlé pour vous détourner du Seigneur votre Dieu qui vous a tirés de l'Egypte et qui vous a rachetés de la maison de servitude ; et pour vous détourner de la voie que le Seigneur votre Dieu vous a prescrite. Et vous ôterez *ainsi* le mal du milieu de vous. — 6. Si votre frère, fils de votre mère, ou votre fils, ou votre fille, ou votre femme, qui vous est si chère, ou votre ami, que vous aimez comme votre vie, vous veut persuader et vous vient dire en secret : Allons, et servons les dieux étrangers qui vous sont inconnus, comme ils l'ont été à vos pères ; — 7. *les dieux* de toutes les nations dont nous sommes environnés, soit de près ou de loin, depuis un bout de la terre jusqu'à l'autre ; — 8. ne vous laissez point aller à ses discours, et n'y prêtez point l'oreille, et que la compassion ne vous porte point à l'épargner ou à lui donner retraite, — 9. mais tuez-le aussitôt, *non de votre autorité privée, mais en le déférant au juge, qui le condamnera à être lapidé. Alors* qu'il reçoive le premier coup de votre propre main, et que tout le peuple le frappe ensuite. — 10. Qu'il périsse accablé de pierres, parce qu'il a voulu vous arracher du culte du Seigneur votre Dieu, qui vous a tirés de l'Egypte, de ce séjour de servitude *où vous gémissiez ;* — 11. afin que tout Israël, entendant cet exemple, soit saisi de crainte, et qu'il ne se trouve plus personne qui ose entreprendre rien de semblable. — 12. Si dans quelqu'une de vos villes que le Seigneur votre Dieu vous aura données pour les habiter, vous entendez dire à quelques-uns, — 13. que les enfants de Bélial, *des ministres du démon,* sont sortis du milieu de vous, et ont perverti les habitants de leur ville, en leur disant : Allons, et servons les dieux étrangers qui vous sont inconnus, — 14. informez-vous avec tout le soin possible de la vérité de la chose, et après l'avoir connue, si vous trouvez que ce qu'on vous a dit est certain, et que cette abomination a été commise effectivement, — 15. vous ferez passer aussitôt au fil de l'épée les habitants de cette ville, et vous la détruirez avec tout ce qui s'y rencontrera , jusqu'aux bêtes. — 16. Vous amasserez aussi au milieu des rues tous les meubles qui s'y trouveront ; et vous les brûlerez avec la ville, consumant tout en l'honneur du Seigneur votre Dieu ; en sorte que cette ville demeure éternellement ensevelie sous ses ruines, qui ne soient jamais relevées ; — 17. il ne demeurera rien dans vos mains de cet anathème, afin que le Seigneur votre Dieu apaise sa colère et sa fureur, et qu'il ait pitié de vous, et vous multiplie comme il a juré à vos pères, *et comme il le fera en effet,* — 18. tant que vous écouterez la voix du Seigneur votre Dieu, et que vous observerez toutes ses ordonnances que je vous prescris aujourd'hui, afin que vous fassiez tout ce qui

est agréable aux yeux du Seigneur votre Dieu, *et que vous soyez comblés de biens.*

Vers. 2. — Sequamur deos alienos, quos ignoras, scilicet esse deos, quia nimirùm ipsi ea signa divinitatis et providentiæ tibi non ostenderunt, quæ ego in Ægypto et in deserto ostendi.

Vers. 3. — Tentat (id est, tentare permittit) vos Dominus. Nam, ut ait S. Jacobus, c. 1, 13, Deus propriè neminem tentat; permittit autem Deus te tentari, ut per hoc elucescat et pateat omnibus, an diligas Deum, necne.

Moraliter, S. Greg. 28 Moral. c. 7 : « Tribus, « ait, modis nos conditor noster interrogare « consuevit. Primò, cùm flagelli districtione « nos percutit, et quanta nobis insit, vel desit « patientia, ostendit (sic interrogavit S. Job). « Secundò, cùm quædam quæ nolumus præci- « pit, et nostram nobis obedientiam vel inobe- « dientiam patefacit (sic interrogavit Abra- « ham, jubens ei immolare filium, Genes. 22. « Sic et hìc dicitur : Tentat vos Dominus Deus « vester, ut sciat si diligitis eum). *Tentare « quippe Dei est magnis nos jussionibus interro- « gare. Scire quoque ejus, est nostram obedien- « tiam nôsse nos facere.* Tertiò, *cùm aliqua nobis « occulta aperit, et aliqua abscondit, et nobis « mensuram humilitatis nostræ innotescit.* » Ita fecit S. Paulo, cùm exclamavit : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei !*

Ut palam fiat. Hebr. et græcè est, *ut sciat,* scilicet Deus per experientiam, et per eventum, quod per præscientiam præscivit ab æterno. Aliter S. Augustinus lib 1 de Gen. contra Manich. c. 22, *ut sciat*, inquit, id est, ut scire nos faciat quantùm in ejus solidâ dilectione profecerimus. Idem cogitent fideles, hâcque cogitatione se abarment, cùm oriuntur hæreses, uti pulchrè docet Vincentius Lirinens. in l. contra hæreses, ubi hunc Deuter. locum perurget.

Vers. 5. — Ut errare te faceret de via, quam tibi præcepit Dominus. *De viâ*, id est, de ritu vivendi et serviendi Deo, Hebr. enim *derech*, id est, via significat modum vivendi, conversationem, institutum, tenorem vitæ.

Vers. 9. — Sed statim interficies (accusabis eum, ut statim interficiatur; nam sequitur:) Sit primum manus tua super eum, q. d. : Tu primus in eum lapidem mitte, deinde totus populus; quod non potest intelligi, nisi de eo, qui publicè per accusatores et judices condemnatus est.

Vers. 13. — Egressi sunt filii Belial, et averterunt, id est, cœperunt apostatæ avertere. *Surgere* enim et *egredi*, sæpè in Script. significant incipere, et rem aliquam aggredi, uti superiùs dixi.

Filii Belial sunt homines rebelles et pessimi, qui jugum legis et Dei excutiunt, puta filii diaboli; hic enim primus fuit Belial, id est, apostata. Septuag. vertunt παράνομοι, id est, exleges. Vide dicta 2 Corinth. 6.

Serviamus diis alienis, quos ignoratis. Est enallage personæ ; τὸ enim, *serviamus,* est vox apostatarum ; τὸ verò, *quos ignoratis,* est vox Dei; apostatæ enim dicerent : Quos scitis esse famosos et celebres apud gentes.

Vers. 15. — Statim percuties. Ad stragem hanc congregabatur universus Israel, uti factum est contra Rubenitas, Josue 22, 12.

Vers. 16. — Consumas Domino Deo tuo, scilicet in honorem Dei tui; erat enim magnus Dei cultus, et quasi quoddam sacrificium, perdere et punire homines illos, ita Deo injurios, blasphemos et sacrilegos cum omnibus suis, et statuere anathema, in exemplum cæterorum; unde Tertull. in Scorpiaco, c. 2, anathemata hæc vocat *devotamenta.*

CAPUT XIV.

1. Filii estote Domini Dei vestri; non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo. — 2. Quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo; et te elegit ut sis ei in populum peculiarem, de cunctis gentibus quæ sunt super terram. — 3. Nec comedatis quæ immunda sunt. — 4. Hoc est animal quod comedere debetis, bovem, et ovem, et capram, — 5. cervum, et capream, bubalum, tragelaphum, pygargum, orygem, camelopardalum. — 6. Omne animal, quod in duas partes findit ungulam, et ruminat, comedetis. — 7. De his autem quæ ruminant, et ungulam non findunt, comedere non debetis, ut camelum, leporem, chœrogrillum : hæc quia ruminant, et non dividunt ungulam, immunda erunt vobis.—8. Sus quoque, quoniam dividit ungulam, et non ruminat, immunda erit; carnibus eorum non vescemini, et cadavera non tangetis. — 9. Hæc comedetis ex omnibus quæ morantur in aquis : Quæ habent pinnulas et squamas, comedite : — 10. quæ absque pinnulis et squamis sunt, ne comedatis, quia immunda sunt. — 11. Omnes aves mundas comedite. — 12. Immundas ne comedatis : aquilam scilicet, et gryphem, et haliæetum, — 13. ixion, et vul-

turem, ac milvum juxta genus suum : — 14. et omne corvini generis : — 15. et struthionem, ac noctuam et larum, atque accipitrem juxta genus suum; — 16. herodium, ac cygnum, et ibin. — 17. ac mergulum, porphyrionem, et nycticoracem, —18. onocrotalum et charadrium, singula in genere suo : upupam quoque, et vespertilionem. — 19. Et omne quod reptat et pennulas habet, immundum erit, et non comedetur. — 20. Omne quod mundum est comedite. — 21. Quidquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei; quia tu populus sanctus Domini Dei tui es. Non coques hædum in lacte matris suæ. — 22. Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis qui nascuntur in terrâ per annos singulos, — 23. et comedes in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit ut in eo nomen illius invocetur, decimam frumenti tui, et vini, et olei, et primogenita de armentis et ovibus tuis: ut discas timere Dominum Deum tuum omni tempore. — 24. Cùm autem longior fuerit via, et locus quem elegerit Dominus Deus tuus, tibique benedixerit, nec potueris ad eum hæc cuncta portare, — 25. vendes omnia, et in pretium rediges, portabisque manu tuâ et proficisceris ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus : — 26. et emes ex eâdem pecuniâ quidquid tibi placuerit, sive ex armentis, sive ex ovibus, vinum quoque, et siceram, et omne quod desiderat anima tua : et comedes coram Domino Deo tuo, et epulaberis tu et domus tua ; — 27. et Levites qui intra portas tuas est : cave ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem in possessione tuâ. — 28. Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore; et repones intra januas tuas. — 29. Venietque Levites quia aliam non habet partem nec possessionem tecum, et peregrinus, ac pupillus, et vidua, qui intra portas tuas sunt, et comedent et saturabuntur, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris.

---

1. Montrez-vous les enfants du Seigneur votre Dieu, *par une conduite pleine de sagesse et de probité ;* ne vous faites point d'incisions, et ne vous faites point tondre pour pleurer les morts *comme font les idolâtres.* — 2. *Vous devez être bien éloignés de ces pratiques superstitieuses,* parce que vous êtes un peuple saint *et consacré* au Seigneur votre Dieu, et qu'il vous a choisis de toutes les nations qui sont sur la terre, afin que vous fussiez particulièrement son peuple. — 3. Ne mangez point de ce qui est impur. — 4. Voici les animaux dont vous devez manger, le bœuf, la brebis, le chevreau, — 5. le cerf, la chèvre sauvage, le buffle, la chèvre-cerf, le chevreuil, l'oryx, la girafe. — 6. Vous mangerez de tous les animaux qui ont la corne divisée en deux et qui ruminent. — 7. Mais vous ne devez point manger de ceux qui ruminent, et dont la corne n'est point fendue, comme du chameau, du lièvre, du chérogrylle. Ces animaux vous seront impurs, parce qu'encore qu'ils ruminent, ils n'ont point la corne fendue. — 8. Le pourceau aussi vous sera impur, parce qu'encore qu'il ait la corne fendue, il ne rumine point. Vous ne mangerez point de la chair de ces animaux, et n'y toucherez point lorsqu'ils seront morts. — 9. Entre tous les animaux qui vivent dans les eaux, vous mangerez de ceux qui ont des nageoires et des écailles. — 10. Vous ne mangerez point de ceux qui n'ont point de nageoires, ni d'écailles, parce qu'ils sont impurs. — 11. Mangez de tous les oiseaux qui sont purs, — 12. mais ne mangez point de ceux qui sont impurs, qui sont l'aigle, le griffon, l'aigle de mer, — 13. l'ixion, le vautour et le milan, selon ses espèces ; — 14. les corbeaux, et tout ce qui est de la même espèce ; — 15. l'autruche, la chouette, le larus, avec l'épervier, et tout ce qui est de la même espèce ; — 16. le héron, le cygne, l'ibis, — 17. le plongeon, le porphyrion, le hibou, — 18. l'onocrotalus et le charadrius, chacun selon son espèce ; la huppe, et la chauve-souris. — 19. Tout ce qui rampe sur la terre et qui a des ailes sera impur, et on n'en mangera point. — 20. Mangez de tout ce qui est pur. — 21. Ne mangez d'aucune bête qui sera morte d'elle-même : mais donnez-la, ou vendez-la à l'étranger qui est dans l'enceinte de vos murailles, *et qui ne fait pas profession de votre religion,* afin qu'il en mange ; parce que, pour vous, vous êtes le peuple saint du Seigneur votre Dieu. Vous *vous accoutumerez à avoir compassion des hommes en l'exerçant envers les animaux mêmes; ainsi vous* ne ferez point cuire le chevreau *lorsqu'il tette encore le lait de sa mère, ni* dans le lait de sa mère ; *ce qui serait une espèce de cruauté.* — 22. Vous mettrez à part chaque année le dixième de tous vos fruits qui naissent de la terre, *pour le donner aux Lévites.* — 23. Et, *outre cette dîme,*

vous mangerez en la présence du Seigneur votre Dieu, au lieu qu'il aura choisi, afin que son nom y soit invoqué, la dixième partie de votre froment, de votre vin et de votre huile, et les premiers-nés de vos bœufs et de vos brebis, afin que vous appreniez à craindre le Seigneur votre Dieu en tout temps. — 24. Mais lorsque vous aurez un trop long chemin à faire, *pour aller* jusqu'au lieu que le Seigneur votre Dieu aura choisi, et que le Seigneur votre Dieu vous ayant bénis, vous ne pourrez lui apporter toutes ces dîmes, — 25. vous vendrez tout, et en aurez de l'argent que vous porterez en votre main, et vous irez au lieu que le Seigneur votre Dieu aura choisi. — 26. Vous achèterez de ce même argent tout ce que vous voudrez, soit des bœufs, soit des brebis, du vin aussi et du cidre, et de tout ce que vous désirerez, et vous en mangerez devant le Seigneur votre Dieu, vous réjouissant vous et votre famille, — 27. avec le Lévite qui est dans l'enceinte de vos murailles; prenez bien garde de ne le pas abandonner, parce qu'il n'a point d'autre part dans la terre que vous possédez, *que cette portion que vous devez lui donner.* — 28. Tous les trois ans vous séparerez encore une autre dîme de tous les biens qui vous seront venus en ce temps-là; et *au lieu de les porter dans l'endroit que le Seigneur aura choisi,* vous les mettrez en réserve dans vos maisons; — 29. et le Lévite qui n'a point d'autre part dans la terre que vous possédez, l'étranger, l'orphelin et la veuve qui sont dans vos villes, viendront en manger chez vous, et se rassasier, afin que le Seigneur votre Dieu vous bénisse dans tout le travail que vous ferez de vos mains.

Vers 1. — Filii estote Domini Dei vestri, gerite vos ut filios Dei, Deum ut patrem æternum et summum colite et adorate, eique per omnia obedite.

Nec facietis calvitium. Hebr. : *Non ponetis calvitium inter oculos vestros propter mortuum*, id est, ait Vatablus, cùm quis ex amicis vestris vitâ functus fuerit, non tondebitis partem anteriorem capitis, quæ est inter oculos vestros, sicut gentes faciunt, quæ non habent spem futuræ vitæ et resurrectionis. Vide dicta Levit. 19, v. 28. Judæi enim etiamnum credunt animæ immortalitatem et futuram vitam : unde orant ipsi pro defunctis, ut patet ex eorum Symbolo quod recitat Genebrardus in Chronol. Porrò hunc funeris ritum adhuc hodiè servant Judæi. Primò, mortuo quopiam, mox amici ejus propinquiores lacerant vestes suas, nec comedunt eo die in domo illâ, sed foris. Secundò, non comedunt carnes, nec bibunt vinum, nisi sabbatum. Tertiò, per septem dies luctûs nec lavant corpus, nec unguentis perfundunt. Quartò, lectum sternunt in pavimento, et à venere abstinent. Quintò, nudis pedibus sequuntur funus, et lucernam accendunt in pavimento domûs per septem noctes, quòd credant animam defuncti redire ad locum ubi à corpore discessit, et deplorare dissolutionem suam. Sextò, dicunt orationem, in quâ petunt ut anima defuncti requiescat, et ducatur in paradisum.

Vers. 5. — Tragelaphum, id est, hircocervum; est animal ex hirco et cervâ progenitum et commixtum; non fictitium, uti hoc nomen accipiunt dialectici, sed verum, et realiter existens ad Phasim fluvium, barbam et armorum villos hirci habens, reliqua cervo simile. Ita Plinius lib. 8, c. 32. Hebræi putant esse hircum sylvestrem. Tragelaphus ergo, æquè ac pygargus, et oryx munda erant animalia, quibus vesci poterant Judæi.

Pygargum. Pygargus hic non est aquila ita dicta, de quâ Arist.; aquilæ enim omnes inter immundas aves relatæ sunt, Lev. 11, 13; pygargus autem hîc censetur animal mundum. Chaldæus putat esse unicornem; verius est, pygargum esse capreæ genus, simile damis, de quo Plin. lib. 8, 53.

Orygem. Oryx animal est in Getuliâ nascens, bisulcum et unicorne, alioqui capræ non dissimile, pilum habens contra aliorum animalium naturam, ad caput versum; sub ortum caniculæ, tanquàm ejus sideris adventum præsentiens, fixis oculis eam cœli plagam intuetur, ubi primùm signum hoc exoritur, eoque conspecto sternutat, et velut venerabundus adorat. Ita Plinius lib. 2, c. 40, et lib. 8, c. 53, et Columella lib. 10.

Camelopardalum. Animal erat mundum, ac proinde diversum à camelo, qui erat immundus. Camelopardus ergo est animal cameli proceritate, colore pantheræ, maculas habens, tenui cervice, capite simile camelo, pedibus et cruribus bovi. Ita Plin. l. 8, c. 18, et Dion l. 42, Hist. Rom. Vide Anton. Nebriss. in Quinquag. c. 8.

Tropol. camelopardalus symbolum est hominis variabilis et hypocritæ. Sicut enim ipse collo refert equum, pedibus bovem, capite camelum, maculis tigrim aut pardum; ita

quidam inæquales sibi varias hominum formas exprimunt; si cultum inspicias, sanctum aliquem esse existimes; si orationem audias, satrapam loqui putes; si vitam expendas, nebulonem invenies : si scripta, bubulcum. Sic quidam in templo sunt angeli, in foro et curiâ dæmones, in colloquio homines, in mensâ lupi, in cubiculis veneres.

Verùm quia camelopardalus mundum erat animal, hinc aptiùs per illud accipias hominem versatilem et gratiosum, qui se omnium moribus et ingeniis, quantùm fas est, accommodat, novitque se versare in omnes partes et formas: qualis fuit Ulysses, quem proinde Homerus vocat ἄνδρα πολύτροπον. Sic S. Paulus omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret; hinc cum Judæis servabat legalia, cum gentibus gentiliter vivebat.

Vers 13. — Ixion. Est avis è vulturum genere; unde Levit. 11 eam subticuit, ac sub vulturibus intellexit et vetuit Moses. Hebraicè vocatur *raa*, à videndo, quòd acie oculorum valeat. Ita Vatablus et Abulensis. Cætera animalia munda et immunda explicata sunt Levit. 11.

Vers. 21. — Peregrino, etc., da, ut comedat. Per *peregrinum* intellige gentilem, in gentilismo manentem; hic enim non tenebatur legibus Judaicis, ac proinde poterat vesci animalibus immundis. Secùs erat de gentili proselyto, id est converso ad judaismum; hic enim lege Judaicâ, ac consequenter abstinentiâ à cibis immundis obstringebatur. Ita Abulensis.

Vers. 22. — Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis. Ex hoc loco et ex Josepho colligit Theod. hîc q. 13, Abulensis, Oleaster et Cajetan. duplices decimas Judæis quotannis fuisse præscriptas. Primæ erant omnium frugum terræ, gregum et armentorum, quæ totæ dabantur Levitis; neque ferebantur in Jerusalem, sed Levitæ, ad quos eæ pertinebant, colligebant eas per civitates sibi vicinas; ex hisce decimis, Levitæ rursùm decimam pendebant pontifici et sacerdotibus, ut patet Num. 18, v. 26 et 28; ibi enim agitur de primis hisce decimis. Secundæ decimæ erant illæ, quas quotannis Hebræi separabant, post primam jam dictam decimationem, ex novem residuis sibi partibus accipiendo decimam, ut ex eâ, euntes ad tabernaculum (quod ter in anno faciendum erat, ut patet Exodi 23, 17, et cap. 34, 23) partim in itinere viverent, partim offerrent hostias pacificas, de quibus comederent coram Domino, unà cum Levitis, quos ad epulandum secum invitabant. Quod dixi de decimis hisce, idem dico de primitiis : quia post primitias quæ totæ cedebant Domino, separabat sibi quisque aliquid, tanquàm primitias secundas, quibus uteretur ascensurus ad Dominum. Idem dico de primogenitis ovium et boum, videlicet post primogenitum Deo datum, Hebræos separâsse aliud animal in hostiam pacificam; idem dico de votis et donariis. De hisce ergo secundis decimis loquitur hîc lex, usque ad v. 28; de hisce etiam egit c. 12, 17. Tertiæ decimæ erant decimæ quæ singulis trienniis separabantur et dabantur pauperibus, viduis, pupillis et Levitis in modum eleemosynæ, ne ipsi ob paupertatem cogerentur servire gentilibus, à quibus facilè induci potuissent ad idololatriam. De tertiis hisce decimis agitur v. 28, ubi dicitur : *Anno tertio separabis aliam decimam.* Unde patet, hanc non eamdem fuisse decimam cum primâ, quasi decimæ quæ duobus annis Levitarum erant propriæ, tertio anno jubeantur esse communes pauperibus æquè ac Levitis, ut aliqui volunt, sed fuisse aliam, scilicet tertiam; ita enim vertit interpres. Ita de Tobiâ dicitur c. 1, v. 7, quòd *in anno tertio proselytis et advenis ministraret omnem decimationem.* Si Judæi triplices, quidni Christiani unas et simplices Deo dent decimas? si Judæi decimis suos alebant pauperes, quidni idem faciant Christiani? Novi viros in republicâ magnos, qui opum suarum, imò omnis lucri sui decimas dant pauperibus, et ad id lege charitatis et religionis putant se quasi obstringi.

Præclarè Nyssen. lib. de Beatitud. : « Si, inquit, misericordis appellatio Deum decet, ad « quid aliud te sermo Christi hortatur, nisi ut « Deus fias, tanquàm insignitus propriâ notâ « deitatis? » Et Nazianz. in Orat. de pauperum Amore : « Fac calamitoso sis Deus, Dei « misericordiam imitando.» Et Chrysost. hom. 3 ad populum : « Melius est hanc artem dandi « eleemosynam scire, quàm esse regem. Hæc « enim domos ædificat in cœlis semper man- « suras : hæc docet quomodò Deo possis simi- « lis fieri; » et hom. 36 : « Magna res est homo, « et pretiosa vir misericors. Hæc major est « gratia, quàm mortuos resuscitare; nam hic « tu de Christo benè mereris; illic autem « ipse de te; miracula enim Deo debes. »

Audi rarum de hisce decimis exemplum, quod narrat Eugypius in Vitâ S. Severini, Noricorum Apostoli, cap. 17, contigitque sub

annum Domini 475. Lauriacenses cives moniti à S. Severino decimas dare pauperibus, id facere distulerant, ideòque segetes eorum aliàs pulchras invasit rubigo; illi ad cor redeuntes culpam confessi, veniam petierunt à S. Severino, qui eis respondit : « Si decimas obtulis- « setis pauperibus, non solùm æternâ mercede « frueremini, sed etiam commodis possetis « abundare præsentibus; sed quia culpam « propriâ confessione castigatis, de Domini « pietate polliceor, quòd rubigo præsens, li- « cet tam valida, non nocebit : tantùm fides « vestra ulteriùs non vacillet; » inde hortatus est indici jejunium, quo expleto placidus imber desperatæ messis amputavit incommoda. Hucusque Eugypius, S. Severini discipulus, et oculatus rei gestæ testis. Quinimò etiamnum Judæi religiosores, licet templum, sacerdotes et Levitas non habeant, decimum tamen nummum bonorum omnium pauperibus erogant, habentque hoc proverbium : *Da decimas, ut ditescas;* id enim, inquiunt, promisit Deus per Malachiam c. 3, vers. 10, estque verum.

CAPUT XV.

1. Septimo anno facies remissionem, — 2. quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo, ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini. — 3. A peregrino et advenâ exiges : civem et propinquum repetendi non habebis potestatem. — 4. Et omninò indigens et mendicus non erit inter vos; ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in terrâ quam traditurus est tibi in possessionem. — 5. Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, et custodieris universa quæ jussit, et quæ ego hodiè præcipio tibi, benedicet tibi, ut pollicitus est.—6. Fœnerabis gentibus multis, et ipse à nullo accipies mutuum. Dominaberis nationibus plurimis et tui nemo dominabitur. — 7. Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terrâ quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum; — 8. sed aperies eam pauperi, et dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris. — 9. Cave ne fortè subrepat tibi impia cogitatio, et dicas in corde tuo : Appropinquat septimus annus remissionis; et avertas oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare; ne clamet contra te ad Dominum, et fiat tibi in peccatum.—10. Sed dabis ei; nec ages quippiam callidè in ejus necessitatibus subleVandis; ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, et in cunctis ad quæ manum miseris. — 11. Non deerunt pauperes in terrâ habitationis tuæ : idcircò ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi, qui tecum versatur in terrâ. — 12. Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, et sex annis servierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum; — 13. et quem libertate donaveris, nequaquàm vacuum abire patieris; — 14. sed dabis viaticum de gregibus, et de areâ, et torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi.—15. Memento quòd et ipse servieris in terrâ Ægypti, et liberaverit te Dominus Deus tuus, et idcircò ego nunc præcipio tibi. — 16. Sin autem dixerit : Nolo egredi; eò quòd diligat te, et domum tuam, et benè sibi apud te esse sentiat; — 17. assumes subulam, et perforabis aurem ejus in januâ domûs tuæ, et serviet tibi usque in æternum : ancillæ quoque similiter facies.—18. Non avertas ab eis oculos tuos, quandò dimiseris eos liberos : quoniam juxta mercedem mercenarii per sex annos servivit tibi, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus quæ agis. — 19. De primogenitis, quæ nascuntur in armentis, et in ovibus tuis, quidquid est sexûs masculini, sanctificabis Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bovis, et non tondebis primogenita ovium. — 20. In conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos singulos, in loco quem elegerit Dominus, tu et domus tua. — 21. Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit, vel cæcum, aut in aliquâ parte deforme ve debile, non immolabitur Domino Deo tuo. — 22. Sed intra portas urbis tuæ comedes illud : tam mundus, quàm immundus similiter vescentur eis, quasi capreâ et cervo. — 23. Hoc solùm observabis, ut sanguinem eorum non comedas; sed effundes in terram quasi aquam.

---

1. La septième année sera l'année de la remise *de toutes les dettes.* — 2. Elle se fera en cette manière : Un homme à qui il sera dû quelque chose par son ami, ou son prochain et son frère, ne pourra le redemander *durant cette année,* parce que c'est l'année de la remise du Seigneur. — 3. Vous pourrez l'exiger de l'étranger et de celui qui est venu de dehors en votre pays; mais vous n'aurez point le pouvoir de le redemander à vos concitoyens et à vos proches. — 4. Et *non-seulement vous ne redemanderez pas ce qui vous sera dû, mais* il ne se trouvera parmi vous aucun pauvre ni aucun

mendiant, *par le soin que vous aurez de leur procurer tout ce qui leur sera nécessaire*, afin que le Seigneur votre Dieu vous bénisse dans le pays qu'il vous doit donner pour le posséder. — 5. Si toutefois vous écoutez la voix du Seigneur votre Dieu, et que vous observiez ce qu'il vous a commandé, et ce que je vous prescris aujourd'hui, c'est alors qu'il vous bénira comme il vous l'a promis.— 6. *Alors* vous prêterez à beaucoup de peuples, et vous n'emprunterez rien vous-mêmes de personne ; vous dominerez sur plusieurs nations, et nul ne vous dominera.—7. Si étant dans le pays que le Seigneur votre Dieu vous doit donner, un de vos frères qui demeurera dans votre ville tombe dans la pauvreté, vous n'endurcirez point votre cœur, et ne resserrerez point votre main *à son égard;* — 8. mais vous l'ouvrirez au pauvre, et vous lui prêterez ce dont vous verrez qu'il aura besoin. — 9. Prenez garde de ne vous point laisser surprendre à cette pensée impie, et de ne pas dire dans votre cœur : La septième année, qui est l'année de la remise, est proche ; et de détourner ainsi vos yeux de votre frère qui est pauvre, sans vouloir lui prêter ce qu'il vous demande ; de peur qu'il ne crie contre vous au Seigneur, et que cela ne vous soit imputé à péché ; — 10. Mais vous lui donnerez *ce qu'il désire,* et vous n'userez d'aucune finesse, lorsqu'il s'agit de le soulager dans sa nécessité ; afin que le Seigneur votre Dieu vous bénisse en tout temps, et dans toutes les choses que vous entreprendrez. — 11. *Vous aurez toujours lieu d'attirer par vos charités cette bénédiction sur vous : car* il y aura toujours des pauvres dans le pays où vous habiterez. C'est pourquoi je vous ordonne d'ouvrir votre main aux besoins de votre frère qui est pauvre et sans secours, et qui demeure avec vous dans votre pays, *afin de vous rendre le Seigneur favorable.*— 12. Lorsque votre frère ou votre sœur, Hébreux d'origine, vous ayant été vendus, vous auront servi six ans, vous les renverrez libres la septième année ; — 13. et vous ne laisserez pas aller les mains vides celui à qui vous donnerez la liberté ; — 14. mais vous lui donnerez, pour subsister dans le chemin, quelque chose de vos troupeaux, de votre grange et de votre pressoir, comme des biens que vous avez reçus par la bénédiction du Seigneur votre Dieu.— 15. Souvenez-vous que vous avez été esclaves vous-mêmes dans l'Egypte, et que le Seigneur votre Dieu vous a mis en liberté ; c'est pour cela que je vous ordonne ceci maintenant,— 16. Que si votre serviteur vous dit qu'il ne veut pas sortir, parce qu'il vous aime vous et votre maison, et qu'il trouve son avantage à être avec vous, — 17. vous prendrez une alène, et vous lui percerez l'oreille à la porte de votre maison, et il vous servira pour jamais. Vous ferez de même à votre servante ; *vous ne la laisserez point aller sans lui donner de quoi subsister durant le chemin.*—18. Ne détournez point vos yeux de dessus eux, après que vous les aurez renvoyés libres ; *mais soyez attentifs à leurs besoins. Ils méritent cette attention de votre part,* puisqu'ils vous ont servi pendant six ans, comme vous aurait servi un mercenaire ; *ne la leur refusez donc pas,* afin que le Seigneur votre Dieu vous bénisse dans toutes les choses que vous ferez. — 19. Vous consacrerez au Seigneur votre Dieu tous les mâles d'entre les premiers-nés de vos bœufs, et de vos brebis. Vous ne labourerez point avec le premier-né du bœuf, et vous ne tondrez point les premiers-nés de vos moutons ; —20. mais vous les mangerez chaque année, vous et votre maison, en la présence du Seigneur votre Dieu, au lieu que le Seigneur aura choisi *pour y recevoir vos offrandes.* — 21. Que si le premier-né a une tache, s'il est boiteux ou aveugle, s'il a quelque difformité ou quelque défaut en quelque partie du corps, il ne sera point immolé au Seigneur votre Dieu, *et ne lui sera point offert en sacrifice;* — 22. mais vous le mangerez dans l'enceinte des murailles de votre ville : le pur et l'impur en mangeront indifféremment, comme on mange du chevreuil et du cerf. — 23. Vous prendrez garde seulement de ne point manger de leur sang ; mais vous le répandrez sur la terre comme de l'eau.

Vers. 2. — Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo, ac fratre suo, id est, à Judæo, qui genere frater est, ideòque amicus et proximus. Lex ergo hæc solùm loquitur de Judæo debitore, qui alteri Judæo aliquid debet ; hic enim anno septimo remissionis, omni debito, ex legis hujus indulgentiâ, solvebatur : non verò loquitur de proselytis ad judaismum conversis ; hi enim anno septimo, debitis suis obstricti manebant. Ita Abulensis. Porrò debitum intellige ex mutuo, aut vendito ; non autem ex accommodato ; quia hoc propriè non est debitum, sed alienum, sive res ad alterum spectans. Ita Abulensis. Vide dicta Lev. 25, 2 et seq.

Vers 3. — Civem et propinquum repetens

NON HABEBIS POTESTATEM. Hebr. *ab eo quod fuerit tibi apud fratrem tuum remittes manum tuam* (id est, remittes petitionem debiti, quæ fit extensione manûs) *fratri tuo*, puta Judæo.

VERS 4. — ET OMNINÒ INDIGENS ET MENDICUS NON ERIT INTER VOS, q. d. : Curate pro posse vestro, ut non sint inter vos indigentes et mendici, mutuando videlicet pauperibus, præsertim infirmis aut invalidis ea quibus indigent, illisque ea remittendo anno septimo, si ante ea solvere et reddere nequeant; cum hoc ergo rectè consistit id, quod dicitur v. 11 : *Non deerunt pauperes in terrâ habitationis tuæ;* ibi enim pauperes fore significat; hîc verò eis subveniri jubet. Voluit enim Deus semper inter Hebræos esse aliquos pauperes, ut divites haberent occasionem misericordiæ in eos exercendæ : unde etiamsi Hebræi conati fuissent efficere, ne in Israel ulli essent pauperes, nunquàm tamen idipsum reipsà perficere potuissent.

Aliter hæc conciliat Vatablus; ait enim apud Hebræos fuisse privatos pauperes, nullos autem mendicos publicos, uti jam fit in rebuspublicis benè ordinatis.

Rursùm hunc locum ita vertit : *Præterquàm si non sit pauper in te*, q. d. : Pauperibus fratribus remittes pecuniam creditam; sed divites fratres excipio, quibus non remittes, cùm habeant unde reddere possint. Verùm hæc versio dissentit ab Heb., Chald., Sept. et nostro.

VERS. 6. — FŒNERABIS GENTIBUS MULTIS. Pro *fœnerabis*, hebr. est, *haabatta*, id est, mutuabis, vel mutuò dabis. Ita Chaldæus et Septuag.; vertunt enim, δανεεῖς ἔθνεσι πολλοῖς, σὺ δὲ οὐ δανεῖ. Unde patet, Judæos hîc nullum suarum usurarum habere patrocinium. Sensus ergo est, q. d. : Si anno septimo dimittas debita tuis debitoribus, non depauperaberis, sed Deus benedicet tibi, teque ditabit, ita ut mutuum aliis des, sed à nemine accipias; sicut enim per quæ quis peccat, per hæc et punitur, sic vicissim per quæ quis meretur, per hæc et præmiatur, inquit Abulensis.

VERS. 9. — CAVE. Septuag. vertunt, *attende tibi ipsi*. Unde S. Ambros. in psal. 118, sumptum putat illud celebre dictum : *Nosce teipsum*, quod gentiles Apollini Pythio tribuerunt. Rectè Clemens lib. 3 Pædagogi : « Est disciplinarum « omnium pulcherrima et maxima, seipsum « nôsse. Si quis enim seipsum nôrit, Deum « cognoscit. » Hinc S. August. lib. 2 Soliloqu. c. 1, ait, brevissimè ac perfectissimè sic orari Deum : *Deus semper idem, noverim te, noverim me*. Et S. Franciscus : *Quis tu Domine? quis ego?* Tu abyssus entis, boni, sapientiæ, virtutis, perfectionis et gloriæ; ego abyssus nihili, mali, ignorantiæ, vitiorum, miseriarum et vilitatis omnis. E contrario Plato in Philebo, ignorantiam suî vocat genus improbitatis universæ, nam, ut idem ait in Amatoribus, nôsse seipsum est absolutè sapere, ab eoque omnis vitæ sapientia et justitia pendet. Xenophon lib. 4 de Dictis Socratis, ait, eos qui se ignorant, neque ad regimen suî, neque ad familiæ aut reipublicæ gubernationem idoneos esse. Quare prudenter monet S. Bernardus in Meditation. c. 5 : « Stude cognoscere te, quia « multò melior et laudabilior es, si te cogno- « scis, quàm si te neglecto cognosceres cursum « siderum, vires herbarum, naturas hominum « et animalium, et haberes omnium cœlestium « et terrestrium scientiam. Redde ergo te « tibi, et si non semper, vel sæpè, saltem in- « terdùm. »

NE DICAS, etc. : APPROPINQUAT SEPTIMUS ANNUS, q. d. : Ne dicas : Instat septimus annus remissionis, si quid fratri mutuavero, aut credidero, non restituet mihi, sed instante anno septimo liber à debito erit, itàque non mutuabo, non credam ei. Hæc erat calliditas mutuò dantium, quæ hîc vetatur. Poterat esse et calliditas mutuò accipientium, si videlicet ipsi essent divites, et instante anno septimo peteret mutuum, ut anno septimo ejus restitutione liberarentur. Sed huic calliditati occurrendum erat, negando eis tale mutuum, dicendoque : Tu dives es; ergo mutuo non eges. Ita Abulensis.

NOLENS EI QUOD POSTULAT, MUTUUM COMMODARE, id est, mutuum dare; nam, si quis aliquid alteri accommodâsset, sive commodatò dedisset, id in specie anno septimo, æquè ac aliis annis restituendum erat; erat enim alienum, ut dixi v. 2. Ita Abulens.

ET FIAT TIBI IN PECCATUM, id est, et irascatur tibi Dominus, teque acriter puniat : *peccatum* ergo ponitur pro pœnâ peccati, metonymicè. Ita Vatabl.

VERS. 10. — NEC AGES QUIPPIAM CALLIDÈ, eo modo quo v. 9 explicui.

Moral. Nota hîc, quàm fusè et impensè Deus Hebræis pauperum curam et opem commendet. Eamdem commendat Daniel Nabuchodonosori, Daniel. 4, 27, ut per eam peccata sua redimat. Sic Christus pauperes ad convivia vocari præcepit, Lucæ 13, 14, et bona illis collata sibi

largita esse asserit, Matth. 25, v. 40, quòdque illi recipient dantes sibi eleemosynam in æterna tabernacula, Lucæ 16, v. 9. Unde et pauperes spiritu beatos esse pronuntiat, Matth. 5, 3. Imò ipse pauper esse voluit; quare discipulo cuidam dixit : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos ; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*. Hinc et S. Petrus Christum imitans dicebat claudo : *Argentum et aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do : In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula*. Et S. Paulus de se aliisque Apostolis dicebat : *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus*, 1 Corinth. 4, v. 11; et : *Scio et humiliari, scio et abundare: et satiari, et esurire; et abundare, et penuriam pati*, Philip. 4, 12. Nazianz. Orat. 16 de pauperum Amore : « Nullus, inquit, cultus Deo perinde gratus « est ut misericordia erga pauperes. Nam « primò, Deus vult quosdam esse pauperes, ut « nos infirmitatis nostræ submoneant. Secundò, pauperes juvandi sunt, quia fratres « nostri sunt, tum naturæ, tum imaginis Dei « in Christo renovatæ, tum fidei, spei, dilectionis, et adoptionis divinæ, tum vitæ « beatæ respectu. Tertiò, quia ad Christum « communem fratrem aspiramus. Quartò, quia « cùm nihil sit stabile in præsenti, de opibus « per pauperes in tuto collocandis est cogitandum. Quintò, ob infinita hujus rei commoda, quæ ad tria revocari possunt, scilicet, « ex malis præservatio, salutis certitudo, præviorum maxima fiducia. Sextò, quia Deus, « qui innumera nobis contulit beneficia, jubet « ut pauca fratribus largiamur. Septimò, nihil « tam Deo proprium, quàm misericordia et « beneficentia ; ille autem nobis imitandus est. « Octavò, pauperes sub speciali curâ et providentiâ Dei latent, teste Scripturâ. Nonò, « quia in die judicii electi ob eleemonysas factas cœlo, reprobi ob eas neglectas inferno « adjudicabuntur. » S. Augustinus, si quando Ecclesiæ pecunia deficeret, hoc populo annuntiabat, non habere se quod in pauperes erogaret; nam et vasa dominica ob captivos et alios egentes frangi jussit, et in eos dispensari, inquit Possidon. in ejus Vitâ c. 24.

Placilla, Theodosii imper. uxor, suâ manu fovebat pauperes et infirmos; cùmque nonnulli eam ab iis avocare vellent, respondit : « Aurum distribuere decet imperatorem : ego « autem pro ipso imperio, ei qui idipsum dedit, operam hanc offerre debeo; » testis est Theodor. lib. 5 Histor. c. 18. Acacius, Amidæ episcopus, ut pauperes Persas ad septem millia captivos redimeret, vasa sacra vendidit, dicens suis clericis : « Deus noster neque lancibus « neque poculis eget; quare convenit hæc in « ejus milites afflictos dispertiri, » testis est Socrat. l. 7, c. 21. Theophilus quoque : « Præstat, inquit, ægrotorum corpora, quæ « veriùs Dei templa sunt, restaurare, quàm « templa lapidea ædificare. » Ita Sozom. lib. 8, c. 12.

Vers. 12. — In septimo anno dimittes eum liberum, computando scilicet annum septimum non à venditione servi, sed ab anno remissionis, qui status erat et communis omnibus.

Vers. 17. — Serviet tibi usque in æternum, id est, usque ad jubilæum, post quod aliud et novum quasi seculum sequebatur. Patet ex dictis Exodi 21, 6.

Ancillæ similiter facies, scilicet dando ei viaticum, non autem perforando ei aurem, inquit Abulens.; nec enim habebatur ancilla hebræa, ut serva, sed puber effecta, debebat aut duci in conjugem ab hero, vel ab heri filio, aut libera dimitti; quod si nollet, sed mallet manere in domo heri serva, perforabatur ei auris, ait Cajetanus, æquè ut servo. Vide dicta Exodi 21, 7.

Symbolicè, servus et ancilla sunt ira et cupiditas; hæc totâ annorum hebdomade, id est, totâ vitâ, serviant et subigantur rationi necesse est, usque ad sabbatum, sive septimum annum beatæ impatibilitatis; tum enim ira dimittetur quasi libera, quando transmittabitur in fervorem spiritualem, et cupiditas convertetur in divinum amorem et voluptatem; ita Cyrill. in Collectaneis ex Deuteronomio.

Vers. 18. — Non avertas ab eis oculos tuos, quando dimiseris eos liberos. Heb., Chald. et Septuag. : *Non graveris in oculis tuis, cùm dimittes eum*, id est, non erit tibi molestum dimittere servum, eumque juvare viatico.

Allegor. Cyrill. lib. 7 de Adorat. pag. 137 : Ante Christum, inquit, spiritu servitutis Israel constringebatur, legi punienti subjectus; at postquàm anno septimo remissionis, scilicet tempore gratiæ, illuxit Emmanuel, libertate et adoptione filiorum donati sumus, dato viatico, videlicet corpore et sanguine Domini, in Eucharistiâ.

Quoniam juxta mercedem mercenarii, per sex annos servivit tibi. Chald. Vatabl. et alii recentiores vertunt; *Quoniam duplici mercede*

mercenarii servivit tibi sex annis. Quod Hebræi exponunt, duplam dici servi mercedem, qui sex annos servus fuit; quia mercenarii apud Hebræos ad tres tantùm annos operas suas locabant; servus verò hîc sex annos serviebat; ergo in duplum serviebat, et merebatur. Verùm Septuag. pro *duplici mercede,* vertunt ἐνιαύσιον μισθόν, id est, *annuam mercedem,* ut hebræum *misne,* derivetur, non à *sceni,* id est, secundus, sed à *schana,* id est, annus, q. d. : Per sex annos, annuâ mercede tibi servivit; quod noster æquè pleno sensu vertit : *Juxta mercedem mercenarii, per sex annos servivit tibi.* Sensus ergo est hic, servus per sex annos ut mercenarius tibi servivit, cui mercedem annuam quotannis persolvere debuisses, ipse verò nullam recepit per sex annos; æquum ergo est, ut ejus loco, anno septimo cum manumittas, cum aliquâ annonâ ad viaticum.

Vers. 19. — Non operaberis in primogenito bovis, quia hic primogenitus Deo debetur; et iniquum est, ut ex animali Dei, ejusque primitiis, tibi vel primas operas, vel lanam præcerpas.

Et non tondebis primogenita ovium, sed cum lanâ suâ afferes ea ad sacerdotem, ut tam lanam, quàm ovem des Deo, id est, sacerdoti vice Dei.

Tropol. S. Gregor. 8 Moral. 34 : « Moses, « inquit, hîc vitam inchoantium humanis oc- « cupationibus exerceri prohibuit; in primo- « genito quippe bovis operari, est bonæ con- « versationis primordia, in exercitio publicæ « actionis ostendere; ovium quippe primoge- « nita tondere, est ab occultationis suæ teg- « mine humanis oculis inchoantia bona opera « nostra denudare. Cùm ergo vita nostra sim- « plex quid atque innocuum inchoat, dignum « est, ut secreti sui velamina non relinquat, ne « nudum hoc humanis oculis quasi subducto « vellere ostendat. »

Vers. 20. In conspectu Domini Dei tui comedes ea. *Comedes,* tu scilicet, ô sacerdos; est enim hîc mutatio personæ; convertit enim Moses sermonem ab offerentibus ad sacerdotes, quorum erat comedere primogenita; nam ad hos solos illa spectabant, ut clarè patet Num. 18, 17. Ita Abulensis. Porrò jubet ea hîc Deus comedi in loco sancto, puta in atrio templi, quia jusserat eadem sibi offerri in templo fuso eorum sanguine, et adipe concremato, uti fiebat in hostiâ pacificâ, ut patet Num. 18, 17 : *Quia sanctificata,* inquit, *sunt Domino, sanguinem tantùm eorum fundes super altare, et adipes adolebis in suavissimum odorem Domino.* Post immolationem autem hostiæ pacificæ, carnes ejusdem ab offerentibus eodem loco, puta in atrio templi, comedi debebant; omnis enim victima, quia Deo sanctificata, in loco sancto comedi debebat, ut patet Levit. 6, 16, et c. 7, 6. Idipsum significat hæc lex et phrasis : *Epulaberis coram Domino,* id est, in atrio templi, scilicet ex hostiis pacificis cæterisque oblationibus. Unde ea identidem repetitur Deut. 12, v. 12 et 18, et 14, 26, et c. 16, v. 11 et 14, et c. 27, 7, ubi dicitur : *Immolabis hostias pacificas, comedesque ibi et epulaberis coram Domino Deo tuo.* Igitur ob similitudinem primogenitorum cum hostiâ pacificâ, simili modo jubet hîc Deus, ut sacerdotes, quibus jure divino cedebant primogenita, eadem offerrent Deo in templo, ac post oblationem eadem ibidem comederent, ut hæc comestio esset consummatio et complementum oblationis similis sacrificio pacifico. Sancit ergo Deus, ea quasi sancta, à sanctis sacerdotibus comedi in loco sancto, præsertim quia sacerdotes habitabant juxta templum, utpote perpetui ejus custodes et ministri; Levitæ verò per omnes Judææ urbes ad populum docendum dispersi erant. Ex dictis patet, non rectè Cajetanum primogenitum accipere impropriè pro primitiis et carnibus Deo separatis ad epulum sacrum.

Mysticè vide Rabanum, qui totus hîc, æquè ac per reliquam S. Scripturam mysticus et moralis est. Unde ex ipso magnâ ex parte conflata est Glossa ordinaria.

Vers. 21 et 22.—Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit, etc., non immolabitur, etc., sed intra portas urbis tuæ comedes illud. Si animal primogenitum esset claudum, cæcum, mancum, immolari non poterat, sed pretio sacerdotibus dato redimendum erat; tum à laicis quolibet loco comedi poterat. Ita Abulensis.

CAPUT XVI.

1. Observa mensem novarum frugum, et verni primum temporis, ut facias phase Domino Deo tuo; quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte. — 2. Immolabisque phase Domino Deo tuo de ovibus, et de bobus, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi. — 3. Non comedes in eo panem fermentatum : septem diebus comedes absque fermento, afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Ægypto, ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ. —

4. Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis septem diebus, et non remanebit de carnibus ejus quod immolatum est vespere in die primo usque mane. — 5. Non poteris immolare phase in quâlibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi; — 6. sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi : immolabis phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto. — 7. Et coques, et comedes in loco quem elegerit Dominus Deus tuus : manèque consurgens vades in tabernacula tua. — 8. Sex diebus comedes azyma; et in die septimâ, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus. — 9. Septem hebdomadas numerabis tibi ab eâ die quâ falcem in segetem miseris; — 10. et celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manûs tuæ, quam offeres juxta benedictionem Domini Dei tui; — 11. et epulaberis coram Domino Deo tuo, tu, filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, et Levites qui est intra portas tuas, advena ac pupillus, et vidua, qui morantur vobiscum; in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi : — 12. et recordaberis quoniam servus fueris in Ægypto; custodiesque ac facies quæ præcepta sunt. — 13. Solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de arcâ et torculari fruges tuas; — 14. et epulaberis in festivitate tuâ, tu, filius tuus et filia, servus tuus et ancilla, Levites quoque et advena, pupillus ac vidua qui intra portas tuas sunt. — 15. Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis, in loco quem elegerit Dominus : benedicetque tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, et in omni opere manuum tuarum, erisque in lætitiâ. — 16. Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit; in solemnitate hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum. Non apparebit ante Dominum vacuus; — 17. sed offeret unusquisque secundùm quod habuerit juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei. — 18. Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas : ut judicent populum justo judicio, — 19. nec in alteram partem declinent. Non accipies personam, nec munera : quia munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum. — 20. Justè quod justum est persequeris : ut vivas et possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. — 21. Non plantabis lucum, et omnem arborem juxta altare Domini Dei tui. — 22. Nec facies tibi, neque constitues statuam; quæ odit Dominus Deus tuus.

---

1. Observez le mois des grains nouveaux, qui est au commencement du printemps, en célébrant la pâque en l'honneur du Seigneur votre Dieu; parce que c'est le mois où le Seigneur votre Dieu vous a fait sortir de l'Egypte pendant la nuit. — 2. Vous immolerez la pâque au Seigneur votre Dieu, *et vous célébrerez cette fête durant sept jours,* en lui sacrifiant des brebis et des bœufs, dans le lieu que le Seigneur votre Dieu aura choisi pour y établir *la gloire de* son nom. — 3. Vous ne mangerez point pendant cette fête de pain avec du levain; mais pendant sept jours vous mangerez du pain sans levain, *qui étant moins agréable au goût, sera pour vous* un pain d'affliction, parce que vous êtes sortis de l'Egypte *en grande hâte, et* dans une grande frayeur; *ainsi vous mangerez de ce pain fait à la hâte,* afin que vous vous souveniez du jour de votre sortie d'Egypte tous les jours de votre vie. — 4. Il ne paraîtra point de levain dans toute l'étendue de votre pays pendant *les* sept jours *de cette solennité;* et il ne demeurera rien de la chair de l'hostie qui aura été immolée au soir du premier jour jusqu'au matin. — 5. Vous ne pourrez pas immoler la pâque indifféremment dans toutes les villes que le Seigneur votre Dieu vous doit donner; — 6. mais seulement dans le lieu que le Seigneur votre Dieu aura choisi pour y établir son nom : et vous immolerez la pâque le soir au soleil couchant, qui est le temps que vous êtes sortis d'Egypte. — 7. Vous ferez cuire l'hostie, et vous la mangerez au lieu que le Seigneur votre Dieu aura choisi; et vous levant le matin, vous retournerez dans vos maisons *si vous le voulez.* — 8. mais vous mangerez des pains sans levain pendant six jours; et le septième jour vous ne ferez point d'œuvre *servile,* parce que ce sera le jour de l'assemblée solennelle, instituée en l'honneur du Seigneur votre Dieu. — 9. Vous compterez sept semaines depuis le jour que vous aurez mis la faucille dans les grains, *qui sera le lendemain de Pâque;* — 10. et vous célébrerez la fête des semaines en l'honneur du Seigneur votre Dieu, en lui présentant l'oblation volontaire *du travail* de vos mains, que vous lui offrirez, selon que le Seigneur votre

Dieu y aura donné sa bénédiction ;—11. et vous ferez devant le Seigneur votre Dieu des festins de réjouissance, vous, votre fils et votre fille, votre serviteur et votre servante, le Lévite qui est dans l'enceinte de vos murailles, l'étranger, l'orphelin et la veuve qui demeurent avec vous, dans le lieu que le Seigneur votre Dieu aura choisi pour y établir son nom. — 12. Vous vous souviendrez que vous avez été vous-mêmes esclaves en Egypte, et vous aurez soin d'observer et de faire ce qui a été commandé. — 13. Vous célébrerez aussi la fête solennelle des tabernacles pendant sept jours, lorsque vous aurez recueilli de l'aire et du pressoir les fruits de vos champs ; — 14. et vous ferez des festins de réjouissance en cette fête, vous, votre fils et votre fille, votre serviteur et votre servante, avec le Lévite l'étranger, l'orphelin et la veuve, qui sont dans vos villes. — 15. Vous célébrerez cette fête pendant sept jours en l'honneur du Seigneur votre Dieu, dans le lieu que le Seigneur aura choisi : et le Seigneur votre Dieu vous bénira dans tous les fruits de vos champs, et dans tout le travail de vos mains, et vous serez dans la joie. — 16. Tous vos enfants mâles paraîtront trois fois l'année devant le Seigneur votre Dieu, dans le lieu qu'il a choisi ; à la fête solennelle des pains sans levain, à la fête solennelle des semaines, et à la fête solennelle des tabernacles. Ils ne paraîtront point les mains vides devant le Seigneur. — 17. Mais chacun offrira à proportion de ce qu'il aura, selon que le Seigneur son Dieu y aura donné sa bénédiction. — 18. Vous établirez des juges et des magistrats à toutes les portes des villes que le Seigneur votre Dieu vous aura données, en chacune de vos tribus, afin qu'ils jugent le peuple selon la justice, — 19. sans se détourner ni d'un côté ni d'autre. *Voici les règles que vous leur prescrirez :* Vous n'aurez point d'égard à la qualité des personnes, et vous ne recevrez point de présents, parce que les présents aveuglent les yeux des sages et corrompent les sentiments des justes : — 20. Vous vous attacherez à ce qui est juste, dans la vue de la justice, afin que vous viviez, et que vous possédiez la terre que le Seigneur votre Dieu vous aura donnée : — 21. Vous ne planterez ni de grands bois, ni aucun arbre auprès de l'autel du Seigneur votre Dieu : — 22. vous ne vous ferez, et vous ne dresserez point de statue, parce que le Seigneur votre Dieu hait toutes ces choses.

Vers. 1. — Observa mensem novarum frugum, puta nisan, sive martium, quo in terrâ promissionis incipiunt spicæ hordeaceæ flavescere; illæ enim offerebantur in paschate, scilicet, secundo die azymorum, ut patet Levit. 2, 14, et Levit. 23, 10.

Vers. 2. — Immolabisque phase Domino, etc., de ovibus et de bobus. *Phase,* id est, victimas paschales, quæ in solemnitate paschali de ovibus et bobus offerri jubentur. Num. 27, 19; nam agnus paschalis non poterat commutari in bovem.

Perperàm ergo Hebræi aliqui phase hìc accipiunt pro agno paschali, putantque potuisse pro agno substitui vitulum, adduntque rationem, quia in amplis familiis agnus non sufficisset singulis. Verùm respondeo : Agnus non erat ad satiandum singulos, sed ut ex eo singuli aliquam partem comederent, in memoriam liberationis ex Ægypto ; præter agnum autem alios comedebant cibos, quibus se satiabant. Ita S. Aug. hìc q. 24. Vide dicta Exodi 12, v. 5 et 11.

Ut habitet nomen ejus ibi, ut illic colatur Deus, et invocetur nomine suo.

Vers. 3. — Non comedes in eo (cum eo, scilicet phase) panem fermentatum. Totis enim septem diebus paschalibus comedebant panes azymos cum agno, et aliis sacrificiis et cibis, etiam communibus.

Comedes afflictionis panem. Heb. : *Comedes azyma afflictionis panem,* id est, indicem et monumentum afflictionis ægyptiacæ, itemque festinationis et pavoris tui in egressu ex Ægypto, ut sequitur. Secundò, *panem afflictionis,* id est, affligentem ; quia azymus panis gustui insipidus, et stomacho onerosus est. Cajet. vertit, *panem paupertatis,* et ita verti potest ; pauperum enim est, carere commoditate fermentandi panem, et uti pane subcinericio, qui azymus est, statimque fit et coquitur.

Quoniam in pavore (Chald. et Septuag. *in festinatione*) egressus es de Ægypto, q. d. : Quia cum tantâ trepidatione et festinatione egressus es de Ægypto, ut non habueris otium fermentandi panem; ad hujus rei memoriam comedes azyma in paschate.

Vers. 6. — Immolabis Phase (propriè dictum, puta agnum paschalem) vespere, quando egressi estis, quando vos comparâstis ad egressum; τὸ enim *egressi,* significat actum inchoatum. Vide dicta Exodi 12, 42. Posset secundò, τὸ *quando* referri ad festum paschæ ; nam hebr. est, *stato tempore* (videlicet paschæ) *quando egressi estis.* Ita Vatabl.

Vers. 7. — Vades in tabernacula tua, ad domos tuas, ad habitationem tuam.

Vers. 8. — Sex diebus comedes azyma. Hinc aliqui Judæi putârunt, ex lege Dei tantùm sex diebus præcepta fuisse azyma ; verùm septem diebus ea præcipi, patet hîc v. 4, et Exodi 12, v. 19. Dico ergo, sensus est, q. d. : Sex diebus comedes azyma, sed non vacabis ab opere; septimâ vero die, præter azyma, etiam vacabis ab opere, quia est festum cœtûs. Ita Lyran.

Quia collecta est, quia festum est cœtûs, quo scilicet populus in templo, gratias Deo acturus, antequàm domum redeat, colligitur, et adunatur. Vide dicta Levit. 23, 36.

Vers. 18. — Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis. *Magistros,* id est, præfectos, puta viros sapientes, qui quasi magistri et magistratus, præsint juri dicendo, ut sequitur : iidem ergo sunt judices et magistri, quia judices debent esse magistri. Ita Hebr. Chald. et Vatablus. Hinc Plato censuit felices fore respublicas, si philosophi eas regerent, aut qui eas regunt, philosopharentur.

Nota, *in portis,* id est, in civitatibus ; est synecdoche, uti et c. seq. v. 2. Ita Septuag. et Chald. Nominat portas, quia judicia in portis urbium agi solebant, ut liberiùs eò quasi ad locum patentem et publicum, exteri causam suam acturi accederent.

Vers. 19. — Non accipies personam, nec munera : quia munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum. Audiant hoc consiliarii et judices. Munerum enim hæc duo sunt mala, primò, ut mentem excæcent; secundò, ut linguam et sententiam pronuntiandam immutent; nam primò, inclinant affectum; secundò, affectus inclinat et obnubilat rationem et judicium ; tertiò, ratio inclinat sententiam in favorem ejus qui munera dedit. Vide dicta Exodi 23, 8.

Vers. 20. — Non plantabis lucum, et omnem arborem juxta altare, ne videaris imitari sacros lucos gentilium et idolorum, præsertim Priapi; sacra enim Priapi fiebant in lucis, ut obscœnitates ejus iis tegerentur ; unde in hisce lucis omnem turpitudinem exercebant. Nota, *omnem,* id est, quamlibet ; ita enim collectivum *omnis* apud Hebræos sæpè capitur pro distributivo *quilibet.*

Tropol. S. Greg. Præfat. in Job epist. ad Leandrum in fine : « Quæso, ait, ut hujus operis dicta percurrens, in his verborum folia « non requiras : quia per sacra eloquia ab co- « rum tractatoribus infructuosæ loquacitatis « levitas studiosè compescitur, dùm in tem- « plo Dei nemus plantari prohibetur. » Sic et Philo.

Vers. 21. — Nec facies tibi, neque constitues statuam, scilicet, qualem gentiles suis diis, vel idolis constituunt.

CAPUT XVII.

1. Non immolabis Domino Deo tuo ovem et bovem, in quo est macula, aut quippiam vitii, quia abominatio est Domino Deo tuo. — 2. Cùm reperti fuerint apud te, intra unam portarum tuarum quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier qui faciant malum in conspectu Domini Dei tui, et transgrediantur pactum illius, — 3. ut vadant et serviant diis alienis, et adorent eos, solem et lunam, et omnem militiam cœli, quæ non præcepi; — 4. et hoc tibi fuerit nuntiatum, audiensque inquisieris diligenter, et verum esse repereris, et abominatio facta est in Israel ; — 5. educes virum ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrârunt, ad portas civitatis tuæ, et lapidibus obruentur. — 6. In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur. Nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium. — 7. Manus testium prima interficiet eum, et manus reliqui populi extrema mittetur ; ut auferas malum de medio tui. — 8. Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram : et judicum intra portas tuas videris verba variari : surge, et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus. — 9. Veniesque ad sacerdotes levitici generis, et ad judicem qui fuerit illo tempore; quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. — 10. Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te, — 11. juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum : nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. — 12. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel; — 13. cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbiâ. — 14. Cùm ingressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, et possederis eam, habitaverisque in illâ, et dixeris : Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, — 15. eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fra-

trum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus. — 16. Cùmque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægypto, equitatûs numero sublevatus, præsertim cùm Dominus præceperit vobis, ut nequaquàm ampliùs per eamdem viam revertamini. — 17. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque argenti et auri immensa pondera. — 18. Postquàm autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus leviticæ tribùs, — 19. et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et cæremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt. — 20. Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, et filii ejus super Israel.

---

1. Vous n'immolerez point au Seigneur votre Dieu une brebis, ni un bœuf qui ait quelque tache ou quelque défaut, parce que c'est une abomination devant le Seigneur votre Dieu. — 2. Lorsque l'on aura trouvé parmi vous dans une des villes que le Seigneur votre Dieu vous doit donner, un homme ou une femme qui commettent le mal devant le Seigneur votre Dieu, et qui violent son alliance, — 3. en servant les dieux étrangers et les adorant, savoir, le soleil et la lune et toutes les étoiles du ciel, contre le commandement que je vous ai fait, — 4. et que l'on vous en aura fait rapport; si après l'avoir appris, vous vous en êtes informés très-exactement, et que vous ayez reconnu que la chose est véritable, et que cette abomination a été commise dans Israël, — 5. vous amènerez à la porte de votre ville l'homme ou la femme qui auront fait une chose si détestable, et ils seront lapidés. — 6. Celui qui sera puni de mort sera condamné sur la déposition de deux ou trois témoins; et nul ne mourra sur le témoignage d'un seul. — 7. Les témoins lui jetteront les premiers la pierre de leur propre main; et ensuite tout le reste du peuple le lapidera, afin que vous ôtiez le mal du milieu de vous. — 8. Lorsqu'il se trouvera une affaire embrouillée, et où il soit difficile de juger et de discerner entre le sang et le sang, entre une cause et une cause, entre la lèpre et la lèpre, si vous voyez que dans les assemblées qui se tiennent à vos portes, les avis des juges soient partagés, allez au lieu que le Seigneur votre Dieu aura choisi : — 9. et adressez-vous aux prêtres de la race de Lévi, et à celui *d'entre eux* qui, *en qualité de grand-prêtre,* aura été établi en ce temps-là le juge du peuple. Vous les consulterez; et ils vous découvriront la vérité du jugement que vous en devez porter. — 10. Vous ferez tout ce qu'auront dit ceux qui président au lieu que le Seigneur aura choisi, et tout ce qu'ils vous auront enseigné, — 11. selon la loi; et vous suivrez leurs avis, sans vous détourner ni à droite ni à gauche. — 12. Mais celui qui s'enflant d'orgueil ne voudra point obéir au commandement du pontife, qui en ce temps-là sera le ministre du Seigneur votre Dieu, ni à l'arrêt du juge, *qui l'aura condamné,* il sera puni de mort; et vous ôterez le mal du milieu d'Israël, — 13. afin que tout le peuple entendant ce jugement, soit saisi de crainte, et qu'à l'avenir nul ne s'enfle d'orgueil. — 14. Quand vous serez entrés dans le pays que le Seigneur votre Dieu vous doit donner, que vous en serez en possession, et que vous y demeurerez, si vous venez à dire : Je choisirai un roi pour me commander, comme en ont toutes les nations qui nous environnent; — 15. vous établirez celui que le Seigneur votre Dieu aura choisi du nombre de vos frères. Vous ne pourrez prendre pour roi un homme d'une autre nation, et qui ne soit point votre frère. — 16. Et lorsqu'il sera établi roi, il n'amassera point un grand nombre de chevaux, et il ne ramenera point le peuple en Égypte, s'appuyant sur le grand nombre de sa cavalerie, principalement après que le Seigneur vous a commandé de ne plus retourner à l'avenir par la même voie. — 17. Il n'aura point une multitude de femmes qui se rendent maîtresses de son esprit, ni une quantité immense d'or et d'argent. — 18. Après qu'il sera assis sur le trône, il fera transcrire pour soi dans un livre ce Deutéronome et cette loi *du Seigneur,* dont il recevra une copie des mains des prêtres de la tribu de Lévi. — 19. Il l'aura avec soi, et il la lira tous les jours de sa vie, pour apprendre à craindre le Seigneur son Dieu, et à garder ses paroles et ses cérémonies qui sont prescrites dans la loi. — 20. Que son cœur ne s'élève point d'orgueil au-dessus de ses frères; et qu'il ne se détourne ni à droite ni à gauche *de la loi du Seigneur,* afin qu'il règne long-temps lui et ses fils sur le peuple d'Israël.

Vers. 2. — Intra unam portarum, id est, urbium. Similis synecdoche fuit c. præced. v. 18.

Vers. 3. — Adorent omnem militiam cœli, id est, adorent quælibet astra, quæ sunt quasi milites Deo famulantes, et pro eo, cùm opus est, depugnantes; vide dicta Num. 4, 3. Adorationis siderum causa fuit prima, eorum lux et pulchritudo; secunda, quòd influant in hæc inferiora, eaque vivificent et vegetent; tertia, quòd ea animata putarent: quarta, quòd physici aliqui tradant hominem esse opus siderum; hominem enim cùm concipitur et generatur, à sole sortiri spiritum, à lunâ corpus, à Marte sanguinem, à Mercurio ingenium, à Jove desiderium, à Venere cupiditatem, à Saturno humorem.

Vers. 6. — In ore duorum, id est, ut Chald., per dictum duorum aut trium testium reus convictus occidatur.

Vers. 7. — Manus testium prima interficiet eum. Hebr.: *Manus testium primò erit contra eum, ad interficiendum eum*, id est, primum in eum lapidem conjiciet.

Moraliter. Nota hìc, quantum crimen sit apostasia, quantùmque Deus illud vindicet, et à nobis vindicari velit. Nota est pœna Luciferi, Adæ, Salomonis, Juliani. Audi nova.

Sub annum Domini 868, gens Bulgarorum ferox ac bellicosa, relictis idolis, abrenuntiatisque gentilium superstitionibus, in Christum pro maximâ parte credidit, et abluta salutari baptismatis undâ in Religionem christianam transiit. Ferunt autem de hujus gentis rege, quòd tantâ perfectione post perceptam baptismi gratiam vivere cœperit, ut diebus, ornamentis regiis indutus coram populo procederet; noctibus verò sacro vestitu latenter ecclesiam intrans, super pavimentum ipsius basilicæ, substrato tantùm sibi cilicio prostratus in oratione jaceret. Non post multum tempus divinâ inspiratione commotus, regnum terrenum dimisit, ut in cœlis æternaliter regnaret cum Christo. Et ordinavit in suum locum regem filium suum majorem natu, comam capitis deposuit, habituque sanctæ conversationis suscepto monachus effectus est, eleemosynis, vigiliis et orationibus diu noctuque intentus. Interea, filius ejus, quem regem constituerat, longè à paternâ intentione et operatione recedens, prædas cœpit exercere, ebrietatibus, comessationibus et libidinibus vacare, et omni conamine ad gentilitatis ritum populum noviter baptizatum revocare. Quod cùm pater audivisset, nimio zelo accensus sacrum habitum deposuit, militiæ cingulum resumpsit, et cultu regio indutus, adsociatis sibi Deum timentibus filium persecutus est, quem mox absque difficultate cepit, oculosque ejus effodit, et in carcerem misit; deinde convocato omni regno suo filium juniorem regem constituit, interminatus coram omnibus similia fore passurum, si in aliquo à rectâ christianitate deviaret. His ita patratis, deposito cingulo, et resumpto sanctæ religionis habitu in monasterium ingressus in sanctâ conversatione reliquum vitæ præsentis tempus duxit. Ita Regino lib. 6, et Martin. Polon. l. 4 Chronic.

Anno Domini 870, Carolomanus, cùm adhuc esset puerulus, jussu patris attonsus, clericus effectus est; deinde procedente tempore ad diaconatûs officium, quamvis invitus atque coactus in præsentiâ genitoris ordinatus est, legitque publicè Evangelium, et pontifici Missam celebranti juxta morem ministravit. Post hæc in apostasiâ recedens ab ecclesiasticâ religione, abjiciens ac spernens negligenter gratiam, quæ ei data erat per impositionem manûs, alter Julianus efficitur. Collectâ quippe prædonum non modicâ turbâ, ecclesias Dei cœpit devastare, ea quæ pacis sunt impugnare, cuncta diripere, et mala inaudita perpetrare. Pro quibus cùm crebrò à patre correptus fuisset, nec tamen ullatenùs accepta pravitas cessaret, novissimè ex præcepto patris ei oculi eruuntur, justo Dei judicio lucem exteriorem amittens, qui interiorem, quæ Christus est, à suo pectore effugaverat: in tenebras exteriores missus, qui interioribus suâ sponte se tradiderat. Orbatusque Ludovicum avunculum suum adiit, miseriarum et calamitatum suarum ærumnas apud eum lugubriter deplorans. Ille, miseratione motus, Absternacum monasterium S. Willebrordi ei ad subsidium vitæ præsentis concessit, ubi non multo post tempore mortuus est et sepultus. Ita Regino lib. 2 Chron. anno 870. Audi et sanctos nutantes in re levi punitos.

Catharina Suedica, dùm cum matre Romæ esset, jussa est aliquando ob impiorum nequitias domi manere, tantisper dùm mater ad stationes et indulgentias abiret. Interim adest Satan, et acerbas in ejus animum cœpit cogitationes immittere, tanquàm aliis suarum animarum lucra captantibus, ipsa instar bruti animantis ab omnibus spiritualibus bonis arceretur. Addebat his, ejus cognatos, fratres

et sorores in patriâ cum summâ tranquillitate servire Deo, ipsam verò miseram ducere vitam; præstare igitur ne in lucem quidem editam fuisse, quàm id genus inertem vitam ducere. Erat hæc in animo sanctæ virginis tentatio vehemens, adeòque eam mœrore et perturbatione oppleverat, ut matre illius revertente et seriò præcipiente, ut tanti mœroris causam ediceret, simpliciter responderet, se loqui non posse. Et certè jam planè instar mortuæ facies ejus expalluerat, oculi transversi erant : in tantum molestus erat dæmon id genus importunissimis ingerendis cogitationibus. Porrò nocte proximâ in somnis visa est sibi videre totum mundum quasi inflammatum, seque in medio ignis positam in parvâ quâdam planitie, planèque desperantem ab illis se posse flammis eripi; tum verò apparentem ipsi beatissimam Mariam Virginem, quam his verbis deprecabatur : Adjuva me, charissima Domina mea. Illam verò respondentem : Et quâ te possum ratione juvare, quæ tanto patriæ teneris desiderio, oblita sponsionis tuæ, et neque Deo, neque mihi, neque matri tuæ, neque patri spirituali obediens? se verò offerentem ad omnia exequenda, quæ juberet Dei mater; atque tum demùm Dei genitricem dicentem : Obedias igitur matri tuæ, et patri spirituali. Expergefacta inde Catharina matrem cum omni humilitate celeriter adiit, veniam suæ inconstantiæ petiit, promisitque se deinceps ad mortem usque libenter in exilio cum ipsâ permansuram. Ita habet Vita S. Catharinæ c. 6, quæ extat apud Surium 22 martii.

Vers. 8. — Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem. *Sanguis* hic metonymicè vocatur homicidium, q. d. : Si ambiguum sit homicidium, id est, homicidii qualitas, aliis asserentibus illud esse voluntarium sive destinatum, ideòque morte puniendum; aliis verò excusantibus, quòd casu, vel ignoranter admissum sit, ideòque homicidæ esse jus asyli, in civitatibus refugii. Ita Lyran. Abulens. et alii. Sic inter *causam et causam*, id est, si causa et lis sit ambigua, aliis dicentibus esse justam, aliis esse injustam; sic inter *lepram et lepram* (ita enim legendum est cum Roman. Hebr. Chald. et Græcis, non autem inter *lepram et non lepram*, uti legunt Plantin.) scilicet, aliis asserentibus esse lepram mundam, vel mundissimam, quæ hominem à sacris non arcet, aliis verò dicentibus esse lepram immundam, et arcentem à sacris.

Nota. Legales causæ et quæstiones erant duplices : scilicet primò, erant sacræ et cæremoniales, uti quæstio de fide, religione, et cæremoniis; talis erat controversia de leprâ; hæ spectabant ad sacerdotes, uti per se patet. Secundò, erant judiciales, uti de sanguine et homicidio; hæ spectabant ad magistratum laicum, et in singulis urbibus erant judices, ad eas judicandas constituti, uti dictum est cap. præced. v. 18, qui si non possent litem dirimere, tenebantur eam deferre Hierosolymam ad sacerdotes et ad pontificem, qui eam definiebat. Omnia enim hæc ex lege, vel judiciali, vel cæremoniali definienda erant; legis autem interpres erat pontifex, de quo mox plura; unde sequitur, pontificem fuisse tum summum judicem controversiarum etiam legalium.

Ascende ad locum quem elegerit Dominus, ascende in Jerusalem, ubi est templum, in quo habitat Dominus. Ita Abulens. Voluit Deus, supremam auctoritatem judicii esse in loco tabernaculi, vel templi, quia hic locus erat Dei, id est, divinæ præsidentiæ. Deus ergo præsidens in templo illuminabat et dirigebat sacerdotes et judices inibi commorantes, ne errarent in judicio, sed justam, æquam et veram sententiam pronuntiarent. Rursùm justitia est res sancta et inviolabilis; hinc Deus judices voluit residere in loco sacro. Architas dicebat judicem esse aram; ad utrumque enim confugiunt qui injuriâ afficiuntur, significans judices tales esse debere, qui oppressis sint præsidio, et instar sacri asyli; testis est Aristot. lib. 3 Rhetoric.

Vers. 9. — Veniesque ad sacerdotes levitici generis, et ad judicem. Aliqui, ut Lyranus et Sigonius l. 6 de Repub. hebr. 7, hæc divisim accipiunt, q. d. : Si dubium sit de rebus sacris, consule sacerdotes; sin de civilibus, consule judicem secularem, ut τὸ *et* capiatur pro *aut*. Verùm hoc dici nequit, quia non divisim, sed simpliciter et absolutè vult Deus hic recurri ad sacerdotes, in omnibus causis dubiis, quæ ex lege divinâ decidi debent. Legis enim interpretatio pertinebat ad sacerdotes, et maximè ad pontificem qui erat hierarcha et princeps sacerdotum : hoc enim est quod subdit : *Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus*. Secundò, quia sacerdotes fuisse judices, non tantùm in causis sacris, sed etiam civilibus, imò in causâ homicidii, disertè docet Ezechiel cap. 44, v. 24. Idem patet hic c. 21,

5, ubi agens Moses de homicidio occulto, ait : *Accedent ad sacerdotes*, etc., *et ad verbum eorum omne negotium, et quidquid mundum vel immundum est, judicetur*. Idem docet Josephus lib. 2 contra Appion., cùm ait : *Sacerdotes inspectores omnium, judices controversiarum, et punitores damnatorum, constituti sunt à Mose.* Et Philo lib. 3 de Vitâ Mosis docet, Mosen ex consilio sacerdotum qui de more ei assidebant, damnâsse ad mortem hominem colligentem ligna in sabbato ; de quo Numer. 15, v. 35. Imò Abulensis docet summum pontificem vocari hîc judicem, eò quòd ipse solus in concilio, audito aliorum judicio, proferre soleret sententiam mortis. Ita Caiphas in concilio tulit sententiam mortis in Christum, Joan. 11, vers. 50. Ita Ananias pontifex in concilio præcepit percuti Paulum, Act. 23, 2. Ita Ananus pontifex Jacobum fratrem Domini in concilio mortis reum peregit, teste Josepho lib. 20, 8. Ita alius pontifex S. Matthiam, quasi blasphemum, in concilio morti adjudicavit, dicens : Scriptum est : *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur;* si credimus Actis S. Matthiæ. Tertiò, quia, v. 12, expressè dicitur : *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio,* etc., *morietur;* hoc ergo imperium, erat sententia judicialis et definitiva pontificis.

Pari modo apud gentiles, communi ac naturali consensu, cuncta sacerdotum arbitrio regebantur, etiam quæ ad politicum spectabant imperium, ut de Æthiopibus testatur Strabo lib. 17; de Ægyptiis Ælianus lib. 14 variar. Histor. 34 de Persis, eorumque Magis; Eusebius in Chron. Agathias lib. 2, et alii; de Atheniensibus et Areopagitis Josephus lib. 14 Antiq. 19 ; de Gallis et Druidis Cæsar lib. 6 de Bello Gall.; de Romanis, et eorum auguribus, Cicero lib. 2 de Legibus, et alii. Si igitur (quod Socrates apud Xenophontem lib. 4 de Dictis Socratis dicit) quod ab omnibus gentibus observatum est, id non nisi à Deo sancitum esse, dicendum est, profectò etiamsi nulla de his in divinis Scripturis lex appareret; tamen sacerdotum judiciaria potestas, divino instinctu et jure concessa, ex dictis jam satis probata haberetur. Hinc et initio Ecclesiæ, episcopi erant judices causarum, etiam civilium, quæ inter Christianos agitabantur, uti dixi 1 Corinth. 6, 5.

Dico ergo : Sancit hîc Deus, ut minores judices oppidorum in causis tam sacris, quàm politicis, puta in dubiis, non tam facti, quàm juris et legis divinæ, recurrant ad sacerdotes et ad pontificem, qui legis sententiam et mentem explicantes, secundùm eam causam decidant. Leges enim non tantùm cæremoniales, sed et judiciales, quæ justam reipublicæ et politiæ gubernationem spectabant, à Deo erant præscriptæ, et hisce sacris libris consignatæ, quarum proinde explicatio ad sacerdotes pertinebat.

Secùs erat in causis et dubiis facti, aut merè civilibus, puta talibus, quæ non ex lege Dei, sed ex jure, vel naturæ vel positivo humano, et rationali resolvi debebant : in his enim non opus erat consulere sacerdotes (poterant tamen, et sæpè de facto eos consulebant), sed vel sapientes, vel judices, et principes seculares, qualis fuit Othoniel, Gedeon, Jephte, etc.

Hinc sequitur, per judicem hîc vel intelligi pontificem, ut vult Vatablus, sive ejus vicarium, ut vult Abulensis, vel potiùs (ut colligitur ex v. 12) judicem secularem, inquit Cajetan., Lyranus, Sigon. et Oleaster, qui debebat sequi sententiam sacerdotum et pontificis, ejusque tantùm erat approbator et executor ; unde hîc junctim dicitur : *Venies ad sacerdotes, et ad judicem,* quasi unum idemque sit judicium sacerdotum et judicis ; et quia alioquì potuisset judex discrepare à sententiâ sacerdotum, itàque litigantes judicis sententiam sequi potuissent, relictâ sententiâ sacerdotum et pontificis, quod tamen hîc vetatur. Rursùm, dissidentibus inter se pontifice et judice, quod facile et proclive erat, lis terminari et decidi non potuisset. Tales judices laicos, puta principes familiarum, sacerdotibus in judicando adjunxit Josaphat rex, ut patet 2 Paral. 19, 8. Excipio Samuelem, et si qui alii fuerunt judices simul et Prophetæ. Ili enim ex dono prophetiæ regebant et judicabant populum; unde non egebant consilio sacerdotum. Unde Hebræi hunc versum referunt ad concilium Sanhedrim, quod erat summum, instar parlamenti, et judicabat de rege, lege et Prophetâ, ad illudque erat ultima appellatio. Porrò Sanhedrim constabat 70 viris, qui tam ex sacerdotibus quàm ex primariis viris cujusque tribûs assumebantur; quasi illi hîc intelligantur per τὸ *judicem* id est, judices, ut vertit Chaldæus, q. d. : Venies ad sacerdotes et ad judices, id est, ad concilium Sanhedrim, in quo sunt sacerdotes et judices seculares, quibus omnibus præest summus pontifex. Vide Sigonium lib. 6 de Republ. Hebræor. c. 7.

Vers. 10. — Et facies quodcumque dixerint

QUI PRÆSUNT LOCO, QUEM ELEGERIT DOMINUS. Hebr. est : *Et facies super os verbi, quod annuntiabunt tibi ex eo loco, quem eliget Jehova.* Quod Cajetanus sic accipit, quasi hic in ambiguis jubeat lex consulere oraculum Dei, residentis in Propitiatorio. Verùm sequentia significant, non ad oraculum, sed ad scientiam et interpretationem sacerdotum, hæc pertinere; sequitur enim : *Et docuerint te juxta legem ejus.* Fateor tamen, si dubia hæc pontifices ex lege, et ex scientiâ suâ resolvere non possent, recurrisse et consuluisse oraculum Dei, ut patet Num. 27, 21.

VERS. 10 et 11. — ET DOCUERINT TE JUXTA LEGEM EJUS. Non quasi hâc conditione, acquiescendum sit sacerdotum judicio; si videlicet illud litiganti, vel alteri cuipiam videatur esse juxta legem Dei; ita enim frustraneum et evanidum esset hoc eorum judicium, frustraque ad eos recurri juberet Deus. Semper enim pars damnata à sacerdotibus, excipere potuisset, eos non judicâsse secundùm legem, ab eisque appellâsset ad ipsam legem; ac consequenter debuisset ulterior constitui judex et censor, qui judicaret, an sacerdotes rectè secundùm legem judicâssent, necne. Rursùm, de hoc censore dubitari potuisset, an veram tulisset censuram, ac consequenter illa ab alio iterùm, et hæc rursùm ab alio, hæc et denuò ab alio et alio examinari debuisset, itàque fuisset hîc appellatio et progressio in infinitum, causæque mansissent indecisæ, ac lites fuissent æternæ et immortales.

Assertivè ergo hæc verba accipienda sunt, quasi dicat : Subditi acquiescere debent, et præsupponere, sacerdotum et pontificis judicium datum esse juxta legem Dei, nam, ut ait Malachias c. 2, v. 7 : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus; quia angelus Domini exercituum est;* intellige, nisi manifestè cernatur contrarium, scilicet quòd pontifex expressè contra legem judicet, legemque pervertat; tum enim non illi, sed legi Dei obediendum erat. Patet hic sensus ex Hebr., Chald. et Septuag., qui sic habent : *Facies quod docuerint ad os legis* (id est, juxta legem, ex lege) *quam docuerint te, et juxta judicium, quod dixerint tibi, facies.*

VERS. 12. — NOLENS OBEDIRE SACERDOTIS (pontificis) IMPERIO, QUI EO TEMPORE MINISTRAT DOMINO, qui scilicet eo tempore fungitur pontificatu.

EX DECRETO JUDICIS MORIETUR. Pro *ex*, corrige *et*, uti corrigunt romana : hebræa verò, chald. et græca, pro *et*, habent *aut*, q. d. : Qui noluerit obedire pontificis imperio, aut decreto judicis, morietur; unde Lyran. ex hoc loco probat, hæc disjunctim debere accipi, q. d. : Qui non vult, vel pontificis sententiæ in re sacrâ, vel judicis laici decreto in re civili, obedire, hic morte plectatur, sine aliâ causâ aut quæstione. Verùm hunc sensum superiùs refutavi.

Dico ergo, τὸ *aut*, quod est in Hebræo, capi pro *et*, tam hîc, quàm alibi, ut Proverb. 30, v. 31, Levit 4, v. 23 et 28, Num. 25, 6. Hæc enim verba respondent, et referenda sunt ad v. 9; quos enim ibi jubet adiri, hîc jubet audiri, eisque obediri; versu autem 9, sic aît : *Veniesque ad sacerdotes, et ad judicem,* ubi omnes codices hebræi, græci et latini habent *et*, non *aut;* ergo τὸ *aut*, quod hic est in hæbræo, pariter pro *et* accipi debet, q. d. : Qui non vult obedire pontificis, sive judicis decreto, moriatur; idem enim erat judicium pontificis et judicis, vel quia idem erat tunc pontifex et judex, ut vult Vatab. et Abulensis; vel quia judex secularis sententiam suam conformare tenebatur sententiæ et decreto sacerdotum et pontificis, illudque sequi et exequi debebat, uti dixi v. 9.

VERS. 15. — DE NUMERO FRATRUM, puta de gente tuâ, de Hebræis.

VERS. 16. — NON MULTIPLICABIT SIBI EQUOS, tum ne in bello confidat in multitudine et fortitudine equorum, quia *fallax* est *equus ad salutem, et in abundantiâ virtutis suæ non salvabitur,* psalm. 32; tum ne erigatur in superbiam, magnoque fastu et pompâ incedat, itàque populo dominari velit, eique gravia onera et tributa, ad suam pompam sustinendam, imponat, uti fecit et peccavit Salomon qui habuit 40 millia equorum in stabulis, et curruum equitumque 12 millia. Unde multi, et meritò metuunt saluti Salomonis, putantque eum esse damnatum; videtur enim Deus illi gloriam terrenam concessisse, ut privaret eum gloriâ cœlesti et æternâ. Notent hoc reges et principes.

Ita Alphonsus, Aragonum rex, pompam perosus sine stipatorum manu, et comitantium turbâ incedebat; cùmque hoc alii carperent, suaderentque ut more aliorum principum stipatus graderetur, respondit : « *Ego minimè solus, ut vos putatis, sed innocentiâ associatus vado, neque est quòd, benevolentiâ civium fretus, extimescam.* » Ita Agesilaus sine pompâ incedebat, dicens, majestatem et gloriam prudentiâ et virtute esse parandam; et rogatus

quomodò princeps absque stipatoribus possit esse tutus, respondit : *Si subditis ita imperet, ut pater filiis.* Hinc aliqui putant, Judæis vetitum fuisse equorum usum ; unde Oriolanus in notis ad libr. Machab. opinatur Judæos nunquàm usos esse equis, sed asinis. Verùm verius est, non equos, sed tantùm equorum copiam, Judæis fuisse vetitam, tum hìc, tum psal. 75, 7, et Isaiæ 2, 8, uti ibi disertè docent S. Hier. Procopius, Basilius. Hinc pii reges et principes Judæorum, in bellis ferè peditatu, vix equitatu sunt usi, uti patet in Machabæis : impii autem reges magno equitatu sunt usi, uti patet de Joram. 2 Paral. 21, 9.

Nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus, ut scilicet bellum inferat Egyptiis, velitque Ægyptum occupare. Hebræa habent : *Non reverti faciet populum in Ægyptum, ut multiplicet equos,* id est, ut multos equos sibi in Ægypto coemat, inquit Vatabl. Cajetanus et alii. Verùm ad hoc non erat necesse reducere populum in Ægyptum, sed sufficiebat duos tresve mercatores eò mittere, ad equos coemendos ; quare solerter noster interpres τὸ *ut multiplicet equos,* ita accepit, quasi dicat : Ut multiplicando equos, et equitatûs numero sublevatus et superbiens, audeat invadere Ægyptum, eòque populum reducat.

Legimus de Platone, in ejus Apophthegmatibus, quòd cùm aliquando equum conscendisset, mox descenderit, dicens, *vereri se* μὴ ἱππότυφίᾳ ληφθῇ, id est, *ne equestri fastu corriperetur.* Superbum enim animal est equus, et equitare quiddam habet altum et magnificum. Hàc ergo fastûs causâ noluit Deus regem sui populi multiplicare equos, sed dicere cum Davide psalm. 19, 8 : *Hi in curribus, et hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.*

Præsertim cum Dominus præceperit vobis, ut nequaquam per eamdem viam revertamini. Quando et ubi Dominus hoc præceperit, nusquàm est scriptum. Præcepit autem, ne per eamdem viam, illam scilicet quæ ducit in Ægyptum, reverterentur, partim quia Hebræi proni erant ad vitia et mores Ægyptios ; partim ne Ægyptum videntes fertilem, ex Nili inundatione, parvi penderent liberationem Dei, qui eos inde è miserrimâ servitute eduxerat.

Vers. 17. — Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus. Hebr. est, *ut non recedat cor ejus,* scilicet à lege Dei. Hinc intelligimus, ait S. Aug. qu. 26, et Rabanus, tunc permissum fuisse regibus, ut plures haberent uxores, quàm unam, uti habuit David, non autem multas, uti habuit Salomon, idque ne multiplicando eas, pervenirent tandem ad alienigenas, quæ eos ad idola deducerent, uti contigit Salomoni. Secundò, ne populus, reges suos imitans, in luxum et libidines diffluereret; nam,

Regis ad exemplum totus componitur orbis,

Et, ut Pindarus ait : Rex est ingenium et mores omnium. Et alius : Rex est cor populi. Sic Convallo pio apud Scotos regnante, mirè floruit apud eos religio et probitas, ita ut S. Columbanus ad eam videndam, ex Hiberniâ in Scotiam trajecerit, ac rediens, rogatus quænam ibidem vidisset miracula, responderit : « Vidi unum instar omnium, regem videlicet « Convallum, qui in mediis deliciis et peccatorum incitamentis, cum monachis et episcopis de sanctimoniâ contendit ; quâ de causâ suis ita est reverendus, ut ipsi nec aliis injurii, nec de rege ipso hiscere sinistri quippiam audeant. Unde effectum est, ut plus regis virtus ferocem populum à solitis flagitiis et seditionibus, quàm ejusdem auctoritas coerceat. » Ita refert Hector Boethius Hist. Scotiæ lib. 9.

Alphonsus, Aragonum rex, cùm sui de regum muniis, deque eorum et regnorum felicitate disceptarent, dixit : « Optimè eam S. Aug. « hisce verbis expressit : Reges felices erunt « et regna, si primò, justè imperent ; secundò, « si inter linguas sublimiter honorantium, et « obsequia nimis humiliter salutantium non « extollantur ; sed se homines esse meminerint ; tertiò, si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum, majestatis ejus « famulam faciunt ; quartò, si Deum timent, « diligunt et colunt ; quintò, si plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes ; sextò, si tardiùs vindicant, facilè ignoscunt ; septimò, si eamdem vindictam pro « necessitate regendæ, tuendæque reipublicæ, « non pro saturandis inimicitiarum odiis exerunt ; octavò, si eamdem veniam non ad « impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent ; nonò, si quòd asperè coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate, et beneficiorum largitate compensant ; decimò, si luxuria tantò « est castigatior, quantò posset esse liberior ; « undecimò, si malunt cupiditatibus, quàm « quibuslibet gentibus imperare ; duodecimò, si hæc omnia faciunt non propter « ardorem inanis gloriæ, sed propter charita-

« tem felicitatis æternæ ; decimò tertiò, si pro « suis peccatis, humilitatis, et miserationis, et « orationis sacrificium, Deo suo vero immolare « non negligunt. Tales christianos reges et im- « peratores dicemus esse feices, item et eo- « rum regna. » Ita Panormitanus in Vitâ Alphonsi.

Neque argenti et auri immensa pondera, ne scilicet rex, ex cupiditate auri et opum spoliet subditos, et ne ex opibus in fastum et luxum diffluat; in quo etiam peccavit Salomon, nimis tributis premens populum ad suum luxum, 3 Reg. 12, 4. Audiant eum reges confitentem suam vanitatem : *Coacervavi*, inquit, *mihi argentum et aurum, et substantiam regum atque provinciarum*, etc.; *cùmque me vertissem ad universa, quæ fecerunt manus meæ, et ad labores, quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole*, Ecclesiastæ 2, v. 8 et 11.

Trajanus imp. fiscum suum vocabat lienem, eò quòd ejus nimium augmentum, subditorum et populi, à quo pecunia fisci exigitur, sit detrimentum; crescente enim et intumescente liene, cæteri artus et membra tabescunt.

Vers. 18. — Describet (describi curabit) sibi deuteronomium, etc., legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, non quòd continuè vel quotidiè illud legere teneatur, sed toties legat, ut memor sit eorum, quæ in Deuteronomio scripta sunt.

Vers. 19. — Ut discat timere Dominum. Hunc enim Dei timorem magis inculcat Deuteronomium, quàm Exodus, vel Leviticus; est enim Deuteronomium ardens et perpetua concio Mosis, incitans Hebræos ad cultum Dei. Ita Abulensis.

Notent et hoc principes. Peccârunt in hâc re reges Juda, ideòque regnum perdiderunt : unde Helcias abjectum in angulo inveniens Deuteronomium, attulit illud ad Josiam, qui magnâ religione illud excepit, legit, et adimplevit, itàque rempublicam Hebræorum cum religione restituit, ut patet 4 Reg. 22 et seq.

E contrario Jeroboam, Baasa, Jehu, aliique reges Israel imperium quod à Deo acceperant, ob neglectam Dei veri religionem, mox perdiderunt, et ultra tertium vel quartum hæredem non propagârunt. Ita Constantinus imp. dicebat : « Romani imperii dignitas et amplitudo « fontem atque radicem habet veram pietatem. » Ita regnârunt feliciter pii et religiosi principes christiani, Theodosius, Marcianus, Justinus, Justinianus et alii; infeliciter verò regnârunt infideles et impii, Constantius, Julianus, Valens et alii plurimi.

Audi quid de uno Valente scribat Nicephor. lib. 11, c. 50. Cùm Valens contra Gothos Constantinopoli egrederetur, accurrit Isaacius eremita, et freno equi illius arrepto dixit : « Quònam, ò imperator, proficisceris, qui « adversùs Deum bella geris, neque tecum « illius opem trahis? Ille contra te Barbaros « excitavit, quia tu impiorum hominum lin- « guas exacuisti : redde igitur Orthodoxis ec- « clesias, quas eis ademisti, et victor evades; « si id nolueris, experieris quàm sit durum « contra stimulum calcitrare, et impotentem « linguam in cœlum tollere; neque enim ipse « redibis, et perdes quas tecum ducis copias. » Valens irâ æstuans : « Ego verò, inquit, redibo « victor, et dignas à te temeritatis tuæ sumam « pœnas, tuamque prædictionem falsam esse « ostendam. » Et confestim comprehendi hominem, et in custodiâ asservari, donec rediret, jussit. At ille abductus vociferabatur : « Eneca etiam, si mendacia esse deprehende- « ris verba mea. » Paulò post Valens cum suo exercitu fœdè periit, ipseque fugiens ad palades, in casâ à Gothis concrematus est.

Porrò pii et boni principis effigiem describit David Psalm. 71 et 100; item S. Scriptura in Davide, 2 Regum 7, in Salomone, Asâ, Josaphat, Ezechiâ et Josiâ, in libris Regum. Mira verò fuit vox Constantini imper. qui episcopis sui seculi dicebat : « Vos intra Ecclesiam, ego « extra Ecclesiam à Deo episcopus constitutus « sum, » uti refert Euseb. lib. 4 Vitæ ejus cap. 24. Pater verò ejus Constantius imper. Christianos, qui semper liberè fidem professi essent, stipatores suos et regni custodes, apostatis omnibus et profanis ejectis, constituit, inquiens tales in præcipuis et fidis amicis habendos, plurisque quàm ingentes thesauros æstimandos esse. Ita Euseb. lib. 1 Vitæ Constant. c. 11.

Denique Justinus Imp. creans Tiberium Cæsarem, eumque purpurâ investiens, dixit ei : *Honora Deum et Ecclesiam ejus, olim heram et dominam, nunc verò matrem tuam; nosce quis antea fueris, et quis hodie factus sis : pauperes inprimis dilige, et eleemosynæ apud te non deficiant.* Ita Nicephor. lib. 17, c. 40.

Vers. 20. — Nec elevetur cor ejus in superbiam, super fratres suos, scilicet super gentem suam, super Hebræos, q. d. : Hebræi ex gente et genere, sunt fratres regis; ergo supra eos insolenter non se efferat rex, ut

putet illos legibus Deuteronomii teneri, se verò supra illas esse; unde sequitur : *Neque declinet in partem dexteram vel sinistram*, scilicet *à præcepto*, ut habent hebræa, sed rectâ legis viâ incedat, itàque à Deo assequetur præmium, *ut longo tempore regnet ipse et filii ejus*. Talis rex et regum exemplar fuit Josaphat, de quo Damascenus in Vitâ Barlaam et Josaphat ita scribit : « Illud exploratum habebat, omnium « regiorum munerum hoc primum et præstan- « tissimum esse, ut homines ad Dei metum, « ac justitiæ cultum erudiat : quod etiam ipse « faciebat, seipsum videlicet ad imperio tenen- « das animi perturbationes comparans, subdi- « tosque suos admonens, atque optimi naucleri « instar justitiæ clavum sedulò tenens. Nam « hæc demùm veri regni lex ac norma est, « nimirùm voluptatibus imperare, iisque domi- « nari, quemadmodùm ipse etiam faciebat. « Quippe nec de majorum nobilitate, nec de « regiâ gloriâ, in quâ versabatur, ullo modo « se efferens (quandoquidem luteum omnes « generis auctorem habemus, ejusdemque ar- « gillæ pauperes æquè ac divites sumus) verùm « in humilitatis abyssum mentem suam assiduè « conjiciens, futuramque beatitudinem animo « et cogitatione complectens, inquilinum hîc « seipsum esse ducebat; ea autem propria esse « statuebat, quibus post hujus vitæ peregrina- « tionem frueretur. »

Audi et gentiles. Cato dixit, *pessimum esse principem, qui regere nequit seipsum*. Et Agesilaus hoc gloriabatur, quòd à nemine superaretur laborando, et sibi magis quàm subditis imperaret. Si quando aliquid vellet celeriter à militibus peragi, id primus ipse in conspectu omnium faciebat. Idem, intelligens Thasios sibi templa divinosque honores decrevisse, ob beneficia eis præstita, quæsivit à legatis, an civitas eorum posset homines in deos convertere : cùm affirmarent : « Agedùm, inquit, « vos ipsos primùm deos facite : eo facto cre- « dam vobis, posse me quoque à vobis in deum « mutari. » Moriens mandavit nullam suî fieri effigiem, aut monimentum : « Si quîd enim, « aiebat, à me est præclarè factum, id moni- « mentum mihi erit; sin verò, ne omnes qui- « dem statuæ, quæ sunt opera hominum illibe- « ralium, mihi nomen conciliabunt. » Ita Plutarchus in Lacon.

Pulchrè Seneca tragœd. 2 :

Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriæ color :
Rex est qui posuit metus,
Et diri mala pectoris;
Quem non ambitio impotens,
Et nunquàm stabilis favor
Vulgi præcipitis movet;
Qui tuto positus loco,
Infra se videt omnia.

Et Horat. od. 2, lib. 2 :

Latiùs regnes avidum domando
Spiritum, quàm si Libyam remotis
Gadibus jungas, et uterque Pœnus
Serviat uni.

Simulacrum Dei est bonus et sanctus princeps, et *animata Dei in terris imago*, inquit Menander. « Vespasianus, inquit Tacitus l. 2, « acer solebat militiæ anteire agmen, locum « castris capere, noctu diuque consilio, ac, si « res posceret, manu hostibus obniti, cibo « fortuito, veste habituque vix à gregario mi- « lite discrepans : prorsùs, si avaritia abfuis- « set, antiquis ducibus par. » — « Indorum « sapientum præceptum est, principem quò « natura sublimior est, eò humaniorem se in- « ferioribus si præbuerit, charissimum populo « futurum, » inquit Niceph. Gregoras lib. 6 Histor. Arbitrabatur Cyrus nemini convenire imperium, nisi qui subditis esset melior, inquit Xenophon. lib. 8 Cyropædiæ. Idem aiebat, bonum principem et magistratum esse legem videntem, quippe qui legis negligentem cernere queat et punire.

Notent principes illud Senecæ tragœd. 3 : *Qui vult amari, languidâ regnet manu*. Rursùm illud Ammiani Marcellini l. 30 : *Regenti imperium omnia nimia, velut prærupti scopuli, sunt devitanda*. Nerva usque adeò bonus princeps fuit, ut diceret, se nihil fecisse, quo minùs posset deposito imperio privatus tutò vivere, ait Dio. Hinc Solon aiebat : *Impera, ubi priùs didiceris parere. Regi enim cùm didiceris, scies regere*. Agesilaus rex Lacedæm. se principatum non sibi, sed reipublicæ ejusque sociis et amicis gerere dicebat. Agathon dixit : « Princeps « meminerit primò, quòd imperet hominibus; « secundò, quòd secundùm leges; tertiò, « quòd non semper imperabit. »

CAPUT XVIII.

1. Non habebunt sacerdotes et Levitæ, et omnes qui de eâdem tribu sunt, partem et hæreditatem cum reliquo Israel, quia sacrificia Domini, et oblationes ejus comedent; — 2. et nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum; Dominus enim ipse est hæreditas eorum, sicut locutus est illis. — 3. Hoc erit judicium sacerdotum à populo, et ab his qui

offerunt victimas, sive bovem, sive ovem immolaverint, dabunt sacerdoti armum ac ventriculum: — 4. primitias frumenti, vini et olei, et lanarum partem ex ovium tonsione.— 5. Ipsum enim elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis, ut stet, et ministret nomini Domini ipse, et filii ejus in sempiternum. — 6. Si exierit Levites ex unâ urbium tuarum ex omni Israel in quâ habitat, et voluerit venire, desiderans locum quem elegerit Dominus, — 7. ministrabit in nomine Domini Dei sui, sicut omnes fratres ejus Levitæ, qui stabunt eo tempore coram Domino. — 8. Partem ciborum eamdem accipiet, quam et cæteri, excepto eo quòd in urbe suâ ex paternâ ei successione debetur. — 9. Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium.— 10. Nec inveniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, — 11. nec incantator, nec qui Pythones consulat nec divinos, aut quærat à mortuis veritatem. — 12. Omnia enim hæc abominatur Dominus, et propter istius modi scelera delebit eos in introitu tuo. — 13. Perfectus eris, et absque maculâ cum Domino Deo tuo. — 14. Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures et divinos audiunt; tu autem à Domino tuo aliter institutus es. — 15. Prophetam de gente tuâ et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies,—16. ut petisti à Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum ampliùs non videbo, ne moriar. — 17. Et ait Dominus mihi: Benè omnia sunt locuti.—18. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tuî: et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. — 19. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. — 20. Propheta autem qui arrogantiâ depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. — 21. Quòd si tacitâ cogitatione responderis: Quomodò possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? — 22. Hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta illeprædixerit, et non evenerit: hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit: et idcircò non timebis eum.

1. Les prêtres ni les Lévites, ni aucun de ceux qui sont de la même tribu, n'auront point de part ni d'héritage avec le reste d'Israël, parce qu'ils mangeront des sacrifices du Seigneur et des oblations qui lui seront faites; — 2. et ils ne prendront rien autre chose de ce que leurs frères posséderont, parce que le Seigneur est lui-même leur héritage, selon qu'il leur a dit. — 3. Voici ce que les prêtres auront droit de prendre du peuple et de ceux qui offrent des victimes: soit qu'ils immolent un bœuf ou une brebis, ils donneront au prêtre l'épaule et la poitrine. — 4. Ils lui donneront aussi les prémices du froment, du vin et de l'huile, et une partie des laines, lorsqu'ils feront tondre leurs brebis. — 5. Car le Seigneur votre Dieu l'a choisi d'entre toutes vos tribus, afin qu'il assiste devant le Seigneur et qu'il serve *à la gloire de* son nom, lui et ses enfants pour toujours. — 6. Si un Lévite sort de l'une de vos villes répandues dans tout Israël, dans laquelle il habite, et qu'il veuille aller demeurer au lieu que le Seigneur aura choisi, — 7. il sera employé au ministère du Seigneur votre Dieu, comme tous les Lévites, ses frères, qui assisteront pendant ce temps-là devant le Seigneur. — 8. Il recevra la même part que les autres des viandes qui seront offertes, outre la part qui lui est acquise dans sa ville par la succession aux droits de son père. — 9. Lorsque vous serez entrés dans le pays que le Seigneur votre Dieu vous donnera, prenez bien garde de ne pas vouloir imiter les abominations de ces peuples, *auxquels vous succéderez;* — 10. et qu'il ne se trouve personne parmi vous qui prétende purifier son fils ou sa fille en les faisant passer par le feu, ou qui consulte les devins, ou qui observe les songes et les augures, ou qui use de malefices, — 11. de sortiléges et d'enchantements, ou qui consulte ceux qui ont l'esprit de Python et qui se mêlent de deviner, ou qui interrogent les morts pour apprendre la vérité; — 12. car le Seigneur a en abomination toutes ces choses, et il exterminera tous ces peuples à votre entrée, à cause de ces sortes de crimes qu'ils ont commis. — 13. Vous serez parfaits et sans tache avec le Seigneur votre Dieu. — 14. Ces nations dont vous allez posséder les pays, écoutent les augures et les devins: mais pour vous, vous avez été instruits autrement par le Seigneur votre Dieu, *et vous avez appris à n'écouter que lui et ceux qui vous parlent de sa part.* — 15. *Quand je ne serai plus avec vous,* le Sei-

gneur votre Dieu vous suscitera un *grand* PROPHÈTE, *qui sera* comme moi de votre nation, et d'entre vos frères; c'est lui que vous écouterez, — 16. selon la demande que vous fîtes au Seigneur votre Dieu près du mont Horeb, où tout le peuple était assemblé, en lui disant : Que je n'entende plus la voix du Seigneur mon Dieu, et que je ne voie plus ce feu effroyable, de peur que je meure. — 17. Et le Seigneur me dit : Tout ce que ce peuple vient de dire est raisonnable. — 18. Je leur susciterai du milieu de leurs frères un prophète semblable à vous; je lui mettrai mes paroles dans la bouche : et il leur dira tout ce que je lui ordonnerai.—19. Que si quelqu'un ne veut pas entendre les paroles que ce prophète prononcera en mon nom, ce sera moi qui en ferai la vengeance.—20. Si un prophète, corrompu par son orgueil, entreprend de parler en mon nom et de dire des choses que je ne lui ai point commandé de dire, ou s'il parle au nom des dieux étrangers, il sera puni de mort. — 21. Que si vous dites secrètement en vous-même : Comment puis-je discerner une parole que le Seigneur n'a point dite, *d'avec celle qu'il a dite?* — 22. Voici le signe que vous aurez *pour le connaître :* Si ce que ce prophète a prédit au nom du Seigneur n'arrive point, c'est une marque que ce n'était point le Seigneur qui l'avait dit, mais que ce prophète l'avait inventé par l'orgueil et l'enflure de son esprit. C'est pourquoi vous n'aurez aucun respect pour ce prophète, *et vous l'exterminerez comme un séducteur.*

VERS. 3. — HOC ERIT JUDICIUM SACERDOTUM A POPULO, q. d. : Hoc erit jus, vel redditus, quem jure suo sacerdotes à populo recipient.

SIVE BOVEM, SIVE OVEM IMMOLAVERINT, scilicet in hostiam pacificam.

DABUNT SACERDOTI ARMUM, AC VENTRICULUM. Nam in holocausto sola pellis cedebat sacerdoti; in victimâ verò pro peccato, tota caro; in hostiâ autem pacificâ, tantùm armus et pectusculum dabantur sacerdoti, ut patet ex Levitico.

Nota. Pro *armum et ventriculum,* hebr. est, armum, genas et ventriculum. Ita et Chald. et Septuag. Sed per genas hîc intelliguntur partes carneæ, quæ exciso ex quartâ animalis parte armo, utrinque relinqui solent in ventriculo, seu pectusculo. Quare armum, genas et ventriculum, idem est quòd armum et ventriculum, seu pectusculum, quæ sunt quarta animalis portio; nec enim jure Exodi 29, 28, et Levit. 7, 31, ubi exactè hæc describuntur, ex hostiâ pacificâ aliud cedebat sacerdoti, quàm armus et pectusculum. Ita Abulensis. Quare figmentum videtur, quod aiunt Hebræi, hæc tria dari sacerdoti propter Phinees, scilicet dari armum, sive brachium, quia Phinees in fortitudine brachii sui percussit Zambri cum Madianitide, Num. 25; dari ventriculum, quia Phinees percussit eos in ventre, scilicet in genitalibus; dari genas, quia has movent sacerdotes, dùm orant pro offerente; hæc enim ante factum Phinees consignata sunt sacerdoti, Exodi 29, 28.

VERS. 5. — IPSUM ENIM ELEGIT, UT STET. (Septuag., *ut assistat coram Domino,* videlicet ut famulus jugiter ministrans; unde sequitur) ET MINISTRET NOMINI DOMINI, id est, Domino, illum nomine suo compellando, honorando et invocando.

Nota : *Stare* significat et famulatum, et ejus permanentiam; unde Michææ 5, 4, de Christo dicitur : *Et stabit, et pascet in fortitudine,* q. d.: Christus manebit cum Christianis jugiter, et fortiter pascens eos, non transibit ab eis ad alias gentes, uti transiit à Judæis ad Christianos. Ita. S. Hier. ibi.

VERS. 6. — SI EXIERIT LEVITES, etc., ET VOLUERIT VENIRE, DESIDERANS LOCUM QUEM ELEGERIT DOMINUS, q. d. : Si Levita devotione ductus, et cupiens extra vices suas, reliquo vitæ tempore ministrare Deo in tabernaculo, uti fecit Samuel.

VERS. 8. — PARTEM CIBORUM (oblatorum) EAMDEM ACCIPIET, SICUT ET CÆTERI, qui per vices suas ministrant Deo.

EXCEPTO EO QUOD IN URBE SUA EX PATERNA EI SUCCESSIONE DEBETUR, scilicet exceptis decimis, quas in suâ urbe reciperet; hæc enim sunt quasi hæreditas Levitarum, nec aliam habent. Ita Abulensis.

VERS. 10. —NEC INVENIATUR IN TE, QUI LUSTRET FILIUM SUUM. Hebr., *qui traducat filium per ignem,* id est, filium igne cremet, quod faciebant colentes Moloch, uti dixi Levitici 18, v. 21, aut qui eum per ignem expiet. Curabant enim aliqui filios suos celeriter per hunc ignem transire, quia persuasum eis erat esse non morituros ante diem, qui tali modo per ignem superstitiosè lustrati essent, inquit R. Moyses Maymon.

Nota : *Lustrare* est expiare : inde lustratio erat sacrificium expiatorium, quo homines, vel agri expiabantur, quale describit Virg. Æneid. 6, cùm ait :

Idem ter socios purâ circumtulit undâ,
Spargens rore levi, et ramo felicis olivæ,
Lustravitque viros dixitque novissima verba.

Talis lustratio erat illa, quâ filios Moloch, vel Saturno immolabant, ad publicam, vel privatam calamitatem avertendam, uti dixi Levit. 28.

Vers. 13. — Perfectus eris, et absque macula cum Domino Deo tuo, ut scilicet idola, ritus et scelera gentium averseris, unumque Deum colas, eique per omnia obedias; *qui enim servat mandata ejus in hoc charitas perfecta est*, ait S. Joan. Epist. 1, c. 2, v. 5. Ita perfectus fuit David psal. 88, v. 21 et alibi : *Inveni David filium Jesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Et Noe, qui fuit *vir justus, et perfectus in generationibus suis*, Gen. 6, 9. Ita Abrahæ præcepit Deus : *Ambula coram me, et esto perfectus*, ut Deum per omnia ames, colas, obedias, sentias, sapiasque, dicasque cum S. Aug. : *Omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est.*

Præclarè Cassianus lib. 4, cap. ultim. : « Audi, ait, paucis ordinem, per quem ascendere « valeas ad perfectionem summam sine labore. « Principium nostræ salutis sapientiæque est « timor Domini; de timore Domini nascitur « compunctio salutaris; de compunctione cordis procedit abrenuntiatio, id est, nuditas et « contemptus omnium facultatum; de nuditate humilitas procreatur; de humilitate « mortificatio voluntatis generatur : mortificatione voluntatum extirpantur atque marcescunt universa vitia; expulsione vitiorum « virtutes fructificant atque succrescunt; pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur; « puritate cordis apostolica charitatis perfectio « possidetur. »

Vers. 15. — Prophetam de gente tua, etc., suscitabit tibi Dominus. Duplex quasi est sensus litteralis hic, usque ad v. 20, ut rectè docent Abul. et Cajetanus. Prior, ut intelligantur hi versus de communibus prophetis, quos Deus vicissim et successivè post Moysen Hebræis submisit, ad annuntiandum eis et inculcandum Dei legem; ut τὸ *prophetam* sumatur pro *prophetas*. Et hic sensus optimè cohæret præcedentibus et sequentibus; præcessit enim, ad augures et divinos non esse recurrendum, et Hebræos aliter à Deo esse edoctos; videlicet promisisse Deum, se eis missurum veros prophetas suos, ne ad divinos recurrere opus haberent : et juxta hanc Dei promissionem, Judæi ferè semper usque ad Christum, prophetas à Deo missos habuerunt; unde Psaltes psal. 73, 9, tanquàm de magnâ calamitate et derelictione quæritur dicens : *Signa nostra non vidimus, jam non est propheta, et nos non cognoscet amplius*, etc. Posterior sensus, isque potissimus est, ut hæc intelligantur ad litteram de Christo, de eo enim intelligenda esse, patet Actor. 3, 22, Actor. 7, 37; Joan. 1, 45, ideòque hic singulari numero vocat *prophetam*, scilicet per excellentiam; rursùm vocat eum similem Mosi, videlicet quoad ducatum populi et legislationem. Ita S. August. lib. 16 contra Faustum c. 15; secundò, quia, sicut Moses populum ex Ægypti, ita Christus homines ex peccati servitute in libertatem asseruit. Tertiò, Moses in Chanaan, Christus in cœlum nos deduxit; quartò, uti Moses, ita et Christus, multa fecit miracula, plagasque non Pharaoni, sed dæmoni inflixit; quintò, cùm Mose loquebatur Deus ore ad os familiariter : ita et cum Christo, idque longè excellentiùs; erat enim Christus Verbo Dei, Deoque intimè unitus.

Significat ergo hîc Moses, Deum missurum veros prophetas, qui erudiant Hebræos, et verba Dei ad eos referant, et quia inter eos excellet Christus, hinc ipsum esse præcipuè Prophetam, de quo hæc accipienda sint, q. d. : Ego Moses propheta, Christi summi Prophetæ sum typus et præcursor; en morior, ad Christum vos transmitto, ipsi lampada trado, ipsum audite, ipsum sequimini. Plures enim ejusdem loci esse posse sensus litterales, præsertim cùm unus alteri est subordinatus, ex S. Aug. et S. Thomâ ostendi can. 36. Porrò, licet Abulens. neget in Christo fuisse verum, et propriè dictum donum prophetiæ, quia ad hoc ipse putat requiri obscuritatem cognitionis, quæ in Christo non fuit, ideòque Christum tantùm dici Prophetam secundùm æstimationem et appellationem vulgi, tamen contrarium est longè verius, scilicet Christum fuisse verè et propriè Prophetam, esto claram habuerit prænotionem futurorum : ad prophetiam enim non requiritur obscuritas cognitionis, uti multis ostendit Franc. Suarez 3 p. q. 7, disp. 21, sect. 1.

Vers. 15 et 16. — Ipsum audies, ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb. In Sinâ enim Exodi 20, 19, Hebræi territi voce Dei petierunt, ne Deus per se, sed per Mosen, quasi prophetam loqueretur eis. Sicut ergo ipsi tunc petierunt prophetam, qui referret eis verba Dei, verba autem Dei non tantùm tunc, sed et futuris temporibus necessaria sunt; hinc tacitè non tantùm tunc Mosen, sed et post eum, alios pro-

phetas petierunt; erant enim hi eis necessarii, æquè ac Moses, ut per eos consulerent et discerent voluntatem Dei. Ita Abul.

Vers. 16. — Quando concio congregata est. Id est, in die, quo totus Israel congregatus est, ad audiendam vocem Dei; hinc vocantur concionatores, qui loquuntur ad totam concionem, id est, ad totum populum; et sic Salomon hebr. vocatur *Cohelet*, græcè *Ecclesiastes*, latinè *Concionator*.

Vers. 18. — Et ponam verba mea in ore ejus: docebo eum verba mea, quæ loquatur, ut sit interpres meus. Hæc verba Dei, quæ per Christum ipse nos docuit, complectitur S. Cyprianus tractat. de Oratione Dominicâ, aureâ illâ sententiâ, quam utinam Christiani et cordibus, et templis, et domibus suis inscribant; est enim ipsa compendium vitæ et perfectionis christianæ: « Voluntas, inquit, Dei quam Christus « docuit et fecit, est, primò, humilitas in con- « versatione; secundò, stabilitas in fide; tertiò, « verecundia in verbis; quartò, in factis justi- « tia; quintò, in operibus misericordia; sextò, « in moribus disciplina; septimò, injuriam fa- « cere non nosse; octavò, factam tolerare « posse; nonò, cum fratribus pacem tenere; « decimò, Deum toto corde diligere; undeci- « mò, amare in illo quod pater est; duodecimò, « timere quod Deus est; decimò tertiò, Christo « nihil omninò præponere, quia nec nobis ille « quidquam præposuit; decimò quartò, chari- « tati ejus inseparabiliter adhærere; decimò « quintò, cruci ejus fortiter ac fidenter assi- « stere; decimò sextò, quando de ejus nomine « et honore certamen est, exhibere in sermone « constantiam quâ confitemur; in quæstione « fiduciam, quâ congredimur; in morte patien- « tiam, quâ coronamur: hoc est cohæredem « Christi velle esse, hoc est præceptum Dei « facere, hoc est voluntatem Patris adim- « plere. »

CAPUT XIX.

1. Cùm disperdiderit Dominus Deus tuus gentes, quarum tibi traditurus est terram, et possederis eam, habitaverisque in urbibus ejus et in ædibus: — 2. tres civitates separabis tibi in medio terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in possessionem, — 3. sternens diligenter viam: et in tres æqualiter partes totam terræ tuæ provinciam divides, ut habeat è vicino qui propter homicidium profugus est, quò possit evadere. — 4. Hæc erit lex homicidæ fugientis, cujus vita servanda est: qui percusserit proximum suum nesciens, et qui heri et nudiustertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur: — 5. sed abiisse cum eo simpliciter in sylvam ad ligna cædenda, et in succisione lignorum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit et occiderit: hic ad unam supradictarum urbium confugiet, et vivet: — 6. ne forsitan proximus ejus, cujus effusus est sanguis, dolore stimulatus, persequatur, et apprehendat eum si longior via fuerit, et percutiat animam ejus, qui non est reus mortis: quia nullum contra eum, qui occisus est, odium priùs habuisse monstratur. — 7. Idcircò præcipio tibi, ut tres civitates æqualis inter se spatii dividas. — 8. Cùm autem dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut juravit patribus tuis, et dederit tibi cunctam terram quam eis pollicitus est — 9. (si tamen custodieris mandata ejus, et feceris quæ hodie præcipio tibi, ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus omni tempore), addes tibi tres alias civitates, et supradictarum trium urbium numerum duplicabis; — 10. ut non effundatur sanguis innoxius in medio terræ quam Dominus Deus tuus dabit tibi possidendam, ne sis sanguinis reus. — 11. Si quis autem odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, surgensque percusserit illum, et mortuus fuerit, fugeritque ad unam de supradictis urbibus, — 12. mittent seniores civitatis illius, et arripient eum de loco effugii, tradentque in manu proximi, cujus sanguis effusus est, et morietur. — 13. Non misereberis ejus, et auferes innoxium sanguinem de Israel, ut benè sit tibi. — 14. Non assumes, et transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tuâ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in terrâ quam acceperis possidendam. — 15. Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati et facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. — 16. Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis, — 17. stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum et judicum qui fuerint in diebus illis. — 18. Cùmque diligentissimè perscrutantes, invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, — 19. reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, et auferes malum de medio tui: — 20. ut audientes cæteri timorem habeant, et nequaquàm talia audeant facere. — 21. Non misereberis ejus, sed animam pro animâ, ocu-

lum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.

---

1. Quand le Seigneur votre Dieu aura exterminé les peuples dont il vous doit donner la terre, que vous en serez en possession, et que vous demeurerez dans les villes et dans les maisons du pays,—2. vous vous destinerez trois villes au milieu du pays dont le Seigneur votre Dieu vous doit mettre en possession; — 3. vous aurez soin d'en rendre le chemin aisé, et de séparer en trois parties égales toute l'étendue du pays que vous posséderez, afin que *chacune de ces villes étant au milieu de chaque partie,* celui qui sera obligé de s'enfuir pour avoir tué un homme *involontairement et par malheur*, ait un lieu proche, où il puisse se retirer en sûreté. — 4. Voici la loi que vous garderez à l'égard de l'homicide fugitif à qui on devra conserver la vie: Si quelqu'un a frappé son prochain par mégarde, et qu'il soit prouvé qu'il n'avait aucune haine contre lui quelques jours auparavant, — 5. mais qu'il s'en était allé avec lui simplement en une forêt pour couper du bois, et que le fer de sa coignée, lorsqu'il en voulait couper un arbre, s'est échappé de sa main, et sortant du manche *où il était attaché*, a frappé son ami et l'a tué, il se retirera dans l'une de ces trois villes, et sa vie y sera en sûreté; — 6. de peur que le plus proche parent de celui dont le sang a été répandu, étant emporté par la douleur, ne poursuive l'homicide et ne l'atteigne, si le chemin est trop long, et ne tue celui qui n'est point digne de la mort, parce qu'il ne paraît point qu'il ait eu auparavant aucune haine contre celui qui est tué. — 7. C'est pourquoi je vous ordonne de mettre ces trois villes dans une égale distance de l'une à l'autre. — 8. mais lorsque le Seigneur votre Dieu aura étendu vos limites, selon qu'il en a assuré vos pères avec serment, et qu'il vous aura donné toute la terre qu'il leur a promise — 9. (au cas néanmoins que vous gardiez ses ordonnances, et que vous fassiez ce que je vous prescris aujourd'hui, qui est d'aimer le Seigneur votre Dieu, et de marcher dans ses voies en tout temps), vous ajouterez trois autres villes à ces premières, et vous en doublerez *ainsi* le nombre, — 10. afin qu'on ne répande pas le sang innocent au milieu du pays que le Seigneur votre Dieu vous doit faire posséder, et que vous ne deveniez pas vous-mêmes coupables de l'effusion du sang *innocent*. 11. Mais si quelqu'un, haïssant son prochain, a cherché l'occasion de le surprendre et de lui ôter la vie, et que l'attaquant, il le frappe et le tue, et qu'il s'enfuie dans l'une de ces villes, — 12. les anciens de cette ville-là l'enverront prendre; et l'ayant tiré du lieu où il s'était mis en sûreté, *ils examineront sa cause; et s'ils le trouvent coupable*, ils le livreront entre les mains du parent de celui dont le sang aura été répandu, et il sera puni de mort. — 13. Vous n'aurez point de pitié de lui, et vous ôterez du milieu d'Israël le crime commis par l'effusion du sang innocent, afin que vous soyez heureux. — 14. Vous ne lèverez point et vous ne transporterez point les bornes de votre prochain, placées par vos prédécesseurs, dans l'héritage que le Seigneur votre Dieu vous donnera dans le pays que vous devez posséder. — 15. Un seul témoin ne suffira point contre quelqu'un *pour le faire condamner*, quelle que soit la faute ou le crime dont on l'accuse: mais tout passera pour constant sur la déposition de deux ou trois témoins; *cependant un seul témoin suffira pour faire une enquête.* — 16. Si *donc* un faux témoin entreprend d'accuser un homme d'avoir violé la loi, *et que cet homme le nie*, — 17. dans ce démêlé qu'ils auront ensemble, ils se presenteront tous deux devant le Seigneur, en la présence des prêtres et des juges qui seront en charge en ce temps-là: — 18. et lorsqu'après une très-exacte recherche, ils auront reconnu que le faux témoin a avancé une calomnie contre son frère, — 19. ils le traiteront comme il avait dessein de traiter son frère; et vous ôterez le mal du milieu de vous, — 20. afin que les autres entendant ceci, soient dans la crainte et qu'ils n'osent entreprendre rien de semblable. — 21. Vous n'aurez point compassion du coupable; mais vous ferez rendre vie pour vie, œil pour œil, dent pour dent, main pour main, pied pour pied, *mettant une juste proportion entre le péché et la punition.*

Vers. 5. — Sed abiisse cum eo simpliciter in sylvam. Tropol. S. Greg. 10 Mor. 9: « Ad « sylvam, ait, cum amico imus, quoties cum « quolibet proximo ad intuenda delicta nostra « convertimur: et simpliciter ligna succidi- « mus, cùm delinquentium vitia piâ intentione « resecamus. Sed securis manu fugit, cùm sese « increpatio plusquàm necesse est, in asperita- « tem pertrahit. Ferrum de manubrio prosilit,

« cùm de correptione sermo durior excidit, et « amicum percutiens occidit, quia auditorem « suum prolatâ contumeliâ à spiritu dilectionis « interficit. Hic ad tres necesse est urbes fu- « giat, quia si ad pœnitentiæ lamenta conversus « sub spe, fide et charitate absconditur, reus « perpetrati homicidii non tenetur. »

Vers. 6. — Ne forsitan proximus ejus, cognatus scilicet occisi, qui hebr. vocatur *goel*, id est, redimens, quia jus redimendi hæreditatem, si ea vendita esset, ad propinquiorem cognatum spectabat.

Et percutiat animam, scilicet vitam; est metonymia; sic sumitur *anima* infra c. 22, 26, et c. 24, 6, Act. 20, 24: *Non facio animam* (vitam) *meam pretiosiorem quàm me.*

Vers. 13. — Auferes innoxium sanguinem, id est, innoxii sanguinis effusionem tolles, occidendo videlicet effusorem. Unde Chald. vertit: *Auferes effundentem sanguinem innocentem de Israel.* Est ergo hic duplex metonymia, prima quâ sanguis ponitur pro effusione sanguinis; secunda, quâ effusio ponitur pro homicidâ.

Vers. 14. — Non assumes et transferes terminos proximi tui. *Terminos,* scilicet agrorum, ut aliquid ex possessione alterius tuæ adjicias.

Vers. 15.— In ore duorum aut trium testium stabit (id est, confirmabitur) omne verbum, omnis accusatio, omne dictum, omnis res.

Vers. 18 et 19. — Cumque, etc., invenerint falsum testem, etc., reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit. Pœna talionis hic falso testi decernitur: congruum enim est, ut quod quis supplicium falso testimonio alteri injustè irrogare voluit, id justè ipsemet patiatur. Ita duo senes falsò Suzannam adulterii accusantes mendacii convicti lapidibus obruti sunt. Daniel 13.

Audi quid Patres VIII synodi œcumenicæ, anno Domini 869, Constantinopoli habitæ, contra Leonem Consulem et Theodorum Protospatharium, qui impulsu Photii et Michaelis imp. contra B. Ignatium patriarcham falsum dixerant testimonium, decreverint. « Defini- « mus, inquiunt, et promulgamus, hos per se- « ptem annos epitimium (ita vocatur ecclesia- « stica pœna et censura) habere: esse illos duo- « bus annis extra ecclesiam et aliis duobus « intra ecclesiam audire divinas Scripturas « usque ad catechumenos; non tamen ullo « modo communicare, sed abstinere à carnibus « et vino quatuor annis, præter Dominicos dies « et Dominicas festivitates: et aliis tribus annis « stare cum fidelibus, et mereri divinam com- « munionem in solis Dominicis solemnitatibus « cum eleemosynis, orationibus atque jejuniis, « ita ut tribus diebus hebdomadæ, secundâ « videlicet, quartâ et sextâ feriâ abstineant à « carnibus et vino. » Gregorius, Agrigentinus episcopus à Sabino et Crescentio falsò accusatus, coram synodo Romanâ centum et quinquaginta Patrum, de stupro cum Eudociâ puellâ, adductis 110 testibus psalmum altâ voce ingeminavit: *Insurrexerunt in me testes iniqui, quæ ignorabam objecerunt mihi; mala mihi pro bonis rependebant.* Statim igitur puella à dæmone correpta ad pedes ejus concidit: Gregorius Satanam è puellâ egredi, et verum fateri jussit, ac manu eam comprehensam erexit. Illa fassa est, se à Sabino et Crescentio muneribus corruptam Gregorium falsò accusâsse. Gregorius verò coram synodo pro testibus et actoribus intercessit, et pacem illis impetravit. Quâ concessâ, statim tenebræ magnæ obortæ sunt; et actorum alii utrâque, alii alterâ genâ nigri apparuerunt. Sabino verò et Crescentio labia atro colore infecta sunt, qui nunquàm postea elui potuit. Ita habet Vita S. Greg. Agrigent. quæ exstat apud Surium 23 novemb.

Porrò falsos testes ipso jure esse infames docet Gratianus causâ 3, q. 5, ex Eusebio papâ Epist. 3 ad episcopos Tusciæ in hæc verba: « Constituimus cum omnibus qui nobiscum « sunt episcopis, ut homicidæ, malefici, fures, « sacrilegi, raptores, adulteri, incesti, vene- « fici, suspecti, criminosi, perjuri, et qui ra- « ptum fecerunt, vel falsum testimonium dixe- « runt, seu qui ad sortilegos divinosque con- « currerunt, similesque eorum nullatenùs ad « accusationem, vel ad testimonium sint ad- « mittendi, quia infames sunt, et justè repel- « lendi, quia est funesta vox eorum. »

Constantinus Magnus imperator Faustam uxorem habuit. Hæc Crispi privigni amore capta, cùm ad libidinem eum sæpiùs provocâsset, renuentem detulit ad maritum, illum sibi vim inferre voluisse. Constantinus fidem adhibuit, ideòque Crispum filium interfecit. Verùm post aliquot annos compertâ causâ, in uxorem capite animadvertit. Ita refert Eutropius lib. 10 Hist. rom.

Narrat Eusebius lib. 6 Hist. c. 7, tres testes falsò accusâsse Narcissum, Hierosolymæ episcopum, de infami crimine; atque primus juravit, ni verum esset hoc ejus crimen, ut Deus eum igne perderet; secundus, ut morbo regio corriperetur; tertius, ut oculis orbaretur. Au-

dùt Deus vindex : nam primus in domo, nocte correptâ incendio cum omni familiâ flammis ultricibus conflagravit. Secundus morbo regio à capite ad pedes correptus et absumptus est. Tertius hæc videns pœnitens et scelus confessus, tantis lacrymis illud deflevit, ut luminibus orbaretur.

Quinimò Deus non rarò falsos testes vivos per mortuos redarguit. Audi exempla. Stanislaus Polonus, episcopus Cracoviensis, Boleslaum Poloniæ regem graviter offendit, quòd illius notam libidinem publicè arguisset. Quare rex in solemni regni conventu Stanislaum, per calumniam, in judicium coram se vocari curat, tanquàm pagum occuparet, quem Ecclesiæ nomine coemerat. Quod cùm neque tabulis probare posset, et testes veritatem dicere timerent, spondet episcopus, se Petrum pagi venditorem, qui triennio ante obierat, intra dies tres in judicium addicturum. Conditione cùm risu acceptâ, vir Dei toto triduo jejuniis et orationi incumbit. Ipso sponsionis die post oblatum Missæ sacrificium Petrum è sepulcro surgere jubet; qui statim redivivus episcopum ad regium tribunal euntem sequitur, ibique rege et cæteris stupore attonitis, de agro à se vendito, et pretio ritè sibi ab episcopo persoluto testimonium dicit, atque iterùm in Domino obdormivit; ita habet Longinus, et ex eo Surius maii 8, in Vitâ S. Stanislai. B. Aia, Hidulphi comitis Hannoniæ uxor, ut refert Hannonum Hist. l. 11, c. 4, suas hæreditates seu dominia Montensi contulit Ecclesiæ, quæ postmodùm quasi jure propinquitatis repetebantur à parentibus; sed dicta Ecclesia, cùm vexaretur lite, sanctam Aiam, etsi defunctam, multis precibus in testem evocavit; et ipsa apparens respondit, se donationem suam ratam habere; unde pacificè quidquid datum erat, datum remansit.

Cùm B. Aug. Mediol. adhuc moraretur, illud memoratu dignum ad hanc rem, inter alia accidisse tradit lib. de Curâ pro mortuis c. 11 : « Pro certo, ait, cùm Mediolani essemus, audivimus, quòd, cùm debitum repeteretur à « quodam, defuncti patris cautione prolatâ, « quod filio nesciente à patre jam fuerat persolutum; contristari homo gravissimè cœpit, « atque mirari, quòd ei pater moriens non « dixerit quid deberet, cùm fecisset etiam testamentum. Tunc ei nimis anxio apparuit idem « pater ejus in somnis, et ubi esset repositum « instrumentum, quo illa cautio vacuata fuerat, indicavit. Quo invento atque monstrato, « non solùm falsi debiti calumniam filius pro« pulsavit, sed etiam paternum recepit chiro« graphum, quod pater non receperat quando « ab eo persoluta erat pecunia. Hic itaque pu« tatur anima hominis curam gessisse pro filio, « et ad eum venisse dormientem, ut docens « quod ignorabat, à magnâ eum molestiâ libe« raret. »

Huic et illud de Spiridione Cyprio episcopo factum simile subjungamus. Filiam habuit Irenem nomine, quæ ei cùm benè ministrâsset, virgo defuncta est. Post ejus obitum venit quidam dicens, se ei depositum commendâsse. Rem gestam ignoraverat pater. Perquisitum in totâ domo, nusquàm quod quærebatur inventum est. Persistebat tamen ille qui commendaverat, et fletu ac lacrymis perurgebat; vitæ suæ quoque illaturum esse exitium, nisi commendata reciperet, testabatur. Permotus lacrymis ejus senex ad sepulcrum filiæ properat, atque eam ex nomine inclamitat. Tum illa de sepulcro : *Quid vis*, ait, *pater? Commendatum*, inquit, *illius ubi posuisti?* At illa locum designans : *Illic*, ait, *invenies defossum.* Regressus ad domum, rem, sicut filia de sepulcro responderat, repertam tradidit reposcenti. Vides hic quàm Deus veritatis et veri testimonii sit patronus.

Macarius, ægyptius monachus, S. Antonii discipulus, cùm ad ejus antrum quidam perfugisset, opis petendæ gratiâ, quia magistratus tanquàm reum patratæ tunc cædis insectabatur (is autem insontem se affirmabat) nominis sui reverentiâ magistratuum vim repressit; et quia suspicio tantùm, non testes hominem urgebant, ut veritas palàm fieret, egit, ut qui occisus fuerat, è tumulo, omnibus qui aderant audientibus loqueretur : qui quoniam affirmavit, nihil cædem suam ad eum pertinere, cui tunc crimini res dabatur, magistratus hominem quem insectabatur, Macario auctore, absolvit; cùm desideraret magistratus auctorem cædis scire, petiit à D. Macario ut interrogaret; respondit ille, sibi sufficere innocentem liberâsse. Ita refertur in Vitis Patr. lib. 2, c. 37.

Idem per infantes effecit Deus. Refert Greg. Turonens. lib. 2 Hist. Franc. c. 1, S. Brixium, episcopum Turonensem, falsò accusatum fornicationis, infantem ex eâ recens natum coram populo adjurâsse, ut diceret an ipse esset pater ejus. Cui infans : *Non es tu pater meus;* populo autem rogante ut ex eo perquireret, quis ergo esset pater? respondit Brixius : *Non est hoc meum; quod ad me pertinuit sollicitus fui : vobis*

si aliquid suppetit, per vos quærite. Cùmque populus magiæ hoc tribueret, ignem illæsâ veste gestavit usque ad sepulcrum S. Martini dicens : *Sicut vestem videtis ab igne illæsam, ita et corpus meum à mulieris tactu est impollutum.* Simile miraculum contigit episcopo Brooni, qui discipulus fuit S. Patricii, anno Christi 521, sed ibi infans insuper patrem prodidit, ut habetur in Vitâ S. Brigidæ Scoticæ 1 februarii.

In vitâ S. Antonii de Paduâ, qui vixit anno Domini 1232, narratur, quòd ipse Patavii degens per angelum translatus fuerit Olysiponem; ibi enim pater ejus falsò accusabatur, quòd puerum occidisset. Quare ipse puerum occisum interrogavit, an pater suus eum occidisset, qui erigens se respondit, illum cædis hujus conscium non esse : itaque pater absolutus est. Simili prorsùs modo infans purgavit Danielem abbatem falsò adulterii insimulatum, uti refert Sophron. in Prato spirit. c. 114.

CAPUT XX.

1. Si exieris ad bellum contra hostes tuos, et videris equitatus et currus, et majorem quàm tu habeas adversarii exercitûs multitudinem, non timebis eos; quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terrâ Ægypti. — 2. Appropinquante autem jam prælio, stabit sacerdos ante aciem, et sic loquetur ad populum: — 3. Audi, Israel : vos hodiè contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, ne formidetis eos; — 4. quia Dominus Deus vester in medio vestrî est, et pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo. — 5. Duces quoque per singulas turmas audiente exercitu proclamabunt : Quis est homo qui ædificavit domum novam, et non dedicavit eam? vadat, et revertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, et alius dedicet eam. — 6. Quis est homo qui plantavit vineam, et necdùm fecit eam esse communem, de quâ vesci omnibus liceat? Vadat, et revertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, et alius homo ejus fungatur officio. — 7. Quis est homo qui despondit uxorem, et non accepit eam? Vadat, et revertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, et alius homo accipiat eam. — 8. His dictis addent reliqua, et loquentur ad populum : Quis est homo formidolosus, et corde pavido? Vadat, et revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est. — 9. Cùmque siluerint duces exercitûs, et finem loquendi fecerint, unusquisque suos ad bellandum cuneos præparabit. — 10. Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primùm pacem. — 11. Si receperit, et aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in eâ est, salvabitur, et serviet tibi sub tributo. — 12. Sin autem fœdus inire noluerit, et cœperit contra te bellum, oppugnabis eam. — 13. Cùmque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tuâ, percuties omne quod in eâ generis masculini est, in ore gladii, — 14. absque mulieribus et infantibus, jumentis et cæteris quæ in civitate sunt. Omnem prædam exercitui divides, et comedes de spoliis hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi.—15. Sic facies cunctis civitatibus, quæ à te procul valdè sunt, et non sunt, de his urbibus, quas in possessionem accepturus es. — 16. De his autem civitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omninò permittes vivere, — 17. sed interficies in ore gladii, Hethæum videlicet, et Amorrhæum, et Chananæum, Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, — 18. ne fortè doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt diis suis, et peccetis in Dominum Deum vestrum. — 19. Quando obsederis civitatem multo tempore, et munitionibus circumdederis ut expugnes eam, non succides arbores de quibus vesci potest, nec securibus per circuitum debes vastare regionem, quoniam lignum est, et non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum. — 20. Si qua autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia, et in cæteros apta usus, succide, et instrue machinas, donec capias civitatem quæ contra te dimicat.

---

1. Lorsque vous irez faire la guerre contre vos ennemis, et qu'ayant vu leur cavalerie et leurs chariots, vous trouverez que leur armée sera plus nombreuse que la vôtre, vous ne les craindrez point, parce que le Seigneur votre Dieu, qui vous a tirés de l'Egypte, est avec vous. — 2. Et quand l'heure du combat sera proche, le pontife se présentera à la tête de l'armée; et il parlera ainsi au peuple : — 3. Ecoutez, Israël : vous devez aujourd'hui combattre contre vos ennemis; que votre cœur ne s'étonne point, ne craignez point, ne reculez point devant eux, et n'en ayez aucune peur : — 4. Car le Seigneur votre Dieu est au milieu de vous, et il combattra pour vous contre vos

ennemis, afin de vous délivrer du péril. — 5. Les officiers aussi crieront chacun à la tête de son corps, en sorte que l'armée l'entende : Y a-t-il quelqu'un qui ait bâti une maison neuve, et qui n'y ait pas encore logé ? Qu'il s'en aille, et qu'il retourne en sa maison, de peur qu'il ne meure dans le combat, et qu'un autre ne loge le premier dans sa maison. — 6. Y a-t-il quelqu'un qui ait planté une vigne, laquelle ne soit pas encore en état que tout le monde ait la liberté d'en manger ? Qu'il s'en aille et retourne en sa maison, de peur que, s'il vient à mourir dans le combat, un autre ne fasse ce qu'il devait faire. — 7. Y a-t-il quelqu'un qui ait été fiancé à une fille, et qui ne l'ait pas encore épousée? Qu'il s'en aille, et s'en retourne en sa maison, de peur qu'il ne meure dans le combat, et qu'un autre ne l'épouse. — 8. Après avoir dit ces choses, ils ajouteront encore ce qui suit, et ils diront au peuple : Y a-t-il quelqu'un qui soit timide, et dont le cœur soit frappé de frayeur? Qu'il s'en aille, et retourne en sa maison, de peur qu'il ne jette l'épouvante dans le cœur de ses frères, comme il est déjà tout effrayé et saisi de crainte. — 9. Et lorsque les officiers de l'armée auront cessé de parler, chacun préparera ses bataillons pour le combat. — 10. Quand vous approcherez d'une ville pour l'assiéger, d'abord vous lui offrirez la paix. — 11. Si elle l'accepte, et qu'elle vous ouvre ses portes, tout le peuple qui s'y trouvera sera sauvé, et vous sera assujetti moyennant le tribut. — 12. Que si elle ne veut point recevoir les conditions de paix, et qu'elle commence à vous déclarer la guerre, vous l'assiégerez. — 13. Et lorsque le Seigneur votre Dieu vous l'aura livrée entre les mains, vous ferez passer tous les mâles au fil de l'épée, — 14. en réservant les femmes, les enfants, les bêtes, et tout le reste de ce qui se trouvera dans la ville. Vous distribuerez le butin à toute l'armée, et vous vous nourrirez des dépouilles de vos ennemis que le Seigneur votre Dieu vous aura données. — 15. C'est ainsi que vous en userez à l'égard de toutes les villes qui seront fort éloignées de vous, et qui ne sont pas de celles que vous devez recevoir pour les posséder. — 16. Mais quant à ces villes qu'on vous doit donner pour vous, vous ne laisserez la vie à aucun de leurs habitants : — 17. mais vous les ferez tous passer au fil de l'épée, c'est-à-dire, les Héthéens, les Amorrhéens, les Chananéens, les Phérézéens, les Hévéens et les Jébuséens, comme le Seigneur votre Dieu vous l'a commandé, — 18. de peur qu'ils ne vous apprennent à commettre toutes les abominations qu'ils ont commises eux-mêmes dans le culte de leurs dieux, et que vous ne péchiez contre le Seigneur votre Dieu. — 19. Lorsque vous mettrez le siége devant une ville, et que le siége durant long-temps, vous élèverez tout autour des forts et des remparts, afin de la prendre, vous n'abattrez point les arbres qui portent du fruit, dont on peut manger ; et vous ne renverserez point à coups de coignée tous les arbres du pays d'alentour, parce que ce n'est que du bois, et non pas des hommes qui puissent accroître le nombre de vos ennemis. — 20. Que si ce ne sont point des arbres fruitiers, mais des arbres sauvages, qui servent aux autres usages de la vie, vous les abattrez, pour en faire des machines, jusqu'à ce que vous ayez pris la ville qui se défend contre vous.

Vers. 1. — Non timebis eos (hostium currus, et multitudinem), quia Dominus Deus tuus tecum est, qui potens est salvare, et dare victoriam tam in paucis, quàm in multis. Notent hoc duces castrorum, curentque ut milites christianè et piè vivant, itàque Deum secum habeant ; tunc enim erunt insuperabiles ; nam, si Deus pro nobis, quis contra nos? Id Constantinus, Theodosius, Carolus, Bollonius, Machabæi, et hoc seculo Ferdinandus, Carolus V, Albuquercius et alii experti sunt : « Non « debent, inquit Constantinus, milites in ar- « mis aut viribus corporum spem ponere, sed « universitatis Deum rerum omnium bona- « rum, et ipsius victoriæ auctorem agno- « scere », uti refert Eusebius lib. 4 de Vitâ Constantini c. 19. Duces ergo et milites, ut victoriâ potiantur, observent illud c. 23, 9 : *Quando egressus fueris adversùs hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re malâ*, puta à scortatione, ebrietate, rapinis, rixis, juramentis, blasphemiis, duellis, invidiis, etc. Id præstitit Josue, qui Mosi successit, ideòque tot victoriis potitus est. Id præstitit Narses, Italiæ liberator, qui erga pauperes benignus, in reparandis basilicis diligens, vigiliis et orationibus adeò deditus fuit, ut plures victorias supplicationibus divinis, quàm terroribus bellicis obtinuerit, uti narrat Evagr. lib. 4, cap. 24. Et Procopius lib. 3 de Bello gothico, scribit, eumdem omnem rerum successum, omnemque belli felicitatem, uni Deo acceptam retulisse ;

et milites in aciem progressuros, ad similem pietatem hortatum esse.

Audi Mauri exemplum memorabile. Cabones, dux Maurorum circa Tripolim, postquàm Wandalos bellum adversùs se movere audivit, primùm subditis suis præcepit, ut ab omni iniquitate et cibo, qui ad delicias faceret, abstinerent, omniumque maximè à mulierum consuetudine. Et binis castris positis, in alteris quidem ipse cum viris in armis fuit, in alteris mulieres inclusit, mortis supplicium minatus, si quis feminarum vallum ingressus esset. Deinde exploratores Carthaginem misit, cum mandatis, si quid impii à Wandalis in Christianorum templis perpetrari viderent, ut illi spectarent, et postea, cùm Wandali discessissent, illud restituerent, ac subjecit, se quidem Deum, quem Christiani colerent, ignorare; consentaneum verò sibi videri, siquidem (quod diceretur) fortis potensque esset, ut contemptores sui numinis puniret, cultores tueretur. Exploratores postquàm venerunt Carthaginem, viderunt belli apparatum ingentem. Deinde secuti exercitum, in Christianorum templa equos et jumenta introduci, lasciviam et libidinem exerceri, sacerdotes plagis affici, et alia multa impia et horrenda à Wandalis fieri spectârunt. Illi post eorum discessum templa repurgârunt, sacerdotes coluerunt, et eleemosynas in pauperes largè distribuerunt. Tandem facto conflictu, Wandali ad unum omnes sunt trucidati, et Mauri victoriam reportârunt. Ita Evagrius lib. 4, c. 15, et Nicephorus lib. 17, c. 11.

Denique Jovianus, cùm post Juliani Apostatæ interitum imperator eligeretur : « Non « possum, ait, regere Juliani exercitum, qui « tam pestiferâ doctrinâ imbutus est; talis « enim à Deo destitutus, facilè ab hostibus su- « perabitur. » Quibus auditis milites uno ore conclamârunt : *Ne dubita; christianis hominibus, et in verâ pietate educatis imperabis.* Ita Theodor. l. 4, c. 1.

Vers. 5. — Duces quoque, etc., proclamabunt : Quis est homo, qui ædificavit domum novam, et non dedicavit eam? *Non dedicavit*, hebr., *non initiavit*, id est, non cœpit eam inhabitare. Voluit Dominus hos remitti ex castris ad sua, ne desiderio rerum suarum, quibus necdùm fruiti fuerant, remitterent animos in prælio, fugamque capesserent cum sociorum scandalo et periculo. Miles enim tam animo, quàm corpore debet esse libero et expedito. Ita Abulens. Notat S. Aug. q. 30, hæc dici, non tam imperativè, quàm tentativè et permissivè, ad virorum animos explorandos; qui enim viriliter hunc nimium affectum rerum suarum vincere et deponere volebant, poterant manere in castris; qui verò affectum hunc vincere non poterant, vel non valebant, domum abibant, et recedentes à castris prodebant suam pusillanimitatem, seque affectu nimio rerum suarum teneri.

Vers. 6. — Quis est homo, qui plantavit vineam, et necdum fecit eam esse communem? necdùm ejus fructu est fruitus? quod quinto demùm anno fiebat; nam, juxta legem Levit. 19, 25, tribus primis annis, fructus censebantur immundi; quarto anno cedebant Deo, erantque quasi sacri; quinto anno fiebant communes sive profani, ut habent hebræa, poteratque quivis cum possessoris consensu eis vesci.

Vers. 7. — Quis est homo, qui despondit (sibi) uxorem, et non accepit eam? Tropol. significatur, ait Cyrill. in Collectan. quòd non oporteat eum, qui nuper habitantem secum virtutem accepit, educi ad labores et persecutiones, donec ejus amori planè sit illigatus et adstrictus.

Vers. 8. — Quis est homo formidolosus. Ita ex lege hâc, Gedeon iturus contra Madianitas, clamavit : *Si quis est corde pavido, recedat de castris;* et è triginta duobus millibus bellatorum, recesserunt viginti duo millia, Judic. 7, 3. In bello enim plus facient trecenti resoluti et animosi milites, quàm triginta millia pavidorum et hæsitantium. Scipio Africanus, rogatus à quodam quâ re fretus auderet exercitum è Siciliâ in Africam, contra Carthaginenses trajicere, demonstravit ei trecentos viros, addens : « Nullus horum est, qui non sit me ju- « bente, conscensâ hâc turri, præcipitem se « in mare dejecturus. » Ita Plutarch. in Apophtheg. Rom. Animus ergo in milite, præsertim capitaneo et duce requiritur. Animosus Alexander quid non perfregit? paucos habebat milites, hostes innumeros; suadebat Parmenio ut noctu clàm in eos irrueret; cui ille : *Nolo furari victoriam.* Similis fuit C. Fabricius, consul romanus, cui Pyrrhi medicus per epistolam promisit, se jubente ipso Pyrrhum veneno necaturum; eam epistolam Fabricius Pyrrho misit, dicens : Pessimè tu et de amicis judicas, et de inimicis; noluit ergo animosus consul regem dolo, sed aperto marte prosternere : unde et totidem captivos ei remisit, quot ipse miserat. Ita Plutarch. in Apophtheg. Romano-

rum. Militis ergo est in bello non pavere, nec timere mortem, sed potiùs optare; nam, ut aiebat Epaminondas, *pulcherrima est mors in bello.* Id verissimum est in milite christiano, qui christianè vivens pugnat pro Deo, pro Ecclesiâ, pro justitiâ. *Pulchrior est miles in prælio cæsus, quàm in fugâ salvus,* ait Livius lib. 2, dec. 1. Et Philemon : *Miles,* ait, *est victima, ut, cùm tempus fuerit, pro patriâ immoletur.* Matres Laconum eis solebant edicere, *ut aut victores cum armis redirent, aut mortui in armis referrentur;* testis est Valerius Max. l. 2, c. 8. Cæsaris fuit illa vox : *Disce ferire, disce mori.* Syllaba una brevis aut longior tua facta variabit; aut occides, aut occides. Ad utrumlibet horis locisque omnibus paratum te exhibe. Aratus dicebat *militis esse, vitam nihili facere.* Xerxes audiens quàm fortiter et feliciter Artemisia rem contra suos gessisset in pugnâ navali, dixit, *sibi feminas fuisse viros, contra viros fuisse feminas,* quòd parùm dextrè rem gessissent, testis est Herodot. lib. 8. Cùm ob turbatos ordines in Marcelli copiis, victor Annibal extitisset, reversus in castra Marcellus convocato exercitu ait, *se quidem multa Romanorum arma et corpora, Romanum verò videre neminem*; testis est Plutarchus in Marcello.

Vers. 10. — Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Loquitur de civitate, quæ sita erat extra terram promissionis, ut patet v. 15; hæc enim si pacem reciperet sub conditione tributi, incolis omnibus salvis, fiebat tributaria Hæbræis; sin pacem abnueret, expugnabatur, omnesque incolæ jure belli, et jussu Dei occidebantur, præter mulieres et infantes : nam civitatibus in Chanaan sitis, pacem offerre Hebræi non poterant, sed omnes omninò incolas, etiam feminas et infantes, occidere debebant, tum quia tota Chananæa à Deo tradita erat Hebræis possidenda; tum quia Chananæi erant homines improbissimi, et quasi semen vitiatum et maledictum, quibus si parcitum fuisset, ipsi Hebræos secum commorantes ad idola et vitia sua pertraxissent, ut dicitur v. 17, et fusiùs Sapientiæ 12, 3 et seq. Discant hîc principes ante bellum offerre pacem, nimirùm pacificè petendo ab hostibus justam satisfactionem. Nam, ut ait S. Aug. Epist. 207 ad Bonifacium: *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas.*

Vers 19. — Non succides arbores, de quibus vesci potest, etc., quoniam lignum est, et non homo. Ita et Chald. quare hebræa per interrogationem accipe, cum Sept. hoc modo : *Num enim arbor campi est homo, ut veniat coram te in obsidionem?* q. d. : Lignum pomiferum tibi est utile, neque tamen te obsidere, tibique obesse potest; ergo illud non succidendum, sed asservandum est; alia verò ligna licet obesse non possint, quia tamen infructifera sunt, servient tibi ad machinas bellicas instruendas. Ita Abulensis. Alii, ut Vatablus, sic vertunt et explicant hebræa : *Arbores agrorum* (subaudi *vita*) *sunt hominis* (q. d. : Vitam hominis sustentant); *non succides eas,* ut scilicet iis machinas instruas, ad urbem obsidendam. Verùm durum est et insolens subaudire, τὸ *vita.*

CAPUT XXI.

1. Quando inventum fuerit in terrâ quam Dominus Deus tuus daturus est tibi hominis cadaver occisi, et ignorabitur cædis reus, — 2. egredientur majores natu, et judices tui, et metientur à loco cadaveris singularum per circuitum spatia civitatum; — 3. et quam viciniorem cæteris esse perspexerint, seniores civitatis illius tollent vitulam de armento, quæ non traxit jugum, nec terram scidit vomere, — 4. et ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quæ nunquàm arata est, nec sementem recepit; et cædent in eâ cervices vitulæ : — 5. accedentque sacerdotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus ut ministrent ei, et benedicant in nomine ejus, et ad verbum eorum, omne negotium : et quidquid mundum, vel immundum est, judicetur : — 6. et venient majores natu civitatis illius ad interfectum, lavabuntque manus suas super vitulam quæ in valle percussa est, — 7. et dicent : Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt. — 8. Propitius esto populo tuo Israel quem redemisti, Domine, et ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel. Et auferetur ab eis reatus sanguinis. — 9. Tu autem alienus eris ab innocentis cruore, qui fusus est, cùm feceris quod præcepit Dominus. — 10. Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, et tradiderit eos Dominus Deus tuus in manus tuas, captivosque duxeris, — 11. et videris in numero captivorum mulierem pulchram, et adamaveris eam, voluerisque habere uxorem. — 12. introduces eam in domum tuam : quæ radet cæsariem, et circumcidet ungues; — 13. et deponet vestem, in quâ capta est : sedensque in domo tuâ flebit patrem et matrem suam uno mense : et postea intrabis ad eam, dormiesque cum illâ, et erit uxor tua. — 14. Si autem postea non sederit animo tuo,

dimittes eam liberam, nec vendere poteris pecuniâ, nec opprimere per potentiam quia humiliàsti eam. — 15. Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, et alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, et fuerit filius odiosæ primogenitus; — 16. volueritque substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, et præferre filio odiosæ; — 17. sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque et de his quæ habuerit cuncta duplicia; iste est enim principium liberorum ejus, et huic debentur primogenita.—18. Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, et coercitus obedire contempserit : — 19. apprehendent eum, et ducent ad seniores civitatis illius, et ad portam judicii, — 20. dicentque ad eos : Filius noster iste protervus et contumax est, monita nostra audire contemnit. comessationibus vacat, et luxuriæ atque conviviis. — 21. Lapidibus eum obruet populus civitatis, et morietur, ut auferatis malum de medio vestrî, et universus Israel audiens pertimescat. — 22. Quando peccaverit homo quod morte plectendum est, et adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, — 23. non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eâdem die sepelietur, quia maledictus à Deo est qui pendet in ligno : et nequaquàm contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem.

---

1. Lorsque, dans le pays que le Seigneur votre Dieu vous doit donner, il se trouvera le corps mort d'un homme qui aura été tué, sans qu'on sache qui est celui qui a commis ce meurtre,—2. les anciens et ceux que vous aurez pour juges, viendront et mesureront l'espace qui se trouvera depuis le corps mort, jusqu'à toutes les villes d'alentour; — 3. et ayant reconnu celle qui en sera la plus proche, les anciens de cette ville-là *feront les frais de l'expiation; et pour cela ils* prendront dans le troupeau une génisse qui n'aura point encore porté le joug, ni labouré la terre; — 4. ils la mèneront dans une vallée toute raboteuse et pleine de cailloux, qui n'ait jamais été ni labourée, ni semée, et ils couperont là le cou à la génisse, *comme on devrait le couper au meurtrier dont elle tient la place.*—5. Les prêtres, enfants de Lévi, que le Seigneur votre Dieu aura choisis pour exercer les fonctions de leur ministère, afin qu'ils donnent la bénédiction en son nom, et que toute affaire qui survient, tout ce qui est pur ou impur, se juge par leurs avis, s'approcheront; — 6. et les anciens de cette ville-là, viendront près du corps de celui qui aura été tué; ils laveront leurs mains sur la génisse qu'on aura fait mourir dans la vallée, — 7. et ils diront : Nos mains n'ont point répandu ce sang, et nos yeux ne l'ont point vu *répandre.* — 8. Seigneur, soyez favorable à votre peuple d'Israël que vous avez racheté, et ne lui imputez pas le sang innocent qui a été répandu au milieu de votre peuple. Ainsi le crime de ce meurtre ne tombera point sur eux : — 9. et vous n'aurez aucune part à cette effusion du sang innocent, lorsque vous aurez fait ce que le Seigneur votre Dieu vous a commandé. — 10. Si ayant été combattre vos ennemis, le Seigneur votre Dieu vous les livre entre les mains, et que, les emmenant captifs, — 11. vous voyiez parmi les prisonniers de guerre une femme qui soit belle, que vous conceviez pour elle de l'affection, et que vous vouliez l'épouser, — 12. vous la ferez entrer dans votre maison, où elle se rasera les cheveux et se coupera les ongles, *comme on fait dans le deuil.* — 13. Elle quittera la robe avec laquelle elle a été prise, et se tenant assise dans votre maison, elle pleurera son père et sa mère un mois durant : après cela, vous la prendrez pour vous, vous dormirez avec elle, et elle sera votre femme. — 14. Que si dans la suite du temps elle ne vous plaît pas, vous la renverrez libre; et vous ne pourrez la vendre pour de l'argent, ni l'opprimer par votre puissance, parce que vous l'avez humiliée. — 15. Si un homme a deux femmes, dont il aime l'une et n'aime pas l'autre, et que ces deux femmes ayant eu des enfants de lui, le fils de celle qu'il n'aime pas soit l'aîné; — 16. lorsqu'il voudra partager son bien entre ses enfants, il ne pourra pas faire son aîné le fils de celle qu'il aime, ni le préférer au fils de celle qu'il n'aime pas; — 17. Mais il reconnaîtra pour l'aîné le fils de celle qu'il n'aime pas, et il lui donnera une double portion dans tout ce qu'il possède, parce que c'est lui qui est le premier de ses enfants, et que le droit d'aînesse lui est dû. — 18. Si un homme a un fils rebelle et insolent, qui ne se rende au commandement ni de son père, ni de sa mère, et qui en ayant été repris, refuse avec mépris de leur obéir, — 19. ils le prendront et le mèneront aux anciens de la ville, et à la porte où se rendent les jugements; — 20. et ils leur diront : Voici notre fils qui est un rebelle et un insolent; il méprise et re-

fuse d'écouter nos remontrances, et il passe sa vie dans les débauches, dans la dissolution et dans la bonne chère. — 21. Alors le peuple de cette ville le lapidera, et il sera puni de mort, afin que vous ôtiez le mal du milieu de vous, et que tout Israël entendant cet exemple, soit saisi de crainte. — 22. Lorsqu'un homme aura commis un crime digne de mort, et qu'ayant été condamné à mourir, il aura été attaché à une potence,—23. son corps mort ne demeurera point à cette potence; mais il sera enseveli le même jour, parce que celui qui est pendu au bois est maudit de Dieu. Et vous prendrez garde de ne pas souiller la terre que le Seigneur votre Dieu vous aura donnée pour la posséder.

Vers. 2. — Metientur a loco cadaveris, computabunt quot milliaribus, vel passibus locus cadaveris distet à quâlibet vicinarum civitatum.

Nota, cadaver hîc tribui vicinissimæ civitati, quia in eam præ aliis cadit præsumptio, quòd aliquis ex eâ perpetrârit cædem. Unde majores natu illius urbis, cum victimâ jubentur, v. 7, publicâ protestatione se purgare, et à crimine, et à criminis, utpote cujus auctorem ignorent, vindictâ, ut hâc ratione Dei iram, tam à se quàm à suo populo avertant.

Vers. 3. — Seniores civitatis illius (quæ proximior est cadaveri) tollent vitulam de armento, quæ non traxit jugum, quæ scilicet fortis, et non fracta labore trahendi currum, vel aratrum, innocentiæ ejus, qui occisus est, symbolum et typum gerit.

Vers. 4. — Et ducent eam ad vallem asperam atque saxosam. R. Joseph Kimchi censet vallem hanc dici asperam, saxosam et incultam per prolepsin, quia scilicet talis futura erat. Reddebatur enim locus ille sacer et maledictus, per carnes vitulæ hujus piacularis, in eo sparsas et ibi putrescentes, ita ut eum serere et colere non liceret; nam non semper eligebatur locus incultus, sed ipsemet ubi cadaver ceciderat. Sed hæc sententia clarè repugnat verbis Scrip., ait enim : *Et ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quæ nunquàm arata est, nec sementem recepit;* quæ verba planè significant, qualis sit et fuerit hæc vallis, non qualis futura sit.

Vitula ergo hæc mactanda erat in valle asperâ, quia hæc horroris homicidii est symbolum. Omnia enim hæc à Deo præcepta sunt, ad terrendum rudem illum populum, et absterrendum ab homicidio, per externam hanc tristitiæ et funeris quasi pompam; perque victimam expiatoriam homicidii, cui, cùm auctor esset occultus, communitas tota videbatur esse obnoxia, quasi quæ tale intra se sustineret membrum, nec satis supra gregem suum invigilâsset.

Allegoricè, vallis aspera est locus Calvariæ, ubi crucifixus est Christus.

Erat et alia hujus legis et cæremoniæ utilitas; nam hanc publicam expiationem præcedere debebat summa in inquirendo sceleris auctore diligentia, ut populo magistratus satisfaceret; simul admonebatur magistratus vigilare, sontes persequi et punire; ne unius culpa provocaret iram Dei, adversùs totum cœtum Israel, ut dicitur dist. 45, c. 18.

Denique, tertia hujus sanctionis causa erat, ut auctor sceleris, si inter eos fuisset, proderetur. Est enim naturale quoddam quasi miraculum, ait Abulens., ut, si occisor advenerit ad cadaver occisi, vulnera sanguinem sudent, idque non tantùm fit, cùm recenter quis occisus est, sed etiam cùm à multis diebus, imò ex ipsis nudis ossibus solet interdùm cruor effluere, ut multoties visum est, Deo videlicet criminis tam enormis auctorem hoc signo ostendente. Solet enim Deus, etiam apud gentiles, homicidium miro judicio et indicio detegere et vindicare. Hinc illa Melitensium ad Paulum, cùm à viperâ invaderetur, vox : *Ultio non sinit eum vivere*, sed eum quasi homicidam ad necem persequitur.

Audi gentilium exempla. Macarius Mitylenensis Bacchi sacerdos, hospitem in templum seducens occidit: paulò post filii ejus volentes patris sacrificia imitari, unus alterum quasi victimam jugulavit; mater id resciens filium qui reliquus erat, quique alium jugulaverat, furibunda torre occidit; pater sacerdos, id cognoscens, ipsam matrem conjugem suam mactavit, ideòque captus et confessus crimen ante publicum supplicium in tormentis animam exhalavit. Ecce, Deus homicidium sacerdotis, cæde prolium, uxoris, et ipsius homicidæ punivit; testis est Ælian. l. 13.

Duo Arcades amici venerunt Megaram; alter ad amicum, alter ad cauponem divertit : hic noctu apparuit alteri, rogans ut subveniret, eò quòd sibi interitus à caupone pararetur; surrexit ille, sed cogitans esse somnium, mox recubuit. Rediit alter rogans, ut si in vitâ noluisset opitulari, saltem mortem suam non pateretur inultam; se enim à caupone esse occi-

sum, corpusque in plaustrum injectum sub stercore latere : manè ergo, ait, ad portam asta, antequàm plaustrum oppido exeat, et cadaver, remque, ut narro, deprehendes. Fecit ille, cadaver et cauponem deprehendit; caupo pœnas dedit. Hic minimè dubitandum est, quin illud somnium amico à Deo sit immissum, ut homicidii auctor proderetur. Narrat hoc Cicero l. 1 de Divinatione.

Ibycus poeta, cùm in latrones incidisset, jam occidendus, grues fortè supervolantes obtestatus est. Aliquanto post tempore, cùm iidem latrones in foro sederent, rursùmque grues supervolarent, per jocum susurrabant inter se in aurem : Adsunt Ibyci ultores. Eum sermonem assidentes in suspicionem rapuerunt, maximè desiderato jam pridem Ibyco. Rogati quidnam sibi vellent ii sermones, hæsitanter et inconstanter responderunt. Subjecti tormentis facinus confessi sunt. Atque ita velut gruum indicio pœnas Ibyco dederunt, ac potiùs suo ipsorum judicio perierunt. Ita Plutarch. lib. de Loquacitate.

Pyrrhus rex in itinere offendit canem, qui domini jugulati corpus servabat; auditoque triduo illum sine pastu durâsse illîc, neque abscessisse, cadaver humari, canemque secum abduci, ejusque curam haberi imperavit. Paucis post diebus rex lustrabat copias suas, militesque considente rege transibant. Aderat canis quietus, qui, ut domini percussores conspexit prætereuntes, cum latratu et irâ procurrit in illos, subinde circumagens se ad Pyrrhum. Itaque comprehensi extemplò et quæstione habitâ, cùm indicia aliunde accessissent, cædem confessi pœnas dederunt. Ita Plutarch. de Animal. Compar.

Hesiodi canis Ganyctoris Naupactii indicavit filios à quibus fuerat Hesiodus trucidatus. Ita idem Plutarch.

Popielus, Poloniæ rex, patruos necavit; mox ex interfectorum tumulis mures erumpentes, regem adorti sunt; nec ignibus circumquàque factis, ab eodem infestando prohiberi potuerunt; ut tandem ipse à suis desertus, et divinâ ultione se feriri confitens, à bestiolis illis laniatus sit, uti narrant omnes Polonicarum rerum scriptores.

Et cedent in ea cervices vitulæ. Ut significetur, quòd decapitari deberet, tam homicida, si sciretur, quàm ille qui celat homicidium, præsertim si sit è senioribus hisce, puta ex magistratu.

Vers. 5. — Omne negotium pendet. Dele τὸ *pendet cum* colo sequente, uti delent Romana, q. d. : Seniores urbis accedent ad sacerdotes, quorum est judicare et decidere omnes controversias, omnemque immunditiem.

Vers. 7. — Et dicent : Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt, q. d. : Nescimus auctorem homicidii ; si sciremus, utique eum puniremus.

Ubi nota. Per τὸ *non effuderunt,* non tantùm significant judices, se manu suâ non effudisse sanguinem ; hoc enim parùm fuisset, nec suffecisset ad eorum innocentiam ; sed insuper se suo consensu, vel conniventiâ, vel dissimulatione, vel impunitate, vel aliâ simili negligentiâ nullam dedisse causam homicidio. Prætor enim, qui ex officio tenetur vias à sicariis tutas præstare, et cædes impedire, nisi id præstet, earum est reus, etiamsi illarum non sit conscius. Soli enim privato dicenti : *Non feci furtum,* respondetur : *Non pasces in cruce corvos;* at plus exigitur à personâ publicâ, qualis est magistratus. Ita R. Salomon, Lyran. et alii.

Vers. 8. — Ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui, ne imputes cædem hujus innocentis populo Israel, neve in eum vindices.

Quidam Hebræi censent animam occisi in terris circumire ac vagari, et vindictam clamare in cœlum, donec magistratus in homicidam animadvertat, eumque de terrâ tollat; tunc enim animam illam à terrâ discedere, et ampliorem ultionem non expetere. Sed hæc sententia judaizat.

Et auferetur ab eis (senioribus populi) reatus sanguinis, heb., *et dimittetur illis sanguis,* id est, reatus, vel pœna sanguinis effusi. Ita videlicet ut Deus non puniat populum, tanquàm negligentem punire homicidia, quia fecit quod potuit, et quod præcepit Dominus, ad deprehendendum homicidam, et ad expiandum homicidium.

Vers. 9. — Tu autem alienus eris ab innocentis cruore. Convertit se hîc Moses ad ipsum populum, quia totus Israel tenebatur reus sanguinis, quando aliquis occidebatur, nisi per majores natu civitatis vicinæ faceret hanc inquisitionem et lustrationem; per eam enim absolvebatur.

Nota. Occisus vocatur innocens, qui tamen poterat esse nocens et invasor ; quia secundùm præsumptionem juris, quilibet præsumitur bonus nisi contrarium probetur. Ita Abul.

Allegoricè, vitula hæc carnem Redemptoris nostri significat, ait Procopius et Raban., quæ nunquàm traxit jugum peccati, et in valle

durâ, indomitâ et spinetis vitiorum asperrimâ, scilicet in Jerusalem, immolata est; sacerdotes lavant manus super eam, id est, S. Apostoli, et prædicatores, in passione Christi sua opera esse munda demonstrant, dùm ab eis caro Christi, pro peccatorum nostrorum expiatione à Judæis crucifixa, prædicatur; dùmque confitentur se impietatis Judæorum expertes esse, consequuntur remissionem, ait Cyrillus in Glaphyris. Vide Rabanum. Aliter hæc explicat Rupert.

Vers. 11 et 12. — Si videris in numero captivorum mulierem pulchram, voluerisque habere uxorem, etc., radet cæsariem, et circumcidet ungues. Hi ritus præscripti sunt, ait Cajetan., ut mitigaretur asperitas et inconcinnitas facti, nempe quòd gentilis duceretur uxor in populo Dei; decuitque ut ipsa, his velut lustrationibus sanctificaretur, itàque populo sancto misceretur, oblita gentis et cognationis suæ.

Tropolog., christianis doctoribus licet gentilem ducere, id est, ea quæ apud gentiles, vel hæreticos docta vel elegantia inveniunt, sibi adsciscere, dummodò tamen ea quæ noxia et superflua sunt resecent. Ita S. Hier. Epist. ad Magnum, Rupert. et Rabanus, qui tamen aptiùs hæc accipit de animâ, à gentilismo ad Christianismum, de peccato ad gratiam translatâ; nam, ut ex eo ait Glossa, mulier hæc gentilis est anima peccatrix, quæ pulchra est, quia ad imaginem Dei creata est, sed captiva est ob crimen; hanc Christus sponsam ambit, quod ut fiat, radat cæsariem, id est, vitia præterita per contritionem deponat; et præcidat ungues, id est, occasiones peccati; permittitur tamen ei flere patrem et matrem ad breve tempus; quia recens conversa dolet se à pristinis amicitiis et voluptatibus avelli, sed hoc dolore absterso, sponso jungitur Christo. Ita Cyrill. in Glaphyris, et S. Amb. lib. 25, Epist. ad Irenæum.

Circumcidet (hebr. *faciet*, id est, adaptabit circumcidendo) ungues. Malè ergo Rabbini exponunt *faciet*, id est, crescere sinet *ungues*, ut scilicet fiat deformis, itàque extinguatur vel minuatur concupiscentia victoris erga eam, cùm sit gentilis.

Vers. 14. — Si non sederit animo tuo, si non placuerit tibi.

Humiliasti, corripuisti.

Vers. 17. — Dabitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia. Primogenitus enim duplicem recipiebat portionem hæreditatis. Sic Joseph duplicem tribum, scilicet Ephraim et Manasse, et consequenter duplicem hæreditatem in Chanaan, loco Ruben primogeniti Jacob, sortitus est. Pro *duplicia*, hebr. est, *pi scenaim*, id est, os duorum, id est duplex portio; perinde atque si primogenitus duo haberet ora, alii fratres singula, quæ portione parentum hæreditariâ pascenda sint et implenda. Sic 4 Reg. 2, 9, Elisæus petit ab Eliâ rapiendo, spiritum ejus duplicem. Hebr. est, *fiat, quæso, in me os duorum de spiritu tuo*, q. d. : Ego sum quasi primogenitus inter discipulos tuos, scilicet primus sum, quem in scholam et disciplinam tuam recepisti; da mihi ergo quasi primogenito tuo, ut obtineam duplò majorem vim spiritûs tui, præ condiscipulis et commilitonibus meis. Non ergo Eliam magistrum suum, sed condiscipulos suos in spiritu superare cupit. Aut potiùs q. d. : Quia ego sum primogenitus tuus et simul unigenitus (nec enim alios habes discipulos et ministros, quàm me), fac ut succedam in utroque tuo spiritu, prophetiæ scilicet et miraculorum. Unde Eccli. 48, 13, dicitur in Elisæo completus esse spiritus Eliæ. Ita explicant Abulens. et Cajet. ibidem.

Vers. 19. — Ducent, etc., ad portam judicii. In portis enim ad quas primò veniebant exteri, tanquàm in prætoriis et tribunalibus quibusdam publicis, olim fiebant judicia, ut patet ex c. 22, 15; Job 31, 21; Prov. 31, 23. « Mos « veterum fuit, ait S. Greg. 19 Moral. 13, ut « seniores in portâ consisterent, et causas « introeuntium judicarent, quatenùs tantò « esset pacificus urbis populus, quantò ad « hanc discordes ingredi non liceret. »

Vers. 21. — Lapidibus eum obruet populus, videlicet post examinationem et sententiam judicum.

Vers. 22. — Quando, etc., appensus fuerit in patibulo, etc., eadem die sepelietur; quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno. Hebr. est : *Quia maledictio Dei est suspensus;* Symmach., *quia in blasphemiam Dei est suspensus;* alii, *quia convicium Dei est suspensus.* Quæres quare? — Fabulantur Judæi, quòd ante sepulturam cadaveris, anima ad suam quietem venire non possit, nec ab angelis duci in thalamum Dei, sed interim vexari et affligi à turmis dæmonum. Sed hæ sunt eorum næniæ. — Respondet ergo primò Andreas Masius in Josue 8, 28, corpus suspensum statim sepeliendum esse, quia censetur contaminare terram, eò quòd homines terræ incolæ, im-

piissimâ et perniciosissimâ mortalitatis animæ opinione, hoc spectaculo informentur, quo bestiarum loco humana corpora esse vident. Sed hæc ratio acutior est, quàm germanior. Secundò, Abulensis: Suspendere, ait malefactores, quia est actus justitiæ, quo reus punitur, hinc cedit ad gloriam Dei; sin maneat in cruce suspensi cadaver, jam non punitur suspensus, utpote jam mortuus, sed ejus corpus tantùm, quod aliquam gerit Dei imaginem in vultu humano et erecto. Sola ergo imago Dei tunc manet, quæ punitur; hoc autem cedit in injuriam et ignominiam Dei; quare statim suspensi cadaver sepeliendum est. Verùm hæc ratio subtilior quoque est, quàm solidior; et non tantùm suspensis, sed quibusvis mortuis et cadaveribus quadrat.

Dico ergo cum Cajetan., maledictum hic sumi pro execrabili. Volebat siquidem Deus maximè facinorosos (quorum pœna erat suspendium) omninò deleri de terrâ, adeò ut nec eorum cadavera superessent in pœnam, uti fieri solet in illis qui flammis traduntur. Cæterùm illud, *ne contaminetur terra,* ut innuit Chaldæus, explicatio est præcedentium. Sicut enim Scriptura passim ait, malis hominibus terram contaminari, ita cùm aliquid eorum superest, ut sunt eorum cadavera, adhuc terra inexpiata et contaminata censetur. Hinc Christus in cruce suspensus, ab Apostolo Galat. 3, 13, vocatur *maledictum,* quia, ut ait Rupertus, Deus maledictiones humani generis in Christum transposuit, videlicet dùm infamem et execrabilem mortem crucis pro nobis suscepit Christus, « ut non solùm nullam mortem, sed « etiam nullum mortis genus, christiana liber- « tas, sicut Judaica servitus, formidaret, » ait S. August. lib. contra Adimantum c. 21, et l. 14 contra Faustum c. 11, et Tertull. lib. de Patientiâ c. 8 : « Dominus, ait, ipse maledictus « in lege est, et tamen solus est benedictus. « Igitur Dominum servi consequamur, et ma- « ledicamur patienter, ut benedicti esse pos- « simus. »

Ubi tamen nota, hanc legem propriè loqui de reis et noxiis, ut patet, non de innocentibus, qualis erat Christus; ita Eucherius in quæstion. hic; vide dicta Galat. 3, 13.

Nota. Hæc lex judicialis fuit, ideòque jam per Christi legem et mortem abrogata est. Hinc jam, nec præ aliis sontibus suspensi sunt maledicti, nec eâdem die sepeliuntur; sed per dies, menses et annos pendent in patibulo, ad terrorem cæterorum malefactorum.

CAPUT XXII.

1. Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, et præteribis ; sed reduces fratri tuo, — 2. etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nôsti eum : duces in domum tuam, et erunt apud te quamdiù quærat ea frater tuus et recipiat. — 3. Similiter facies de asino et de vestimento, et de omni re fratris tui, quæ perierit ; si inveneris eam, ne negligas quasi alienam. — 4. Si videris asinum fratris tui, aut bovem cecidisse in viâ, non despicies, sed sublevabis cum eo. — 5. Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste femineâ : abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc. — 6. Si ambulans per viam, in arbore vel in terrâ nidum avis inveneris, et matrem pullis vel ovis desuper incubantem, non tenebis eam cum filiis ; — 7. sed abire patieris, captos tenens filios : ut benè sit tibi, et longo vivas tempore. — 8. Cùm ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tuâ, et sis reus labente alio, et in præceps ruente. — 9. Non seres vineam tuam altero semine : ne et sementis quam sevisti, et quæ nascuntur ex vineâ, pariter sanctificentur. — 10. Non arabis in bove simul et asino. — 11. Non indueris vestimento, quod ex lanâ linoque contextum est. — 12. Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris. — 13. Si duxerit vir uxorem, et postea odio habuerit eam, — 14. quæsieritque occasiones quibus dimittat eam, adjiciens ei nomen pessimum, et dixerit : Uxorem hanc accepi, et ingressus ad eam non inveni virginem ; — 15. tollent eam pater et mater ejus, et ferent secum signa virginitatis ejus ad seniores urbis qui in portâ sunt : — 16. et dicet pater : Filiam meam dedi huic uxorem ; quam quia odit, — 17. imponit ei nomen pessimum, ut dicat : Non inveni filiam tuam virginem : et ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Expandent vestimentum coram senioribus civitatis ; — 18. apprehendentque senes urbis illius virum, et verberabunt illum, — 19. condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ, quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israel : habebitque eam uxorem, et non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ suæ. — 20. Quòd si verum est quod objicit, et non est in puellâ inventa virginitas, — 21. ejicient eam extra fores domûs patris sui, et lapidibus obruent viri

civitatis illius, et morietur, quoniam fecit nefas in Israel ; ut fornicaretur in domo patris sui : et auferes malum de medio tui. — 22. Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id est, adulter et adultera; et auferes malum de Israel. — 23. Si puellam virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate, et concubuerit cum eâ, — 24. educes utrumque ad portam civitatis illius et lapidibus obruentur; puella, quia non clamavit, cùm esset in civitate; vir, quia humiliavit uxorem proximi sui, et auferes malum de medio tui. — 25. Sin autem in agro repererit vir puellam, quæ desponsata est, et apprehendens concubuerit cum eâ, ipse morietur solus; — 26. puella nihil patietur, nec est rea mortis, quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, et occidit animam ejus, ita et puella perpessa est. — 27. Sola erat in agro; clamavit, et nullus affuit qui liberaret eam. — 28. Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, et apprehendens concubuerit cum illâ, et res ad judicium venerit, — 29. dabit qui dormivit cum eâ, patri puellæ quinquaginta siclos argenti, et habebit eam uxorem, quia humiliavit illam : non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ. — 30. Non accipiet homo uxorem patris sui, nec revelabit operimentum ejus.

---

1. Lorsque vous verrez le bœuf ou la brebis de votre frère égarés, vous ne passerez point outre, mais vous les amenerez à votre frère.— 2. *Or, ce frère est généralement tout homme, quel qu'il soit ; ainsi*, quand il ne serait point votre parent, et que même vous ne le connaîtriez pas, *vous ne les abandonnerez point, mais* vous les menerez à votre maison, et ils y demeureront jusqu'à ce que votre frère les cherche et les reçoive de vous.— 3. Vous ferez de même à l'égard de l'âne, ou du vêtement, ou de quoi que ce soit que votre frère ait perdu; et quand vous l'aurez trouvé, vous ne le négligerez point, sous prétexte qu'il n'est point à vous, mais à un autre. — 4. Si vous voyez l'âne ou le bœuf de votre frère tombé dans le chemin, vous n'y serez point indifférent, mais vous l'aiderez à le relever. — 5. Une femme ne prendra point un habit d'homme, et un homme ne prendra point un habit de femme ; car celui qui le fait est abominable devant Dieu. — 6. Si, marchant dans un chemin, vous trouvez, sur un arbre, ou à terre, le nid d'un oiseau, et la mère qui est sur ses petits ou sur ses œufs, vous ne retiendrez point la mère avec ses petits; — 7. mais ayant pris les petits, vous la laisserez aller, afin que *vous accoutumant par ces actes de piété et de miséricorde à l'exercer envers vos frères*, vous soyez heureux et que vous viviez long-temps. — 8. Lorsque vous aurez bâti une maison neuve, vous ferez un *petit* mur *d'appui* tout autour du toit, *qui sera en plate-forme*, de peur que le sang ne soit répandu en votre maison, et que quelqu'un tombant de ce lieu élevé en bas, vous ne soyez coupable *de sa mort, n'ayant pas pris cette précaution.* — 9. Vous ne semerez point d'autre graine dans votre vigne, de peur que la graine que vous aurez semée, et ce qui naîtra de la vigne, ne se corrrompent l'un l'autre. — 10. Vous ne labourerez point avec un bœuf et un âne attelés ensemble. — 11. Vous ne vous revêtirez point d'un habit qui soit tissu de laine ou de lin, *pour vous apprendre à ne point allier le culte du vrai Dieu avec celui des idoles, et à ne point vous unir vous-mêmes à des personnes d'une autre religion.* — 12. Vous ferez avec de petits cordons, des franges, *ou des houpes*, que vous mettrez aux quatre coins du manteau dont vous vous couvrez. — 13. Si un homme ayant épousé une femme, en conçoit ensuite de l'aversion; — 14. et que cherchant un prétexte pour la répudier, *sans lui payer sa dot*, il lui impute un crime honteux, en disant : J'ai épousé cette femme ; mais m'étant approché d'elle, j'ai reconnu qu'elle n'était point vierge ; — 15. son père et sa mère la prendront, et ils représenteront aux anciens de la ville qui seront au siége de la justice, les preuves de la virginité de leur fille, *qu'elle aura soin de garder.* — 16. Et le père dira : J'ai donné ma fille à cet homme pour femme; mais parce qu'il en a maintenant de l'aversion, — 17. il lui impute un crime honteux, en disant : Je n'ai pas trouvé que votre fille fût vierge. Et cependant voici les preuves de la virginité de ma fille. Ils représenteront en même temps les vêtements devant les anciens de la ville; — 18. et ces anciens de la ville prenant cet homme, lui feront souffrir la peine du fouet, — 19. et le condamneront de plus à payer cent sicles d'argent, qu'il donnera au père de la fille, parce qu'il a déshonoré par une accusation d'infamie, une vierge d'Israël ; et elle demeurera sa femme, sans qu'il puisse la répudier tant qu'il vivra. — 20. Que si ce qu'il objecte est véritable, et s'il se trouve que la

fille, quand il l'épousa, n'était pas vierge, — 21. on la chassera hors de la porte de la maison de son père, et les habitants de cette ville-là la lapideront; et elle mourra, parce qu'elle a commis un crime détestable dans Israël, étant tombée en fornication dans la maison de son père; et vous ôterez le mal du milieu de vous. — 22. Si un homme dort avec la femme d'un autre, l'un et l'autre mourra, l'homme adultère et la femme adultère; et vous ôterez le mal du milieu d'Israël. — 23. Si après qu'une fille a été fiancée étant vierge, quelqu'un la trouve dans la ville et la corrompt, — 24. vous les produirez l'un et l'autre à la porte de la ville, et ils seront tous deux lapidés; la fille, parce qu'étant dans la ville, elle n'a pas crié; et l'homme, parce qu'il a abusé de la femme de son prochain; et vous ôterez le mal du milieu de vous. — 25. Que si un homme trouve dans un champ une fille qui est fiancée, et que lui faisant violence il la déshonore, il sera lui seul puni de mort; — 26. la fille ne souffrira rien; et elle n'est point digne de mort, parce que, de même qu'un voleur s'élevant tout d'un coup contre son frère, lui ôte la vie, ainsi cette fille a souffert une semblable violence. — 27. Elle était seule dans un champ, elle a crié, et personne n'est venu pour la délivrer. — 28. Si un homme trouve une fille vierge, qui n'a point été fiancée, et que lui faisant violence, il la déshonore, les juges ayant pris connaissance de cette affaire, — 29. condamneront celui qui l'a déshonorée à donner au père de la fille cinquante sicles d'argent, *comme pour réparer son honneur,* et il la prendra pour femme, parce qu'il en a abusé; et de sa vie, il ne pourra la répudier. — 30. Un homme n'épousera point la femme de son père, et ne découvrira point *en elle* ce que la pudeur doit cacher.

Vers. 1. — Non videbis bovem fratris tui (puta Judæi, qui tuæ est gentis et generis, æquè ac religionis. Sub bove intellige equum, mulum, et alia animalia; par enim omnium est ratio) errantem, et præteribis; sed reduces fratri tuo. Sanxit hoc Deus, ad charitatem mutuam inter Judæos fovendam et exercendam. Eâdem de causâ jubet v. 4, asinum proximi lapsum sublevari. Quidni ergo idem faciant Christiani, etiamsi coloni sint et rustici? Alphonsus, Aragonum, Neapolis et Siciliæ rex, cùm per Campaniam iter faceret, in agasonem incidit, cujus jumentum farinâ onustum cùm in luto hæreret, et agaso prætereuntium opem imploraret, ipse rex ex equo descendens suam in asino ex luto extrahendo operam agasoni impendit; qui ubi regem agnovit, in genua procidens veniam petiit: quem ille placidis verbis à se dimisit, eoque facto Campaniæ populos sibi conciliavit. Testis est Panormit. in ejus Vitâ lib. 1.

Mysticè, si Deus jubet asinum sub onere jacentem levari, quantò magis hominem sub peccato gementem jubet attolli et educi? S. Bern. Epist. 203: « Virgo, ait, Israel corruit, « et non est qui sublevet eam. Quousque in « luto aurum jacet? tollite margaritam, tollite, « levate splendidissimam ac pretiosissimam « gemmam de sterquilinio; levate, eam ante- « quàm porcorum, id est, spurcorum spiri- « tuum, pedibus conculcetur. »

Vers. 5. — Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea, tum quia hoc per se indecens est, ut scilicet vir veste mentiatur se feminam, aut femina veste mentiatur se virum; tum ne occultis libidinibus et aliis vitiis locus detur; optima enim pudicitiæ custodia est vestitûs honestas, nam, ut ait Poeta:

Quem præstare potest mulier galeata pudorem,
Quæ fugit à sexu?

Et Herodot. *Mulier,* ait, *cum veste simul etiam pudorem exuit.* Vide Raban. vide et S. Amb. Epist. ad Irenæum, ubi hanc Deuteron. legem pertractat, ejusque quatuor dat causas: « Primò, cur, ait, homo, non vis videri esse, « quod natus es? cur alienam tibi assumis « speciem? cur mentiris feminam, vel tu fe- « mina virum? suis unumquemque sexum in- « duit natura indumentis. Denique diversus « usus, diversus color, motus, incessus, di- « versæ vires, diversa vox est in viro et fe- « minâ. Secundò, in avibus etiam propria ad « vestitum est inter eos et homines comparatio. In illis enim sexum naturalia ipsa indumenta discernunt. Pavi mares speciosi, fe- « minæ non item pennarum vario pinguntur « colore. Phasianis quoque diversus color, qui « distinguit sexûs discretionem. Quid in pul- « lis? (alius certè est habitus galli à gallinâ). « Numquid illi mutant speciem suam? Cur « nos mutare desideramus? Tertiò, menda- « cium, et in verbo turpe est, nedùm in ha- « bitu. Denique in templis, ubi mendacium fi- « dei, ibi mendacium naturæ, illic assumere « viros muliebrem vestem, gestumque femi- « neum, sacrum (id est, execrandum, sacrile-

« gum) putatur. Unde lex dicit : *Quoniam im-* « *mundus est Domino omnis qui fecerit hæc.* « Quartò, meritò illic non servatur castimonia, « ubi non tenetur sexûs distinctio. » Unde sequitur : *Abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc.* Quare videtur peccâsse mortaliter Judæus, utens veste femineâ, et Judæa utens veste virili. Unde videtur hoc præceptum partim esse naturale, partim cæremoniale, et jam abolitum, quatenùs scilicet obligabat sub peccato mortali. Jam enim non esse peccatum mortale, si vir, aut femina vestes sexûs commutent ex levitate, si absit scandalum, et intentio, periculumque libidinis, docent D. Thom. Cajet. et ex iis Navar. Enchirid. c. 23, n. 22. Simile erat in cognoscente menstruatam, uti dixi Levit. 18, 19.

Tropolog. Cyrillus lib. 5 de Adoratione fol. 87 : Abominatur, inquit Deus, ac turpissimum putat spectaculum, tum fortitudinis opinionem in molli vitâ, tum in forti viro mollis animi languorem. Rursùm Rupert. : Mulier, ait, induitur veste virili, quando is qui nescit vitæ suæ moderamina tenere, judex fieri audet vitæ alienæ, et præesse præsumit, qui nondùm subesse didicit. E contrario vir utitur veste femineâ, quando vir spiritualis, vel doctor aut prælatus, qui tanquàm vir præest in Ecclesiâ, fluxa sequitur vitia; unde fit, ut prædicatio ejus contemnatur, cujus vita despicitur.

Vers. 6. — Non tenebis eam cum filiis, non capies in nido matrem cum pullis. Ratio hujus legis fuit, ut per eam inducerentur Judæi ad pietatem et misericordiam, etiam in bestias exercendam, quò faciliùs, ait Tertull. lib. 2 contra Marcion. 17, « in pecudibus et bestiis « præmeditata humanitas, in hominum refri- « geria erudiretur. » Sic et Theodor. q. 21. Tropologiam vide apud Rabanum et Rupert. Eâdem de causâ vetuit Deus, ne coquerent hædum in lacte matris, id est, lactentem, Exod. 23, 19, et ne ararent in bove et asino, hoc c. v. 10, et ne obligarent os bovi trituranti, Deut. 24, 4.

Vers. 8. — Cum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum. In Palæstinâ tecta domorum erant plana, quibus homines inambulabant, perinde ac nos in tabulatis; ergo, ne ex alto, circa extremitates, in terram labi quem contingat, jubet hîc Deus eas muro, vel septo cingi. Audi Maldon. in Jerem. c. 48, 38 : « Erant, ait, Judæa tecta supernè aperta « et complanata, strataque lateribus, et lita « cæmento, qualia hodiè in Bœticâ nostrâ, et « in Italiâ sunt multa, ut etiam S. Hieronym. « adnotavit in Epist. ad Suniam et Fretellam, « Romæque solaria, vel meniana vocari dicit. « Itaque in tectis in hieme apricabantur, in « æstate noctu cœnabant; et sub dio dormie- « bant, et sæpè ad confabulandum convenie- « bant Judæi. Ex quo illud intelligitur : *Quod* « *in aure auditis, prædicate super tecta,* Matth. « 10, 17. Et Petrus Act. 10, 9, ascendit orandi « causâ ἐπὶ τὸ δῶμα, *in tectum.* Et quod præci- « pitur Judæis, Deuter. 22, 8, *facere murum* « *tecti per circuitum,* ne quis ex eo cadat, et « homicidii rei sint. »

Vers. 9. — Non seres vineam tuam altero semine, quasi dicat : Non seres inter vites, duas species seminis, sive semina heterogenea (hæc enim hebraicè vocantur *kilaim*), verbi gratiâ, triticum cum siligine, avenam cum hordeo. In Palæstinâ enim, regione calidâ, solebat aliquid seri inter ordines vitium, ait Vatablus. Vetat autem hîc Deus ne id fiat diverso semine; datque causam : ne uvæ et segetes pariter sanctificentur, id est, polluantur, quia segetes ex satione hâc mixtorum à Deo vetitorum, immundæ censentur, et quasi polluere etiam vicinas uvas, quas contingunt et ambiunt : ita enim sancit hîc Deus ; vide dicta Levit. 19, 19. Nota Hebr. *kadas,* id est, sanctificare, est unum ex iis, quæ sunt contrariæ significationis; unde subinde, ut hîc et alibi, significat polluere. Alii sic explicant, q. d. : Ne ex avaritiâ, et nimiâ lucri et frugum cupiditate, seras inter vites et uvas semen aliquod, quia vinea sibi liberam terram deposcit, totamque ejus pinguedinem sola exigit, ne sementis, et uvæ pariter sanctificentur, id est, polluantur et pereant, atque ad sterilitatis et sabbati otium redigantur. Ita Rupert., S. August. et Procop. Sed prior sensus germanior est; hoc enim Hebræis est, serere *kilaim,* ut patet Levit. 19, 19. Tertiò, Abulens. : Ne seras, ait, vineam diverso semine, scilicet ex fraude et avaritiâ, putans, quòd primitias et decimas tantùm semel ex eodem fundo, quotannis pendere tenearis ; itàque dando eas ex segetibus, quæ primò colliguntur, putes te ex uvis secuturis nihil pendere debere. Unde ait : *Ne sementis, et quæ nascuntur ex vineâ, pariter sanctificentur,* id est, ne credas, quòd sementis, id est, fruges, et quæ nascuntur ex vineâ, id est, uvæ, simul sanctificentur; ita quòd solvendo et offerendo decimas vel primitias de uno, sit solutum de alio. Hucusque verba sunt Abulensis. Verùm hic sensus alienior est, verbaque invertit : aliud enim est sanctificari reipsâ,

aliud credere, idque falsò, unum semen sanctificari, id est, offerri, per aliud. Alienior quoque est explicatio Theodoreti q. 23 : *Ne sanctificentur*, inquit, q. d. : Volo ut talia mixta semina et segetes mihi sanctificetis, id est, offeratis; nolite ergo talia seminare, ne cogamini ea mihi offerre.

Vers. 10. — Non arabis in (id est, *cum*) bove simul et asino. Ratio est, quia eorum vires sunt inæquales, itàque asinus associatus bovi, plus æquo gravaretur.

Tropolog. S. Greg. lib. 1 Mor. 16, quasi dicat : « Fatuum sapientibus in prædicatione non « socies, ne, per eum qui rem implere non « valet, illi qui prævalet obsistas. » Ita Plato duos suos discipulos, scilicet Xenocratem, qui tardiori erat ingenio, cum Aristotele acri conjungens : « Hai ! ait, quî asinum cum equo so- « ciabo ? hic freno, ille calcari indiget. » Ita Plutarch. in Platone.

Vers. 12. — Funiculos in fimbriis facies. De his funiculis et fimbriis Judæorum, dixi Num. 15, 38. Porrò funiculos hos jubet fieri *per quatuor angulos*, id est, oras, sive extremitates, *pallii*, hoc est, vestis extimæ ; quia, ut ait Abulens., pallia, hoc est, vestes extimæ Judæorum erant apertæ ante et retrò, et in duobus angulis unjuslibet aperturæ erant duo funiculi hyacinthini dependentes, et sic erant quatuor funiculi. Si quis per quatuor angulos accipere velit quatuor differentias positionum, ut hæc fila fuerint in fimbriis vestis extimæ ante et retrò, ad dexteram et sinistram, non repugno. Sic enim hodiè videmus famulos nonnullorum principum, eorum colores et stemmata, ad quatuor hæc latera pallio assuere. Judæi jam in synagogis vestem quadrangulam, cui hæc fila assuta sunt, humeris injiciunt, uti dixi Num. 15.

Vers. 14. — Objiciens ei nomen pessimum, puta crimen fornicationis, et quasi adulterii ; nil enim pejus et turpius de feminâ, præsertim virgine, dici potest. Ita Abulens.

Non inveni eam virginem, cùm se talem mihi ante desponsationem venditâsset, nec enim aliàs eam ducere voluissem, itàque præsumebatur hæc femina, ex propriâ assertione, post desponsationem fornicata esse, ideòque rea esse mortis, ut dicitur v. 21 ; nam asserebat ipsa se virginem, cùm desponsaretur ; et postea asserebat sponsus, se eam non invenisse virginem ; ergo inter desponsationem et nuptias, corruptam eam fuisse, necessum erat dicere, ideòque morti adjudicatur v. 21 ; nam, si ante desponsationem peccâsset, non puniebatur morte, ut patet hîc, et Exodi 22, 16. Debebat autem statim post nuptias celebratas, queri sponsus de sponsæ fornicatione ; alioqui falsa præsumpta fuisset ejus accusatio, et tantùm quæsita occasio ad eam dimittendam.

Vers. 17. — Ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Per signa hæc Abulens. et Lyranus accipiunt testimonia matronarum, quæ ante nuptias sponsæ virginitatem explorârant ; hæc enim scripto consignata, asservaverat sponsæ parens. Verùm communiter alii interpretes, quin et ipse Abulens. tandem, per signa hæc accipiunt vestem, ut dicitur v. 17, id est, linteum, sanguine tinctum, quem ex primo cum virgine congressu, ab illâ profluere aiunt medici, idque non ex rupturâ membranæ alicujus, quæ virginitatis sit custos, ut vulgus autumat, sed ex dilaceratione partium, vel labiorum uteri, quæ in virginibus naturali symphysi, seu coalescentiâ invicem astricta sunt, et in primo congressu violenter quasi lacerantur et dividuntur, itàque erumpit sanguis. Ita Galen. l. de Dissectione vulvæ, et Franc. Valesius de sacrâ Philosophiâ c. 25. Hoc ergo linteum pater sponsæ præsente sponso et testibus, accipiebat et recondebat ; ac, si sponsus stuprum sponsæ objiceret, coram judice proferebat, itàque sponsi calumniam refutabat. Hoc enim significat primò, τὸ *expandent vestimentum coram senioribus civitatis ;* secundò, v. 14, τὸ *ingressus ad eam, non inveni virginem.* Si enim ante congressum maritalem matronæ explorâssent, dixissentque non esse virginem, sed corruptam, sponsus ad eam non fuisset ingressus, sed statim eam repudiâsset vel accusâsset.

Vers. 24. — Vir, non qui eam sibi despondit, v. 23 , sed qui eam alteri desponsam humiliavit, id est, violavit, ut sequitur.

Vers. 25. — Sin autem in agro. Nota. Puella desponsa, si stuprum esset passa in civitate, nisi clamâsset, clamorque ejus auditus fuisset, censebatur stupro consensisse, ideòque esse rea mortis ; si enim clamâsset, accurrissent vicini, eamque liberâssent ; in agro verò clamans, etsi clamor ejus à nemine fuisset auditus, censebatur insons, quia scilicet ibi vix ullus erat, qui eam audire et juvare posset ; unde de hâc ait :

Vers. 26. — Quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, etc., ita et puella perpessa est. Hebr., *quoniam sicut consurgit quis contra proximum suum, et interficit eum animâ*, id

est, ictu animæ, sive quo anima separatur à corpore, *sic res ista se habet.*

Vers. 28. — Et apprehendens, id est, vim faciens. Unde Septuag. vertunt βιασάμενος : alioqui enim nulla lex statueretur hîc circa violenter corruptas. Ita Tertull. lib. 4 contra Marcion., c. 34; qui ergo per vim stupraverat virginem solutam, jubetur hîc eam ducere et retinere, ac insuper patri ejus solvere 50 siclos argenti.

Vers. 30. — Nec revelabit operimentum ejus. Hebr. : *Non deteges alam vestis patris*, id est, non deteges vestem, sive operimentum, quo turpitudo patris tegebatur; turpitudinem patris vocat verenda uxoris patris, uti dixi Levit. 18, 6.

CAPUT XXIII.

1. Non intrabit eunuchus, attritis vel amputatis testiculis, et abscisso veretro ecclesiam Domini. — 2. Non ingredietur manzer, hoc est, de scorto natus, in ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem. — 3. Ammonites et Moabites, etiam post decimam generationem non intrabunt ecclesiam Domini, in æternum, — 4. quia noluerunt vobis occurrere cum pane et aquâ in viâ, quando egressi estis de Ægypto; et quia conduxerunt contra te Balaam, filium Beor de Mesopotamiâ Syriæ, ut malediceret tibi : — 5. et noluit Dominus Deus tuus audire Balaam, vertitque maledictionem ejus in benedictionem tuam, eò quòd diligeret te. — 6. Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum. — 7. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est; nec Ægyptium, quia advena fuisti in terrâ ejus. — 8. Qui nati fuerint ex eis, tertiâ generatione intrabunt in ecclesiam Domini. — 9. Quando egressus fueris adversùs hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re malâ. — 10. Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, — 11. et non revertetur, priusquàm ad vesperam lavetur aquâ; et post solis occasum, regredietur in castra. — 12. Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ, — 13. gerens paxillum in balteo, cùmque sederis, fodies per circuitum, et egesta humo operies, — 14. quo relevatus es (Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te, et tradat tibi inimicos tuos); et sint castra tua sancta, et nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te. — 15. Non trades servum domino suo, qui ad te confugerit. — 16. Habitabit tecum in loco qui ei placuerit, et in unâ urbium tuarum requiescet, ne contristes eum. — 17. Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel. — 18. Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis, in domo Domini Dei tui, quidquid illud est quod voveris, quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum. — 19. Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem; — 20. sed alieno. Fratri autem tuo absque usurâ, id quo indiget, commodabis : ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terrâ ad quam ingredieris possidendam. — 21. Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. — 22. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. — 23. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo, et propriâ voluntate et ore tuo locutus es. — 24. Ingressus vineam proximi tui, comede uvas quantùm tibi placuerit : foràs autem ne efferas tecum. — 25. Si intraveris in segetem amici tui, franges spicas, et manu conteres : falce autem non metes.

---

1. L'eunuque, dans lequel on que Dieu a destiné à la conservation de l'espèce aura été, ou coupé, ou froissé, ou retranché, n'entrera point en l'assemblée du Seigneur, *et ne sera point mis au nombre des juges de son peuple.* — 2. Celui qui est bâtard, c'est-à-dire, qui est né d'une femme prostituée, n'entrera point en l'assemblée du Seigneur jusqu'à la dixième génération. — 3. L'Ammonite et le Moabite, *qui sont nés de l'inceste que Loth commit avec ses filles*, n'entreront jamais dans l'assemblée du Seigneur, non pas même après la dixième génération; — 4. parce qu'ils n'ont pas voulu venir au-devant de vous avec du pain et de l'eau, lorsque vous étiez en chemin, après votre sortie de l'Egypte; et parce qu'ils ont gagné et fait venir contre vous Balaam, fils de Béor, de Mésopotamie, qui est en Syrie, afin qu'il vous maudît : — 5. mais le Seigneur votre Dieu ne voulut point écouter Balaam; et parce qu'il vous aimait, il obligea Balaam de vous donner des bénédictions au lieu des malédictions qu'il voulait vous donner. — 6. Vous ne ferez point de paix avec ces peuples, et vous ne leur procurerez jamais aucun bien tant que vous vivrez. — 7. Vous n'aurez point l'Iduméen en abomination, parce qu'il est votre frère; ni l'Egyptien, parce que vous avez

été étranger en son pays. — 8. Ceux qui seront nés de ces deux peuples entreront à la troisième génération dans l'assemblée du Seigneur, *et seront réunis à son peuple.* — 9. Lorsque vous marcherez contre vos ennemis pour les combattre, vous aurez soin de vous abstenir de toute action mauvaise. — 10. Si un homme d'entre vous a souffert quelque chose d'impur dans un songe pendant la nuit, il sortira hors du camp, — 11. et il n'y reviendra point, jusqu'à ce qu'au soir il se soit lavé dans l'eau; et après le coucher du soleil, il reviendra dans le camp. — 12. Vous aurez un lieu hors du camp, où vous irez pour vos besoins naturels; — 13. et portant un bâton pointu à votre ceinture, lorsque vous voudrez vous soulager, vous ferez un trou en rond, que vous recouvrirez de la terre sortie du trou, — 14. après vous être soulagés. Car le Seigneur votre Dieu marche au milieu de votre camp pour vous délivrer de tout péril, et pour vous livrer vos ennemis. Ainsi vous aurez soin que votre camp soit *pur et* saint, et qu'il n'y paraisse rien qui le souille, de peur que le Seigneur ne vous abandonne. — 15. Vous ne livrerez point l'esclave à son maître, quand, *maltraité par lui injustement,* il se sera réfugié vers vous. — 16. *Alors* il demeurera parmi vous où il lui plaira; et il trouvera le repos *et la sûreté* dans quelqu'une de vos villes, sans que vous lui fassiez aucune peine. — 17. Il n'y aura point de femme prostituée d'entre les filles d'Israël, ni de fornicateur *et d'abominable* d'entre les enfants d'Israël. — 18. Vous n'offrirez point dans la maison du Seigneur votre Dieu la récompense de la prostituée, ni le prix du chien, quelque vœu que vous ayez fait, parce que l'un et l'autre est abominable devant le Seigneur votre Dieu. — 19. Vous ne prêterez à usure à votre frère ni argent, ni grain, ni quelque autre chose que ce soit; — 20. mais seulement aux étrangers. Vous prêterez à votre frère ce dont il aura besoin, sans en tirer aucun intérêt, afin que le Seigneur votre Dieu vous bénisse en tout ce que vous ferez dans le pays dont vous devez entrer en possession. — 21. Lorsque vous aurez fait un vœu au Seigneur votre Dieu, vous ne différerez point de l'accomplir, parce que le Seigneur votre Dieu vous en demandera compte, et que si vous différez, il vous sera imputé à péché. — 22. Vous ne pécherez point en ne vous engageant par aucune promesse : — 23. mais lorsqu'une fois la parole sera sortie de votre bouche, vous l'observerez, et vous ferez selon ce que vous avez promis au Seigneur votre Dieu, l'ayant fait par votre propre volonté, et l'ayant déclaré par votre bouche. — 24. Quand vous entrerez dans la vigne de votre prochain, vous pourrez manger des raisins autant que vous voudrez, mais vous n'en emporterez point dehors avec vous. — 25. Si vous entrez dans les blés de votre ami, vous en pourrez cueillir des épis, et les frotter dans la main : mais vous n'en pourrez couper avec la faucille.

Vers. 1. — Non intrabit eunuchus attritis, vel amputatis testiculis, et abscisso veretro (virgâ virili) ecclesiam Domini. Per *ecclesiam* aliqui accipiunt atrium templi vel tabernaculi. Ita enim videtur explicari Threnor. 1, 10, ubi dicitur : *Vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas, ne intrarent in ecclesiam tuam.* Ita Theod. Olympiod. et Dion. Carthus. in Thren. 1, 10. Secundò, Cajet. et Oleast. per ecclesiam intelligunt primores ecclesiæ et cœtûs Judæorum, q. d. : Eunuchus, etc., non erit è magistratu Judæorum. Verùm dico, pro, *non intrabit in ecclesiam Domini,* hebr. est, *non intrabit in congregationem Domini,* ut scilicet sit de populo sancto, ut censeatur Israelita, et filius Abrahæ, ut habeat jus ducendi Israelitidem, ut gaudeat juribus Judæorum. Intrare ergo ecclesiam Domini, est annumerari populo israelitico, et frui gratiis ac privilegiis quibus in lege Israelitæ fruebantur, ut quòd illis pecunia non daretur ad usuram, quòd fruerentur privilegiis anni septimi remissionis, et anni jubilæi, uti dixi Levit. 25, 44, ac aliis pluribus. Non ergo eunuchi, Ammonitæ, Moabitæ, etc., arcentur hîc à judaismo, fide, salute et templo; hoc enim alienum videtur à Dei bonitate; poterant ergo fieri proselyti, itàque admitti ad phase, aliaque sacra Judæorum, ut patet Exod. 12, 48. Arcentur ergo tantùm à societate politicâ Judæorum, ut non habeantur cives, nec habeant jus civicum apud Judæos. Sic sumitur ecclesia pro cœtu populi, Num. 20, 4, et Judic. 20, v. 2, ubi dicitur : *Cuncta tribus Israel in ecclesiam Dei convenerunt.* Unde explicans subdit :

Vers. 2. — Non ingredietur manzer in ecclesiam Domini. *Manzer* est extraneus, spurius, nothus, non ex propriâ et legitimâ uxore, sed ex alienâ, puta ex scorto natus; à rad. *zur*, id est, alienus, extraneus fuit; aut quòd mater adultera cum, cùm sit alienus, supponat marito suo, quasi ejus prolem.

Usque ad decimam generationem. Undecimus ergo nepos, descendens ex manzere, quasi abstersâ jam maculâ et notâ natalium, poterat in cœtum et conjugium Judæorum recipi.

Tropol. eunuchus significat sterilitatem animæ, manzer fructum malum; hæc arcenda sunt ab ecclesiâ Dei. Ita Theodoret. q. 25, et 26.

Vers. 6. — Non facies cum eis (Ammonitis et Moabitis, qui tibi hostes fuerunt, et contra te Balaam conduxerunt, ut tibi maledicereret) pacem, nec quæras eis bona, q. d. : Non habebis communicationem cum eis, quoad convictum et commercia temporalia, ne tibi rursùm sint scandalo, teque quasi ex innato odio seducere, ad idololatriam pellicere et perdere conentur. Arcet hîc Deus eunuchos, manzeres, Moabitas et Ammonitas à populo suo, tum ob decorem et honorem populi sui; quâ de causâ S. Ambrosius noluit admittere histriones ad Ecclesiam christianam, tum ob scelera ac odium innatum Ammonitarum ac Moabitarum in Judæos, uti jam dixi. Unde Theodor. : Moab, inquit, et Ammon propter infectam radicem, et propter impietatem arcentur ab ecclesiâ Dei. Excipiuntur feminæ; nam Ruth Moabitis nupsit Boos, abavo Davidis.

Tropol. Moab significat concupiscentiam, quæ à patre diabolo est, item carnales sensus, qui nunquàm ecclesiam Dei cœlestem ingredientur; ita Orig. hom. 5 in Gen.; Ambr., Greg. et alii.

Vers. 8 — Qui nati fuerint ex eis (Ægyptiis, vel Idumæis), tertia generatione intrabunt in ecclesiam Domini. Tertia hæc generatio computanda erat ab eo, qui primus fuerat ad judaismum conversus, atque ab Ægyptiis et Idumæis transierat ad Judæos, habitando in Judæâ.

Vers. 9. — Quando egressus fueris in pugnam, custodies te ab omni re mala, à furtis, rapinis, scortatione, perjuriis, blasphemiis, aliisque vitiis, quibus milites infici, et castra inficere solent. Ita Julius Cæsar « non minùs « in milite modestiam et continentiam, quàm « virtutem atque animi magnitudinem deside- « rabat, » uti ait ipse l. 6 de Bello gallico. Scipio minor videns in castris multam licentiam, lasciviam, superstitionem et luxum, divinos cum lenonibus protinùs ejecit; quin et vasa omnia jussit amoliri, exceptâ ollâ, veru et poculo fictili. Edixit ut milites stantes prandérent obsonium non igni coctum : cœnarent verò discumbentes panem, aut pultem solam, et carnes assas, sive elixas. Ipse verò sago tectus obambulabat castra, dicens, *se lugere exercitûs dedecora.* Ita Plutarch. in Apophtheg. Rom. Theodoricus rex apud Cassiod. lib. 7, ita sancit : « Milites tibi commissi vivant cum « provincialibus jure civili, nec insolescat « animus qui se sentit armatum, quia clypeus « ille exercitûs nostri quietem debet præstare « Romanis. » Sergius Galba in gravissimis bellis severissimâ disciplinâ habuit milites suos, adeò ut simul atque venisset in castra, protinùs vulgaretur ille trochaicus : *Disce miles militare, Galba est, non Getulicus.* Alexander Severus in expeditionibus, si quis de viâ in alicujus possessionem deflexisset, funibus aut virgis cædebat; si honoratus esset, acriter objurgabat : *Vellesne hoc in agro tuo fieri, quod facis in alieno?* Clamabat sæpiùs quod à Christianis audierat, idque per præconem, quoties aliquem castigabat : *Quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris.* Ita Lamprid. Aurelianus imperator, cùm à vicario suo litteras accepisset, quibus efflagitabat ut rescriberet quomodò res gerenda esset, ita statim rescripsit : « Si vis tribu- « nus esse, imò si vis vivere, manus militum « contine, nemo pullum alienum rapiat, ovem « nemo contingat, uvam nullus auferat. » Ita Vopiscus in Aureliano. Optimè verò et brevissimè S. Joannes Baptista militibus rogantibus : «Quid faciemus ut salvemur?» respondit : *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris,* Luc. 3. Quocirca Valer. Maxim. lib. 2, rectè concludit : « Aspero et abscisso castigationis genere mili- « taris disciplina indiget; quia vires armis « constant, quæ ubi à recto itinere descive- « runt, oppressura sunt, nisi opprimantur. »

Vers. 10. — Pollutus somnio egredietur extra castra. Tropol. S. Gregor. 9 Moral. 40 : « Nocturnum, ait, somnium, est tentatio oc- « culta. Pollutum ergo extra castra exire, est « turpi impugnatione laborantem sese ex con- « tinentium comparatione despicere. Qui ad « vesperum lavatur aquâ, cùm defectum suum « conspiciens ad pœnitentiæ lamenta convertitur; sed post occasum solis ad castra redeat; « quia defervescente tentationis ardore, ne- « cesse est, ut iterùm fiduciam erga societa- « tem bonorum sumat. »

Vers. 12 et 13. — Haberis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ, gerens paxillum in balteo, cingulo, etc., idque ad honestatem et munditiem castrorum; unde dicitur v. 14 : *Sint castra tua sancta,* id est, pura et munda; nitoris enim tam interni,

quàm externi amator est Deus, qui est fons omnis puritatis, spiritusque purissimus. Secundò, ad valetudinem castrorum. Tertiò, ad vitandam sacerdotum offensionem, qui per castra cum arcâ et vasis sanctis transibant. Hisce incommodis in terrâ promissionis occurrere potuerunt Hebræi; unde ibi in urbibus more nostro suos habuerunt secessus. Quare Abulensis censet hoc præceptum non obligâsse, nisi in deserto : adde et tempore belli, in castris. Esseni verò, utpote tam legis quàm puritatis studiosissimi, etiam in Judæâ hanc legem strictè observârunt, uti docet Josephus lib. 2 de Bello Judaico, c. 7.

Tropologicè, S. Gregor. 31 Moral. 22, et ex eo Rupert. : « Portare sub balteo paxillum « debemus, ut scilicet ad reprehendendos nos « semper accincti, acutum circa nos stimulum « compunctionis habeamus, qui incessanter « terram mentis nostræ pœnitentiæ dolore « confodiat, et hoc quod à nobis fœdum erum- « pit, abscondat. » Hinc et Cyrillus in Glaphyris per paxillum accipit crucem cujusque.

Vers. 15. — Non trades servum domino suo, qui ad te confugerit, cùm scilicet dominus eum injustè vult affligere, vel lædere aut occidere, ut patet ex seq., donec placatus et reconciliatus ei sit ; tum enim servus domino suo restituendus est.

Vers. 17. — Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator. Monet lex primò, filias et filios ut caveant à scortatione; secundò, parentes, ne eis permittant scortari, neve filias prostituant; tertiò magistratum, ut non toleret in politiâ suâ publicam scortationem et lupanaria. Si enim vetatur Judæis meretrix Israelitis, multò magis vetatur alienigena et gentilis, à quâ periculum erat idololatriæ, uti eventus probavit in Madianitis et Moabitis, quæ Hebræos duxerunt ad colendum Beelphegor, unde Deus in eos desæviit, Num. 25.

Non erit scortator de filiis Israel. Pro *scortator,* verti potest cum Vatablo et Pagnino, *scortum masculum,* puta cinædus, sive puer pathicus. Hunc enim aptè significat hebr. *kades;* noster alibi vertit, *effeminatus,* sicut ejus femininum *kedesca,* hic et alibi scortum femineum, sive meretricem significat. Alii tamen cum nostro, rectè quoque vertunt *scortator.* Septuag. post hunc versum addunt : *Non erit* τελέσφορος *de filiabus Israel;* quod Tertull. libr. de Pudicitiâ c. 9, et S. Hier. Epist. 146, vertunt, *non erit vectigal pendens ex filiis Israel,* quam sententiam suæ rebellioni contra Romanos prætexebat Judas Galilæus, de quo Act. 5. Verùm hæc sententia non habetur in hebræo aut latino textu. Quare videtur addita à Septuag. ad explicandam præcedentem sententiam : *Non erit meretrix de filiabus Israel.* Θελεσφόρος enim hîc vocatur meretrix, quæ se consecrans Veneri aut Priapo, ei vectigal ex impudicitiâ solvit. Ita S. Cyrill. lib. 15 de Adoratione. Unde S. August. lib. 10 Civit. c. 9, ait, hâc voce teletarum significari consecrationes quasdam theurgicas, quæ verè essent fallaces ritus dæmonum. Videntur ergo teletæ fuisse sacra impudica, quibus quæ se Veneri aut Priapo obstringerent feminæ aut viri, mysteria quædam et dona, ut partem turpis lucri, portarent, sicut canophoræ apud Athenienses, planèque τελεσφόρος videtur dictum de feminâ : adjungitur enim : *De filiabus Israel;* et subditur : *Et non erit* τελισκόμενος id est, *initiatus de filiis Israel.* Ubi Theodor. quæst. 28, τελεσφόρον, ait, *vocat eum, qui mysteriis initiat :* τελισκόμενον *autem eum, qui initiatur.* Tales enim hebraicè vocabantur *kedescim* et *kedescot,* qualis fuit Maacha, mater Asa regis, et effeminati in sacris Priap. 3 Reg. 15, v. 12 et 13.

Vers. 18. — Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini. Rectè hinc infert Philo : « Si mulieris amatoribus ob- « sequentis profana dicuntur munera, quantò « magis scortantis animæ, quæ se prostravit « constuprandam vinolentiæ, gulæ, voluptati, « ambitioni, avaritiæ ? » Rursùm S. Hieron. in Isaiæ cap. 66, v. 3, citans hunc locum Deut. : « Pulchrè, inquit, canis et meretrix copulan- « tur, quia utrumque animal pronum est ad « libidinem. » Utrumque etiam ob impudentiam, vilitatem, turpitudinem et fœtorem abominantur homines, præsertim Hebræi. Unde illud Abner 2 Reg. 3, v. 8, ad Isboseth objicientem ei libidinem, et copulam cum concubinis patris sui Saülis : *Numquid caput canis ego sum?* Et David ad Saülem 1 Reg. 24, 11 : *Quem persequeris, rex Israel, canem mortuum?*

Vers. 19. — Non fœneraris fratri tuo ad usuram. *Usura* hebr. vocatur *nesech,* id est, morsus, scilicet caninus. Cùm ergo nemo censeri vellet canis famelicus, qui alios mordendo, seipsum pasceret; hinc ad probri effugium, usuram *tarbit,* id est, incrementum, vocârunt, uti à Latinis honesto nomine vocata est usura. Deus, ut talibus fallaciis et prætextibus occurrat, utrumque nomen hîc conjungit et damnat. Audi R. Salomonem : Incrementum, inquit, usuræ vocatur *nesech,* quia se habet instar mor-

sûs serpentis, qui mordet vulnus parvum in pede alicujus, ita ut non sentiat, mox autem serpit et diffundit se venenum, donec perveniat ad verticem ejus. Sic quoque incrementum usuræ se habet : non enim sentitur, neque cognoscitur, donec ita augeatur, ut totam substantiam alicujus exhauriat. Hinc usura à Chaldæis vocatur *chabulia,* id est, perditio, quòd omnes opes perdat et devastet. Unde *nesech* alludit per metathesim ad *nachas,* id est, serpens, quia instar serpentis arrodit et enecat hominem. Hinc S. Chrysost. in Matthæi cap. 5 : Pecunia, inquit, usurarii similis est morsui aspidis. Percussus enim ab aspide quasi delectatus vadit in somnum, et per suavitatem soporis moritur, quia tunc venenum per omnia membra latenter decurrit ; sic qui pecuniam sub usurâ accipit, eo tempore quasi beneficium sentit, sed usura per omnes ejus facultates decurrit, et totum convertit in debitum, id est, hominem devorat. Quare S. Ambrosius lib. 3 Offic., usuram vocat homicidium. Sic Cato testis est, olim fures damnatos esse ad duplum, fœneratores verò ad quadruplum restituendum ; ac rogatus, quid esset fœnerari, respondit : *Est hominem occidere.* Pauperes enim exhaurit usura, eosque fame necat. Hinc et philosophi usuram, quasi repugnantem rationi naturali, damnârunt ; nam manifestè injustum est, ut rei non fructiferæ, puta pecuniæ, exigatur fructus, idque cum proximi, præsertim pauperis, gravi damno. Romani lege 12 tabularum caverunt, ne quis plus unciario fœnore fœneraret ; mox tribunitiâ rogatione ad semunciam fœnus redactum est, statim ad semissem, postea ad trientem ; demùm L. Gemutius tribunus plebis tulit ad populum, ne omninò fœnerari liceret ; paulatim succrescens iterùm fœnus Cæsar succidit. Laudati sunt Lucullus quòd Asiam, Cato quòd Siciliam fœnore liberâssent. Cornelius Tacitus narrat Germanis fœnus omne ignoratum et execratum fuisse. Indi nunquàm admiserunt fœnus. Agis, Atheniensium dux, adeò fœnus detestatus est, ut facto igne in foro tabulas omnes fœneratorum exurendas curaverit, quo præclariorem luculentioremque ignem nunquàm se vidisse exclamavit Agesilaus.

Vers. 20.—Sed alieno, alienigenæ, qui non est de gente tuâ, sive persistat in infidelitate, sive ad Judaismum sit conversus. Permisit ergo Deus Judæis dare ad usuram alienigenis, et his permisit dare Judæis, ob duritiem cordis eorum, ne lucro inhiantes Judæi, Judæis darent ad usuram ; permisit autem, id est, non punivit. Nam usuras quasvis, etiam illâ lege veteri absolutè, absque discretione fratris, vel extranei, vetitas fuisse colligitur psal. 14, 5, psal. 54, 12; Ezech. 18, 8. Ita Lyranus, Cajetanus et alii. Perperàm ergo Judæi, hoc loco suarum usurarum, quibus Christianis, et aliis gentibus fœnerantur, prætextum quærunt, præsertim quia Judæi Romanos vocant et putant esse Idumæos. Idumæi autem erant fratres Judæorum ; nam eorum parens Esaü frater erat Jacobi sive Israelis. Si ergo Christiani sunt Idumæi, ergo sunt fratres Judæorum ; ergo eis fœnerari non licet. Ait enim lex : *Non fœneraberis fratri tuo.* Ex paulò ante citatis Scripturæ locis refellas quoque Calvinum, asserentem in Scripturâ veteri vetari tantùm, ne quis pauperibus fœneretur ; permitti ergo, ut quis divitibus fœneretur. S. Ambros. lib. de Tobiâ, c. 15, per alienos accipit gentes hostiles, ut Amalecitas, Amorrhæos, Chananæos, etc., q. d. : Ab his usuram exige, quos non sit crimen occidere. Ubi enim jus est belli, ibi est et usuræ ; quos enim poterant occidere, eorum et bona rapere, vel apertè vel occultè, et dolosè per usuras, poterant, præsertim cùm hæ gentes fœneraturæ essent Hebræis, imò eos expilaturæ. Idem ergo jus concedit Deus hîc populo suo, quod gentes hæ in eum usurpaturæ erant. Itaque duplici jure, scilicet primò repræsaliorum, secundò belli, poterant Judæi gentibus hisce fœnerari. Hic sensus verus est et commodus, nisi quòd nomen alieni restringat ad gentes hostiles ; sed dici posset omnes gentes, maximè vicinas, fuisse hostes Judæorum. « Pari modo », inquit D. Damhouderius, insignis juriscons. in Locis communibus admon. 9, ad usurarios, « cum Turcâ et Saracenis Christiani facere possunt usuram, ut sic « bona Ecclesiæ recuperent, quæ Turca et Saraceni sine ullâ ratione, jure et æquitate, « occisis tot millibus Christianorum hactenùs « invaserunt. Qui ergo à Turcâ, à latrone et « fure infideli usuram acceperit, nec rapinam « fecerit, nec fratri nocuerit, et Ecclesiam « auxerit. » Denique piè et verè dixit S. Bernardinus Senensis, « usuram sine peccato exerceri posse, si pecunia his crederetur, qui « nec capitalem summam reddere possent, » puta si daretur pauperibus.

Vers. 24. — Ingressus vineam. Quod hîc de uvis proximi, et spicis carpendis et comedendis dicitur, dummodò foràs non efferantur, idem à pari de pomis aliisque fructibus accipe. Ita Abul.

Vers. 25. — Si intraveris in segetem amici tui, puta Judæi, gentilis tui. Judæi enim vocabantur fratres et amici, sive proximi; nam cum gentilibus vix erat Judæis amicitia.

CAPUT XXIV.

1. Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo suâ. — 2. Cùmque egressa alterum maritum duxerit; — 3. et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo suâ, vel certè mortuus fuerit, — 4. non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, et abominabilis facta est coram Domino; ne peccare facias terram tuam quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam. — 5. Cùm acceperit homo nuper uxorem, non procedet ad bellum, nec ei quippiam necessitatis injungetur publicæ, sed vacabit absque culpâ domi suæ, ut uno anno lætetur cum uxore suâ. — 6. Non accipies loco pignoris inferiorem, et superiorem molam, quia animam suam opposuit tibi. — 7. Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis Israel, et vendito eo acceperit pretium, interficietur, et auferes malum de medio tui. — 8. Observa diligenter ne incurras plagam lepræ, sed facies quæcumque docuerint te sacerdotes Levitici generis, juxta id quod præcepi eis, et imple sollicitè. — 9. Mementote quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ in viâ, cùm egrederemini de Ægypto. — 10. Cùm repetes à proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus ut pignus auferas; — 11. sed stabis foris, et ille tibi proferet quod habuerit. — 12. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, — 13. sed statim reddes ei ante solis occasum, ut dormiens in vestimento suo, benedicat tibi, et habeas justitiam coram Domino Deo tuo. — 14. Non negabis mercedem indigentis, et pauperis fratris tui, sive advenæ, qui tecum moratur in terrâ, et intra portas tuas est; — 15. sed eâdem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum. — 16. Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus: sed unusquisque pro peccato suo morietur. — 17. Non pervertes judicium advenæ et pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum. — 18. Memento quòd servieris in Ægypto, et eruerit te Dominus Deus tuus inde. Idcircò præcipio tibi ut facias hanc rem. — 19. Quando messueris segetem in agro tuo, et oblitus manipulum reliqueris, non reverteris ut tollas illum; sed advenam, et pupillum, et viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. — 20. Si fruges collegeris olivarum, quidquid remanserit in arboribus, non reverteris ut colligas; sed relinques advenæ, pupillo ac viduæ. — 21. Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in usus advenæ, pupilli ac viduæ. — 22. Memento quòd et tu servieris in Ægypto, et idcircò præcipio tibi ut facias hanc rem.

---

1. Si un homme ayant épousé une femme, et ayant vécu avec elle, en conçoit ensuite du dégoût à cause de quelques défauts honteux, il fera un écrit de divorce; et l'ayant mis entre les mains de cette femme, il la renverra hors de sa maison. — 2. Que si en étant sortie, et ayant épousé un second mari, — 3. *ce second* conçoit aussi de l'aversion, et qu'il la renvoie encore dehors de sa maison après lui avoir donné un écrit de divorce, ou s'il vient même à mourir, — 4. le premier mari ne pourra plus la reprendre pour sa femme, parce qu'elle a été souillée, et qu'elle est devenue abominable devant le Seigneur, *parce qu'elle a épousé un second mari du vivant du premier.* Ne souffrez pas qu'un tel péché se commette dans la terre dont le Seigneur votre Dieu vous doit mettre en possession. — 5. Lorsqu'un homme aura épousé une femme depuis peu, il n'ira point à la guerre, et on ne lui imposera aucune charge publique; mais il pourra, sans aucune faute, s'appliquer à sa maison, et passer une année en joie avec sa femme. — 6. Vous ne recevrez point pour gage la meule de dessus ou de dessous *du moulin*, parce que celui qui vous l'offre vous engage sa propre vie, *en vous donnant l'unique moyen qu'il a de subsister.* — 7. Si un homme est surpris en tendant un piége à son frère d'entre les enfants d'Israël, et que l'ayant vendu comme esclave, il en ait reçu le prix, il sera puni de mort, et vous ôterez le mal du milieu de vous. — 8. Evitez avec un extrême soin tout ce qui pourrait vous faire tomber dans la plaie de la lèpre; faites pour cela tout ce que les prêtres de la race de Lévi vous enseigneront, selon ce que je leur ai commandé, et accomplissez le exactement; *car si vous y manquez, Dieu vous frap-*

pera de cette plaie pour vous punir. — 9. Souvenez-vous de la manière dont le Seigneur votre Dieu a traité Marie dans le chemin, après votre sortie de l'Egypte. *Il vous traitera de même, si vous lui désobéissez.* — 10. Lorsque vous redemanderez à votre prochain quelque chose qu'il vous doit, vous n'entrerez point dans sa maison pour en emporter quelque gage; — 11. mais vous vous tiendrez dehors, et il vous donnera lui-même ce qu'il aura. — 12. Que s'il est pauvre, le gage qu'il vous aura donné ne passera pas la nuit chez vous, — 13. mais vous le lui rendrez aussitôt avant le coucher du soleil, afin que dormant dans son vêtement, il vous bénisse, et que vous soyez trouvé juste devant le Seigneur votre Dieu. — 14. Vous ne refuserez point à l'indigent et au pauvre ce que vous lui devez, soit qu'il soit votre frère, ou qu'étant venu de dehors, il demeure avec vous dans votre pays et dans votre ville; — 15. mais vous lui rendrez le même jour le prix de son travail, avant le coucher du soleil, parce qu'il est pauvre, et qu'il n'a que cela pour vivre; de peur qu'il ne crie contre vous au Seigneur, et qu'il ne vous soit imputé à péché. — 16. On ne fera point mourir les pères pour les enfants, ni les enfants pour les pères; mais chacun mourra pour son péché. — 17. Vous ne violerez point la justice dans la cause de l'étranger ni de l'orphelin; et vous n'ôterez point à la veuve son vêtement, pour vous tenir lieu de gage. — 18. Souvenez-vous que vous avez été esclaves en Egypte, et que le Seigneur votre Dieu vous en a tirés. C'est pourquoi voici ce que je vous commande de faire: — 19. Lorsque vous aurez coupé vos grains dans votre champ, et que vous y aurez laissé une javelle par oubli, vous n'y retournerez point pour l'emporter, mais vous la laisserez prendre à l'étranger, à l'orphelin et à la veuve, afin que le Seigneur votre Dieu vous bénisse dans toutes les œuvres de vos mains. — 20. Quand vous aurez cueilli les fruits des oliviers, vous ne reviendrez point reprendre ceux qui seront restés sur les arbres, mais vous les laisserez à l'étranger, à l'orphelin et à la veuve. — 21. Quand vous aurez vendangé votre vigne, vous n'irez point cueillir les raisins qui y seront demeurés, mais ils seront pour l'étranger, pour l'orphelin et pour la veuve. — 22. Souvenez-vous que vous avez été vous-mêmes esclaves en Egypte; car c'est pour cela que je vous fais ce commandement.

Vers. 1. — Si acceperit homo uxorem, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii. Pro *fœditatem*, hebr. est *eruat*, id est, *nuditatem;* unde Tertull. lib. 4 contra Marcion. c. 34, legit.: *Si in eâ inventum fuerit negotium impudicum*, indeque concludit, ob solam uxoris fornicationem, licitum fuisse Judæis ejus repudium. Idem censet Burgensis in c. 19 Matth. Verùm Origenes, Chrysost. et passim interpretes hîc, et Matt. 19, 7, per *fœditatem*, non solam fornicationem, sed etiam alias fœditates, tum animi, tum corporis accipiunt, ob easque licitum fuisse repudium docent, et satis hoc indicat vox *aliquam;* et hebræa, quæ habent, *fœditatem rei alicujus*. Hebr. enim *eruat*, id est, *nuditas*, sumitur per metalepsim, et per catachresim, pro fœditate, sive re quâlibet pudendâ et fœdâ: nuditas enim est res valdè pudenda et fœdâ. Talis ergo turpitudo, sive fœditas, ob quam licitum erat uxoris repudium, erat, v. g., lepra, sterilitas, veneficium, rixæ perpetuæ, ebriositas, aliique pravi mores incorrigibiles. Nam in fornicatione, vel potiùs adulterio, vix videtur locum habuisse repudium; si enim constaret facinus, adultera lapidabatur, ut patet Levit. 20, 10; sin suspecta haberetur de crimine, aquis zelotypiæ, quas bibere cogebatur, prodebatur, ut patet Num. 5, 27.

Nota tamen: Judæi non poterant ex quâlibet causâ, aut fœditate exignâ, dare libellum repudii; hoc est enim quod Malachias c. 2, 16, carpens eos, qui illecti pulchritudine alienigenarum, repudiabant uxores suas hebræas, dicit: *Si odio habueris, dimitte; verùmtamen iniquitas operiet vestimentum ejus*, id est, corpus ejus, quod est quasi vestimentum animæ, ait S. Hieron., q. d.: Si hâc de causâ, videlicet, eò quòd non sit satis pulchra, oderis et repudies uxorem tuam, peccabis, et pœna hujus peccati in corpus tuum derivabitur à Deo. Tunc ergo peccabat repudians, non autem repudiata, quia ipsa cogebatur discedere.

Scribet libellum repudii. Hinc probabilior videtur eorum sententia, qui docent ita permissum fuisse Judæis repudium uxorum, ut Deo cum illis hâc in parte dispensante, repudiantes eas non peccarent. Ad hæc, per hoc repudium solutum fuisse matrimonii vinculum, ut repudians aliam ducere, et repudiata alteri nubere posset (esto aliter alii sentiant, ex eo quòd, v. 4, talis repudiata vocetur *polluta* et *abominabilis*, de quo v. 4). Nam primò, præ-

scribitur hìc modus et ritus repudii ; et hoc ipso quo semel repudiata, vetatur ad maritum repudiantem redire, satis innuitur, eam posse alteri viro nubere ; unde de facto pleræque alteri nubebant. Hoc enim significat id quod dicitur v. 2 : *Cùmque egressa alterum maritum duxerit ;* ergo prius matrimonium, per repudium jam solutum erat. Alioqui enim lex illa vetus permisisset publica et continua adulteria ; talia enim fuissent copulæ omnes repudiatarum cum novis maritis, si prius matrimonium, cum repudiante olim initum, non erat solutum per repudium ; ac consequenter filii ex eis nati fuissent adulterini et spurii, itàque hæreditates multorum ad spurios devolutæ fuissent. Secundò, quia aliàs nimis iniqua fuisset feminarum conditio, quæ sine ullâ suâ culpâ subinde repudiabantur, si deinceps cœlibes vivere debuissent, nec potuissent sine peccato nubere. Confirmatur, quia Exodi 21, 4, statuitur, ut servus anno septimo liber exeat, uxore cum liberis manente servâ apud herum ; ergo, vel uxor hæc poterat alteri nubere, et sic solutum jam erat vinculum prioris matrimonii ; vel non poterat, et sic invita totâ vitâ continere debuisset, quod nimis durum videtur in illâ lege. Similiter Deut. 21, 14, si quis Hebræus bello captam accepisset uxorem, illaque postea ipsi displiceret, permittit lex eam repudiare, solvique matrimonium præcipit, ait Theod. q. 19, ita tamen, ut illa consequatur libertatem, pro mercede copulæ. Tertiò, quia hebraicè est : *Scribat libellum excisionis ;* ergo per eum scindebatur vinculum matrimonii ; permissio ergo hæc non erat dissimulatio punitionis, et impunitas tantùm, sed etiam rem permissam, puta repudium faciebat licitum. Ita sentit Abulensis, Burgensis, Cajet., Oleast. et plurimi alii, quos citat et sequitur Sanchez tom. 3 de Matrimonio, lib. 10, disp. 1. Secùs erat de usuris : hæ enim Judæis c. 23, 19, circa alienigenas nudè tantùm permittuntur, ita scilicet, ut usurarii tales à judice puniri non possent, nec usuræ ab eis repeti.

Dices : Christus Matth. 19, 8, dicit, Mosen ob duritiem cordis Judæorum, permisisse eis repudium ; ergo hæc nuda tantùm fuit permissio, quæ videlicet tantùm non punit repudiantes. — Respondeo, duritiem hanc fuisse causam, cur Deus concesserit repudium, ne scilicet Judæi uxores suas, quas repudiare non possent, occiderent. Hæc tamen concessio efficiebat, ut repudium esset licitum, quia Deus propter duritiem Judæorum, in lege matrimonii cum eis dispensabat, et eorum infirmitati subveniebat (boni enim principis est, leges suas genio et indoli populi attemperare), præsertim cùm ad mysterium hoc fieret. Per hoc enim Judæorum repudium significabatur, quòd Deus repudiatâ Synagogâ Judæorum, Ecclesiam ex gentibus sibi desponsaret. Atque hâc de causâ factum est, ut matrimonia Judæorum non haberent rationem Sacramenti, sicut habent matrimonia Christianorum, neque indivulsam Christi unionem cum naturâ nostrâ, et cum Ecclesiâ significarent, uti peractâ jam Christi incarnatione, significant conjugia fidelium, quæ proinde omninò insolubilia sunt.

Nota. Hoc jus repudii tantùm habebant mariti, non uxores. Ita Josephus lib 15, c. 11, ubi dicit, quòd Salome, soror Herodis, præter legem, quæ solis maritis permittit repudium, repudiàrit maritum suum Costobarum : « Lex « enim, inquit, nostra, solis maritis jus repu- « dii permittit ; mulieribus autem, ne dimissis « quidem, fas est nubere, nisi prioris viri per- « missu. » Prius hoc de maritis lex habet, posterius de feminis dimissis, ne nubant sine viri permissu, lex non habet ; sed, si id verum est, introductum est consuetudine, quâ jus hoc usurpârunt mariti. Poterant tamen uxores ob adulterium mariti, aliasque causas justas, facere thori divortium. Hoc enim Christianis, et quibusvis gentibus permittit jus naturæ.

Libellum repudii. Hebr. est libellum *keritut*, id est, excisionis, vel abscissionis. Nota. Libellus hìc vocantur litteræ dimissoriæ ; sic enim etiamnum libellum supplicem vocamus litteras supplices. Hebræum enim *sephar*, id est, liber, significat quasvis litteras, catalogum, enarrationem, bullam, etc.

Tradunt Hebræi, et ex iis Vatabl., Oleaster et alii, formulam libelli repudii fuisse hanc : *Ego R. Simeon, filius R. Abraham, filii R. David, filii R. Salomonis, die primà mensis secundi, anno 5296 à creatione mundi, hìc et in hâc civitate, ex animi mei consensu, et sine ullâ coactione, repudiavi Rachel, filiam R. Mosis, filii R. Joseph, filii R. Jacob ; et dedi illi libellum repudii in manu, schedam abscissionis, et signaculum divisionis, ut sit à me abjecta, et abeat quòcumque velit, et nemo possit illi prohibere, juxta constitutiones Mosis et Israel.* Formula libelli repudii apud Rom., ut patet ex jure civili, tit. de Divortiis, erat hæc : *Res tuas curato, res tuas tibi habeto ;* debebatque fieri repudium coram judice formâ judiciariâ, ut eodem tit. patet. Et verisimile est ita quoque fecisse Judæos. Medos etiam et

Persas usos fuisse repudio, patet Esther 1, 19, ubi Assuerus repudiat Vasthi. Idem de Philisthinis patet Judic. 15, 2.

Causam conscribendi hujus libelli, audi ex S. Augustino lib. 19 contra Faustum 26: « Deus, inquit, interposuit hanc moram, ut « in dissidium animus præceps, libelli con- « scriptione refractus, absisteret, et quid mali « esset uxorem dimittere, cogitaret, præsertim « quia scribæ, quorum erat litteras scribere, « quasi viri prudentes, dissidii dissuasores « erant. » Altera causa fuit, ut legitimè et juridicè res fieret, ne repudians postea repudium negaret, et repudiatam contra legem reciperet. Rursùm, ut repudiatæ consuleretur, illaque novas nuptias inire posset. Per libellum enim hunc, ipsa omnibus demonstrabat, se à priore marito et matrimonio esse liberam et solutam; alioqui enim adulteriis et litibus res hæc fuisset obnoxia, uti in matrimoniis clandestinis accidisse vidimus. Denique, Christus Matth. 19, 8 et seq., absolutè revocat dispensationem Dei in lege matrimonii, tollitque omne jus repudii, atque ipsum matrimonium revocat ad primævam suam naturam, institutionem et insolubilitatem, ita ut jam post Christum, repudium nec Christianis, nec Judæis, nec Paganis, nec ulli hominum liceat. Errat ergo Paulus Fagius et hæretici, qui etiamnum Christianis licere repudium docent.

Vers. 4. — Non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia (hebr. *postquàm*) polluta est, et abominabilis facta est coram Domino. Repudiatam vocat pollutam, non quòd peccatum admisisset, ineundo secundas nuptias, nam alioqui deberet vetari, ne ulteriùs alicui tertio nuberet, sed quòd ab alio, puta secundo marito, cognita esset, ejusque semine polluta, ideòque ad priorem redire ei non liceret; quia respectu ejus abominabilis erat, vel, ut habent hebræa: *Quia abominatio hoc est coram Domino*, quia scilicet, reditus ad maritum qui eam repudiavit, abominabilis est, et omninò vetitus à Deo, tum quia speciem præ se fert adulterini concubitûs hic orbicularis nuptiarum regressus, videturque fucatum et palliatum tantùm fuisse divortium; tum quia alioqui facilior datus fuisset aditus ad divortia et repudia, si post secundas nuptias licitum fuisset redire ad primas; jam verò maritus ægriùs repudiabat uxorem, sciens se eam nunquàm recipere posse. Ita Cajetanus et Oleaster.

Ne peccare facias terram tuam. Ne polluas terram tuam. Ita Septuag., q. d.: Ne terra polluatur peccatò inobedientiæ contra legem hanc, neve Deus illi peccatum hoc imputet, eamque puniat, quia, videlicet, prior maritus contra legem recipiendo uxorem, semel à se repudiatam, alteriusque semine pollutam, ideòque sibi abominabilem effectam, seipsum reddebat pollutum, abominabilem et infamem, atque talis ab omnibus habebatur; quo facto, terra ipsa quasi polluebatur, quia rem fœdam ac turpem super se fieri sustinebat. Sic Genes. 38, 7, Her et Onan polluebant terram, super quam semen suum effundebant, quamque consequenter reddebant obnoxiam punitioni divinæ, puta sterilitati, locustis, bruchis, fami, pesti, etc., propter malitiam inhabitantium in eâ. Ita Abulensis et Cajetanus. Vide dicta Levit. 18, 28.

Vers. 6. — Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam. *Molam*, id est, molarem lapidem, vel utrumque, vel alterutrum, quo fiat ut molere non possit. Hebr. inferior molaris vocatur *rechaim*, eò quòd spiret, et efflet quasi farinam, à se molitam; *rauach* enim spirare significat; unde *ruach* est spiritus. Superior verò molaris vocatur *recheb*, eò quòd quasi inequitet inferiori; causam subdit: Quia animam suam apposuit tibi, id est, ut Hebr. et Sept., *quia animam suam dat in pignore*. Nam, ut Chald. vertit, cum hisce molaribus *esca fit omni animæ*, q. d.: Dùm molares in pignus accipis, vitam molitoris et aliorum accipis, quia molâ hâc molitor vivit, et victum sibi parat, multisque aliis farinam et alimoniam suppeditat.

Tropol. S. Gregor. 33 Moral. 16, et ex eo Rupertus et Raban. pignus debitoris est confessio peccatoris, superior mola est spes, inferior est timor. Hæc ergo pignoris loco tolli prohibentur: quia qui peccatori prædicat, tantâ dispensatione componere prædicationem debet, ut nec derelictâ spe, timorem subtrahat, nec subtractâ spe, in solo eum timore derelinquat.

Vers. 7. — Sollicitans fratrem suum. Ut videlicet frater, id est, proximus, se ei subjiciat, eumque sequatur ad alienigenas, quibus eum vendat. Unde Hebræus, Chald. et Septuag. pro, *sollicitans*, habent *furans*, id est, plagiarius; plagium enim est furtum hominis, quo scilicet homo in servitutem abripitur, aut venditur, quod ingens est peccatum et injuria, ideòque hic morte punitur.

Vers. 8. — Observa diligenter, ne incurras plagam lepræ. Ita et Chald. vertit: *Obser-*

va, inquit, *studiosè, ne incidas in plagam lepræ, ut custodias valdè, et facias juxta omnia quæ docuerint vos sacerdotes*, q. d. : Observabis et custodies te, ut non incurras lepram, si feceris ea quæ docuerint te sacerdotes; sin eis rebellis fueris, time ne percutiaris leprâ, sicut Maria percussa est, eò quòd murmurâsset contra Mosen. Hinc patet lepram fuisse flagellum, quod Deus immittebat rebellibus, et contemnentibus superiores, maximè ecclesiasticos. Hinc Ozias rex, volens invitis sacerdotibus adolere incensum, percussus est leprâ, 4 Reg. 15, 5. Vide dicta Levit. 13, sub initium cap.

Vers. 10. — Non ingredieris domum ejus (proximi) ut pignus auferas. Ne videlicet domum ejus ingressus, auferas in pignus rem proximo necessariam, aut maximè commodam; sine ergo, ut proximus spontè loco pignoris afferat ad te id quod voluerit, et quo optimè carere potuerit.

Vers. 12. — Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus. Jubentur hîc divites, qui acceperunt à paupere in pignus vestem, aliamve rem ei necessariam, quotidiè vespere ei hoc pignus domum remittere, ut noctu veste suâ calefiat, reque suâ utatur; manè autem quotidiè permittuntur illud rursùm accipere in pignus, ut hâc ratione stimuletur pauper ad citò solvendum id quod eis debet.

Vers. 13. — Ut habeas justitiam coram Domino Deo tuo. *Justitiam*, id est, misericordiam. Ita Septuag., hoc est, misericordiæ meritum et præmium. Sic Daniel. 4, 24, pro eo quod nos habemus : *Peccata tua eleemosynis redime*, Chald. qui in eo libro est originalis, habet : *Peccata tua justitiâ redime*, unde subinde etiam noster interpres justitiam pro misericordiâ accipit, ut Proverb. 11, 4 : *Justitia* (id est, eleemosyna) *liberat à morte*; præcessit enim : *Non proderunt divitiæ* (avarè reconditæ) *in die ultionis*; et psal. 111, 9, quod citat Apostolus 2 Cor. 9, 9 : *Dispersit, dedit pauperibus, justitia* (id est, eleemosyna) *ejus manet in seculum seculi*. Misericordia ergo vocatur justitia, eò quòd propria justorum et sanctorum virtus sit misericordia, idemque sanctus sit et misericors. Unde et sanctus hebr. vocatur *chasid*, id est, pius; è contrario, *viscera impiorum sunt crudelia*, ut dicitur Proverb. 12, 10. Vide dicta 2 Cor. 9, 9.

Vers. 14 et 15. — Non negabis mercedem indigentis, etc., sed eadem die reddes ei pretium laboris, etc., quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam. Merces hîc jubetur solvi pauperibus eodem die, quo laborârunt, ante solis occasum; quia ex eâ dietim vivere, suamque familiam alere debent.

Vers. 16. — Non occidentur patres pro filiis. Lyran. censet pœnam, non tantùm damni, sed et sensûs, puta tormenta et mortem, posse infligi filiis pro peccatis parentum, idque non tantùm à Deo, sed etiam ab hominibus, puta à judicibus et principibus. Verùm hoc repugnat huic versui, idque benè confutat Gabriel Vasquez 1-2, q. 83, art. 4, disp. 135, cap. 3.

Vers. 19. — Quando messueris segetem in agro tuo, et oblitus manipulum reliqueris, non reverteris, ut tollas illum. Jubetur hîc et Levit. 19, 9, spicilegium et racematio post vindemiam, relinqui pauperibus; idem statuit de frugibus, id est, fructibus olivarum, in oleâ post collectionem remanentibus. Hæc ergo sunt præcepta misericordiæ, non justitiæ.

Nota hoc capite quàm Deus sit tutor et ultor pauperum, quàmque velit eis subveniri, nec lædi : *Ne clamet*, inquit v. 15, *contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum*. Celebre et omnium ore vulgatum exemplum extat in Hollandiâ : uxor enim comitis Hollandiæ pauperculam mendicantem repellens, eamque insimulans adulterii, eò quòd tam numerosam prolem haberet, ab eâ maledicta est, ut tot proles pareret, quot sunt dies in anno. Maledictionem exaudit Deus, fecitque ut uxor comitis uno partu 365 proles pareret, quæ omnes baptizatæ sunt, et mox post baptismum mortuæ. Extat hujus prodigii pictura in monasterio virginum inter Leydam et Hagam Comitis. Idem prorsùs contigisse Margaretæ uxori comitis Holsteinii narrat Crantzius in Histor. Wandaliæ, et annales Brunswicensium anno Domini 1313. An idem sit hoc prodigium cum priore, ut eos fefellerint vicinæ voces Holsteinii et Hollandæ, non laboro, dummodò rem verissimam esse non dubitemus.

CAPUT XXV.

1. Si fuerit causa inter aliquos, et interpellaverint judices, quem justum esse perspexerint, illi justitiæ palmam dabunt; quem impium, condemnabunt impietatis. — 2. Sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis, prosternent, et coram se facient verberari. Pro mensurâ peccati erit et plagarum modus; — 3. ita duntaxat ut quadragenarium numerum non excedant; ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus. — 4. Non ligabis

os bovis terentis in areâ fruges tuas. — 5. Quando habitaverint fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratris sui; — 6. et primogenitum ex eâ filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel. — 7. Sin autem noluerit accipere uxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, et interpellabit majores natu, dicetque : Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel, nec me in conjugem sumere. — 8. Statimque accersiri eum facient, et interrogabunt. Si responderit : Nolo eam uxorem accipere ; — 9. accedet mulier ad eum coram senioribus, et tollet calceamentum de pede ejus, spuetque in faciem illius, et dicet : Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui. — 10. Et vocabitur nomen illius in Israel, domus discalceati.— 11. Si habuerint inter se jurgium viri duo, et unus contra alterum rixari cœperit, volensque uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miseritque manum, et apprehenderit verenda ejus,— 12. abscides manum illius, nec flecteris super eam ullâ misericordiâ. — 13. Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus; — 14. nec erit in domo tuâ modius major et minor. — 15. Pondus habebis justum et verum, et modius æqualis et verus erit tibi : ut multo vivas tempore super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi.— 16. Abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, et aversatur omnem injustitiam. — 17. Memento quæ fecerit tibi Amalec in viâ, quando egrediebaris ex Ægypto : — 18. quomodò occurrerit tibi, et extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, quando tu eras fame et labore confectus, et non timuerit Deum. — 19. Cùm ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, et subjecerit cunctas per circuitum nationes, in terrâ quam tibi pollicitus est, delebis nomen ejus sub cœlo. Cave ne obliviscaris.

---

1. S'il s'excite un différend entre deux hommes, et qu'ils portent l'affaire devant les juges, celui qu'ils reconnaîtront avoir la justice de son côté sera justifié par eux et gagnera sa cause; et ils condamneront d'impiété celui qu'ils auront jugé impie. — 2. Que s'ils trouvent que celui qui aura fait la faute mérite d'être battu, ils ordonneront qu'il soit couché par terre, et qu'il soit battu devant eux. Le nombre des coups se réglera sur la qualité du péché; — 3. en sorte néanmoins qu'il ne passera point celui de quarante, de peur que votre frère ne s'en aille, ayant été déchiré misérablement devant vos yeux; *ce qui serait un spectacle indigne de vous, qui devez être pleins de charité.* — 4. Vous ne lierez point la bouche du bœuf qui foule vos grains dans l'aire, *mais vous lui laisserez la liberté d'en manger.* — 5. Lorsque deux frères auront demeuré ensemble *dans la même ville, ou dans le même pays,* et que l'un d'eux sera mort sans enfants, la femme du mort n'en épousera point d'autre que le frère de son mari qui la prendra pour femme, et suscitera des enfants à son frère; — 6. et il donnera le nom de son frère à l'aîné des fils qu'il aura d'elle, afin que le nom de son frère ne se perde point dans Israël. — 7. Que s'il ne veut pas épouser la femme de son frère, qui lui est due selon la loi, cette femme ira à la porte de la ville, et elle s'adressera aux anciens, et leur dira : Le frère de mon mari ne veut pas susciter dans Israël le nom de son frère, ni me prendre pour femme. — 8. Et aussitôt ils le feront appeler, et ils l'interrogeront. S'il répond : Je ne veux point épouser cette femme, — 9. la femme s'approchera de lui devant les anciens, et lui ôtera son soulier du pied, *comme pour le punir de ce qu'il ne veut pas mettre le pied dans la famille de son frère, ni prendre possession de son héritage,* et *elle* lui crachera au visage, en disant : C'est ainsi que sera traité celui qui ne veut pas établir la maison de son frère. — 10. Et sa maison sera appelée dans Israël la maison du déchaussé.— 11. S'il arrive un démêlé entre deux hommes, et qu'ils commencent à se quereller l'un l'autre, et que la femme de l'un, voulant tirer son mari d'entre les mains de l'autre qui sera plus fort que lui, étende la main *sur cet autre*, et le prenne par un endroit que la pudeur défend de nommer, — 12. vous lui couperez la main, sans vous laisser fléchir d'aucune compassion pour elle. — 13. Vous n'aurez point en réserve plusieurs poids, l'un plus fort et l'autre plus faible; — 14. et il n'y aura point dans votre maison une mesure plus grande et une plus petite. — 15. Vous n'aurez qu'un poids juste et véritable, et il n'y aura chez vous qu'une mesure qui sera la véritable et toujours la même, afin que vous viviez long-temps sur la terre que le Seigneur votre Dieu vous aura donnée.—16. Car le Seigneur votre Dieu a en abomination celui qui fait ces choses, et il a horreur de toute injustice.— 17. Souvenez-vous de ce que vous a fait

Amalec dans le chemin, lorsque vous sortiez de l'Egypte, — 18. de quelle sorte il marcha à vous, et tailla en pièces les derniers de votre armée, que la lassitude avait obligés de s'arrêter, lorsque vous étiez vous-mêmes tout épuisés de faim et de travail, sans qu'il ait eu aucune crainte de Dieu. — 19. Lors donc que le Seigneur votre Dieu vous aura donné du repos, et qu'il vous aura assujetti toutes les nations situées tout autour de vous, dans la terre qu'il vous a promise, vous exterminerez de dessous le ciel le nom d'Amalec. Et prenez bien garde de ne le pas oublier.

Vers. 3. — Ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, causa subditur : ne fœdè laceratus ante oculos tuos, abeat frater tuus. Ita Paulus : *Quinquies,* inquit, *quadragenas unâ minùs accepi,* 2 Corinth. 11, 24.

Vers. 4. — Non ligabis os bovis terentis in area fruges, quia par est, ut animalia laborantia comedant; quare veto claudi capistro ora triturantium, ne comedant ex suâ triturâ. Solebant enim in Palæstinâ, uti etiamnum in Canariis et nonnullis regionibus fit, per boves, qui circumacti, ungulis pedum suorum segetes terebant, grana excutere. Unde Poeta : *Bobusque triturant.* Hunc esse sensum litteralem, patet ex ipsis verbis, quæ hanc legem duris Judæis inculcant.

Dices : 1 Corinth. 9, v. 9, Apostolus videtur excludere hunc sensum, ait enim : *Numquid de bobus cura est Deo ?* — Respondet Abul. Apostolum alium afferre sensum litteralem hujus loci, eumque præcipuum, cum quo tamen noster hic de bobus, qui minùs præcipuus est, consistat, q. d. Apostolus : Minùs præcipua Dei cura est de bobus, præcipua verò est de prædicatoribus verbi Dei. Verùm, non esse hos duos sensus litterales, patet; nam bos litteraliter non significat prædicatorem, sed tantùm verum bovem, prædicatorem verò tantùm significat typicè, quia videlicet, bos ad laborem natus, est typus prædicatoris, qui in agro Domini quasi bos laborat. Ergo, cùm litteraliter hæc sententia intelligatur de veris bobus triturantibus, non potest litteraliter accipi de prædicatoribus, sed tantùm typicè; alioqui enim omnis allegoria esset sensus litteralis, quod planè est falsum. Nam sensus litteralis est is, qui primò per sententiam aliquam significatur; allegoricus verò, vel typicus est, qui secundò, seu mediante sensu litterali significatur; sicut ergo umbra corporis non est corpus, ita sensus typicus nequit esse litteralis, sed tantùm litterali sensu est adumbratus.

Dico ergo : Sensus litteralis est de bobus, ut dixi; typicus verò est de prædicatoribus, quem dat Apostolus, scilicet iis dandam esse alimoniam, eosque posse ex Evangelio vivere, sicuti bos alitur suâ triturâ; quorum quia præcipua cura est Deo, ut scilicet, Deus præcipuè hâc lege intenderet significare typicè, prædicatores alendos esse à populo, hinc Apostolus ait : *Numquid de bobus cura est Deo?* q. d. : Præcipua cura Dei in hâc lege, non fuit boum, sed altius quid spectavit, videlicet, me et mei similes præcones Evangelii, ex eo posse vivere. Apostolus ergo hîc, uti et aliàs sæpè, argumentatur, non ex sensu litterali, sed allegorico; aut potiùs ex sensu litterali, argumentatur à majori ad minus, ad allegoricum, q. d. : Si bos vivit ex triturâ, ergo multò magis prædicator ex suâ prædicatione. Ita Tertull. lib. 5 contra Marcion. c. 7, et Theod. hîc q. 31. Ubi nota. Licet sensus litteralis in Script. sit primus, allegoricum tamen posse esse primarium et præcipuum, sive magis intentum à Spiritu sancto, uti hîc fit; unde efficax ex eo duci potest argumentum, quando constat eum verè esse sensum allegoricum, sive mysticum.

Vers. 5. — Quando habitaverint fratres simul, non in eâdem domo, aut loco; hoc enim parùm ad rem facit, inquit Abulensis, sed q. d. : Quando simul vixerint fratres, ita ut uno mortuo, alius sit superstes. Est catachresis; solent enim fratres simul in eâdem domo, vel urbe, aut certè provinciâ habitare.

Et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri : sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratris sui. Tertul. lib. 4 contra Marc. 34, vertit : *Si quis frater illiberis decesserit, à fratre ipsius supparetur* (id est, substituatur) *semen illi,* vel, ut Cajetan. ad verbum vertit, *levir accipiet eam sibi in uxorem, et levirabit eam.* Officium enim leviri erat, fratriam ducere, et ex eâ fratri defuncto semen suscitare, quod Cajetan. ex hebræo vocat *levirare.* Suscitare ergo semen fratris, est generare prolem fratri, seu quæ fratris defuncti censeatur esse proles, illi que arrogetur.

Nota τὸ *frater :* licet enim Calvinus per fratrem intelligat cognatum, quia, inquit, Levit. 18, 16, vetatur, ne frater ducat uxorem fratris sui, tamen quia hîc cognati nulla fit mentio, semperque ingeminatur nomen fratris, hinc Abulens., Cajet. et alii passim, fratrem hîc pro-

priè dictum accipiunt, itàque interpretati sunt Hebræi prisci, ut patet Matth. 12, 25; Marci 12, 20; Genes. 38, vers. 8 et 11. Unde patet, legem hanc exceptionem esse ab illâ Levit. 18, ut ibi dixi. Hinc sequitur, legem hanc tantùm obligare fratres defuncti, non cognatos. Fratres, inquam, singulos, quemque ordine suo, ita ut si secundus frater, pariter ac primus, sine liberis decederet, fratriam ducere deberet tertius frater; quòd si is illiberis decederet, deberet eam ducere quartus frater, usque ad ultimum, ut patet Matth. 22, 25. Reliqui ergo cognati, quique ordine suo, post fratres, jus quidem propinquitatis habebant ad uxorem defuncti, et consequenter ad ejus hæreditatem; sed, si nollent eam ducere, vellentque cedere hæreditate, non notabantur infamiâ hujus legis, uti patet Ruth. 4, vers. 6; uxor verò defuncti tenebatur nubere, non alteri quàm fratri, aut cognato mariti sui defuncti, si is eam ducere vellet. Ita Abulensis.

Quæres, quid si frater defunctus reliquisset filiam, non filium, numquid frater superstes debebat defuncti uxorem ducere? — Aliqui censent quòd non, quia filia hæc nupsisset viro, ex quo suscepisset prolem, quæ nominata fuisset nomine avi, ejusque familiam et nomen continuâsset, ut patet de filiabus Salphaad, Numer. 27. Verùm Abulens. et alii probabiliùs censent hoc casu fratrem debuisse ducere fratriam, puta uxorem fratris defuncti; ratio est, quia frater fratri debebat suscitare semen; *suscitare* autem *semen*, est suscitare prolem masculam, quæ fratris defuncti nomen et stirpem propaget; feminæ enim nunquàm gerunt nomen patris, vel avi, sed mariti; si tamen defuncto fratre, filia fuisset superstes, nec superfuisset frater, qui suscitâsset semen fratri defuncto, tunc filia ista accepisset hæreditatem patris sui, et qui eam duxisset, suscitâsset semen patri ejus defuncto, ut patet Num. 27.

Vers. 6. — Et primogenitum ex ea filium nomine illius (fratris defuncti) appellabit. Hebr. est: *Primogenitus stabit nomine fratris sui*, id est, primogenitus vocabitur filius, non patris, sed patrui sui defuncti, ejusque hæreditatem adibit; reliqui verò filii, quos generabit, fratris generantis esse censebuntur, ejusque nomine vocabuntur, ut ita et ipse post se stirpem et familiam suam relinquat.

Quæres, quæ fuit causa hujus legis? — Respondeo: Prima fuit ad multiplicandum familias; frater enim suscitans semen fratri, primò, instaurabat familiam fratris sui, deinde suam. Secundò, ut viduæ subveniretur. Tertiò, quia illâ ætate summum erat desiderium liberorum, summaque morientis erat tristitia, sine prole defungi; huic ergo leniendæ lex hæc serviebat, unde etiam ante hanc legem, in statu legis naturæ idem erat mos, ut patet de Thamar, Genes. 39, 8 et seq. Quartò, ne hæreditas tribuum et familiarum confunderetur; nam si viduæ alienis nupsissent, bona sua in exteras familias transtulissent. Unde Judæi à captivitate babylonicà, quâ vel ereptæ vel confusæ fuerunt eorum possessiones, non servant hanc legem, dicuntque eam jam cessante causâ cessâsse, et abolitam esse. Verùm non hæc una, sed plures aliæ fuerunt hujus legis causæ, quæ etiamnum apud eos locum habere possunt, ut hoc solo nomine lex hæc non sit abolita. Quintò, ut fraternæ charitatis et dilectionis officium sanciretur, cùm alter alterius posteritatem, velut propriam jubebatur curare. Sextò, ut superstites admonerentur officii in suos defunctos, ne videlicet eorum obliviscerentur, sed honore simul et amore eos prosequerentur. Septimam causam dat Procopius, et Julius Africanus apud Eusebium lib. 1 Hist. c. 7: « Quia, inquit, nondùm certa et indubitata resurrectionis spes Judæorum animis penitùs insidebat, idcircò futuram resurrectionis promissionem, in hâc mortali et caducâ resurrectionis spe, imitatione quâdam adumbrârunt, quò nomen ejus qui vitam cum morte commutârat, non prorsùs ex omni memoriâ deleretur. » Frater enim mortuus quodammodò resurgebat per semen à fratre suscitatum.

Allegoricè causam dat S. August. lib. 22 contra Faustum cap. 10, et ex eo Rupert. Unusquisque, ait, Evangelii prædicator ita debet in Ecclesiâ laborare, ut defuncto fratri, id est, Christo, suscitet semen, qui pro nobis mortuus est, et quod suscitatum fuerit, ejus nomen accipiat, ut vocetur Christianus, non Petrianus, nec Paulianus; hic verò, qui sibi et Ecclesiæ prodest, rectè intelligitur utroque pede calceatus; qui autem curam refugit aliorum lucrandorum, discalceati illius in lege, non figuratum significabit, sed in se impletum portabit opprobrium, ut scilicet vocetur domus discalceati; ita et S. Greg. 1 p. Pastor. c. 5.

Vers. 8 et 9. — Si responderit: Nolo eam uxorem accipere, accedet mulier ad eum, etc., et tollet calceamentum de pede ejus, spuetque in faciem illius, q. d.: Notabit eum infamiâ; hæ enim sunt notæ conditionis servilis; vix

enim mancipiis in faciem spuimus. Idem significat discalceatio; servi enim incedebant nudipedes, sine calceis, q. d. : Talis indignus est qui gestet calceum, id est, qui versetur inter ingenuos, eò quòd fratris uxore, æquè ac hæreditate et familiâ se abdicavit; hoc enim est animi illiberalis et vilis. Rursùm, talis in facie conspuitur, et calceis nudatur, ut summa et ima pars hominis contumeliâ afficiatur, itàque totus homo infamiâ notetur; ut significetur, quòd talis omni honore nudatus sit, à capite usque ad calceos. Ita Abul. Oleast. et Fevardentius in Ruth c. 4. Tertiò, calceus est quasi domus pedis; quia ergo hic sibi tantùm vult domum, id est, familiam, ædificare, non fratri, hinc unum retinet calceum, alterum verò perdit. Plura calcei symbola explicui ad Ephes. 6, 15.

Qui non ædificat domum, id est, familiam, hoc est, qui non suscitat proles fratri suo. Sic Lia et Rachel dicuntur ædificâsse domum, id est, familiam, Israel, Ruth 4, 11. Vide dicta Exodi 1, 1.

Vers. 11 et 12. — Si, etc., uxor apprehenderit verenda ejus (viri rixantis cum suo marito), abscides manum illius; tum quia hic contactus pudendus est. Ita Vatabl. et Cajet. qui ait : « Horret lex, ut membra viri, quæ di« rectè ad perficiendum muliebrem sexum « producta sunt, mulier audeat lædere; » hæc enim apprehensio ad rixam et pugnam inhibendam facta erat violenta et læsiva; tum quia in violentâ verendorum apprehensione tantus est dolor, ut homo fiat immobilis, et ab alio, quocum rixatur et pugnat, facillimè possit occidi, q. d. : Uxor hæc apprehendendo verenda viri, fuit occasio, vel causa cædis ipsius; ergo perdat manum, quâ ea apprehendit. Mulier enim hæc, volens in rixâ adjuvare maritum suum, ideò apprehendebat viri, cum quo ille rixabatur, verenda, ut eum imbellem et enervem redderet, itàque eum marito cædendum et prosternendum objiceret; cooperabatur ergo ipsa rixæ et cædi; hinc justè hic manu mulctatur. Ita Abulens.

Vers. 19. — Delebis nomen ejus (Amalec) sub cœlo, q. d. : Ita percuties Amalecitas, ut nulla eorum memoria in terrâ supersit inter homines, uti jam nullam superesse videmus. Ita delentur, qui persequuntur fideles et sanctos.

CAPUT XXVI.

1. Cùmque intraveris terram, quam Dominus Deus tuus tibi daturus est possidendam, et obtinueris eam, atque habitaveris in eâ, — 2. tolles de cunctis frugibus tuis primitias, et pones in cartallo, pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus : — 3. accedesque ad sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, et dices ad eum : Profiteor hodiè coram Domino Deo tuo, quòd ingressus sum in terram, pro quâ juravit patribus nostris, ut daret eam nobis. — 4. Suscipiensque sacerdos cartallum de manu tuâ, ponet ante altare Domini Dei tui; — 5. et loqueris in conspectu Domini Dei tui : Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Ægyptum, et ibi peregrinatus est in paucissimo numero : crevitque in gentem magnam ac robustam et infinitæ multitudinis. — 6. Afflixeruntque nos Ægyptii, et persecuti sunt imponentes onera gravissima : — 7. et clamavimus ad Dominum Deum patrum nostrorum : qui exaudivit nos, et respexit humilitatem nostram, et laborem, atque angustiam; — 8. et eduxit nos de Ægypto in manu forti, et brachio extento, in ingenti pavore, in signis, atque portentis : — 9. et introduxit ad locum istum, et tradidit nobis terram lacte et melle manantem. — 10. Et idcircò nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi. Et dimittes eas in conspectu Domini Dei tui, et adorato Domino Deo tuo. — 11. Et epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi, et domui tuæ, tu et Levites, et advena qui tecum est. — 12. Quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio, dabis Levitæ, et advenæ, et pupillo et viduæ, ut comedant intra portas tuas, et saturentur; — 13. loquerisque in conspectu Domini Dei tui : Abstuli quod sanctificatum est de domo meâ, et dedi illud Levitæ, et advenæ, et pupillo, ac viduæ, sicut jussisti mihi; non præterivi mandata tua, nec sum oblitus imperii tui. — 14. Non comedi ex eis in luctu meo, nec separavi ea in quâlibet immunditiâ, nec expendi ex his quidquam in re funebri : obedivi voci Domini Dei mei, et feci omnia sicut præcepisti mihi. — 15. Respice de Sanctuario tuo, et de excelso cœlorum habitaculo, et benedic populo tuo Israel, et terræ, quam dedisti nobis, sicut jurâsti patribus nostris, terræ lacte et melle mananti. — 16. Hodiè Dominus Deus tuus præcepit tibi ut facias mandata hæc atque judicia; et custodias et impleas ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ. — 17. Dominum elegisti hodiè, ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus, et custodias cæremonias illius, et mandata atque judicia, et obedias ejus imperio. — 18. Et Dominus elegit te hodiè, ut sis ei populus pe-

culiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia præcepta illius : — 19. et faciat te excelsiorem cunctis gentibus quas creavit, in laudem, et nomen, et gloriam suam, ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est.

---

1. Lorsque vous serez entrés dans le pays dont le Seigneur votre Dieu vous doit mettre en possession, que vous en serez devenus les maîtres, et que vous vous y serez établis, — 2. vous prendrez les prémices de tous les fruits de votre terre, et les ayant mis dans un panier, vous irez au lieu que le Seigneur votre Dieu aura choisi pour y faire invoquer son nom. — 3. Là, vous approchant du prêtre qui sera en ce temps-là, vous lui direz : Je reconnais aujourd'hui publiquement, devant le Seigneur votre Dieu, que je suis entré dans la terre qu'il avait promise avec serment à nos pères de nous donner. — 4. Et le prêtre prenant le panier de votre main, le mettra devant l'autel du Seigneur votre Dieu. — 5. Et voici ce que vous direz en la présence du Seigneur votre Dieu : Lorsque *Laban* le Syrien poursuivait *Jacob* mon père, *il se retira dans la terre de Chanaan : ensuite* il descendit en Egypte, et il y demeura comme étranger, ayant très-peu de personnes avec lui; mais il s'accrut depuis, jusqu'à former un peuple grand et puissant, qui se multiplia jusqu'à l'infini. — 6. Cependant les Egyptiens, *jaloux de cette bénédiction que Dieu nous donnait*, nous affligèrent et nous persécutèrent, nous accablant de charges insupportables; — 7. mais nous criâmes au Seigneur, le Dieu de nos pères, qui nous exauça, et qui, regardant favorablement notre affliction, nos travaux et l'extrémité où nous étions réduits, — 8. nous tira d'Egypte par sa main toute-puissante et en déployant toute la force de son bras, ayant jeté une frayeur extraordinaire dans ces peuples, par des miracles et des prodiges inouïs; — 9. et il nous a fait entrer dans ce pays, et nous a donné cette terre où coulent des ruisseaux de lait et de miel. — 10. C'est pourquoi j'offre maintenant les prémices des fruits de la terre que le Seigneur m'a donnée, *pour lui en marquer ma reconnaissance.* Vous laisserez *ensuite* ces prémices devant le Seigneur votre Dieu, et après avoir adoré le Seigneur votre Dieu; — 11. vous vous nourrirez avec joie de tous les biens que le Seigneur votre Dieu vous aura donnés, et à toute votre maison, vous, et le Levite, et l'étranger qui est avec vous. — 12. Lorsque vous aurez achevé de donner la dîme de tous vos fruits, vous donnerez la troisième année les dîmes aux Lévites, à l'orphelin et à la veuve, afin qu'ils mangent au milieu de vous, et qu'ils soient rassasiés, — 13. et vous direz ceci devant le Seigneur votre Dieu : J'ai ôté de ma maison ce qui vous était consacré, et je l'ai donné au Lévite, à l'étranger, à l'orphelin et à la veuve, comme vous me l'avez commandé; je n'ai point négligé vos ordonnances, ni oublié ce que vous m'avez commandé; — 14. je n'ai point mangé de ces choses étant dans le deuil; je ne les ai point mises à part pour m'en servir en des usages profanes; et je n'en ai rien employé dans les funérailles des morts, *comme font les idolâtres; mais* j'ai obéi à la voix du Seigneur mon Dieu, et j'ai fait tout ce que vous m'aviez ordonné. — 15. Regardez-nous donc de votre Sanctuaire, et de ce lieu où vous demeurez au plus haut des cieux, et bénissez votre peuple d'Israël, et la terre que vous nous avez donnée, selon le serment que vous en avez fait à nos pères; cette terre où coulent des ruisseaux de lait et de miel. — 16. Le Seigneur votre Dieu vous commande aujourd'hui d'observer ces ordonnances et ces lois, de les garder et de les accomplir de tout votre cœur et de toute votre âme. — 17. Vous avez aujourd'hui choisi le Seigneur, *en renouvelant l'alliance qu'il a faite avec vous*, afin qu'il soit votre Dieu, afin que vous marchiez dans ses voies, que vous gardiez ses cérémonies, ses ordonnances et ses lois, et que vous obéissiez à ses commandements. — 18. Et le Seigneur vous a choisis *de nouveau* aujourd'hui, afin que vous soyez son peuple particulier, selon qu'il vous l'a déclaré, afin que vous observiez ses préceptes, — 19. et qu'il vous rende le peuple le plus illustre de toutes les nations qu'il a créées pour sa louange, pour son nom et pour sa gloire, et que vous soyez le peuple saint du Seigneur votre Dieu, selon qu'il vous l'a dit.

Vers. 1. — Obtinueris eam. Ergo hæc lex non obligavit Hebræos nisi septimo anno ab ingressu in Chanaan, quo devictis Chananæis terram obtinuerunt et coluerunt, atque deinceps. Ita Abul.

Vers. 2. — Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, et pones in cartallo, in canistro. Hæ primitiæ frugum omnium quotannis offerendæ erant in festo Tabernaculorum, uti dixi Num. 18, 12; tunc ergo facienda erat professio quæ hic sequitur : quotannis ergo iteranda

erat hæc professio, uti et primitiarum oblatio, idque ad renovandam Dei creatoris et benefactoris sui memoriam, ne illa in mente eorum consenesceret.

Nota. Gentiles variis rebus varios deos præficiebant : unde 300 numerabant deos, inquit Varro. Sic segetibus præficiebant Cererem, vel deam Segetiam ; cùmque fames aliqua accidisset, eam sacrificiis et ludis placare et propitiare studebant, teste S. Aug. lib. 4 de Civit. c. 8. Ne ergo Judæi idem facerent, neve putarent, se ab alio, quàm à Deo vero fruges recipere ; hinc jussit eos idipsum, in harum primitiarum oblatione, profiteri. Porrò Hebræi hanc primitiarum oblationem hoc ritu peractam tradunt. Primò, inquiunt, ponebantur in canistro; secundò, inferebantur in templum; tertiò, elevabantur in altum ; quartò, fiebat professio hîc præscripta; quintò, offerebatur victima pacifica; sextò, canebantur psalmi vel hymni, cantus enim sacrificiis jungi solebat. Addunt septimò, offerentes in urbe pernoctâsse. Sed hoc non habet Scriptura.

Nota secundò, τὸ *de cunctis frugibus ;* cunctarum ergo frugum primitias quotannis Dei offerre debebant Judæi. Errant ergo qui certarum frugum tantùm primitias, scilicet mundarum, non immundarum, eis præceptas fuisse putant. Nam omnes fruges erant mundæ ; sola verò animalia, in munda et immunda separabantur.

Vers. 5. — Et loqueris in conspectu Domini Dei tui : Syrus (puta Laban, socer Jacobi, qui habitabat in Mesopotamiâ Syriæ, Gen. 28, 5) persequebatur patrem meum, scilicet Jacob, fugientem ab eo, et redeuntem ad Isaac in Chanaan : Mesopotamia enim Hebr. vocabatur *Aram naharaim,* id est, Syria fluviorum, quia Tigri et Euphrate cingitur. Secundò, Vatablus vertit : *Syrus ille penuriâ laborans fuit pater meus,* puta Jacob habitans in Syriâ, q. d. : Has divitias non accepimus à patre nostro Jacob, sed à Deo. Nam Jacob in Syriâ laboravit penuriâ, ita ut Labano servierit : postea idem laborans inopiâ in terrâ Chanaan, descendit in Ægyptum. Verùm prior sensus planior est, cumque sequitur Chaldæus.

Et ibi peregrinatus est in paucissimo numero, 70 hominum, puta filiorum et nepotum.

Vers. 10 et 11. — Et adorato Domino Deo tuo, epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. Præcipit hîc Deus, ut quilibet de populo offerat frugum primitias Domino, ideòque introeat coram Domino, id est, coram altari holocaustorum, ibique faciat professionem, quâ protestetur se teneri ad hanc oblationem, ob tot à Deo recepta beneficia, maximè liberationis ex Ægypto, et ingressûs in Chanaan ; deinde, ut ibidem adoret Dominum, scilicet humiliando se coram altari, et orando, ut Deus eum dirigat in bono; quæ omnia in honorem divinum cedebant, erantque actus religionis, quibus peractis, epulabatur cum totâ domo suâ, advocans etiam Levitas, et advenas pauperes, idque intra atrium sanctuarii, si aliquam victimam pacificam obtulisset: sin autem, epulabatur de his quæ secum apportârat, nec erant consecrata Deo, in hospitio aliquo. Epulabatur autem, ut ex delectatione hujus epuli, incitaretur ad frequentandum hos actus gratitudinis et devotionis. Ita Abul.

Nota hîc quàm studiosè Deus à nobis requirat beneficiorum suorum recordationem, et gratiarum actionem. Hæc enim virtus Deo millies debetur, estque propria sanctorum et beatorum. Isaiæ 51, 3 : *Gaudium et lætitia invenietur in eâ* (Sione) *gratiarum actio et vox laudis.* Apoc. 7, 12, omnes angeli adorant Deum dicentes : *Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor et virtus, et fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Amen.* Ps. 49, 13 : *Immola Deo sacrificium laudis.* Ephes. 5, 20 : *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et gratias agentes pro omnibus,* et ad Philip. 4, 6 : *In omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* S. Aug. Ep. 5 ad Marcellinum : « Quid meliùs, ait, et animo gera- « mus, et ore promamus, et calamo explane- « mus, quàm Deo gratias? hoc nil dici brevius, « nec audire lætius, nec intelligi gratius, nec « agi fructuosius potest. » Christiani ergo ut minimùm manè, vespere, et post cibum dicant : *Deo gratias.*

Fructus gratiarum actionis primus est, quem dat S. Chrys. in Ps. 7, 18 : « Nihil, ait, æquè « facit in virtute crescere, atque cum Deo as- « siduè versari et colloqui, eique perpetuò « gratias agere et psallere. » Secundus, quem dat idem Chrysost. hom. 8 in Epist. ad Coloss. In adversis, inquit, infideles maledicunt, Christiani gratias agunt. « Vide quanta sit hæc « philosophia. Primò, tùm Deum lætificas ; se- « cundò, diabolum pudefacis ; tertiò, quod « malè factum est, nihil esse facis. Nam et tu « simul gratias agis, et Deus dolorem amputat, « et diabolus abscedit. » Tertius quem dat Chrysost. ibidem : « Deus, ait, exigit à nobis

« gratitudinem, non quòd nostrâ celebratione « opus habeat, sed ut quidquid est lucri, ite- « rùm ad nos redeat, et dignos nos faciamus « majoribus subsidiis. » Quartus extat ibidem apud Chrysost. : « Nihil, ait, hâc linguâ sanctius « est, quæ in adversis Deo gratias agit. Certè « non est inferior linguâ martyrum : utraque « pariter coronatur. » Ita S. Job in tot adversis ait : *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.*

Excitamentum ad hanc gratitudinem est, consideratio innumerabilium Dei beneficiorum, quæ Deus cuique per se et per Christum, tam generatim, quàm particulatim contulit; quæ sanè exigunt, ut mille mentibus, mille vocibus (si id fieri posset) eum laudaremus.

Vers. 12. — Quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio, dabis levitæ, et advenæ, et pupillo, et viduæ. Præscribit hic Deus decimas, quæ singulis trienniis separandæ erant, et dandæ pauperibus. Pro quo nota. Tertio quolibet anno triplices à Judæis separabantur et dabantur decimæ. Nam primò, separabantur decimæ, quæ dabantur Levitis. Secundò, decimæ ad iter et ad oblationes ter in anno faciendas Hierosolymæ, in templo. Tertiò, erant decimæ, quæ dandæ erant pauperibus, de quibus hic agitur, quæ quia ultimæ erant, ideò dicit : *Quando compleveris decimam.* Itaque solutis duabus prioribus decimis, tertiò fruges singulorum erant decimandæ, tertiæque decimæ separandæ erant in usus pauperum. Hinc tertius hic annus vocatur annus decimarum, quia in eo omnes hæ tres decimæ solvebantur; aliis verò annis tantùm duæ priores solvebantur. Ita Abul.

Ut comedant intra portas tuas. Singuli ergo suarum urbium pauperes alebant, tertiis hisce decimis. Imitentur hoc Christiani.

Nota. Sicut Christus Christianis Lucæ 12, 33, et alibi, ita Moses Judæis tam hic, quàm c. 14, 24, et toto cap. 15, et alibi, sæpè impensè commendat eleemosynam ob illustres ejus fructus et prærogativas. Nam primò, eleemosyna, ut ait Tobias c. 4, 11, *ab omni peccato et à morte liberat, et non patitur animam ire in tenebras.* « Per charitatis largitatem omne peccatum vincitur, aut declinatur, » ait S. Leo serm. 2 de Ascens. « Quare misereantur « pauperum, qui sibi volunt parcere Christum, » ait idem Leo serm. 4 de Collectis. Eleemosyna est quasi secundus baptismus, ait S. Ambrosius serm. 32; et S. Leo serm. 2 de Collectis, et Hieron. in psal. 133. Hoc est quod ait Christus : *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis,* Luc. 11, 41. Eleemosyna, inquit Chrysost. homil. 33 ad populum, Christi tribunali adstat non tantùm patrocinans, verùm etiam persuadens judici, ut reo patrocinium præstet, et pro eo sententiam ferat. Unde Jacobi 2, 13, dicitur : *Superexaltat autem misericordia judicium,* græcè, καταχαυχᾶται ἔλεον κρίσεως, id est, *adversùs judicium gloriatur misericordia,* tanquàm victrix judicii. In judicio enim dicet Christus : *Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum,* etc. *Esurivi enim et dedistis mihi manducare,* etc. S. Greg. hom. 32, in Evang. narrat duos martyres habitu peregrino et monastico matronæ cuidam religiosæ apparuisse, cùmque illa eis de more eleemosynam offerret, dixerunt : « Tu nos modò visitas, nos te in die judicii requiremus, et « quidquid possumus præstabimus tibi. » Similem opem promisisse et præstitisse hoc seculo Carthusianos martyres sub Henrico VIII, Angliæ rege, matronæ cuipiam agonizanti, quæ eos in carcere eleemosynis, omnique obsequio juverat, ab Anglis viris omni fide dignis audivi. Eleemosyna est instar sacrificii Deum placantis, ut ait S. August. hom. 29 inter 50, et Apostol. Hebr. 13, 16 : *Beneficientiæ et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus.* Vide S. August. lib. 10 Civit. 5. Eleemosyna est instar columbæ, quæ Gen. 8, 11, reversa est ad Noe in diluvio ferens ramum olivæ. Eleemosyna enim affert fiduciam, lætitiam, pacem et gloriam sempiternam. « Pennata, inquit S. Chrys. hom. 7 de Pœnit., « est eleemosyna, aureas habens alas, ipsos « supra modum delectans angelos. » Nam ipsa aurum egenis tribuens, aureis in cœlum alis evolat. Eleemosyna opes in tuto locat, puta in cœlo, per manus pauperum. « Ubinam, inquit « Chrysost. loco citato, opes deponemus? « transfugæ sunt (ab uno enim ad alium fu- « giunt) quomodò tenebuntur? Distributæ ma- « nent, custoditæ fugiunt. » Affert deinde similitudinem frumenti, quod domi retentum, à vermibus corroditur, et fugit; sparsum verò messem parit uberrimam, et manet. Sic et opes domi asservatæ fugiunt; sparsæ in pauperes fructum afferunt, et manent. « Neque enim « diffugere, inquit, poterunt detentæ tot vi- « duarum et pauperum manibus. » Et S. Cyprianus tract. de Opere et Eleemosynâ : « Pa- « trimonium, inquit, Deo creditum nec fiscus

« invadit, nec calumnia aliqua forensis ever-« tit. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo cu-« stode servatur. » Eleemosyna hominem facit similem Deo. Deus enim est ipsum in se bonum; natura autem boni est ut se aliis communicet. *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est,* ait Christus Luc 6, 36. Misericordia ergo imaginem Dei misericordis pingit in homine misericorde. « Ubi Deus cu-« ram misericordiæ invenit, ibi imaginem suæ « pietatis agnoscit, » inquit S. Leo serm. 10 de Quadrag., et Clemens Alexan. lib. 2 Strom. c. 9 : « Dei, inquit, imago est homo benefaciens. » Et Nazianzenus orat. 16 de Pauper. fovend. : « Nihil, ait, adeò divinum habet homo, quàm « benefacere. » Deus enim maximè hoc titulo gaudet, quòd vocetur Pater misericordiarum et Deus totius consolationis. Item, misericors et miserator Dominus, longanimis et multùm misericors.

Nihil tam homini proprium, quàm humanitas : verè ergo homo est, qui humanus est erga alios. Hinc manus, oculos, aures, linguam, aliaque membra accepit, non ut sibi soli, sed etiam ut aliis prosit ; utque manum, linguam, pedes, etc., aliis commodet et porrigat. Ait poeta :

Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis.

Hinc Leo imperator homines misericordes comparabat soli, qui cunctis lucem et calorem suum impertit.

Eleemosyna auget merita, et gratiam Deique benedictionem conciliat. Nam, ut ait S. Paulus : *Qui parcè seminat, parcè et metet ; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet,* 2 Corinth. 9, 6. Auget bona temporalia. Scriptum est enim : *Date, et dabitur vobis.* Eleemosyna ergo similis est terræ, quam seminavit Isaac, quæ reddidit fructum centesimum. Unde Christus sua relinquentibus, et distribuentibus in pauperes centuplum promittit. Rectè igitur S. August. serm. 25 de Verbis Domini c. 3. « Fœcundus est, ait, ager paupe-« rum, citò reddit donantibus fructum. » Proverb. 28, 27 : *Qui dat pauperi, non indigebit ; et qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.* Incidat hoc hydria illa farinæ, et lecythus olei, ex quibus Eliæ eleemosyna est collata. Nam *hydria farinæ non defecit, et lecythus olei non est imminutus,* 3 Reg. 17, 16. Sic et quinque panes dati à Christo in eleemosynam turbæ, multiplicati sunt. Eleemosyna enim opes et cibos fœnori dat Deo, indeque maximum quæstum facit. Proverb. 19, 17 : *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei.* « Deus, inquit S. Leo serm. 6 « de Jejunio 10 mensis, fidejussor est paupe-« rum, largissimus redditor usurarum. » Si vis igitur fœnerari, fœnerare Deo. Meritò Chrysost. scripsit homiliam 33, hoc titulo, *quòd eleemosyna est ars omnium quæstuosissima.* Eleemosyna præbet magnum solatium morituris. Tobiæ 12 : *Eleemosyna liberat à morte, et ipsa est quæ facit invenire misericordiam.* Ps. 40, 2 : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die malâ liberabit eum Dominus. Non sunt hominis bona,* inquit S. Ambrosius, *quæ secum ferre non potest; sola misericordia comes est defunctorum.* Hinc liberat à gehennâ. Tobiæ 4, 8 : *Quomodò potueris, ita esto misericors ; præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.* Vide parabolam Barlaam de duobus amicis hominem in morte deserentibus : tertio verò, videlicet virtute et eleemosynâ eum defendente, apud Damascenum. Imò eleemosyna Tabitam à morte revocavit, Actor. 9, 40, inquit S. Cyprianus de Opere et Eleemosynâ. Eleemosyna ædificat æterna tabernacula in cœlis. Patet hoc exemplo Petri Telonarii, quod exstat in Vitâ S. Joannis Eleemosynarii et alterius quod recenset S. Greg. 4 Dialogorum 36. Hinc S. Leo serm. 6 de Jejunio 10 mensis : « Temporale, ait, donum in præmium « transit æternum. » Et Chrysost. hom. 9 de Pœnit. : « Mercatura, ait, negotiatioque tua « cœlum est ; da panem, et accipe paradisum ; « parva da et magna suscipe ; da mortalia, et « recipe immortalia. » Eleemosyna ergo in cœlo est quasi œconomus, quæ cuique pro meritis suum locum et coronam assignat. Scriptum est enim : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Hinc Petrus Chrysol. serm. 8 de Jejun. et Eleemosynâ : « Manus, ait, pauperis sinus est Abrahæ, ubi « quidquid pauper accepit, mox reponit. The-« saurus cœli est manus pauperis : quod sus-« cipit ne pereat in terrâ, reponit in cœlum. « Da igitur, ô homo, pauperi terram, ut acci-« pias cœlum ; da nummum, ut accipias re-« gnum, da micam, ut accipias totum. »

Beatius est dare quàm accipere, ait Jesus Christus. Hinc in dando tota natura nobis præbet exemplum. Cœli dant lumen et influxum ; ignis dat calorem ; aer dat auram quâ respiramus ; terra dat tot fructus, mare tot pisces, animalia dant lanam et carnes ; Pater æternus dat Filio suam naturam ; Pater et Filius eamdem dant Spiritui sancto ; Filius se

dedit nobis in præsepio et in cruce, ac quotidiè dat in venerabili Sacramento. Turpissimum igitur erit, si nos, qui ab omnibus creaturis et à Deo quotidiè tam multa recipimus, non etiam discamus largiri non habentibus ea quæ possumus.

Eleemosyna pauperi datur, sed Christus eam sibi datam reputat. *Esurivi,* inquit, *et dedistis mihi manducare,* etc. Esurire voluit Christus in pauperibus, qui dives in cœlo est : et tu dubitas, ô homo, dare homini, cùm scias te dare Christo? Eleemosyna facit opes sanctas; unde sequitur v. 15 : *Attuli quod significatum est.* Sanctum est aurum quo captivi redimuntur, sanctum est argentum quod pupillis et viduis datur. Hinc vulgò opera misericordiæ vocamus opera pietatis; et hebr. *chasid*, id est, pius, vocatur is, qui est misericors. Eleemosyna opem affert orationi. « Efficacissima est ad « exorandum Deum postulatio, cui pietatis « opera suffragantur, » ait S. Leo serm. 10 de Jejun. 10 mensis. Tobiæ 4, 7 : *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere ; ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini;* S. Aug. in psal. 42 : « Vis, ait, orationem tuam volare ad « Deum, fac illi duas alas, jejunium et elee- « mosynam. » Hinc ait Angelus ad Tobiam cap. 12, 8 : *Bona est oratio cum jejunio et eleemosynâ*

Omnes sumus mendici Dei. Quid sunt opes, nisi eleemosynæ divitibus à Deo datæ? dent igitur ipsi pariter ex iis partem pauperibus. « Mendici Dei sumus; ut agnoscat Deus men- « dicos suos, agnoscamus nos nostros. Quam « frontem habes petendo ad Dominum Deum « tuum, qui non agnoscis parem tuum? » ait S. Aug. serm. 5 de Verbis Domini.

Eleemosyna pugnat apud Deum pro eleemosynario, ut Deus ei ferat auxilium. Eccli. 29, 15 : *Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo; super scutum potentis, et super lanceam adversùs inimicum tuum pugnabit.* Et c. 3, 34 : *Deus prospector est ejus qui reddit gratiam : meminit ejus in posterum; in tempore casûs sui inveniet firmamentum,* q. d. : Eleemosynarius in adversis à Deo firmabitur et fulcietur; et cap. 17, 18 : *Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit,* q. d. : Sicut annulus signatorius in digito fertur, et est ante oculos hominis, sic eleemosyna semper obversatur oculis Dei, et gratiam hominis, id est, beneficium collatum in pauperem, conservabit Deus quasi pupillam oculi, id est, quasi rem charissimam. Eleemosyna est propria sanctorum illustrium virtus, estque signum prædestinationis Dei. *Induite,* ait Paulus Coloss. 3, 12, *vos, sicut electi Dei, sancti et dilecti viscera misericordiæ.*

S. Franciscus ita liberalis erat in pauperes, ut à patre prodigalitatis coram episcopo accusatus sit, bonisque spontè exutus; hocque fuit primum sanctitatis ejus fundamentum. Serapion etiam vestem donavit seminudus incedens; rogatus, cur? ostendit librum Evangeliorum : *En,* inquit, *qui me spoliavit;* ipsumque librum tandem etiam erogavit. S. Catharina Senensis pauperi mendicanti crucem argenteam dedit, cùm aliud non haberet. Noctu apparens ei Christus, dixit se crucem illam in die judicii publicè ostensurum, in signum pietatis, sicut et S. Martino apparuit veste indutus, quâ pauperem contexerat. S. Joannes Eleemosynarius fuit mare eleemosynarum, et quò plus dabat, eò plus recipiebat. Solebat ipse pauperes vocare dominos suos, quòd ipsi ei opem ferre possent, ne à regno Dei excluderetur. Hinc S. Franciscus fratribus dicebat, ne mendicare erubescerent, quia majora ipsi largiebantur, quàm acceperant, et dantes ipsi copiosiùs ditabant, addebatque hanc esse nobilem prodigalitatem, quæ pro pane divinum redderet amorem, ut si quis pro pane daret decem aureos, ideòque Mendicantium ordines divino consilio institutos esse eo tempore, quo refrixerat charitas, ut hâc occasione homines divinâ charitate ditescerent. S. Ludovicus, rex Galliæ, semper pauperes mensæ suæ adhibebat, eisque cibum regium subministrabat, cogitans in iis se convivam habere Christum. Rursùm suâ manu iis aliisque pecunias erogabat, dictitans eos esse suos milites, qui regnum defenderent, et idcircò se illis stipendia persolvere. S. Hieronymus ad Nepotian. : « Nunquàm, « ait, memini me legisse malâ morte defun- « ctum qui libenter opera charitatis exhibuit. « Habet enim multos intercessores, et impos- « sibile est multorum preces non exaudiri. » Auctor ad fratres in eremo apud S. August. serm. 44 : « Sola, inquit, misericordia ad « Deum deducit hominem, sola Deum deducit « ad hominem; nunquàm vidi hominem pium « malâ morte finiri. »

Denique eleemosyna est quasi torques aurea nobilium sanctorum ac filiorum Dei, inquit S. Chrysost., imò Salomon Proverb. 3, v. 3, cùm ait : *Eleemosyna et veritas te non deserant; circumda eas gutturi tuo, et inveniès*

gratiam et disciplinam bonam coram Deo, et hominibus.

Vers. 13. — Attuli quod sanctificatum est. Pro *attuli*, lege cum Rom. *abstuli*. Hebr. enim est *biarti*, id est, extuli, abstuli. Ita Septuag., Chald., Vatabl. et alii, q. d. : E domo meâ abstuli et extuli, ô Domine, tertias hasce decimas, quas sanctificari, id est, separari, et tibi in pauperibus offerri mandâsti. Unde sequitur : *Et dedi illud Levitæ, et advenæ, et pupillo, ac viduæ.*

Vers. 14. — Non comedi ex eis in luctu meo, q. d. : In calamitate, vel paupertate meâ, sive inopiâ pressus, non comedi ex tertiis hisce decimis, nec separavi ea in qualibet immunditia, hoc est, nec iis sum usus ad res immundas, ut videlicet ea darem meretricibus, canibus, aut jumentis, q. d. : Hasce decimas ut sanctas, integras et intactas, Deo, id est, pauperibus ejus nomine, separavi et dedi.

Vers. 15. — Respice de sanctuario tuo. Hebr., *respice de habitaculo sanctitatis tuæ, de cœlo ipso.*

Vers. 19. — Faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit, in laudem, et nomen (id est, famam) et gloriam suam. In tot enim, tamque variis gentibus, rebusque à se creatis, Deus ostendit infinitam sapientiam suam in ordinando, et immensam potentiam in creando, et immensum amorem in communicando eis suum esse suaque bona, ut meritò ex hisce omnes assurgere debeant ad Dei laudem et glorificationem. Ita Abulensis.

CAPUT XXVII.

1. Præcepit autem Moyses et seniores Israel, populo dicentes : Custodite omne mandatum quod præcipio vobis hodiè. — 2. Cùmque transieritis Jordanem in terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, et calce levigabis eos, — 3. ut possis in eis scribere omnia verba legis hujus, Jordane transmisso ; ut introeas terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, terram lacte et melle manantem, sicut juravit patribus tuis. — 4. Quando ergo transieritis Jordanem, erigite lapides, quos ego hodiè præcipio vobis, in monte Hebal, et levigabis eos calce : — 5. et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo, de lapidibus quos ferrum non tetigit, — 6. et de saxis informibus et impolitis ; et offeres super eo holocausta Domino Deo tuo ; — 7. et immolabis hostias pacificas, comedesque ibi, et epulaberis coram Domino Deo tuo. — 8. Et scribes super lapides omnia verba legis hujus planè et lucidè. — 9. Dixeruntque Moyses et sacerdotes Levitici generis ad omnem Israelem : Attende, et audi, Israel : hodiè factus es populus Domini Dei tui; — 10. audies vocem ejus, et facies mandata atque justitias, quas ego præcipio tibi. 11. Præcepitque Moyses populo in die illo, dicens : — 12. Hi stabunt ad benedicendum populo super montem Garizim, Jordane transmisso : Simeon, Levi, Judas, Issachar, Joseph et Benjamin. — 13. Et è regione isti stabunt ad maledicendum in monte Hebal, Ruben, Gad, et Aser, et Zabulon, Dan et Nephthali. — 14. Et pronuntiabunt Levitæ, dicentque ad omnes viros Israel excelsâ voce : — 15. Maledictus homo qui facit sculptile et conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponetque illud in abscondito ; et respondebit omnis populus, et dicet : Amen. — 16. Maledictus qui non honorat patrem suum, et matrem ; et dicet omnis populus : Amen. — 17. Maledictus qui transfert terminos proximi sui ; et dicet omnis populus : Amen. — 18. Maledictus qui errare facit cæcum in itinere ; et dicet omnis populus : Amen. — 19. Maledictus qui pervertit judicium advenæ, pupilli et viduæ ; et dicet omnis populus : Amen. — 20. Maledictus qui dormit cum uxore patris sui, et revelat operimentum lectuli ejus ; et dicet omnis populus : Amen. — 21. Maledictus qui dormit cum omni jumento ; et dicet omnis populus : Amen. — 22. Maledictus qui dormit cum sorore suâ, filiâ patris sui, vel matris suæ ; et dicet omnis populus : Amen. — 23. Maledictus qui dormit cum socru suâ ; et dicet omnis populus : Amen. — 24. Maledictus qui clàm percusserit proximum suum ; et dicet omnis populus : Amen. — 25. Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis ; et dicet omnis populus : Amen. — 26. Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit ; et dicet omnis populus : Amen.

---

1. Moïse et les anciens d'Israël ordonnèrent *encore* ceci au peuple et lui dirent : Observez toutes les ordonnances que je vous prescris aujourd'hui. — 2. Et lorsqu'ayant passé le Jourdain, vous serez entrés dans le pays que le Seigneur votre Dieu vous donnera, vous élèverez de grandes pierres que vous enduirez de chaux, — 3. pour y pouvoir écrire toutes les paroles de la loi que je vous donne, quand vous aurez passé le Jourdain, afin que vous entriez dans la terre que le Seigneur votre Dieu vous doit donner ; cette terre où coulent des

ruisseaux de lait et de miel, selon que le Seigneur l'avait juré à vos pères. — 4. Lors donc que vous aurez passé le Jourdain, vous éleverez ces pierres sur le mont Hébal, selon que je vous l'ordonne aujourd'hui, et vous les enduirez de chaux. — 5. Vous dresserez là aussi au Seigneur votre Dieu un autel de pierres, où le fer n'aura point touché, — 6. de pierres brutes et non polies ; et vous offrirez sur cet autel des holocaustes au Seigneur votre Dieu.—7. Vous immolerez en ce lieu des holocaustes pacifiques, dont vous mangerez avec joie devant le Seigneur votre Dieu.— 8. Et vous écrirez distinctement et nettement sur les pierres *que vous aurez élevées* toutes les paroles de la loi que je vous propose. — 9. Alors Moïse et les prêtres de la race de Lévi dirent à tout Israël : Soyez attentif, ô Israël ! et écoutez : Vous êtes devenu aujourd'hui le peuple du Seigneur votre Dieu : — 10. Écoutez donc sa voix, et observez les préceptes et les ordonnances que je vous prescris. — 11. Ce jour-là même, Moïse fit ce commandement au peuple et lui dit : — 12. Après que vous aurez passé le Jourdain, Siméon, Lévi, Juda, Issachar, Joseph et Benjamin, *tous enfants de Lia et de Rachel*, se tiendront sur la montagne de Garizim pour bénir le peuple : — 13. et Ruben, *qui, par son crime, a perdu son droit d'aînesse*, Gad, Aser, Zabulon, Dan, *enfants des servantes*, et Nephthali, *dernier fils de Lia*, se tiendront de l'autre côté sur le mont Hébal, pour le maudire. — 14. Et les Lévites prononceront ces paroles à haute voix, et diront devant tout le peuple d'Israël : — 15. Maudit est l'homme qui fait une image de sculpture ou jetée en fonte, qui est l'abomination du Seigneur, et l'ouvrage de la main d'un artisan, et qui la met dans un lieu secret, *pour l'honorer en son particulier*. Et tout le peuple répondra, et dira : Amen. — 16. Maudit celui qui n'honore point son père et sa mère. Et tout le peuple répondra : Amen. — 17. Maudit celui qui change les bornes de *l'héritage de* son prochain. Et tout le peuple répondra : Amen. — 18. Maudit celui qui fait égarer l'aveugle dans le chemin. Et tout le peuple répondra : Amen. — 19. Maudit celui qui viole la justice dans la cause de l'étranger, de l'orphelin et de la veuve. Et tout le peuple répondra : Amen. — 20. Maudit celui qui dort avec la femme de son père, et qui découvre la couverture de son lit. Et tout le peuple répondra: Amen. — 21. Maudit celui qui dort avec toutes sortes de bêtes. Et tout le peuple répondra : Amen. — 22. Maudit celui qui dort avec sa sœur, qui est la fille de son père ou de sa mère. Et tout le peuple répondra : Amen. — 23. Maudit celui qui dort avec sa belle-mère. Et tout le peuple répondra : Amen. — 24. Maudit celui qui frappe son prochain en secret. Et tout le peuple répondra : Amen. — 25. Maudit celui qui reçoit des présents pour répandre le sang innocent. Et tout le peuple répondra : Amen. — 26. Maudit celui qui ne demeure pas ferme dans les ordonnances de cette loi, et qui ne les accomplit pas effectivement. Et tout le peuple répondra . Amen.

Vers. 2. — Cumque transieritis Jordanem, etc., eriges ingentes lapides, duodecim numero, scilicet pro numero duodecim tribuum ; tot enim etiam statuerat Moses, cùm Israelitis legem recitaturus esset, Exodi 24 , 4, unde idipsum imitari jubetur Mosis discipulus , Josue, inquit Masius et Serarius.

Nota. Licet Josephus videatur dicere, hosce lapides eosdem fuisse cum lapidibus altaris, quod hîc jubetur erigi, tamen verius est, ab iis fuisse diversos, uti satis hîc significat Script. Ita Cyrillus in Glaphyris, Cajetan., Masius, Serarius, Abulens. et alii.

Vers. 2 et 8.—Et calce levigabis eos (id est, ut Hebr. habent, *linies*, vel, *incrustabis eos calce*), idque ad hoc, ut, sicuti dicitur vers. 8, super eos scribas omnia verba legis hujus plane et lucide, id est, inquiunt Judæi, cum punctis, quæ Hebræis sunt instar vocalium ; hæc enim jam tum fuisse data Mosi, censent ipsi cum Cevalerio. Verùm hæc est fabella. Certum enim est, puncta Hebræorum diù post Christum, imò post tempora S. Hier. esse adinventa, uti docent Latini, hebrææ linguæ peritissimi, imò ipse Rabbi Elias levita; τὸ ergo *planè et lucidè*, idem est, quod *clarè et distinctè*, unde hebr. est, *explanando benè*. Hinc patet, lapidibus hisce utrinque, minuto charactere inscriptam fuisse totam hanc legem, id est, totum Deuteronomium, tum ad excitationem præsentium, tum ad memoriam posterorum, ut scilicet ipsi præcepta Dei, lapidibus hisce clarè inscripta, legere possent : unde in hanc cæremoniam, hancque legis descriptionem, non unus, sed plures insumpti sunt dies ; nam non solùm decalogum, ut vult Lyranus et Cajetanus, nec solas maledictiones et benedictiones, de quibus v. 15, ut vult Masius, nec sola præcepta legis affirmativa et negativa, ut vult Aben Ezra, hisce lapidibus fuisse inscripta,

sed totum Deuteronomium, patet ex eo quòd jubet in eis scribi *omnia verba legis hujus*, id est, Deuteronomii; et ita fecit reipsà Josue c. 8, 32. Unde patet, lapides hos fuisse grandes, quanquàm Deuteronomium non lapidibus propriè, sed calci, lapidibus illito, inscriptum fuerit. Ita Abulens. et Serarius, qui ostendit quomodò id fieri potuerit, q. 20 in c. 8 Josue.

Mysticè Cyrillus in Glaphyris, per 12 lapides accipit 12 Apostolos, quibus inscripta fuit Dei lex, ita ut omnes eam in ipsorum verbis et moribus legere possent.

Vers. 12. — Hi stabunt ad benedicendum populo super montem Garizim, etc., Simeon, Levi, Judas, Issachar, Joseph (scilicet Ephraim et Manasse; hi enim fuerunt filii Joseph; hæ ergo duæ tribus, hîc vocantur una, scilicet Joseph) et Benjamin. Nota. Mons Garizim imminet urbi Sichem, ut patet Judic. 9, 7, in quo tempore Alexandri Magni, Sanaballat Samariæ præfectus ædificavit templum, eique præfecit Manassen, fratrem Jaddi pontificis, ad quod confluebant Samaritæ, et alii à Judæis ejecti, teste Josepho lib. 11 Antiq. 7, cujus templi meminit Samaritana, colloquens cum Christo, Joan. 4, 20. Malè ergo Andr. Masius Garizim collocat, non juxta Sichem, sed juxta Hai, cujus rationes multis confutat Nic. Serarius, in Josue 8, q. 14.

Vers. 13. — Et è regione isti stabunt ad maledicendum, ut scilicet sacerdotibus maledicentibus populo, non servanti legem Dei, applaudant, et respondeant : Amen, in monte Hebal, Ruben, Gad, et Azer, et Zabulon, Dan, et Nephthali. Mons Hebal vicinus est monti Garizim, inter eos enim tantùm interjacet vallis.

Nota. Hâc cæremoniâ et pompâ, voluit Dominus rudem populum, ad memorandam legem perficiendamque provocare; unde Levitæ, id est, sacerdotes, proclamando benedictiones et maledictiones, quasi feciales, fœdus inter Deum et populum innovârunt et confirmârunt. Tota ergo hæc res hoc ordine et modo peracta videtur, primò, in valle ipsâ, inter duos montes, Garizim scilicet et Hebal, stabant sacerdotes ii, qui arcam fœderis gestabant, ut patet Josue 8, 33. Deinde, circùm hos stabant alii sacerdotes, ac Levitæ omnes : circùm hos tertiò, stabant majores natu, duces et judices populi; quartò, deinceps tribus omnes, ita scilicet, ut sex designatæ starent ascendendo, versùs montem Garizim; sex aliæ versùs montem Hebal; quintò, Josue vel per se, tanquàm Propheta, vel per sacerdotes, benedixit populum, uti patet Josue, 8, 34; sextò, sacerdotes aliqui, qui vocalissimi videbantur, legem recitârunt; septimò, iidem conscenderunt cacumen montis Garizim, ut vult Abulens, vel potiùs in valle, juxta arcam consistentes, ut docent Hæbræi, Masius, Serarius, et alii, ex editiore loco, vel ex suggestu, vertentes se versùs montem Garizim, pronuntiârunt benedictiones; deinde vertentes se ad montem Hebal, pronuntiârunt maledictiones; idque appositè ad montium conditionem. Nam Garizim fertilis est et amœnus, ideòque versùs eum rectè concipiebantur benedictiones, id est, omnis felicitatis precationes; sterilis verò et inamœnus est Hebal; imprecationes ergo et detestationes rectè accipiebat. Putat R. Salomon, sacerdotes post singulas benedictiones, quibus sex tribus respondebant : Amen, se convertisse ad Hebal, et contrariam maledictionem pronuntiâsse, cui sex aliæ tribus, alternâ quasi voce et choro, respondebant : Amen : hoc enim magis congruum et concinnum videtur. Alii verò, ut Andr. Masius, et Abulens., non minùs probabiliter censent, sacerdotes primò omnes 12 benedictiones simul pronuntiâsse ad Garizim, sex tribubus respondentibus ad singulas : Amen; deinde post eas pronuntiâsse ordine 12 maledictiones ad Hebal, sex aliis tribubus respondentibus : Amen.

Porrò benedictiones hæ hîc non describuntur, sed eas ex maledictionibus, v. 15, colligere licet, has fuisse : prima : Benedictus qui non facit sculptile, sed unum Deum verum colit. Secunda : Benedictus qui honorat patrem et matrem. Tertia : Benedictus qui non transfert terminos proximi sui, et ita de cæteris usque ad 12, scilicet pro numero 12 tribuum. Denique benedictiones hæ fusiùs explicantur c. seq., v. 28, unde verisimile est, Josue, qui præceptum hoc benedicendi et maledicendi executus est, eodem tempore pariter caput hoc 28 populo relegi et promulgari curâsse. Ita Andr. Masius.

Vers.— 15. Et respondebit omnis populus, et dicet : Amen. Hinc putant aliqui, ut Masius, omnes 12 tribus communi voce, ad singulas tam benedictiones, quàm maledictiones, conclamâsse : Amen. Verùm verius est, sex designatas tantùm ad benedictiones conclamâsse : Amen; alias sex tantùm ad maledictiones conclamâsse : Amen; hoc enim disertè dicitur v. 12.

Nota. Sex nobiliores tribus ad benedictiones

responderunt : Amen ; ad maledictiones verò amen responderunt sex tribus ignobiliores, videlicet quatuor prognatæ ex quatuor ancillarum filiis, scilicet, Gad, Azer, Dan et Nephthali ; quibus additur Ruben, quia hic suo incestu maculavit torum patris; et Zabulon, quia hic ultimus fuit Liæ filius, ita Raban. et Theodor. q. 34.

Nota secundò. Singuli hîc in tantâ turbâ respondebant : Amen ; licet enim à valle remotiores sacerdotum vocem non satis audirent, ipsa tamen cæremoniæ ratio, et primorum vociferatio illos admonebat, et insigne ab omnibus exprimebat *Amen*, inquit Serarius.

Amen. *Amen*, ait S. Hier. ad Marcellam Ep. 137, et in fine comment. ad Galat. Aquila, Symmach. et Theod. verterunt πεπιστομένως, id est, fideliter, vel verè ; Septuag. verterunt, γένοιτο, id est, fiat. Significat ergo amen *verè*, vel etiam *firmiter ;* radix enim *amam*, significat firmare, stabilire ; unde nomen *emeth*, id est, firmitas, stabilitas, veritas. Amen ergo non est particula jurantis, ut vulgus putat, sed affirmantis et confirmantis ; affirmantis est, cùm orationi præponitur, ut : *Amen, amen dico vobis ;* confirmantis est, cùm orationi post ponitur. Rursùm cùm postponitur, et significat consensum audientis, nunc asserentis est et concedentis, nunc optantis. Utrovis modo hîc accipi potest ; nam populus respondens : Amen, approbabat benedictionem, vel maledictionem Levitarum, id est, sacerdotum, et simul optabat ita fieri, idque ad hoc, ut suâ benedictione benedictos, et execratione suâ execratos, semper se meminissent, si benè vel malè agerent, inquit Cajetanus.

Tropologicè, Origenes homil. 9 in Josue et Rabanus hîc : Juxta montem Garizim incedunt ad benedicendum, qui non metu pœnæ, sed cœlestis promissionis, et benedictionis æternæ spe et amore succensi, tendunt ad salutem. Alii qui juxta Hebal, in quo maledictiones prolatæ sunt, incedunt, sunt ii, qui non amore promissorum, sed timore suppliciorum implent legem, ut salventur. Omnes autem hi circa arcam incedunt, quia ab Ecclesiæ sinu non recedunt, licet nobiliores illi sint, quàm hi. Josue autem constituit eos juxta hos montes, quia Jesus electos suos, vel spe præmii, vel timore pœnæ, ad salutem vocat et perducit ; hucusque Origenes et Rabanus.

Anagog., Rupert. lib. 2, c. 5 : Significatur, inquit, hîc judicium universale ; nam hi duo colles contra invicem respicientes, puta Garizim et Hebal, significant duos ordines et duas stationes judicandorum ; Garizim enim, id est, divisio, significat oves, quæ erunt ad dextram Christi, divisæ ab hædis, puta electos. Hebal, id est, vorago vetus, significat hædos, qui erunt ad sinistram Christi, puta damnandos ad gehennam. Sex nomina et tribus filiorum Israel, erant in Garizim ad benedicendum, et sex in Hebal ad maledicendum ; ita in judicio sex proferentur opera misericordiæ, ob quæ ii qui erunt à dextris, benedicentur ; et sex opera immisericordiæ, ob quæ ii erunt à sinistris, maledicentur ; unde hi audient : *Ite, maledicti, in ignem æternum.* Illi verò : *Venite, benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Et totus populus, id est, omnes tam reprobi, quàm electi, tacitè respondebunt : Amen. Sed et sedes duodecim, de quibus Matth. 19, 28, hîc non omninò tacitæ sunt ; nam duodecim maledictiones hîc propositæ sunt, et totidem benedictiones, quasi singulæ de singulis sedibus prolatæ sunt. Hucusque Rupertus.

Vers. 16. — Qui non honorat (Hebr., *qui vilipendit*) patrem suum.

Vers. 17. — Qui transfert terminos agrorum, ut ita per dolum et injustitiam, dilatet prædia sua.

CAPUT XXVIII.

1. Si autem audiens vocem Domini Dei tui, ut facias atque custodias omnia mandata ejus, quæ ego præcipio tibi hodiè, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terrâ. — 2. Venientque super te universæ benedictiones istæ, et apprehendent te : si tamen præcepta ejus audieris. — 3. Benedictus tu in civitate, et benedictus in agro. — 4. Benedictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ, fructusque jumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, et caulæ ovium tuarum. — 5. Benedicta horrea tua, et benedictæ reliquiæ tuæ. — 6. Benedictus eris tu ingrediens et egrediens. — 7. Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt adversùm te, corruentes in conspectu tuo : per unam viam venient contra te, et per septem fugient à facie tuâ. — 8. Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, et super omnia opera manuum tuarum : benedicetque tibi in terrâ quam acceperis. — 9. Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut juravit tibi ; si custodieris mandata Domini Dei tui, et ambulaveris in viis ejus. — 10. Videbuntque omnes terrarum

populi quòd nomen Domini invocatum sit super te, et timebunt te. — 11. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu uteri tui, et fructu jumentorum tuorum, fructu terræ tuæ, quam juravit Dominus patribus tuis, ut daret tibi. — 12. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo : benedicetque cunctis operibus manuum tuarum. Et fœnerabis gentibus multis, et ipse à nullo fœnus accipies. — 13. Constituet te Dominus in caput, et non in caudam, et eris semper supra, et non subter : si tamen audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodiè, et custodieris et feceris, — 14. ac non declinaveris ab eis, nec ad dexteram, nec ad sinistram, nec secutus fueris deos alienos, neque colueris eos. — 15. Quòd si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias, et facias omnia mandata ejus et cæremonias quas ego præcipio tibi hodiè, venient super te omnes maledictiones istæ, et apprehendent te. — 16. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro. — 17. Maledictum horreum tuum, et maledictæ reliquiæ tuæ. — 18. Maledictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, et greges ovium tuarum. — 19. Maledictus eris ingrediens, et maledictus egrediens. — 20. Mittet Dominus super te famem et esuriem, et increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies; donec conterat te, et perdat velociter, propter adinventiones tuas pessimas in quibus reliquisti me. — 21. Adjungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terrâ, ad quam ingredieris possidendam. — 22. Percutiat te Dominus egestate, febri et frigore, ardore et æstu, et aere corrupto ac rubigine, et persequatur donec pereas. — 23. Sit cœlum, quod supra te est, æneum : et terra, quam calcas, ferrea. — 24. Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem, et de cœlo descendat super te cinis, donec conteraris. — 25. Tradet te Dominus corruentem ante hostes tuos; per unam viam egrediaris contra eos, et per septem fugias, et dispergaris per omnia regna terræ. — 26. Sitque cadaver tuum in escam cunctis volatilibus cœli, et bestiis terræ, et non sit qui abigat. — 27. Percutiet te Dominus ulcere Ægypti, et partem corporis, per quam stercora egeruntur, scabie quoque et prurigine, ita ut curari nequeas. — 28. Percutiet te Dominus amentiâ et cæcitate, ac furore mentis, — 29. et palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, et non dirigas vias tuas. Omnique tempore calumniam sustineas, et opprimaris violentiâ, nec habeas qui liberet te. — 30. Uxorem accipias, et alius dormiat cum eâ. Domum ædifices, et non habites in eâ. Plantes vineam, et non vindemies eam. — 31. Bos tuus immoletur coram te, et non comedas ex eo. Asinus tuus rapiatur in conspectu tuo, et non reddatur tibi. Oves tuæ dentur inimicis tuis, et non sit qui te adjuvet. — 32. Filii tui et filiæ tuæ tradantur alteri populo, videntibus oculis tuis, et deficientibus ad conspectum eorum totâ die, et non sit fortitudo in manu tuâ. — 33. Fructus terræ tuæ, et omnes labores tuos, comedat populus quem ignoras : et sis semper calumniam sustinens, et oppressus cunctis diebus, — 34. et stupens ad terrorem eorum quæ videbunt oculi tui. — 35. Percutiat te Dominus ulcere pessimo in genibus et in suris, sanarique non possis à plantâ pedis usque ad verticem tuum. — 36. Ducet te Dominus, et regem tuum, quem constitueris super te, in gentem quam ignoras tu et patres tui; et servies ibi diis alienis, ligno, et lapidi. — 37. Et eris perditus in proverbium ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus. — 38. Sementem multam jacies in terram, et modicum congregabis; quia locustæ devorabunt omnia. — 39. Vineam plantabis, et fodies : et vinum non bibes, nec colliges ex eâ quippiam, quoniam vastabitur vermibus. — 40. Olivas habebis in omnibus terminis tuis, et non ungeris oleo, quia defluent et peribunt. — 41. Filios generabis et filias, et non frueris eis, quoniam ducentur in captivitatem. — 42. Omnes arbores tuas et fruges terræ tuæ rubigo consumet. — 43. Advena qui tecum versatur in terrâ, ascendet super te, eritque sublimior : tu autem descendes, et eris inferior. — 44. Ipse fœnerabit tibi, et tu non fœnerabis ei. Ipse erit in caput, et tu eris in caudam. — 45. Et venient super te omnes maledictiones istæ, et persequentes apprehendent te, donec intereas : quia non audisti vocem Domini Dei tui, nec servâsti mandata ejus et cæremonias, quas præcepit tibi. — 46. Et erunt in te signa atque prodigia, et in semine tuo usque in sempiternum : — 47. eò quòd non servieris Domino Deo tuo in gaudio, cordisque lætitiâ, propter rerum omnium abundantiam : — 48. servies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, in fame, et siti, et nuditate, et omni penuriâ, et ponet jugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat. — 49. Adducet Dominus super te gentem de longinquo, et de extremis terræ finibus in

similitudinem aquilæ volantis cum impetu, cujus linguam intelligere non possis, — 50. gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur parvuli, — 51. et devoret fructum jumentorum tuorum, ac fruges terræ tuæ, donec intereas, et non relinquat tibi triticum, vinum, et oleum, armenta boum, et greges ovium, donec te disperdat, — 52. et conterat in cunctis urbibus tuis; et destruantur muri tui firmi, atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terrâ tuâ. Obsideberis intra portas tuas in omni terrâ tuâ quam dabit tibi Dominus Deus tuus : — 53. et comedes fructum uteri tui, et carnes filiorum tuorum et filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus, in angustiâ et vastitate quâ opprimet te hostis tuus. — 54. Homo delicatus in te, et luxuriosus valdè, invidebit fratri suo, et uxori, quæ cubat in sinu suo, — 55. ne det eis de carnibus filiorum suorum, quas comedet ; eò quòd nihil aliud habeat in obsidione et penuriâ, quâ vastaverint te inimici tui intra omnes portas tuas. — 56. Tenera mulier et delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere, propter mollitiem et teneritudinem nimiam, invidebit viro suo, qui cubat in sinu ejus, super filii et filiæ carnibus, — 57. et illuvie secundarum, quæ egrediuntur de medio feminum ejus, et super liberis qui eâdem horâ nati sunt : comedent enim eos clam propter rerum omnium penuriam in obsidione et vastitate, quâ opprimet te inimicus tuus intra portas tuas. — 58. Nisi custodieris et feceris omnia verba legis hujus, quæ scripta sunt in hoc volumine, et timueris nomen ejus gloriosum et terribile, hoc est, Dominum Deum tuum ; — 59. augebit Dominus plagas tuas, et plagas seminis tui, plagas magnas et perseverantes, infirmitates pessimas et perpetuas. — 60. Et convertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuisti, et adhærebunt tibi ; — 61. insuper et universos languores, et plagas, quæ non sunt scriptæ in volumine legis hujus, inducet Dominus super te, donec te conterat ; — 62. et remanebitis pauci numero, qui priùs eratis sicut astra cœli præ multitudine, quoniam non audisti vocem Domini Dei tui. — 63. Et sicut ante lætatus est Dominus super vos, benè vobis faciens, vosque multiplicans : sic lætabitur disperdens vos atque subvertens, ut auferamini de terrâ, ad quam ingredieris possidendam. — 64. Disperget te Dominus in omnes populos, à summitate terræ, usque ad terminos ejus ; et servies ibi diis alienis, quos et tu ignoras et patres tui, lignis et lapidibus. — 65. In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, et deficientes oculos, et animam consumptam mœrore; — 66. et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte et die, et non credes vitæ tuæ. — 67. Mane dices : Quis mihi det vesperum? et vespere : Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, quâ terreberis, et propter ea quæ tuis videbis oculis. — 68. Reducet te Dominus classibus in Ægyptum, per viam de quâ dixit tibi ut eam ampliùs non videres. Ibi venderis inimicis tuis in servos et ancillas, et non erit qui emat.

---

1. Que si vous écoutez la voix du Seigneur votre Dieu, en gardant et en observant toutes ses ordonnances, que je vous prescris aujourd'hui, le Seigneur votre Dieu vous élèvera au-dessus de toutes les nations qui sont sur la terre : — 2. toutes ces bénédictions se répandront sur vous, et vous en serez comblés, pourvu néanmoins que vous obéissiez à ses préceptes. — 3. Vous serez bénis dans la ville, vous serez bénis dans les champs. — 4. Le fruit de votre ventre, le fruit de votre terre, et le fruit de vos bestiaux sera béni ; vos troupeaux de bœufs et vos troupeaux de brebis seront bénis. — 5. Vos greniers seront bénis, et les fruits que vous mettrez en réserve participeront à la même bénédiction. — 6. A l'entrée et à la fin *de toutes vos actions,* vous serez bénis. — 7. Le Seigneur fera que vos ennemis qui s'élèveront contre vous, tomberont devant vos yeux. Ils viendront vous attaquer par un chemin, et ils s'enfuiront par *sept* autres devant vous. — 8. Le Seigneur répandra sa bénédiction sur vos celliers, et sur tous les travaux de vos mains : et il vous bénira dans le pays que vous aurez reçu de lui. — 9. Le Seigneur se suscitera, et se formera en vous un peuple saint, selon qu'il vous l'a juré, pourvu que vous observiez les commandements du Seigneur votre Dieu, et que vous marchiez dans ses voies. — 10. Tous les peuples de la terre verront que vous portez véritablement le nom du peuple de Dieu, et ils vous craindront. — 11. Le Seigneur vous mettra dans l'abondance de toutes sortes de biens, *en multipliant* le fruit de votre ventre, le fruit de vos bestiaux et le fruit de votre terre qu'il a promis et juré à vos pères de vous donner. — 12. Le Seigneur ouvrira le ciel, qui est son riche trésor, pour répandre sur votre terre la

pluie en son temps; et il bénira tous les travaux de vos mains. Vous prêterez à plusieurs peuples, et vous n'emprunterez de personne. — 13. Le Seigneur vous mettra *toujours* à la tête *des peuples*, et non derrière eux; et vous serez toujours au-dessus, loin d'être au-dessous; pourvu néanmoins que vous écoutiez les ordonnances du Seigneur votre Dieu, que je vous prescris aujourd'hui, que vous les gardiez, et les pratiquiez, — 14. sans vous en détourner ni à droite ni à gauche, et que vous ne suiviez ni n'adoriez les dieux étrangers. — 15. Que si vous ne voulez point écouter la voix du Seigneur votre Dieu, et que vous ne gardiez et ne pratiquiez pas toutes ses ordonnances et les cérémonies que je vous prescris aujourd'hui, toutes ces malédictions fondront sur vous et vous accableront. — 16. Vous serez maudits dans la ville, et vous serez maudits dans les champs. — 17. Votre grenier sera maudit; et les fruits que vous aurez mis en réserve seront maudits. — 18. Le fruit de votre ventre et le fruit de votre terre sera maudit, aussi bien que vos troupeaux de bœufs et vos troupeaux de brebis. — 19. Vous serez maudits à l'entrée et à la fin *de toutes vos actions*. — 20. Le Seigneur enverra parmi vous l'indigence et la famine, et il répandra sa malédiction sur tous vos travaux, jusqu'à ce qu'il vous réduise en poudre, et qu'il vous extermine en peu de temps, à cause des actions pleines de malice par lesquelles vous l'aurez abandonné. — 21. Le Seigneur vous affligera par la peste, jusqu'à ce qu'il vous ait fait périr dans le pays où vous allez entrer pour le posséder. — 22. Le Seigneur vous frappera de misère *et* de pauvreté, de fièvre, de froid, d'une chaleur brûlante, de corruption d'air et de nielle; et il vous poursuivra, jusqu'à ce que vous périssiez entièrement. — 23. Le ciel qui est au-dessus de vous sera *comme* d'airain; *il vous refusera ses pluies douces et fécondes;* et la terre sur laquelle vous marchez sera *comme* de fer, *ne produisant aucuns fruits*. — 24. Le Seigneur répandra sur votre terre *des nuées* de poussière, au lieu de pluie, et il fera tomber du ciel sur vous de la cendre, jusqu'à ce que vous soyez réduits en poudre. — 25. Le Seigneur vous fera tomber devant vos ennemis; vous marcherez par un seul chemin contre eux, et vous fuirez par sept; et vous serez dispersés dans tous les royaumes de la terre. — 26. Vos corps, après votre mort, serviront de nourriture à tous les oiseaux du ciel et à toutes les bêtes de la terre, sans que personne se mette en peine de les chasser. — 27. Le Seigneur vous frappera d'ulcères, comme il en frappa *autrefois* l'Egypte; et il frappera aussi d'une gale et d'une démangeaison incurable la partie du corps par laquelle la nature rejette tout ce qui lui est resté de sa nourriture. — 28. Le Seigneur vous frappera de frénésie, d'aveuglement et de fureur; — 29. en sorte que vous marcherez à tâtons en plein midi, comme l'aveugle a coutume de faire, étant tout enseveli dans les ténèbres; et que vous ne réussirez point en ce que vous aurez entrepris. Vous serez noircis en tout temps par des calomnies, et opprimés par des violences, sans que vous ayez personne pour vous délivrer. — 30. Vous épouserez une femme, et un autre la prendra pour lui: vous bâtirez une maison, et vous ne l'habiterez point: vous planterez une vigne, et vous n'en recueillerez point le fruit. — 31. Votre bœuf sera immolé devant vous, et vous n'en mangerez point: votre âne vous sera ravi devant vos yeux, et on ne vous le rendra point: vos brebis seront livrées à vos ennemis, et personne ne se mettra en peine de vous secourir. — 32. Vos fils et vos filles seront livrés à un peuple étranger; vos yeux le verront, et seront tout desséchés par la vue continuelle *de leur misère;* et vos mains se trouveront sans aucune force *pour les délivrer*. — 33. Un peuple qui vous sera inconnu dévorera tout ce que votre terre avait produit, et tout le fruit de vos travaux; vous serez toujours abandonnés à la calomnie et exposés à l'oppression tous les jours *de votre vie*. — 34. Et vous demeurerez comme interdits et hors de vous par la frayeur des choses que vous verrez de vos yeux. — 35. Le Seigneur vous frappera d'un ulcère très-malin dans les genoux et dans le gras des jambes, et d'un mal incurable depuis la plante des pieds jusqu'au haut de la tête. — 36. Le Seigneur vous emmenera, vous et votre roi, que vous aurez établi sur vous, parmi un peuple que vous aurez ignoré vous et vos pères, et vous adorerez là des dieux étrangers, du bois et de la pierre; — 37. et vous serez dans la dernière misère, et comme le jouet et la fable de tous les peuples où le Seigneur vous aura conduits. — 38. Vous semerez beaucoup de grain dans votre terre, et vous en cueillerez peu, parce que les sauterelles mangeront tout. — 39. Vous planterez une vigne et vous la labourerez; mais vous n'en boirez point de vin, et vous n'en recueillerez rien, parce qu'elle sera gâtée par les vers. — 40. Vous

aurez des oliviers dans toutes vos terres, et vous ne pourrez en avoir de l'huile pour vous en frotter, parce que tout coulera et périra. — 41. Vous mettrez au monde des fils et des filles, et vous n'aurez point la joie de les posséder, parce qu'ils seront emmenés captifs. — 42. La nielle consumera tous vos arbres et les fruits de votre terre.— 43. L'étranger, qui est avec vous dans votre pays, s'élèvera au-dessus de vous, et deviendra plus puissant; et pour vous, vous descendrez, et vous serez au-dessous de lui. — 44. Ce sera lui qui vous prêtera de l'argent, et vous ne lui en prêterez point. Il sera lui-même à la tête, et vous ne marcherez qu'après lui. — 45. Toutes ces malédictions fondront sur vous, et elles vous accableront jusqu'à ce que vous périssiez entièrement, parce que vous n'avez point écouté la voix du Seigneur votre Dieu, ni observé ses ordonnances et les cérémonies qu'il vous a prescrites. — 46. *Ces malédictions, dis-je*, demeureront à jamais et sur vous et sur votre postérité, comme une marque étonnante *de la colère de Dieu* sur vous, — 47. parce que vous n'aurez point servi le Seigneur votre Dieu, avec la reconnaissance et la joie du cœur que demandait cette abondance de toutes choses *qu'il vous avait donnée*. — 48. Vous deviendrez l'esclave d'un ennemi que le Seigneur vous enverra; *vous le servirez* dans la faim, dans la soif, dans la nudité, et dans le besoin de toutes choses; et il vous fera porter un joug de fer, jusqu'à ce que vous en soyez écrasés.—49. Le Seigneur fera venir d'un pays reculé, et des extrémités de la terre, un peuple qui fondra sur vous comme un aigle fond sur sa proie, et dont vous ne pourrez entendre la langue; — 50. un peuple fier et insolent, qui ne sera touché ni de respect pour les vieillards, ni de pitié pour les plus petits enfants. — 51. Il dévorera tout ce qui naîtra de vos bestiaux, et tous les fruits de votre terre jusqu'à ce que vous périssiez; il ne vous laissera ni blé, ni vin, ni huile, ni troupeaux de bœufs, ni troupeaux de brebis, jusqu'à ce qu'il vous détruise entièrement. — 52. Il vous réduira en poudre dans toutes vos villes; et vos murailles si fortes et si élevées, où vous avez mis votre confiance, tomberont dans toute *l'étendue* de votre pays. Vous demeurerez assiégés dans toutes les villes du pays que le Seigneur votre Dieu vous donnera, — 53. et vous mangerez le fruit de votre ventre, et la chair de vos fils et de vos filles, que le Seigneur votre Dieu vous aura donnés, tant sera grande l'extrémité de misère où vos ennemis vous auront réduits. — 54. L'homme d'entre vous le plus délicat et le plus plongé dans les plaisirs, refusera à son frère et à sa femme qui dort auprès de lui, — 55. et ne voudra pas leur donner de la chair de ses fils dont il mangera, parce qu'il n'aura rien autre chose à manger pendant le siége dont il sera resserré, et dans le besoin extrême où vous réduiront vos ennemis par leur violence dans l'enceinte de toutes vos villes.—56. La femme délicate, accoutumée à une vie molle, qui ne pouvait pas seulement marcher, et qui avait peine à poser un pied sur la terre, à cause de son extrême mollesse et délicatesse, refusera à son mari qui dort auprès d'elle, de lui donner de la chair de son fils et de sa fille, — 57. de cette masse d'ordures qu'elle a jetée hors d'elle *en se délivrant de son fruit*, et de la chair de son enfant qui ne venait que de naître : car ils mangeront en cachette leurs propres enfants, n'ayant pas de quoi se nourrir dans cette cruelle famine, où pendant le siége vos ennemis vous réduiront par leur violence dans l'enceinte de vos villes. — 58. Si vous ne gardez et n'accomplissez toutes les paroles de cette loi, qui sont écrites dans ce livre, et si vous ne craignez son nom glorieux et terrible, c'est-à-dire, le Seigneur votre Dieu, — 59. le Seigneur augmentera de plus en plus vos plaies et les plaies de vos enfants, *qui seront* des plaies grandes et opiniâtres, des langueurs malignes et incurables. — 60. Il fera retomber sur vous toutes ces plaies dont il a affligé l'Égypte, et dont vous avez été effrayés, et elles s'attacheront inséparablement à vous.—61. Le Seigneur fera fondre encore sur vous toutes les langueurs et toutes les plaies qui ne sont point écrites dans le livre de cette loi, jusqu'à ce qu'il vous réduise en poudre : — 62. et vous demeurerez un très-petit nombre d'hommes, vous qui étiez multipliés auparavant comme les étoiles du ciel, parce que vous n'aurez point écouté la voix du Seigneur votre Dieu.—63. Et comme le Seigneur avait pris plaisir auparavant à vous combler de biens, et à vous multiplier de plus en plus, ainsi il prendra plaisir à vous perdre, à vous détruire, et à vous exterminer de la terre où vous allez entrer pour la posséder. — 64. Le Seigneur vous dispersera parmi tous les peuples, depuis une extrémité de la terre jusqu'à l'autre; et vous adorerez là des dieux étrangers que vous ignoriez vous et vos pères, *des dieux* de bois et de pierre. — 65. Etant même parmi ces peuples, vous ne

trouverez aucun repos, et vous ne trouverez pas seulement où asseoir en paix la plante de votre pied ; car le Seigneur vous donnera un cœur toujours agité de crainte, des yeux languissants, et une âme toute abîmée dans la douleur. — 66. Votre vie sera comme en suspens devant vous : vous tremblerez nuit et jour, et vous ne croirez pas à votre vie ; *vous ne serez pas sûrs de la conserver un moment.* — 67. Vous direz le matin : Qui me donnera de voir le soir ? Et le soir, qui me donnera de voir le matin? tant votre cœur sera saisi d'épouvante! tant la vue des choses qui se passeront devant vos yeux vous effraiera ! — 68. Le Seigneur vous fera revenir par mer en Egypte, dont il vous avait dit que vous ne deviez jamais reprendre le chemin. Vous serez là vendus à vos ennemis, vous, pour être leurs esclaves, et *vos femmes*, pour être leurs servantes; et il ne se trouvera pas même des gens pour vous racheter.

Vers. 1. — Faciet te Dominus excelsiorem cunctis gentibus, ut scilicet omnes superes, tum felicitate, tum opibus, tum honore, tum robore, tum imperio.

Vers. 3. — Benedictus tu in civitate, et benedictus in agro, q. d. : Abundabis omnibus rebus necessariis, tam in re urbanâ, quàm rusticâ ; *benedicere* enim hic est benefacere. Benedictio enim Dei realis est, non verbalis, nec aulica, significatque omnem prosperitatem, tum in corpore, tum in animâ, tum in fortunis. Unde sequitur :

Vers. 4. — Benedictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ : id est, abundabis liberis, et fructibus terræ, æquè ac jumentis.

Vers. 5. — Benedicta horrea tua. Chaldæus et recentiores vertunt, *benedicta canistra tua ;* sed nostro interpreti consentiunt Septuag. Vox ergo hebræa *tene,* significat repositorium, sive illud sit sporta, sive apotheca, sive horreum. Sensus ergo est : Abundabis frumento et panibus, ita ut reliquiæ superfuturæ sint multæ, quas in pauperes eroges ; hoc enim est quod subjungit, dicens : *Et benedictæ reliquiæ tuæ; benedictio* enim copiam et abundantiam significat, uti dixi 2 Cor. 9, 6.

Vers. 6. — Benedictus eris ingrediens et egrediens. Ingressus tuus in locum aliquem, æquè ac egressus, erit felix et fortunatus ; quia te per omnia diriget Deus. Ita videmus viros sanctos à Deo in omnibus dirigi, omnesque eorum actus felices habere exitus, in quibus illud psal. 1 impletur : *Et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.*

Vers. 9. — Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, q. d. : *Faciet Deus,* ut sis et voceris populus sanctus, populus Dei, illique peculiariter addictus, qui vicissim te ut populum suum defendat, provehat, et gloriosum reddat.

Vers. 10. — Videbuntque omnes terrarum populi, quòd nomen Domini invocatum sit super te, q. d. : Videbunt omnes, te vocari nomine Dei, vel te vocari, æquè ac esse, populum Dei, quòdque Deus se tuum Deum esse ostendat, te protegendo, et augendo res tuas (unde omnes timebunt te) ; hoc enim in Scripturâ significat, *invocari nomen alicujus super aliquem,* ut patet Ecclesiastici 36, 14 ; Jerem. 7, 11 ; Baruch. 2, 15 ; Daniel 9, 18, et alibi.

Vers. 12. — Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ut tribuat pluviam. *Cœlum*, id est, aerem, dicitur hic thesaurus Dei, quia in eo, quasi repositorio nobis inscrutabili, recondidit Deus pluviam, per quam cuncta bona terræ proveniunt. Sic aer dicitur thesaurus ventorum, ps. 134, 8 : *Qui producit ventos de thesauris suis;* item grandinis et nivis, Job. 38, 22. Sic abyssus maris et aquarum, quia inscrutabilis est et impenetrabilis, vocatur thesaurus Dei, psal. 32, 7 : *Ponens in thesauris abyssos,* id est, aquas profundissimas.

Fœnerabis, id est, mutuabis, mutuum, præ opibus et copiâ, dare poteris, gentibus multis, et ipse a nullo fœnus, id est, mutuum, accipies, quia nullâ premeris necessitate, cùm domi omnibus rebus sis abundaturus. Ita hebræa, Septuag. et Chaldæus, qui vertit : *Mutuabis gentibus multis, et ipse à nemine mutuum accipies.* Non ergo hic Deus permittit, aut præcipit usuras, uti Judæi intelligunt. Hebr. enim *lava,* non usuram, sed mutuum significat. Idem verbum est v. 44, ubi rursùm noster vertit, *fœnerabis.*

Vers 13. — Constituet te Dominus in caput, et non in caudam, et eris semper supra, et non subter, q. d. : Faciet Deus te ubique et semper primum, non ultimum ; dominantem aliis, non subjectum. Ita Theodor. q. 34.

Vers. 15 et 16. — Si audire (obedire) nolueris vocem Domini Dei tui, etc., maledictus eris in civitate, maledictus in agro, q. d. : Miser eris et infelix, deficientque te res, tam urbanæ, quàm rusticæ. Hactenùs Moses bona recensuit, danda servantibus legem Dei ; hic per antithesin recenset mala plurima, ob-

ventura violantibus legem Dei. Hæc concionatores peccatoribus inculcent; mala enim hæc typum et præambulum gerunt malorum et pœnarum gehennæ.

Vers. 20. — Mittet Dominus super te famem et esuriem. Hebr. *Mittet in te maledictionem, et conturbationem,* vel strepitum terribilem, in quo omnia turbatione sunt plena. Sed per hæc tam noster quàm Septuag. acceperunt famem et esuriem; hæc enim hominibus carnalibus, quales erant Judæi, summa videtur maledictio et conturbatio.

Et increpationem, id est, perditionem, et, ut vertunt Septuag., consumptionem, quæ est effectus increpationis Dei, ut scilicet omnia opera tua perdantur, destruantur et consumantur; est metonymia.

Vers. 22. — Percutiat te Dominus, etc., frigore; ita et Septuag.: quare hebræa vox *dalac,* est contrariæ significationis: nam aliàs communiter significat ardorem et persecutionem. Unde Chald. et recentiores hîc pro *frigore,* vertunt, *ardore.*

Et æstu. Chald. et recentiores vertunt, *et gladio,* legunt enim *chereb,* sed noster aliis punctis legit *choreb,* id est, siccitas, æstus.

Et rubigine. *Rubigo* est morbus segetum, qui oritur vento orientali ingrediente spicas, ita ut maturescere nequeant, sed exedantur, extenuentur, et arescant; vocatur et *aurugo.*

Vers. 23. — Sit cœlum, quod super te est, æneum, ut scilicet non pluat imbrem, qui sata riget, sed durum et siccum sit, instar æris; et terra quam calcas, ferrea, ita scilicet, ut arari non possit, ac consequenter nullum ferat fructum, perinde ac si esset ferrea.

Vers. 24. — Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem, id est, loco pluviæ cadat pulvis, vel cinis sulphureus, q. d.: Tantus sit æstus, ut vice imbris, descendat de cœlo pulvis ardens, vi ventorum excitatus, et in altum elatus.

Vers. 27. — Percutiat te Dominus ulcere Ægypti, quale scilicet, per Mosen Ægyptiis inflixit, Exodi 9, 10, et partem corporis per quam stercora egeruntur, etc. Heb., *percutiat te infirmitatibus ani,* puta hæmorrhoidibus, mariscis, et similibus morbis.

Vers. 29. — Ut palpes in meridie, ut cæcutias in re tam clarâ, quàm est lux meridiana, loquitur de cæcitate animi, ut patet ex sequentibus. Nam cæcitas animi pœna est peccati, eaque ingens, ut docet S. Aug. in ps. 57. « Parvane pœna est, ait, obscuratio cordis, et « excæcatio mentis? Si quis furtum faciens « statim oculum perdidisset, omnes dicerent « Deum præsentem vindicâsse, oculum cordis « amisit, et putatur ei pepercisse Deus? » Palpant autem Judæi et impii, tam olim quàm nunc, in meridie. An non meridiana lux est lex Christi, et doctrina christianum orbem illuminans? In hâc luce palpant cæci, non vident æterna, fluxisque et caducis rebus, quæ in puncto temporis effluunt, inhærent. *Usque in hodiernum diem cùm legitur Moses, velamen positum est super cor eorum,* inquit S. Paulus 2 Cor. 3.

Non dirigas vias tuas. Hebr. *non secundabis vias tuas,* q. d.: Actiones tuæ infortunatæ erunt, omnia tibi infeliciter evenient.

Vers. 31. — Bos tuus immoletur (bos tuus occidatur ab hoste, vel adversario tuo) coram te, et non comedas ex eo.

Vers. 32. — Et non sit fortitudo in manu tua, ad liberandum filios et filias tuas, ex manu hostium.

Vers. 33. — Quem ignoras, quem tu non novisti.

Vers. 37. — Eris perditus, Hebr. et Chald., *eris in desolationem, proverbium et fabulam,* ut videlicet à te stupeant, te quasi exemplo utantur, de te linguam suam acuant omnes populi.

Vers. 43. — Advena, etc., ascendet super te. Hebr.: *Advena ascendet super te sursùm sursùm; tu autem descendes deorsùm deorsùm,* id est, advena longè erit te superior, et tu illo longè eris inferior.

Vers. 49. — Adducet Dominus super te gentem de longinquo, etc., in similitudinem aquilæ, quæ scilicet, ut aquila, celerrimè, citissimè et violentissimè advolet, ut te depræedetur. Innuitur hîc dominatus Babyloniorum, et Nabuchodonosor, qui Ezech. 17, 3, comparatur aquilæ grandi; hic enim Judæos evertit.

Nota. Reges et tyranni, ac præsertim Nabuchodonosor vocatur *aquila,* tum à Jeremiâ c. 48, 40, tum ab Ezechiele cap. 17, 3, tum à Daniele c. 7, 4, tum ab Osee c. 8, v. 1. Sic Ajax cognominatus est aquila, et Pyrrhus rex aquila dici voluit, et filius Caroli Magni dictus est Arnulphus, id est, aquilæ auxilium; nam aquila symbolum est, primò, regni et imperii: est enim ipsa rex avium; secundò, invasionis

et pugnæ fortis, celeris et impetuosæ; tertiò, rapacitatis et sævitiæ; quartò, victoriæ; ipsa enim omnes aves, quin et serpentes et cervos, pulvere quem alis colligit in oculos eorum conjecto, vincit et prosternit. Hinc Romani et gentiles omen victoriæ sæpè acceperunt ab aquilis, easque ad superstitionem usque observabant.

Anacreon, auctor antiquissimus, scribit, Jovem adversùs Titanas (alii dicunt adversùs gigantes) profecturum, sacrificium fecisse cœlo in Naxo insulâ, in quâ primùm infans educatus fuit, aquilasque dùm sacrum faceret, ei apparuisse, et telum prætulisse. Quibus mox visis bonum auspicium suscepit, victoriæ indicium, quæ cùm subsecuta esset, insigne bellicum inde auream aquilam, ut proprium gestâsse dicitur, ut Aglaosthenes aliique testantur.

Magnam quoque spem Cyrus Persarum rex ex sequenti cœpit augurio, quod Xenophon lib. 2 Pædiæ Cyri his verbis narrat: « Cyro « adversùs Armenos proficiscenti continuò in « primo agro consurgit lepus; aquila autem « volans dextera leporem despiciens fugien- « tem, et irruit, et percussit illum, extulitque « correptum, eoque ablato in collem proxi- « mum, pro libidine utebatur prædâ. Augu- « rium igitur Cyrus intuitus, cùm lætatus est, « tùm Jovem regem adoravit, dixitque ad « præsentes: Venatio quidem pulchra est fu- « tura, si deo libuerit. » Et alibi de eodem Cyro: « Cùm talia disserentes, inquit, ad fi- « nes usque Persidis venissent, esset que his « aquila dextera apparens itineris dux facta, « deos heroasque precati terram colentes « Persida, ut se propitii juvarent ac mites, ita « fines superârunt. » Hinc Cyri et Persarum signum militare erat aquila aurea extensa in longâ hastâ, uti ait Xenophon de Pædiâ Cyri lib. 7, initio: unde Romani idem signum assumpserunt, scilicet aquilam, sed argenteam, et pedibus tenentem fulmen, in hastâ erectam.

Aristander augurio aquilæ trajicientem in hostes, Alexandrum victorem pronuntiavit ante conflictum; illa autem à classe in continentem progressa, ibique firmata, augurio fuit, Persas terrâ, non mari debellandos esse, etiam Alexandri ipsius interpretatione, secùs quàm sentiret Parmenio. Et difficillimo eo prælio, quod cum Darianis apud Arbellam commissum est, quo nullum unquàm acrius inter eos fuit, aquila paululùm supra caput Alexandri placidè volitans, nec armorum sonitu nec gemitu, clamoreve ullo morientium terreri potuit, sed diù circa equum regis pendenti magis, quàm volanti similis constitit, præsagiens vel indicans potiùs, quò res evasura esset. Neque dissimile est, quod Tacitus, lib. 1, Fabio Valenti scribit oblatum, cui, cùm exercitum in bellum educeret, ipso profectionis die aquila leni meatu, prout agmen incedebat, veluti dux viæ prævolavit, et per longum spatium, cùm nullo gaudentium militum clamore, et augurium accipientium alitemque salvere jubentium, terrefieret, iter ita continuavit, ut haud dubiè magnæ et prosperæ rei omen traderet. Testatur tale quoque quid Suetonius in Domitiano: « Siquidem, inquiens, « ipso quo dimicatum est die, statuam Domi- « tiani Romæ insignis aquila circumplexa, « pennis clangores lætissimos edidit; paulò- « que post occisum Antonium, belli motorem, « adeò vulgatum est, ut caput ejus quoque « apportatum plerique contenderent. »

Vers. 50. — Gentem procacissimam. Hebr., *gentem fortem facie,* id est, perfrictæ frontis, barbaram, audacem et inhumanam.

Vers. 53. — Et comedes, fructum uteri tui; id factum est in excidio Jerusalem sub Tito. Reliquæ clades et calamitates, quas hic Judæis Deus comminatur, eis ab eo immissæ sunt, partim in eodem excidio per Titum, partim in obsidione Assyriorum, puta Salmanazar, Teglatphalazar, Sennacherib, etc., partim per Nabuchodonosor et Babylonios; partim per Alexandrum et Macedones. Ita Theod. qu. 34.

Vers. 65. — Dabit tibi Dominus ibi cor pavidum. Istam maledictionem nunc habent Judæi, inquit Abulensis, tum quia Deus eam illis in pœnam inflixit, tum quia à tenerâ ætate Christianos timere discunt, cùm Christiani eos adhuc teneros persequi incipiant, diripere et percutere. Pueri enim, qui in omnibus franguntur, pavidum, ignobile et ineptum ad ardua habent cor, præsertim apud eos, qui eos frangunt; nam et leones domitorum suorum, quorum ferulæ assueverunt, vultum expavent, alios autem homines non timent. Hinc pueri, ita erudiendi sunt, ut ira et passiones interdùm in eis castigentur, ne insolescant; interdùm verò passiones suas sequi permittantur, ne animositas frangatur, itàque fiant viriles et animosi ad se et rempublicam defendendam. Tertull. libro contra Judæos, c. 11, legit: *Dabit tibi Deus cor tædians, et tabescentem animam.*

Et deficientes oculos, ut scilicet oculi tui præ lacrymis caligent et deficiant.

Vers. 66. — Et erit vita tua quasi pendens ante te (id est, erit vita tua in periculo posita, et quasi in dubio suspensa), imò non credes vitæ tuæ, id est, non fides vitæ tuæ, vel te posse vivere, sed de vitâ desperabis. Aliter hæc verba accipit S. August. lib. 16 contra Faustum, c. 22; Procop. hîc et S. Leo serm. 8 de Passione, quasi dicat : Christus est vita tua, ô Judæe, qui à te visus est pendens in cruce, et tamen tu illi non credidisti. Verùm hic sensus symbolicus est. Ita et Tertull. supra, qui et legit : *Erit vita tua pendens in ligno, ante oculos tuos, et non credes vitæ tuæ.*

Vers. 68. — Reducet te Dominus classibus in Ægyptum. Id factum esse sub Tito, docet Joseph. lib. 7 Belli, c. 16, ubi docet Judæos à Romanis captos, qui minores erant septemdecim annis, in Ægyptum deductos, ibique venditos fuisse ad onera et opera, idque tantâ copiâ, ut vix invenirentur emptores.

Nota τὸ *classibus :* hinc enim patet, tempore Mosis fuisse classes et naves. Has enim Hebræis hic quasi notas proponit et nominat Moses, unde patet, quàm historia Mosis antiquior sit historiâ gentilium et poetarum; hi enim primas naves putant fuisse Jasonis et Argonautarum, qui fuerunt paulò ante bellum Trojanum, sub tempora Jephte, judicis Hebræorum.

CAPUT XXIX.

1. Hæc sunt verba fœderis, quod præcepit Dominus Moysi ut feriret cum filiis Israel in terrâ Moab : præter illud fœdus, quod cum eis pepigit in Horeb. — 2. Vocavitque Moyses omnem Israel, et dixit ad eos : Vos vidistis universa quæ fecit Dominus coram vobis in terrâ Ægypti Pharaoni, et omnibus servis ejus, universæque terræ illius, — 3. tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, signa illa, portentaque ingentia, — 4. et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures quæ possunt audire, usque in præsentem diem. — 5. Adduxit vos quadraginta annis per desertum; non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt. — 6. Panem non comedistis, vinum et siceram non bibistis, ut sciretis quia ego sum Dominus Deus vester. — 7. Et venistis ad hunc locum; egressusque est Sehon, rex Hesebon, et Og, rex Basan, occurrentes nobis ad pugnam. Et percussimus eos, — 8. et tulimus terram eorum, ac tradidimus possidendam Ruben et Gad, et dimidiæ tribui Manasse. — 9. Custodite ergo verba pacti hujus, et implete ea; ut intelligatis universa quæ facitis. — 10. Vos statis hodiè cuncti coram Domino Deo vestro, principes vestri, et tribus; ac majores natu, atque doctores, omnis populus Israel, — 11. liberi et uxores vestræ, et advena qui tecum moratur in castris, exceptis lignorum cæsoribus, et his qui comportant aquas, — 12. ut transeas in fœdere Domini Dei tui, et in jurejurando quod hodiè Dominus Deus tuus percutit tecum; — 13. ut suscitet te sibi in populum, et ipse sit Deus tuus, sicut locutus est tibi et sicut juravit patribus tuis, Abraham, Isaac, et Jacob. — 14. Nec vobis solis ego hoc fœdus ferio, et hæc juramenta confirmo, — 15. sed cunctis præsentibus et absentibus. — 16. Vos enim nôstis quo modo habitaverimus in terrâ Ægypti, et quo modo transierimus per medium nationum; quas transeuntes, — 17. vidistis abominationes et sordes, id est, idola eorum, lignum et lapidem, argentum et aurum, quæ colebant. — 18. Ne fortè sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus cujus cor aversum est hodiè à Domino Deo nostro; ut vadat et serviat diis illarum gentium; et sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem. — 19. Cùmque audierit verba juramenti hujus, benedicat sibi in corde suo, dicens : Pax erit mihi, et ambulabo in pravitate cordis mei; et absumat ebria sitientem, — 20. et Dominus non ignoscat ei : sed tunc quàm maximè furor ejus fumet, et zelus contra hominem illum, et sedeant super eum omnia maledicta, quæ scripta sunt in hoc volumine; et deleat Dominus nomen ejus sub cœlo, — 21. et consumat eum in perditionem ex omnibus tribubus Israel, juxta maledictiones, quæ in libro legis hujus ac fœderis continentur. — 22. Dicetque sequens generatio, et filii qui nascentur deinceps, et peregrini, qui de longè venerint, videntes plagas terræ illius, et infirmitates, quibus eum afflixerit Dominus, — 23. sulphure et salis ardore comburens, ita ut ultra non seratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum subversionis Sodomæ, et Gomorrhæ, Adamæ, et Seboim, quas subvertit Dominus in irâ et furore suo. — 24. Et dicent omnes gentes : Quare sic fecit Dominus terræ huic? quæ est hæc ira furoris ejus immensa? — 25. Et respondebunt : Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum, quando eduxit eos de terrâ Ægypti; —

26. et servierunt diis alienis, et adoraverunt eos, quos nesciebant, et quibus non fuerant attributi : — 27. idcircò iratus est furor Domini contra terram istam, ut induceret super eam omnia maledicta, quæ in hoc volumine scripta sunt : — 28. et ejecit eos de terrâ suâ in irâ et in furore, et in indignatione maximâ, projecitque in terram alienam, sicut hodiè comprobatur. — 29. Abscondita, Domino Deo nostro : quæ manifesta sunt, nobis et filiis nostris usque in sempiternum, ut faciamus universa verba legis hujus.

---

1. Voici les paroles de l'alliance que le Seigneur commanda à Moïse de faire avec les enfants d'Israël, dans le pays de Moab, outre la première alliance qu'il avait faite avec eux sur le mont Horeb. — 2. Moïse fit donc assembler tout le peuple d'Israël, et il leur dit : Vous avez vu tout ce que le Seigneur a fait devant vous en Egypte, de quelle manière il a traité Pharaon, tous ses serviteurs et tout son royaume ; — 3. vous avez vu de vos yeux les grandes plaies par lesquelles il les a éprouvés, ces miracles et ces prodiges épouvantables, *qu'il a faits contre eux en votre faveur.* — 4. Et le Seigneur, *par un juste jugement*, ne vous a point donné jusqu'aujourd'hui un cœur qui eût de l'intelligence, des yeux qui pussent voir, et des oreilles qui pussent entendre, *pour profiter de ces merveilles qui ont été si grandes.* — 5. *Car que n'a-t-il point fait pour vous?* Il vous a conduits jusqu'ici par le désert pendant quarante ans ; *et par un prodige inouï* vos vêtements se sont conservés, et les souliers que vous aviez à vos pieds ne se sont point usés pendant tout ce temps. — 6. Vous n'avez mangé ni de pain, ni bu de vin, ou de cidre, *dit le Seigneur ; et cependant vous n'avez jamais manqué de nourriture capable de vous soutenir,* afin que vous sussiez que c'est moi qui suis le Seigneur votre Dieu, *et qui peut faire vivre l'homme de tout ce que je veux bien lui donner.* — 7. Lorsque vous êtes venus en ce lieu, Séhon, roi d'Hésébon, et Og, roi de Basan, ont marché au-devant de nous pour nous combattre ; et nous les avons taillés en pièces. — 8. Nous avons pris leur pays, et nous l'avons donné à Ruben, à Gad, et à la moitié de la tribu de Manassès, afin qu'ils le possédassent. — 9. *Après tant de bienfaits,* gardez donc les conditions de cette alliance, *dont ils sont les fruits,* et accomplissez-les ; en sorte que tout ce que vous faites, vous le fassiez avec intelligence, *et du fond du cœur, afin que vous réussissiez en tout ce que vous entreprendrez.* — 10. Nous voilà tous aujourd'hui présents devant le Seigneur votre Dieu, les princes de vos tribus, les anciens et les docteurs, et tout le peuple d'Israël, — 11 vos enfants, vos femmes, et l'étranger qui demeure avec vous dans le camp, sans *en excepter* ceux qui coupent le bois, et ceux qui apportent l'eau ; — *vous êtes, dis-je, tous ici,* afin que vous entriez dans l'alliance du Seigneur, votre Dieu, cette alliance que le Seigneur votre Dieu contracte et jure aujourd'hui avec vous *tout de nouveau,* — 13. afin qu'il fasse de vous son propre peuple, et qu'il soit lui-même votre Dieu, selon qu'il vous l'a promis, et selon qu'il l'a juré à vos pères Abraham, Isaac et Jacob. — 14. Cette alliance que je fais aujourd'hui, ce serment que je confirme de nouveau, n'est pas pour vous seuls ; — 15. mais elle est pour tous, *pour les* présents et *pour les* absents, *pour ceux qui sont aujourd'hui, et pour ceux qui viendront après nous ; ils seront tous obligés de l'observer comme nous.* — 16. Car vous savez de quelle manière nous avons demeuré dans l'Egypte, et comment nous avons passé au milieu des nations, et qu'en passant, — 17. vous avez vu *avec horreur* des abominations, et des ordures, c'est-à-dire, leurs idoles, le bois et la pierre, l'argent et l'or, qu'ils adoraient *comme des dieux.* — 18. Qu'il ne se trouve donc pas aujourd'hui parmi vous un homme ou une femme, une famille ou une tribu, dont le cœur, se détournant du Seigneur notre Dieu, aille adorer les dieux des nations ; qu'il ne se produise pas parmi vous une racine *de péché, et* un germe *d'impiété, des enfants de Bélial, qui en s'abandonnant au culte des idoles, attirent sur vous un déluge* de fiel et d'amertume, *en irritant contre vous la colère de Dieu.* — 19. *Au reste, ne croyez pas que ce soit ici une simple menace ;* et que quelqu'un *d'entre vous* ayant entendu les paroles de cette alliance que Dieu a jurée avec vous, ne se flatte pas en lui-même, en disant : Je ne laisserai pas de vivre en paix quand je m'abandonnerai à la dépravation de mon cœur ; de peur qu'enivré *de cette erreur,* il n'entraîne avec lui les innocents, *et que les ayant rendus les compagnons de son crime, ils ne soient aussi participants de la ruine qui en sera infailliblement la peine.* — 20. Car le Seigneur ne pardonnera point à cet homme : mais sa fureur s'allumera alors d'une terrible manière : et sa colère éclatera contre lui ; il se trouvera accablé de toutes les malédictions qui sont écrites dans ce livre,

Le Seigneur effacera la mémoire de son nom de dessous le ciel; — 21. il l'exterminera pour jamais de toutes les tribus d'Israël, selon les malédictions qui sont contenues dans ce livre de la loi et de l'alliance *du Seigneur*. — 22. La postérité qui viendra après nous, les enfants qui naîtront dans la suite d'âge en âge, et les étrangers qui seront venus de loin, voyant les plaies de ce pays, et les langueurs dont le Seigneur l'aura affligé, — 23. voyant qu'il l'aura brûlé par le soufre et par un sel brûlant, de sorte qu'on n'y jettera plus aucune semence, et qu'elle ne poussera plus aucune verdure, et qu'il y aura renouvelé une image de la ruine de Sodome et de Gomorrhe, d'Adama et de Séboïm, que le Seigneur a détruites dans sa colère et sa fureur. 24. La postérité, dis-je, et tous les peuples diront, en voyant ces choses : Pourquoi le Seigneur a-t-il traité ainsi ce pays? d'où vient qu'il a fait éclater sa fureur avec tant de violence, *contre ses habitants?* — 25. Et on leur répondra : Parce qu'ils ont abandonné l'alliance que le Seigneur avait faite avec leurs pères, lorsqu'il les tira d'Egypte; — 26. et qu'ils ont servi et adoré des dieux étrangers qui leur étaient inconnus, et au culte desquels ils n'avaient point été destinés. — 27. C'est pour cela que la fureur du Seigneur s'est allumée contre *le peuple de* ce pays, qu'il a fait fondre sur eux toutes les malédictions qui sont écrites dans ce livre, — 28. qu'il les a chassés de leur pays dans sa colère, dans sa fureur, et dans son extrême indignation, et qu'il les a envoyés bien loin dans une terre étrangère, comme on le voit aujourd'hui. — 29. *Que la crainte de ces malheurs nous engage donc à être fidèles à notre Dieu; mais ce qui doit nous y porter encore davantage, c'est que ces divins préceptes qu'il nous a donnés, étaient comme autant de* secrets cachés *de toute éternité* dans le Seigneur notre Dieu; *et* il nous les a maintenant découverts à nous et à nos enfants pour jamais *en nous donnant sa loi sainte,* afin que nous accomplissions toutes les paroles de cette loi, *et qu'en les accomplissant, nous soyons participants de sa gloire et de sa sainteté.*

Vers. 1. — Hæc sunt verba fœderis. Deus iniit fœdus in Sinâ cum Hebræis, Exodi 19, v. 4, dando eis Decalogum, aliasque leges; hîc verò post 38 annos, illud fœdus renovat cum posteris eorum, in campestribus Moab, sub hâc conditione, ut scilicet servent leges ejus.

Vers. 2. — Vocavitque Moyses omnem Israel. Fortè ergo Israelitæ jam domum redierunt, interpolatâ oratione Mosis; hæc enim hucusque longa satis fuit concio; inde hîc denuò revocati sunt, quasi ad fœdus cum Deo renovandum. Ita Abul.

Posset tamen secundò, sic simpliciùs et planiùs explicari : *Vocavit,* id est, compellavit omnem Israel.

Vers. 2 et 3. — Vos vidistis, etc., tentationes magnas, puta plagas magnas inflictas Ægyptiis, quibus Deus animos Ægyptiorum tentavit, impulit, et coegit ut vos dimitterent.

Vers. 4. — Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures quæ possunt audire. Hebr., *aures ad audiendum,* vel, *audientes,* ut scilicet audiretis portenta Dei; non quasi Hebræi non haberent oculos, aut non vidissent portenta, et beneficia sibi à Deo præstita, aut non audissent ea; sed quòd videntes et audientes ea, quasi non viderent, et non audirent; quia ea non æstimabant, nec inde ad amorem, obedientiam et laudem Dei creatoris et largitoris assurgebant. Deus ergo non dedit eis aures, cor et oculos videntes, quia ipsi ea occluserunt illuminationi et gratiæ Dei, sicut qui claudit fenestram, non potest eum sol illuminare, q. d. : Semper ingrati fuistis tantis Dei in vos beneficiis, et corpore licet ea videntes, corde tamen et mente ea non vidistis, nec æstimâstis. Unde Raban. : « Quòd « verò, ait, dicit Deum non dedisse eis oculos, « nec aures, nullo modo arguens et increpans « hoc diceret, nisi ad eorum culpam (qui lu- « mine et gratiâ Dei indigni, eique rebelles « fuerunt) pertinere vellet intelligi. » Ita et Theodor.

Vers. 5. — Non sunt attrita vestimenta vestra. Quærit hîc Abulens. unde tot millia parvulorum, qui nati sunt in deserto, habuerunt suas vestes? Aliqui respondent, Hebræos eas emisse à vicinis gentibus. Sed illæ ferè hostiles erant : unde Hebræi cum eis vix habebant commercia. Secundò, Abulens. respondet, Hebræos eas extulisse secum ex Ægypto; et esto illæ majores essent et viriles, supernaturaliter tamen easdem fuisse imminutas et contractas, atque accommodatas corpusculis parvulorum, easque rursùm cum eis crescentibus crevisse. Verùm hoc miraculum hîc sine necessitate ponitur.

Dico ergo primò, Hebræos in exitu spoliâsse Ægyptum, vestesque varias inde extulisse, ut patet Exodi 12. 35, quas postea dissuerunt et

consciderunt, easque corporibus parvulorum admensi sunt et adaptârunt. Secundò, vestes eorum, qui moriebantur in deserto, cedebant iis qui subnascebantur et succrescebant. Tot autem ferè sunt mortui in deserto, quot nati, ut patet conferenti cap. 12 Exodi v. 37, cum Numer. 26, 51. Tertiò, Hebræi tam viri quàm feminæ, in deserto per 40 annos non fuerunt otiosi, sed lanam et linum tractabant, indeque sibi pannos ac vestes confecerunt. Pari modo, ex pellibus animalium suorum conficiebant corium, indeque calceos, uti concedit Abulensis; quod si ita est, cur non pari modo ex lanâ et lino confecerint pannos et vestes?

Ex hoc loco Tertull. l. de Resurrect. carnis cap. 58, eam ita probat : « Hæ, ait, figuræ no-« stræ fuerunt, ut Dominum potentiorem cre-« damus omni corporum lege, et carnis magis « utique conservatorem, cujus etiam vestimen-« ta et calceamenta protexit. »

Vers. 6. — Panem non comedistis. Quia loco panis comedebant manna; carnes tamen, ova, pisces, etc., potuerunt comedere, et emere à vicinis gentibus, uti dicitur Deuter. 2, v. 6; vix tamen ea emisse et comedisse videntur, quia in manna habebant omnem saporem. Ita Abulensis.

Vers. 10. — Vos statis hodiè cuncti. Oportebat ut omnes ad susceptionem legis et fœderis convenirent, quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, et hoc modo condebantur leges romanæ; scilicet conveniente toto populo, quærebat altâ voce magistratus, utrùm placeret eis talis lex; atque ex responsione totius populi pendebat, utrùm illa approbaretur, vel reprobaretur, ut patet in Institut. de jure naturali, § *Lex est*. Ita Abulensis.

Vers. 12. — Ut transeas in fœdere Domini Dei tui, ut scilicet ineas fœdus solemne coram, et cum Deo tuo, et obstringas te jurejurando, id est, execratione maledictionum hoc cap. et præced. descriptarum; has enim significat hebr. *ala*, et græcum ἄρα.

Vers. 18. — Ne fortè, etc., sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem, vel toxicum et absinthium, uti vertunt recentiores; Chald. vertit : *Ne sit inter vos cogitans peccata et superbiam*, Peccatum ergo et aversio à Deo hîc dicitur fel, amaritudo, absinthium, toxicum, primò, quia lethaliter sauciat animam; secundò, quia eam amaricat per remorsum conscientiæ, et lancinat; tertiò, quia eam reddit Deo invisam et exosam; peccatum enim est objectum unicum iræ, indignationis et vindictæ Dei. Similis phrasis est Actor. 8, v. 23; ait enim Petrus Simoni Mago : *In felle amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse*. Potest secundò hîc fel significare bilem Dei, quasi dicat, inquit Hieron. Prado in Ezech. cap. 8, pag. 117: Cavete, ne inter vos reliqua sit aliqua idololatriæ species occulta, quasi radix sub terrâ quæ deinde germinet absinthium fellis amarissimum, quæ scilicet accendat bilem meam, et ebullire faciat fel, ita ut nulla sit remissio. Nam bilem sequitur sitis, sitim ebrietas, et furoris effusio, atque hoc est quod sequitur : *Et assumat ebria sitientem*, id est, consequatur ebrietas sitim; vel potiùs, *absumat ebria*, scilicet anima, *sitientem*, scilicet animam, id est, animæ sitim, q. d. : Ut animæ sitim ebrietas extinguat et absumat. Verùm de hâc phrasi mox dicam.

Vers. 19. — Cumque audierit verba juramenti (id est, maledictionis, et execrationis hujus, ut dixi v. 12, contemnens et irridens eam), benedicat sibi in corde suo, blandiatur sibi, promittendo scilicet sibi impunitatem et *pacem*, id est, prosperitatem, etiamsi leges hasce meas violârit; patet ex sequent.

Et absumat (ita legendum cum Roman. et Regiis, non *assumat*, ut habent Plantin.) ebria sitientem. Hebr. est, *ut addatur ebria sitienti*, scilicet in pœnâ, æquè ac culpâ. Unde Septuag. clarè vertunt : *Ut peccator perdat simul innocentem*. Vox enim *non*, quam addunt Septuag. dicentes, *non perdat*, non est in hebræo, et prohibitivè tantùm à Septuag. est addita; unde meliùs et planiùs omittitur. Hùc alludit et Chald. : *Ut addantur ei peccata ignorantiæ peccatis superbiæ*, q. d., ait Rabanus : Cave, ne qui ebrius es malitiâ et præsumptione, seducas eum, qui habet votum discendi veritatem. Videtur autem illo tempore fuisse proverbium: *Ebrius sitientem, aut sobrium ducit* (uti apud nos est, *cæcus cæcum ducit*), id est, impius et sceleratus simplicem et avidum, non tam veritatis et sapientiæ, ut vult Rabanus, quàm novitatis et voluptatis (ebrietas enim et sitis sunt ejusdem rei) ducit, et seducit ad suas sceleratas voluptates, errores et idololatrias. Aliter hanc phrasin explicat Eugubinus, sed minùs, ut videtur, genuinè, scilicet sic : *Ut addatur ebria sitienti, aut ebrietas siti; quasi dicat : Ut avidissimè pessimos quosque errores imbibant, ut eorum malefaciendi sitis fiat quædam ebrietas, inebrientur malefactis, quod tantoperè priùs cupiebant.*

Hinc symbolicè, absumit ebria sitientem,

cùm pars inferior voluptatibus inescata et inebriata, totam ad se mentem (quæ sitiens est, quòd voluptatum corporalium per se sit expers) trahit et absorbet; tuncque homo fit mancipium corporis sui; dominatur enim corpus et appetitus in rationem, eamque sibi subjicit.

Vers. 20. — Furor ejus fumet, id est, gravissimè irascatur et ulciscatur Deus.

Et sedeant, ut quasi fixè et immobiliter peccatori adhæreant hæc maledicta, uti sedens adhæret suæ sedi.

Vers. 23. — Sulphure et solis ardore comburens, scilicet terram vestram. Pro *solis* corrige *salis*. Ita Hebr., Chald., Septuag., et Roman. Sal enim terræ inspersum, eam exsiccat, urit, depascitur, et sterilem facit; hinc Achimelech sal sparsit in agro Sichem, cùm vellet eum omninò sterilem efficere, Judic. 9, 45.

In (id est, *ad*) exemplum subversionis Sodomæ, q. d.: Instar subversionis Sodomæ, sicuti Deus subvertit Sodomam; patet ex hebræo.

Vers. 26. — Et servierunt diis alienis, etc., quibus non fuerant attributi (hebr., *quos non divisit eis*, quisquam scilicet, id est, qui non sunt eis divisi et attributi. Cal enim pro niphal, id est, activum pro passivo, sæpè usurpant Hebræi, q. d.: Hebræi diis alienis non sunt dati in custodiam et famulatum, sed Deo vero, ejusque hæreditas jam ab olim fuerunt; quare sacrilegè ipsimet se illi suffurati sunt, et alienis diis se subjecerunt).

Vers. 28. — Sicut hodiè comprobatur, videlicet quando ista, quæ hîc prædicuntur, posterioribus temporibus facta fuerint; loquitur enim Moses de tempore futuro; sunt enim hæc verba gentium desolationem Judæorum factam admirantium.

Vers. 29. — Abscondita, Domino Deo nostro, quæ manifesta sunt, nobis et filiis nostris. Chald., Aben Ezra, et Rabbini sic explicant, q. d.: *Quæ occulta sint coram Domino*, id est, Domini est occulta peccata punire; *quæ autem manifesta sunt, nobis*, scilicet convenit ea punire. Verùm meliùs ad legem Dei, vel potiùs ad maledicta et flagella Dei, quæ hîc prævaricatoribus ab eo intentantur, hæc referemus, q. d.: Hæc flagella futura, prævisa et decreta à Deo, sunt abscondita, suntque inter occulta Dei judicia, quæ tamen nobis manifestavit, ut eorum metu legem ejus faciamus. Ita Cajetan. Quod enim Abulens. sic explicat: Manifesta sunt nobis flagella Dei, quia ea jam immissa sunt nobis, quia ea sentimus et experimur, non consentit cum sequentibus, sequitur enim: *Usque in sempiternum, ut faciamus universa verba legis hujus.*

CAPUT XXX.

1. Cùm ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio, sive maledictio, quam proposui, in conspectu tuo; et ductus pœnitudine cordis tui in universis gentibus, in quas disperserit te Dominus Deus tuus, — 2. et reversus fueris ad eum, et obedieris ejus imperiis, sicut ego hodiè præcipio tibi, cum filiis tuis, in toto corde tuo, et in totâ animâ tuâ: — 3. reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, ac miserebitur tui, et rursùm congregabit te de cunctis populis in quos te ante dispersit. — 4. Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus. — 5. Et assumet, atque introducet in terram, quam possederunt patres tui, et obtinebis eam: et benedicens tibi, majoris numeri te esse faciet quàm fuerunt patres tui. — 6. Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, et cor seminis tui; ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in totâ animâ tuâ, ut possis vivere. — 7. Omnes autem maledictiones has convertet super inimicos tuos, et eos qui oderunt te et persequuntur.—8. Tu autem reverteris, et audies vocem Domini Dei tui; faciesque universa mandata quæ ego præcipio tibi hodiè; — 9. et abundare te faciet Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, in sobole uteri tui, et in fructu jumentorum tuorum, in ubertate terræ tuæ, et in rerum omnium largitate. Revertetur enim Dominus, ut gaudeat super te in omnibus bonis, sicut gavisus est in patribus tuis; — 10. si tamen audieris vocem Domini Dei tui, et custodieris præcepta ejus et cæremonias, quæ in hâc lege conscripta sunt; et revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in totâ animâ tuâ. — 11. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodiè, non supra te est, neque procul positum, — 12. nec in cœlo situm, ut possis dicere: Quis nostrùm valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, et audiamus atque opere compleamus? — 13. Neque trans mare positum, ut causeris, et dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, et illud ad nos usque deferre, ut possimus audire et facere quod præceptum est?—14. Sed juxta te est sermo valdè, in ore tuo et in corde tuo, ut facias illum.—15. Considera quòd hodiè proposuerim in conspectu

tuo vitam et bonum, et è contrario mortem et malum: — 16. ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et custodias mandata illius, ac cæremonias, atque judicia: et vivas, atque multiplicet te, benedicatque tibi in terrâ, ad quam ingredieris possidendam. — 17. Si autem aversum fuerit cor tuum, et audire nolueris, atque errore deceptus adoraveris deos alienos, et servieris eis, — 18. prædico tibi hodiè quòd pereas, et parvo tempore moreris in terrâ, ad quam Jordane transmisso, ingredieris possidendam. — 19. Testes invoco hodiè cœlum et terram, quòd proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum; — 20. et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, et illi adhæreas (ipse est enim vita tua, et longitudo dierum tuorum), ut habites in terrâ, pro quâ juravit Dominus patribus tuis, Abraham, Isaac, et Jacob, ut daret eam illis.

---

1. *Cependant je sais que vous ne les accomplirez point, ces préceptes, et que votre infidélité sera cause que tous ces malheurs tomberont sur vous; mais je sais aussi que le Seigneur ne sera pas sans miséricorde pour ceux qui retourneront à lui.* Lors donc que tout ce que je viens de dire vous sera arrivé, et que les bénédictions ou les malédictions que je viens de vous représenter, seront venues sur vous; et qu'étant touchés de repentir au fond du cœur parmi les nations dans lesquelles le Seigneur votre Dieu vous aura dispersés, — 2. vous reviendrez à lui avec vos enfants, et que vous obéirez à ses commandements de tout votre cœur et de toute votre âme, selon que je vous l'ordonne aujourd'hui; — 3. le Seigneur votre Dieu vous fera revenir de votre captivité; il aura pitié de vous, et il vous rassemblera encore, en vous retirant du milieu de tous les peuples où il vous avait auparavant dispersés. — 4. Quand vous auriez été dispersés jusqu'aux extrémités du monde, le Seigneur votre Dieu vous en retirera: — 5. Il vous reprendra à lui, et vous ramenera dans le pays que vos pères auront possédé, et vous le posséderez *de nouveau;* et en vous bénissant, il vous fera croître en plus grand nombre que n'auront été vos pères. — 6. *Alors* le Seigneur votre Dieu circoncira, *non votre chair, mais* votre cœur, et le cœur de vos enfants; *il retranchera tout amour profane,* afin que vous aimiez le Seigneur votre Dieu de toute votre âme, et que vous puissiez vivre. — 7. Il fera retomber toutes ces malédictions sur vos ennemis, sur ceux qui vous haïssent et vous persécutent. — 8. Et pour vous, vous reviendrez, et vous écouterez la voix du Seigneur votre Dieu, et vous observerez toutes les ordonnances que je vous prescris aujourd'hui. — 9. Et le Seigneur votre Dieu vous comblera de biens dans tous les travaux de vos mains, dans les enfants qui sortiront de votre sein, dans tout ce qui naîtra de vos troupeaux, dans la fécondité de votre terre, et dans une abondance de toutes choses. Car le Seigneur reviendra à vous pour mettre sa joie à vous combler de biens, comme il l'avait fait à l'égard de vos pères; — 10. pourvu néanmoins que vous écoutiez la voix du Seigneur votre Dieu, que vous observiez ses préceptes et les cérémonies qui sont écrites dans la loi que je vous propose, et que vous retourniez au Seigneur votre Dieu, de tout votre cœur et de toute votre âme. — 11. Ce commandement que je vous prescris aujourd'hui, *et que vous devez observer pour être heureux,* n'est ni au-dessus de vous, ni loin de vous. — 12. Il n'est point dans le ciel, pour vous donner lieu de dire: Qui de nous peut monter au ciel, pour nous apporter ce commandement, afin que, l'ayant entendu, nous l'accomplissions par nos œuvres? — 13. Il n'est point aussi au-delà de la mer, pour vous donner lieu de vous excuser, en disant: Qui de nous pourra passer la mer, pour l'apporter jusqu'à nous, afin que l'ayant entendu, nous puissions faire ce qu'on nous ordonne? — 14. Mais ce commandement est tout proche de vous, il est dans votre bouche et dans votre cœur; *vous le savez parfaitement, et le Seigneur vous l'a fait entendre,* afin que vous l'accomplissiez. — 15. Considérez que j'ai proposé aujourd'hui devant vos yeux, d'un côté la vie et les biens, et de l'autre côté la mort et les maux, — 16. afin que vous aimiez le Seigneur votre Dieu, et que vous marchiez dans ses voies, que vous observiez ses préceptes, ses cérémonies et ses ordonnances, afin que vous viviez, et qu'il vous multiplie et vous bénisse dans la terre où vous entrerez pour la posséder. — 17. Que si votre cœur se détourne de lui, si vous ne voulez pas l'écouter, et que, vous laissant séduire à l'erreur, vous adoriez et vous serviez des dieux étrangers, — 18. je vous déclare aujourd'hui par avance que vous périrez, et que vous ne demeurerez pas longtemps dans la terre, où, après avoir passé le

Jourdain, vous devez entrer pour la posséder. — 19. Je prends aujourd'hui à témoin le ciel et la terre, que je vous ai proposé la vie et la mort, la bénédiction et la malédiction. Choisissez donc la vie afin que vous viviez vous et votre postérité; — 20. que vous aimiez le Seigneur votre Dieu, que vous obéissiez à sa voix, et que vous demeuriez attachés à lui (comme étant votre vie, et celui qui vous doit donner une longue suite d'années), afin que vous habitiez dans le pays que le Seigneur avait juré de donner à vos pères, Abraham, Isaac et Jacob.

Vers. 4. — Si ad cardines (hebr. ad extremitatem) cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus. Est hyperbole, q. d. : Si fueritis in extremo orbe, inde reducet vos Deus ; si ad extremas terræ regiones, quæ sub polis, arctico et antarctico sitæ sunt, relegati fueritis, inde in patriam vos revocabit. Unde Franc. Valesius, c. 26 sacræ Philosophiæ, ex nostro hoc textu colligit, esse antipodes; nam qui sub polo arctico degunt, sunt antipodes iis, qui degunt sub antarctico, et contra. Innuit autem hìc Deus, Hebræos eò posse dispergi, ac proinde ibi esse terram habitabilem, Abulensis per cardines cœli accipit quatuor cœli plagas, videlicet orientem, occidentem, meridiem, et septentrionem. Verùm aptiùs, per cardines accipias duos polos jam dictos: quia sicut ostii cardines sunt fixi et immobiles, in iisque volvitur et movetur ostium; ita poli sunt fixi et immobiles, in iisque volvitur cœlum.

Est hic unus è potioribus Scripturæ locis, quem Judæi pro se citant, et Christianis semper objiciunt, nempe quòd jam sint in ultimâ captivitate, in quatuor mundi plagas dispersi, ubi expectant Messiam, qui illos iterùm in unum congreget, et in Judæam reducat; hanc enim scripturam non esse impletam in reditu è captivitate Babylonicâ, eò quòd in eâ non fuerint dispersi in quatuor mundi plagas, et eò quòd duæ tantùm tribus tunc in Judæam redierint, aliis decem in Assyriâ manentibus.

Verùm Nehemias cap. 1, vers. 8 et 9, disertè docet, hunc locum, et hanc promissionem impletam esse, in reditu è captivitate Babylonicâ; non enim asserit Moses, eos dispergendos ad extrema cœli, sed loquitur conditionatè, aitque : Etiamsi contingeret vos dispergi ad extrema cœli, inde reducam vos; estque hyperbole, ut dixi. Adde ; Loquitur Moses de statu legis et judaismi ; eo enim stante, promittit eis reditum in Judæam, si pœnitentiam agant; jam autem hic status, cum judaismo, per Christum est abolitus. Unde duæ tribus jam in plenâ dispersione suâ et eversione versantur, à 1600 annis; decem verò tribus, à bis mille et ampliùs annis, quamcumque pœnitentiam egerint, vel agant, hactenùs tamen tanto tempore eas reduci non vidimus. Denique, Judæi pœnitere et ad Deum redire nequeunt, nisi Christum à Deo missum recipiant : hoc autem facient in fine mundi, qui tunc eos per Eliam et Henoch in Jerusalem reducet, convertet et salvabit.

Vers. 6.—Circumcidet cor tuum. Id est, auferet superflua et nociva desideria, et duritiem voluntatis tuæ. Unde Septuag. vertunt, περικαθαρεῖ, id est, circumpurgabit cor tuum, vide dicta Levit. cap. 26, 41.

Vers. 9. — Revertetur ut gaudeat. Non quasi mutabilis sit Deus, ut nunc gaudeat, nunc doleat; sed anthropopatôs de Deo loquitur Script. ; homines enim, cùm alicujus miserentur, eumque in gratiam recipiunt, lætantur de ejus bonis et felicitate, cùm priùs eum odissent, et in ejus pœnis ac ærumnis lætati fuissent. In Deo autem nulla harum passionum est temporalis vicissitudo; sed ab æterno lætatus est Deus, simul et semel unico actu, de toto ordine punitionis et præmiorum, qui per omnem æternitatem decurret, et his illisve obveniet, atque in eo actu, eâque lætitiâ semper perseverat et perseverabit.

Vers. 10. — Si tamen audieris vocem Domini Dei tui. Si enim vis ut audiat te Deus, tu prior eum audi, vel exteriùs per legem, Scripturam aut concionatorem, vel interiùs per sanctam inspirationem loquentem. Si vis ut Deus faciat voluntatem tuam, tu prior facito quæ ipse vult et mandat. Si vis ut ipse revertatur ad te, tu pariter revertere et occurre illi. Si vis ut ipse gaudeat super te, tu quoque gaude super illo. *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.* Hinc viri sancti omnia quæ petunt à Deo impetrant, quia vicissim faciunt quidquid ab eis exigit Deus. Ita S. Dominicus dicebat se nihil unquàm postulàsse à Deo, quod non protinùs obtinuisset; cùmque subderet unus : Pete ergo ut D. Conrad. (doctor is erat celebris) fiat tui ordinis : Difficile, ait, hoc quidem est, attamen, si petam, futurum confido. Petiit, totâque nocte oravit, et ecce manè accurrit Conradus stimulatus à Deo, habitumque ordinis à S. Dominico flagitat et

accipit. Quòd ergo suos orantes subinde non exaudiat Deus, causa est quòd nos non audiamus eum, nec obediamus voci ejus. O quanti fieremus apud Deum, si ei semper studiosè auscultaremus et obsequeremur! Solebat S. Franciscus, audiens internam Dei inspirationem etiam in itinere, consistere, totusque ad eam attendere dicens : *Loquere, Domine, audit servus tuus;* et quamdiù inspiratio durabat, consistebat, eique humiliter et attentè auscultabat, moxque eam opere adimplebat; hinc tantus evasit.

E contrariò non patitur Deus se contemni, suamque vocem negligi; est enim hoc indignum et injurium Deo, unde ipse tales punit deserendo eòs, sinendoque ut ruant in gravia mala et peccata. Hoc est enim quod ipse comminatur Proverb. 1, 24 : *Quia vocavi, et renuistis,* etc., *ego quoque in interitu vestro ridebo.* Qui ergo sapit audiat illud Psaltis : *Hodiè si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Vers. 11. — Mandatum hoc, etc., non supra te est, ut possis te excusare, et dicere : Non possum illud attingere, ut sciam et compleam. Heb. est : *Mandatum hoc non est à te separatum, nec remotum.*

Vers. 14. — Sed juxta te est sermo, in ore tuo, et in corde tuo, q. d. : Habes legem Dei ad manum, ut in corde, id est, memoriâ, eam rumines, eamque ore proloquaris. Hunc locum citat Apostolus, Roman. 10, et allegoricè pulchrèque, ut docet S. August. q. 53, accommodat eum fidei, ut ostendat, quàm facilè per eam homo justificari possit; nec enim ad hoc opus est, ut quis ascendat in cœlum, et inde nobis Christum deducat, ut videamus Christum, et videntes salvi fiamus; sed satis est, credere Christum esse Deum, et nostrî causâ de cœlo descendisse. Sic non est opus, ut quis ad inferos descendat, et inde Christum à mortuis ad vitam reducat, sed sufficit, ut credamus Christum divinâ virtute resurrexisse; hoc autem credere corde, et ore profiteri est facillimum. Vide dicta ad Rom. 10, 6.

Vers. 15. — Considera quòd hodiè proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et è contrario malum et mortem, scilicet « in liberam « prædam, ait S. Chrys.; quasi enim liberum « quoddam voluit esse aucupium mortis ac vi- « tæ, ut in alto veluti suspensa, animabus fide- « lium exponerentur ad prædam. » Hùc allusit Sapiens, Eccl. 15, 17 : *Apposuit tibi aquam et ignem; ad quod volueris porrige manum. Ante hominem vita et mors; bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* « Hominis arbitrium, « ait ibidem Jansenius, Deus quasi suspendit « in æthere inter duo elementa, aquam, in « symbolum refrigerii vitæ æternæ; ignem, « in expressionem tormentorum apud infe- « ros. »

Vers. 16. — Ambules in viis ejus, legi ejus studiosè et continuè obediendo. Nota. Scriptura crebrò utitur verbo *ambulandi*, quia fidelium est nunquàm stare, sed semper progredi in viâ Domini : « Nunquàm, ait S. Bern. Epist. « 253 ad Garinum, justus arbitratur se com- « prehendisse, nunquàm dicit : *Satis est;* sed « semper esurit sititque justitiam, quia in « æternum se divino mancipavit famulatui. » Hinc Proverb. 4, v. 18, dicitur : *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem.* Et psalm. 83, 8 : *Beatus homo cujus est auxilium abs te; ascensiones in corde suo disposuit,* etc., *ibunt de virtute in virtutem.* Præclarè S. Bern. Epist. 253 : « Ibi tu, « Christiane, fige tui cursûs profectûsque me- « tam, ubi Christus posuit, qui nusquàm stetit, « sed *exultavit ut gigas ad currendam viam, fa-* « *ctus obediens usque ad mortem.* »

Vers. 19. — Testes invoco hodie cœlum et terram. Quomodò cœlum et terra testes sint, tum legis, tum prævaricationis, tum vindictæ divinæ, explicui c. 4, 26.

Quòd proposuerim vobis vitam et mortem. Ita legendum cum Roman., Hebr., Chald. et Septuag., non autem, *vitam et bonum,* q. d. : Si legem hanc serves, promitto tibi vitam hîc longævam et felicem; sin eam violes, comminor et prædico tibi mortem celerem et miseram, eamque et præsentem et æternam. Elige ergo unum è duobus.

Vers. 20. — Ipse est enim vita tua, et longitudo dierum tuorum, q. d. : Deus est effectivè vita et longævitas tua; quia scilicet ipse prolongabit tibi vitam, si ejus legi obedias. Unde Act. 17, dicitur : *In ipso,* id est, per ipsum, *vivimus, movemur, et sumus.* Pulchrè S. Dionys. cap. 6 de divin. Nom., docet Deum esse vitam in se essentialem; rursùm eum esse vitam causalem vitæ animalium, plantarum, hominum, angelorum et beatorum; eamque triplicem, primò exemplarem, secundò, efficientem, tertiò finalem.

CAPUT XXXI.

1. Abiit itaque Moyses, et locutus est omnia verba hæc ad universum Israel, — 2. et

dixit ad eos : Centum viginti annorum sum hodiè : non possum ultra egredi et ingredi, præsertim cùm et Dominus dixerit mihi : Non transibis Jordanem istum. — 3. Dominus ergo Deus tuus transibit ante te; ipse delebit omnes gentes has in conspectu tuo, et possidebis eas: et Josue iste transibit ante te, sicut locutus est Dominus. — 4. Facietque Dominus eis sicut fecit Sehon et Og regibus Amorrhæorum, et terræ eorum, delebitque eos. —5. Cùm ergo eos tradiderit vobis, similiter facietis eis sicut præcepi vobis.—6. Viriliter agite, et confortamini : nolite timere, nec paveatis ad conspectum eorum : quia Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus, et non dimittet, nec derelinquet te. — 7. Vocavitque Moyses Josue, et dixit ei coram omni Israel : Confortare, et esto robustus; tu enim introduces populum istum in terram, quam daturum se patribus eorum juravit Dominus, et tu eam sorte divides. — 8. Et Dominus qui ductor est vester, ipse erit tecum; non dimittet, nec derelinquet te : noli timere, nec paveas. — 9. Scripsit itaque Moyses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, et cunctis senioribus Israel. — 10. Præcepitque eis, dicens : Post septem annos, anno remissionis, in solemnitate tabernaculorum, — 11. convenientibus cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni Israel, audientibus eis, — 12. et in unum omni populo congregato, tam viris quàm mulieribus, parvulis et advenis, qui sunt intra portas tuas; ut audientes discant, et timeant Dominum Deum vestrum, et custodiant, impleantque omnes sermones legis hujus. — 13. Filii quoque eorum qui nunc ignorant, ut audire possint, et timeant Dominum Deum suum cunctis diebus quibus versantur in terrâ, ad quam vos, Jordane transmisso, pergitis obtinendam. — 14. Et ait Dominus ad Moysen : Ecce propè sunt dies mortis tuæ : voca Josue, et state in tabernaculo testimonii, ut præcipiam ei. Abierunt ergo Moyses et Josue, et steterunt in tabernaculo testimonii : — 15. apparuitque Dominus ibi in columnâ nubis, quæ stetit in introitu tabernaculi. — 16. Dixitque Dominus ad Moysen : Ecce tu dormies cum patribus tuis, et populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos in terrâ ad quam ingreditur ut habitet in eâ : ibi derelinquet me, et irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo. — 17. Et irascetur furor meus contra eum in die illo; et derelinquam eum; et abscondam faciem meam ab eo, et erit in devorationem; invenient eum omnia mala et afflictiones, ita ut dicat in illo die : Verè quia non est Deus mecum, invenerunt me hæc mala. — 18. Ego autem abscondam, et celabo faciem meam in die illo, propter omnia mala quæ fecit, quia secutus est deos alienos. — 19. Nunc itaque scribite vobis canticum istud, et docete filios Israel, ut memoriter teneant, et ore decantent, et sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israel. — 20. Introducam enim eum in terram, pro quâ juravi patribus ejus, lacte et melle manantem. Cùmque comederint, et saturati crassique fuerint, avertentur ad deos alienos, et servient eis; detrahentque mihi, et irritum facient pactum meum. — 21. Postquàm invenerint eum mala multa et afflictiones, respondebit ei canticum istud pro testimonio, quod nulla delebit oblivio ex ore seminis sui. Scio enim cogitationes ejus, quæ facturus sit hodiè, antequàm introducam eum in terram quam ei pollicitus sum. — 22. Scripsit ergo Moyses canticum, et docuit filios Israel. — 23. Præcepitque Dominus Josue filio Nun : et ait : Confortare, et esto robustus : tu enim introduces filios Israel in terram, quam pollicitus sum, et ego ero tecum. — 24. Postquàm ergo scripsit Moyses verba legis hujus in volumine, atque complevit; — 25. præcepit Levitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens : — 26. Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium. — 27. Ego enim scio contentionem tuam, et cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me et ingrediente vobiscum, semper contentiosè egistis contra Dominum, quantò magis cùm mortuus fuero? — 28. Congregate ad me omnes majores natu per tribus vestras, atque doctores, et loquar audientibus eis sermones istos, et invocabo contra eos cœlum et terram. — 29. Novi enim quòd post mortem meam iniquè agetis, et declinabitis citò de viâ quam præcepi vobis; et occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, ut irritetis eum per opera manuum vestrarum. —30. Locutus est ergo Moyses, audiente universo cœtu Israel, verba carminis hujus, et ad finem usque complevit.

Moïse alla donc déclarer toutes ces choses à tout le peuple d'Israël. — 2. Et, *en finissant ce long discours*, il leur dit : J'ai présentement

six-vingts ans ; je ne puis plus vous conduire, principalement après que le Seigneur m'a dit : Vous ne passerez point ce *fleuve du* Jourdain. — 3. Le Seigneur votre Dieu passera donc devant vous ; ce sera lui-même qui exterminera à vos yeux toutes ces nations dont vous posséderez le pays ; et Josué, que vous voyez, marchera à votre tête, selon que le Seigneur l'a ordonné. — 4. Le Seigneur traitera ces peuples comme il a traité Séhon et Og, rois des Amorrhéens, avec tout leur pays, et il les exterminera. — 5. Lors donc que le Seigneur vous aura livré aussi ces peuples, vous les traiterez comme vous avez traité les autres, selon que je vous l'ai ordonné. 6. Soyez courageux, et ayez de la fermeté : ne craignez point, et ne vous laissez point saisir de frayeur en les voyant, parce que le Seigneur votre Dieu est lui-même votre conducteur, et qu'il ne vous laissera point et ne vous abandonnera point. — 7. Moïse appela donc Josué ; et lui dit devant tout le peuple d'Israël : Soyez ferme et courageux; car c'est vous qui ferez entrer ce peuple dans la terre que le Seigneur a juré à leurs pères de leur donner, et c'est vous aussi qui la partagerez au sort.—8. Le Seigneur, qui est votre conducteur, sera lui-même avec vous ; il ne vous laissera point et ne vous abandonnera point; ne craignez point, et ne vous laissez pas intimider.—9. Moïse écrivit donc cette loi, et il la donna aux prêtres, enfants de Lévi, qui portaient l'arche de l'alliance du Seigneur, et à tous les anciens d'Israël. — 10. Et il leur donna cet ordre et leur dit : Tous les sept ans, *à compter du jour que vous serez en une paisible possession de la terre promise,* lorsque l'année de la remise sera venue, et au temps de la fête des tabernacles, — 11. quand tous les enfants d'Israël s'assembleront pour paraître devant le Seigneur votre Dieu, au lieu que le Seigneur aura choisi, vous lirez les paroles de cette loi devant tout Israël, qui l'écoutera *attentivement,* — 12. tout le peuple étant assemblé, tant les hommes que les femmes, les petits enfants et les étrangers qui se trouveront dans vos villes; afin que l'écoutant, ils l'apprennent, qu'ils craignent le Seigneur votre Dieu, et qu'ils observent et accomplissent toutes les ordonnances de cette loi, — 13. et que leurs enfants mêmes qui n'en ont *encore* aucune connaissance, puissent les entendre, et qu'ils craignent le Seigneur, leur Dieu pendant tout le temps qu'ils demeureront dans la terre que vous allez posséder, quand vous aurez passé le Jourdain.—14. Alors le Seigneur dit à Moïse : Le jour de votre mort s'approche; faites venir Josué, et présentez-vous tous deux devant le tabernacle du témoignage, afin que je lui donne mes ordres. Moïse et Josué allèrent donc se présenter devant le tabernacle du témoignage. — 15. Et le Seigneur y parut en même temps dans la colonne de nuée, qui s'arrêta à l'entrée du tabernacle. — 16. Le Seigneur dit alors à Moïse : Vous allez vous reposer avec vos pères; et ce peuple s'abandonnera et se prostituera à des dieux étrangers, dans le pays où il va entrer pour habiter. Il se séparera de moi lorsqu'il y sera, et il violera l'alliance que j'avais faite avec lui. — 17. Et ma fureur s'allumera contre lui en ce temps-là ; je l'abandonnerai, et lui cacherai mon visage, et il sera exposé en proie *à ses ennemis.* Tous les maux et toutes les afflictions viendront en foule sur lui, et le contraindront de dire en ce jour-là : Véritablement c'est à cause que Dieu n'est point avec moi, que je suis tombé dans tous ces maux. — 18. Cependant je me cacherai, et je lui couvrirai ma face, à cause de tous les maux qu'il aura faits, en suivant des dieux étrangers. — 19. Maintenant donc écrivez pour vous ce cantique, et apprenez-le aux enfants d'Israël, afin qu'ils le sachent par cœur, qu'ils l'aient dans la bouche, et qu'ils le chantent ; et que ce cantique me serve d'un témoignage, parmi les enfants d'Israël, *de la vérité de mes paroles, de leur ingratitude et de leur infidélité.* — 20. Car je les ferai entrer dans la terre que j'ai juré de donner à leurs pères, où coulent des ruisseaux de lait et de miel. Et lorsqu'ils auront mangé, et qu'ils se seront rassasiés et engraissés, ils se détourneront de moi pour aller après des dieux étrangers ; ils les adoreront, ils parleront contre moi, et ils violeront mon alliance. — 21. Et lorsque les maux et les afflictions seront tombés en foule sur eux, ce cantique portera contre eux un témoignage qui vivra dans la bouche de leurs enfants, sans qu'il puisse jamais être effacé. Car je connais leurs pensées, et je sais ce qu'ils doivent faire aujourd'hui avant que je les fasse entrer dans la terre que je leur ai promise, — 22. Moïse écrivit donc le cantique *qui suit,* et il l'apprit aux enfants d'Israël. — 23. Alors le Seigneur donna cet ordre à Josué, fils de Nun, et il lui dit: Soyez ferme et courageux; car ce sera vous qui ferez entrer les enfants d'Israël dans la terre que je leur ai promise : et je serai avec vous.— 24. Après donc que Moïse eut achevé d'écrire

dans un livre les ordonnances de cette loi, — 25. il donna cet ordre aux Lévites qui portaient l'arche de l'alliance du Seigneur, et leur dit : — 26. Prenez ce livre, et mettez-le à côté de l'arche de l'alliance du Seigneur votre Dieu, afin qu'il y serve de témoignage contre vous, *ô Israël!* — 27. Car je sais quelle est votre obstination, et combien vous êtes durs et inflexibles. Pendant tout le temps que j'ai vécu et agi parmi vous, vous avez toujours disputé et murmuré contre le Seigneur; combien plus le ferez-vous quand je serai mort? — 28. Assemblez devant moi tous les anciens de vos tribus et tous vos docteurs : et je prononcerai devant eux les paroles de ce *cantique*, et j'appellerai à témoin contre eux le ciel et la terre. — 29. Car je sais qu'après ma mort vous vous conduirez fort mal, que vous vous détournerez bientôt de la voie que je vous ai prescrite : et vous vous trouverez enfin surpris de beaucoup de maux, lorsque vous aurez péché devant le Seigneur, en l'irritant par les œuvres de vos mains. — 30. Moïse prononça donc les paroles de ce cantique; et il le récita jusqu'à la fin devant tout le peuple d'Israël qui l'écoutait.

Vers. 1. — Abiit itaque Moses, et locutus est; id est, addidit ergo, vel cœpit loqui Moyses verba ista, quæ sequuntur. Hebræi enim per *egredi, abire, surgere,* sæpè intelligunt incipere : *abiit* ergo, id est, cœpit. Ita Abul. et Oleaster.

Vers. 2. — Non possum ultra egredi et ingredi, non possum ultra vos ducere, et esse dux vester, tum propter senium, tum quia Deus prohibuit me ingressu terræ promissæ, ut sequitur. Ita Oleaster.

Vers. 3.—Dominus ergo Deus tuus transibit ante te, non mutando locum, sed operando, et debellando hostes tuos, q. d. : Deus erit dux tuus, usque in Chanaan.

Scripsit itaque Moyses legem hanc. Puta Deuteronomii. Nota. Scripsit hæc (æquè ac canticum sequens, c. 32, ut patet v. 22, hic) Moses, antequàm ea diceret et promulgaret populo. Nam eâdem die, quâ hæc dixit Moses, et populo benedixit, ascendit in montem Nebo, ut patet c. seq. v. 48, ibique mortuus est; nec enim Moses potuisset eodem die totum Deuteronomium dicere simul, et scribere. Ita Abulensis.

Hinc videtur, quòd Moses totum Deuteronomium non dixerit unicâ vice : tum quia hoc longum et molestum fuisset, tum quia postquàm cœpit illud proloqui antequàm finiret, scripsit illud, ut hic dicitur.

Vers. 10 et 11. — Post septem annos, computandos à divisione et possessione pacificâ terræ sanctæ, anno remissionis, in solemnitate tabernaculorum, etc., leges verba legis hujus. Quolibet ergo anno septimo, publicè legi debebat Deuteronomium, coram omnibus, etiam parvulis. Nam primæ impressiones sunt fortissimæ. Unde Aristot. : Magni, ait, interest à juventute sic vel sic assuescere. Hinc et Plato jussit, homines à teneris instrui ad rectè lætandum et tristandum, quia in his perfecta disciplina est, ut scilicet lætemur de virtutibus, tristemur de vitiis.

Mysticè annus septimus remissionis est tempus gratiæ, in quo Christus et Apostoli secundam legem, puta evangelicam, promulgârunt. Ita Cyril. in Glaphyris.

Vers. 13. — Filii quoque eorum qui nunc ignorant, puta parvuli, qui nihil adhuc noverunt, ideòque pariter ignorant Dei legem.

Vers. 16. — Populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos, sequetur deos alienos, eosque colet, me deserto; idololatriam enim à prophetis vocatur fornicatio.

Vers. 17. — Abscondam faciem meam ab eo, subtrahendo ei meam protectionem.

Vers. 19. — Scribite vobis canticum istud (puta carmen hoc, de quo c. 32), et docete filios Israel, ut, etc., sit pro testimonio, scilicet propriæ iniquitatis, et justitiæ divinæ.

Vers. 21.— Postquam invenerint eum mala, etc., respondebit ei canticum istud, q. d. : Tunc carmen hoc, quod pangam cap. seq., testabitur populo hebræo quòd deliquerit, et à Deo desciverit, cùm scilicet reipsà viderit, sibi ea mala accidisse quæ in carmine hoc intentabo et prænuntiabo desertoribus Dei.

Scio enim cogitationes ejus, quæ facturus sit hodie; τὸ *hodiè* referendum est, non ad *facturus sit,* sed ad *scio,* q. d. : Scio hodiè et ex nunc, ingenium et propensionem populi hujus ad idola et alia mala, quòdque illa reipsà facturus sit suo tempore.

Vers. 26. — Tollite librum istum (Deuteronomii) et ponite eum in latere arcæ fœderis Domini. Non quòd hic liber intra ipsam arcam, in angulo ejus aliquo positus sit, aut poni jussus; nam in arcâ tantùm repositæ fuerunt tabulæ legis, ut patet 3 Reg. 8, 9, et 2 Paral. 5, 10, sed quòd ad latus arcæ, ut habent hebræa, hoc est, extra arcam, in limbo, sive

sinu ejus, vel propè eam, unà cum virgâ Aaronis, et urnâ continente manna, inquit Abul., collocatus sit; ex quo loco postmodùm ædificato templo, translatus videtur ad gazophylacium, sive ad locum thesaurorum, uti colligitur 2 Paral. 34, 14.

Vers. 27. — Ego scio contentionem tuam, et cervicem durissimam, q. d. : Quia tu, ô populc hebræe, es contumax, et propensus ad contentionem et rebellionem, possesque procaciter negare, quòd unquàm tibi data fuisset à me hæc lex, ideò volo, ut liber hic legis recondatur in arcâ, indeque contra te in testimonium proferatur, cùm opus fuerit. Nota. Alloquitur hîc Deus Levitas, quasi totum populum; quia illi, utpote sacerdotes et Levitæ, totum populum repræsentabant.

Vers. 28. — Invocabo contra eos cœlum et terram, ut sint testes eorum quæ dicò, scilicet futuræ eorum tam transgressionis, quàm punitionis. Unde canticum sequens, quod est de hâc re, sic orditur : *Audite, cœli, quæ loquor; audiat terra verba oris mei.* Vide dicta cap. 4, 26.

Vers. 29. — Per opera manuum vestrarum, per pravas actiones vestras; secundò, per idola quæ manibus vestris facietis, et coletis. Ita Abulensis.

Vers. 30. — Locutus est ergo Moyses, audiente universo cœtu Israel. Hinc videtur per miraculum, vox Mosis senilis ita fuisse confortata et adaucta, ut à singulis audiretur, puta à tribus hominum millionibus, uti dixi c. 1, 1; ita Abulens.

Verba carminis hujus, quod scilicet proximè pepigit et cecinit Moses c. 32.

Nota hîc zelum, et ultima monita Mosis jam morituri; instar enim ignis ardet, ut populo legem Dei inculcet.

Ita Josue, c. 24, moriturus, populum ad legem Dei fœdere astrinxit, et saxum ingens erexit, quod testis esset adversùs eum, ne datam Deo fidem falleret. Ita David moriturus ad Salomonem filium et regni hæredem ait : *Ego ingredior viam universæ terræ; confortare, et esto vir; et observa ut custodias mandata Domini Dei tui,* 3 Reg. 2. Ita Constantius Cæsar, pater Constantini Magni, moriturus, coronam filio imponens ad eum et ad senatum dixit : « Nunc mihi mors vitâ ipsâ dulcior est futura; « nunc optatus adest obitus. Nam filium imperatorem relinquo, qui Christianorum lacrymas absterget, et tyrannorum crudelitatem vindicabit. » Deinde ad multitudinem conversus, bono animo omnes esse jussit, qui à verâ in Christum pietate non descivissent, addiditque Christum deinceps cum Constantino in armis fore. Ita ex Eusebio Baron. tom. 2, an. Christi 306. Ita Theodosius imperator moriturus vocavit filios Arcadium et Honorium, eosque ardenti affectu seriò cohortatus est, per salutem ipsorum et reipublicæ obtestans, ut sua vestigia insequentes hoc sibi unicè curæ esse vellent, quò fidei et pietatis doctrina pura et incorrupta conservaretur, et ad posteros propagaretur; in eo conatu nullis laboribus ac sumptibus parcerent, nam in hoc uno summam felicitatis esse positam; hâcque ratione unicâ, nec ullâ aliâ, rectè firmari pacem, confici bella, erigi trophæa, et parari victorias. Ita Theodor. lib. 5, c. 25, et alii. S. Ludovicus rex moriturus filio suo hæc præcepit : « Fili mi, ante omnia cura ut diligas « Deum; nemo enim potest salvus esse, nisi « Deum amet. Cave ne unquàm admittas peccatum mortiferum, sed omnia potiùs ferre « velis genera tormentorum, quàm aliquam « talem perpetrare culpam. Crebrò confitearis « peccata tua, deligasque tibi sapientes confessarios, qui te possint docere quid agere, « quid vitare te oporteat; coram illis ita te « geras, ut audeant sincerè et reprehendere, « et vitia indicare tibi. Parentibus tuis debes « amorem, obedientiam et reverentiam. Semper sis addictus et devotus romanæ Ecclesiæ, et ejus pontifici, haud secùs ac spiritali patri, te morigerum præbeas. » Ita habet ejus Vita, et Robert. Gaguinus lib. 7 Hist. Franc. Errieus, Westgothorum rex, convocatis ad se proceribus, prædixit se ad nonum diem è vitâ mortali transiturum, impetravitque ab illis, ut Alaricum filium in regni solio collocarent. Ei moriens præcepit inprimis, ut Deum diligeret, Dei ministros honoraret, sine consilio procerum fidelium nihil arduum tentaret, subditos amaret, justitiam coleret, clementiam servaret, omnibus se benignum et liberalem exhiberet. Testis est Joan. Magn. lib. 15 Hist. c. ult. Philippus II, Hispaniarum rex, moriens anno 1600, filio suo Philippo III hæc commendavit : « Deus tibi magnam gratiam fecerit, si te ad eum gloriæ apicem, in « quo me vidi, evexerit, et te, sicut me prosperârit. Te ex animo obtestor, ut cùm id « assecutus fueris, hujus lecti in quo me vides, et ubi omnis hujus mundi gloria sistit, « memineris. Tibi commendo Sedis apostolicæ « obedientiam, fidei catholicæ protectionem,

« religionis christianæ zelum, reipublicæ pacem « et in subditos justitiam. Si Deus hæc consi- « lia mea firmaverit, suum regem non amise- « rit hoc regnum, sed solùm cum fructu com- « mutaverit. »

CAPUT XXXII.

1. Audite, cœli, quæ loquor; audiat terra verba oris mei. — 2. Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina. — 3. Quia nomen Domini invocabo: date magnificentiam Deo nostro. — 4. Dei perfecta sunt opera: et omnes viæ ejus judicia: Deus fidelis, et absque ullâ iniquitate, justus et rectus. — 5. Peccaverunt ei, et non filii ejus in sordibus: generatio prava atque perversa. — 6. Hæccine reddis Domino, populo stulte et insipiens? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te? — 7. Memento dierum antiquorum; cogita generationes singulas; interroga patrem tuum et annuntiabit tibi; majores tuos, et dicent tibi: — 8. Quando dividebat Altissimus gentes; quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel. — 9. Pars autem Domini, populus ejus: Jacob funiculus hæreditatis ejus; — 10. invenit eum in terrâ desertâ, in loco horroris, et vastæ solitudinis, circumduxit eum et docuit: et custodivit quasi pupillam oculi sui. — 11. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis. — 12. Dominus solus dux ejus fuit; et non erat cum eo deus alienus. — 13. Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petrâ, oleumque de saxo durissimo. — 14. Butyrum de armento, et lac de ovibus cum adipe agnorum, et arietum filiorum Basan: et hircos cum medullâ tritici, et sanguinem uvæ biberet meracissimum. — 15. Incrassatus est dilectus, et recalcitravit; incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit à Deo salutari suo. — 16. Provocaverunt eum in diis alienis, et in abominationibus ad iracundiam concitaverunt. — 17. Immolaverunt dæmoniis, et non Deo, diis quos ignorabant; novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum. — 18. Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui. — 19. Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est: quia provocaverunt eum filii sui et filiæ. — 20. Et ait: Abscondam faciem meam ab eis, et considerabo novissima eorum: generatio enim perversa est, et infideles filii. — 21. Ipse me provocaverunt in eo, qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis; et ego provocabo eos in eo qui non est populus, et in gente stultâ irritabo illos. — 22. Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima; devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet. — 23. Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis. — 24. Consumentur fame, et devorabunt eos aves morsu amarissimo; dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium. — 25. Foris vastabit eos gladius, et intùs pavor, juvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene. — 26. Dixi: Ubinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum. — 27. Sed propter iram inimicorum distuli: ne fortè superbirent hostes eorum, et dicerent: Manus nostra excelsa, et non Dominus, fecit hæc omnia. — 28. Gens absque consilio est, et sine prudentiâ. — 29. Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent! — 30. Quomodò persequatur unus mille, et duo fugent decem millia! nonne ideò quia Deus suus vendidit eos, et Dominus conclusit illos? — 31. Non enim est Deus noster ut dii eorum, et inimici nostri sunt judices. — 32. De vineâ Sodomorum, vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ: uva eorum uva fellis, et botri amarissimi. — 33. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile. — 34. Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis? — 35. Mea est ultio, et ego retribuam in tempore, ut labatur pes eorum; juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora. — 36. Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis miserebitur: videbit quòd infirmata sit manus, et clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt; — 37. et dicet: Ubi sunt dii eorum in quibus habebant fiduciam? — 38. de quorum victimis comedebant adipes, et bibebant vinum libaminum? surgant, et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant. — 39. Videte quòd ego sim solus, et non sit alius Deus præter me; ego occidam, et ego vivere faciam; percutiam, et ego sanabo; et non est qui de manu meâ possit eruere. — 40. Levabo ad cœlum manum meam, et dicam: Vivo ego in æternum. — 41. Si acuero ut fulgur gladium meum,

et arripuerit judicium manus mea : reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me retribuam. — 42. Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes, de cruore occisorum, et de captivitate, nudati inimicorum capitis. — 43. Laudate, gentes, populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur; et vindictam retribuet in hostes eorum, et propitius erit terræ populi sui. — 44. Venit ergo Moyses, et locutus est omnia verba cantici hujus in auribus populi, ipse et Josue, filius Nun. — 45. Complevitque omnes sermones istos, loquens ad universum Israel, — 46. et dixit ad eos : Ponite corda vestra in omnia verba, quæ ego testificor vobis hodiè, ut mandetis ea filiis vestris custodire et facere, et implere universa quæ scripta sunt legis hujus; — 47. quia non incassum præcepta sunt vobis, sed ut singuli in eis viverent; quæ facientes longo perseveretis tempore in terrâ, ad quam, Jordane transmisso, ingredimini possidendam. — 48. Locutusque est Dominus ad Moysen in eâdem die, dicens : — 49. Ascende in montem istum Abarim, id est, transituum, in montem Nebo, qui est in terrâ Moab contra Jericho; et vide terram Chanaan, quam ego tradam filiis Israel obtinendam, et morere in monte. — 50. Quem conscendens jungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, et appositus populis suis; — 51. quia prævaricati estis contra me, in medio filiorum Israel, ad aquas contradictionis in Cades deserti Sin, et non sanctificâstis me inter filios Israel. — 52. E contra videbis terram, et non ingredieris in eam, quam ego dabo filiis Israel.

---

1. Cieux, écoutez ce que je vais dire; que la terre entende les paroles de ma bouche. — 2. Que les vérités que j'enseigne soient *reçues de vous*, comme la pluie qui s'épaissit *dans les nuées est reçue d'une terre sèche;* que mes paroles se répandent *dans vos cœurs* comme la rosée, comme la pluie qui se répand sur les plantes, et comme les gouttes de l'eau *du ciel qui tombent* sur l'herbe qui ne commence qu'à pousser. *C'est ainsi que vous devez recevoir tout ce que je vais dire :* — 3. *car je ne parlerai que pour louer* le Seigneur et pour invoquer son nom. Rendez donc l'honneur qui est dû à la grandeur de notre Dieu, *en m'écoutant avec l'attention que mérite un discours où je dois relever sa puissance, sa sagesse et sa bonté ; elles éclatent dans toutes ses œuvres.* — 4. *En effet,* toutes les œuvres de Dieu sont parfaites, et toutes ses voies sont pleines d'équité. Dieu est fidèle dans ses promesses ; il est éloigné de toute iniquité, et il est rempli de justice et de droiture, *n'ayant jamais manqué d'assister son peuple comme il le lui avait fait espérer.* — 5. *Cependant* ceux qui portaient si indignement le nom de ses enfants, l'ont offensé ; ils se sont souillés par des actions honteuses; c'est une race pervertie et corrompue, *qui a abandonné son Dieu.* — 6. Est-ce ainsi, peuple fou et insensé, que vous témoignez votre reconnaissance envers le Seigneur *qui vous a comblé de tant de bienfaits?* N'est-ce pas lui qui est votre père, qui vous a possédé *comme son héritage*, qui vous a fait, et qui vous a créé ? — 7. Consultez les siècles anciens, considérez ce qui s'est passé dans la suite de toutes les races : interrogez votre père, et il vous instruira ; *interrogez* vos aïeux, et ils vous diront *ce que le Seigneur a fait pour vous.* — 8. *Ils vous apprendront que* quand le Très-Haut divisait les peuples, quand il séparait les enfants d'Adam, *pour les envoyer dans les différentes parties du monde, qu'il avait destinées à chacun d'eux*, il marqua alors les limites des peuples *qui devaient habiter la terre de Chanaan et la cultiver, et il les étendit* selon le nombre et le besoin des enfants d'Israël, *auxquels il devait un jour la donner.* — 9. Car *dès-lors* le Seigneur choisit *les enfants d'Israël pour* son peuple et pour son partage ; il prit Jacob pour son héritage *particulier. Il les multiplia tellement en Egypte, qu'il en forma un grand peuple, et ayant fait sortir ce peuple de cette terre étrangère*, — 10. il le trouva dans une terre déserte, dans un lieu affreux et dans une vaste solitude; là, il le conduisit par divers chemins ; il l'instruisit *de sa loi sainte*, et il le conserva comme la prunelle de son œil. — 11. Comme un aigle qui excite ses petits à voler, étend ses ailes et voltige *doucement* sur eux, *ainsi le Seigneur* étendit ses ailes *sur son peuple* ; il le prit et le porta sur ses épaules *comme un aigle porte ses aiglons.* — 12. Le Seigneur fut seul son conducteur, et il n'y avait point de dieu étranger *qui partageât* avec lui *le soin qu'il prenait de son peuple.* — 13. Il l'établit, *par sa seule puissance*, dans une terre élevée, *dans une terre abondante*, afin qu'il y mangeât les fruits de la campagne, qu'il y suçât le miel *excellent que les abeilles* font dans les trous de la pierre, *et qu'il y goutât* l'huile *délicieuse des oliviers qui croissent sur les* plus durs rochers; — 14. *qu'il s'y nourrît* du beurre des

troupeaux, et du lait des brebis, de la graisse des agneaux, des moutons du pays de Basan, et des chevreaux, avec la fleur du froment, et qu'il y bût le vin le plus pur. — 15. *Mais ce peuple* si aimé *de Dieu*, s'étant engraissé *de ses dons*, s'est révolté contre lui : *après avoir été* engraissé, rempli d'embonpoint et *mis* dans une pleine abondance, il a abandonné Dieu son créateur, et s'est éloigné de Dieu son Sauveur. — 16. *Ces ingrats* l'ont irrité, en *adorant* des dieux étrangers; ils ont attiré sa colère par les abominations qu'ils ont commises. — 17. *Car* au lieu d'offrir leurs sacrifices à Dieu, ils les ont offerts aux démons; *ils les ont offerts* à des dieux qui leur étaient inconnus, à des dieux nouveaux venus, que leurs pères n'avaient jamais révérés. — 18. *Peuple insensé*, tu as abandonné le Dieu qui t'a donné la vie; tu as oublié le Seigneur qui t'a créé, *pour te consacrer à de vaines idoles.* — 19. Le Seigneur l'a vu, et il en a été ému de colère; parce que ce sont ses *propres* fils et ses *propres* filles qui l'ont *ainsi* irrité. — 20. Alors il a dit : Je leur cacherai *désormais* mon visage, et je considérerai leur fin *malheureuse sans en être touché*; car ce peuple est une race corrompue; ce sont des enfants infidèles, *qui se sont rendus indignes de ma bonté.* — 21. Ils m'ont voulu comme piquer de jalousie, en *adorant* ceux qui n'étaient point dieux; et ils m'ont irrité par leurs vanités *sacriléges, et par le culte impie qu'ils ont rendu à leurs vaines idoles*; et moi je les piquerai de jalousie, en *aimant* ceux qui n'étaient point mon peuple; et je les irriterai, *en substituant à leur place* une nation insensée. — 22. *Je n'en demeurerai pas là;* ma fureur *contre eux* s'est allumée comme un feu; *elle les poursuivra jusque dans le tombeau;* elle les brûlera jusqu'au fond des enfers; elle dévorera la terre avec ses moindres herbes; elle embrasera les montagnes jusque dans leur fondement. — 23. Je les accablerai de maux; je tirerai contre eux toutes mes flèches. — 24. La famine les consumera; et des oiseaux les déchireront par leurs morsures cruelles. J'armerai contre eux les dents des bêtes *farouches, et je les exposerai à* la fureur de celles qui se traînent et qui rampent sur la terre. — 25. L'épée les désolera au-dehors, et la frayeur *les désolera* au-dedans; les jeunes hommes, avec les vierges, les vieillards avec les enfants qui tettent encore, *seront tous exterminés.* — 26. *Après cela*, j'ai dit : Où sont-ils *maintenant, ces ingrats, ces rebelles?* je veux effacer leur mémoire de l'esprit des hommes. — 27. Mais j'ai différé *ces effets de ma vengeance, pour ne pas satisfaire* la fureur des ennemis *de mon peuple*, de peur que leurs ennemis ne s'élevassent d'orgueil, *à la vue de ces châtiments*, et ne dissent : Ce n'a point été le Seigneur, mais c'est notre main très puissante qui a fait toutes *ces choses contre Israël.* — 28. *Mais* ce peuple n'a point de sens, il n'a aucune sagesse, *et il ne sait point profiter de ces ménagements dont j'use à son égard.* — 29. Ah! s'ils avaient de la sagesse! Ah! s'ils comprenaient *les maux qu'ils s'attirent par leurs impiétés*, et qu'ils prévissent *ce qui leur arrivera à* la fin! *ils n'auraient garde de commettre ces crimes dont ils sentent déjà les fâcheuses suites.* — 30. *En effet*, comment se peut-il faire qu'un seul ennemi batte mille Hébreux, et que deux en fassent fuir dix mille? N'est-ce pas à cause que leur Dieu les a vendus; et que le Seigneur les a livrés en proie *à leurs ennemis, pour les punir de leurs abominations?* — 31. Car notre Dieu n'est point comme les dieux de ces *idolâtres. Il n'abandonne point son peuple, quand ce peuple ne lui manque point de fidélité. J'en prends* pour juges nos ennemis mêmes. *Ils savent ce que le Seigneur a fait en faveur des enfants d'Israël, lorsqu'ils lui ont été fidèles.* — 32. *Mais main tenant ce sont des enfants corrompus, des enfants pervertis :* leurs vignes sont des vignes de Sodome, des vignes des faubourgs de Gomorrhe; leurs raisins sont des raisins de fiel, et leurs grappes ne sont qu'amertume; — 33. leur vin est un fiel de dragons, c'est un venin d'aspic contre lequel il n'y a point de remède; *en un mot, ils ne portent que des fruits d'iniquité qui leur causeront mille maux, et qui enfin leur donneront la mort.* — 34. *En effet*, toutes ces *abominations qu'ils commettent* ne sont-elles pas renfermées, *dit le Seigneur*, dans les secrets de ma connaissance? et ne les tiens-je pas scellées dans mes trésors, *pour les punir dans le temps que j'ai marqué?* — 35. *Oui, elles y sont en réserve, parce que* la vengeance est à moi; et je leur rendrai en son temps ce qui leur est dû. *Alors* leurs pieds ne trouveront que piéges; *et ce temps n'est pas éloigné; car* le jour de leur perte s'approche, et les moments s'en avancent. — 36. Le Seigneur se vengera de son peuple infidèle, et il aura pitié de ses serviteurs; *il les délivrera des mains de ceux qui les oppriment; mais ce ne sera que quand* il verra *ce peuple humilié, quand toute* leur force *sera* affaiblie, que ceux qui étaient renfermés *dans les citadelles* auront péri, et que ceux qui

étaient restés *et qui avaient échappé à la fureur de l'ennemi,* seront consumés *par la faim.* — 37. Alors, *insultant à leur attachement pour leurs vaines idoles,* il dira : Où sont leurs dieux en qui ils avaient mis leur confiance ? — 38. *ces dieux qu'ils invoquaient* lorsqu'ils mangeaient de la graisse des victimes qu'on leur offrait, et qu'ils buvaient du vin de leurs sacrifices *profanes ?* Qu'ils se lèvent *maintenant, ces dieux ;* qu'ils viennent à votre secours, et qu'ils vous protégent dans l'extrémité où vous êtes.— 39. *C'est ce qu'ils ne sauraient faire. Reconnaissez donc au moins à présent leur faiblesse,* et considérez que je suis le Dieu unique, qu'il n'y en a point d'autre que moi seul. C'est moi qui fais mourir, et c'est moi qui fais vivre : c'est moi qui blesse, et c'est moi qui guéris ; et nul ne peut se soustraire à mon souverain pouvoir. — 40. Je leverai *donc* ma main au ciel, et je dirai : *Comme il est vrai que* je vis éternellement, — 41. *il est vrai aussi que,* si je rends mon épée aussi pénétrante que les éclairs, et que j'entreprenne d'exercer mon jugement selon ma puissance, je me vengerai *infailliblement* de mes ennemis, et je traiterai ceux qui me haïssent comme ils m'ont traité. — 42. J'enivrerai mes flèches de leur sang, et mon épée se soûlera de leur chair ; *mes armes* seront teintes du sang des morts; mes ennemis perdront la liberté avec la vie. — 43. Nations, louez le *bonheur du* peuple *qui est fidèle au Seigneur,* parce qu'il venge le sang de ses serviteurs ; il tirera vengeance de leurs ennemis ; et il se rendra favorable à la terre de son peuple, *en y répandant ses bénédictions, et en la mettant à couvert des violences de ceux qui sont jaloux de sa gloire et de son honneur.*—44. Moïse prononça donc avec Josué, fils de Nun, toutes les paroles de ce cantique devant le peuple *qui l'écoutait.* — 45. Et après qu'il eut achevé de le réciter devant tout Israël, — 46. il leur dit: Gravez dans votre cœur toutes les protestations que je vous fais aujourd'hui, *afin de vous engager à observer fidèlement la loi du Seigneur ;* et recommandez à vos enfants de garder, de pratiquer et d'accomplir tout ce qui est écrit en cette loi, — 47. parce que ce n'est pas en vain que ces ordonnances vous ont été prescrites ; mais c'est afin que chacun de vous y trouve la vie, et que les gardant vous demeuriez long-temps dans le pays que vous allez posséder, après que vous aurez passé le Jourdain. — 48. Le même jour, le Seigneur parla à Moïse, et lui dit : — 49. Montez sur cette montagne d'Abarim, c'est-à-dire, des passages, sur la montagne de Nébo, qui est au pays de Moab, vis-à-vis de Jéricho ; et considérez la terre de Chanaan que je donnerai en possession aux enfants d'Israël ; *et après l'avoir considérée de loin,* mourez sur la montagne. *C'est ce qui va vous arriver.* — 50. *Car* quand vous l'aurez montée, vous serez réuni à votre peuple, comme Aaron votre frère est mort sur la montagne de Hor, et a été réuni à son peuple; — 51. parce que vous avez péché contre moi, au milieu des enfants d'Israël, aux eaux de contradiction ; à Cadès, au désert de Sin, et que vous ne m'avez pas traité selon ma sainteté devant les enfants d'Israël, *en paraissant douter de ma puissance ou de ma bonté.* — 52. *C'est pourquoi* vous verrez devant vous le pays que je donnerai aux enfants d'Israël, et vous n'y entrerez point.

Vers. 1. — Audite, cœli, quæ loquor. Hebr., *quia loquor,* q. d. : Vos, cœlum et terra, quæ Deo vivitis, et semper obeditis, estote testes æterni eorum quæ Hebræis dicturus et prædicturus sum. Vide dicta cap. 4, 26.

Tropol., per cœlos significatur præpositorum ordo, per terram subditorum plebs, inquit S. Gregor. lib. 2 Moral. 26, q. d. : Audite, præpositi, audite, subditi, legem et minas Dei vestri.

Vers. 2. — Concrescat in pluviam doctrina mea. Hebr., *stillet ut pluvia doctrina mea,* scilicet in corda Hebræorum : τὸ ergo *in,* ponitur pro *instar; in pluviam,* id est, instar pluviæ. Sic enim Hebræi sæpè *beth* præpositionis, pro *caph* similitudinis usurpant, q. d. : Utinam doctrina mea non sit cassa, frustranea et inutilis in vobis, sed fructum afferat, faciatque id quod facit pluvia et ros in agris et herbis, dùm eas fœcundat. Unde Septuag. vertunt : *Expectetur ut pluvia doctrina mea;* et Chald., *suavis sit ut pluvia doctrina mea, suscipiatur ut ros verbum meum.*

Ubi nota. Multis verbis synonymis, vel quasi synonymis idem dicit Moses, tum emphasis, tum hebraismi causâ. Solent enim Hebræi, maximè in carmine, posteriore hemistichio, idem, vel quasi idem, aliis verbis repetere, quod priore dixerunt : id clarissimum est in psalmis, ut : *Deus, in adjutorium meum intende;* hoc enim idem est cum eo, quod subdit : *Domine, ad adjuvandum me festina;* sic : *Tibi derelictus est pauper,* idem quasi est cum eo, quod sequitur : *Orphano tu eris adjutor;* sic : *Domine, exaudi orationem meam,* idem est cum eo, quod sequi-

tur : *Et clamor meus ad te veniat;* et ita in aliis plurimis. Sic hìc : *Concrescat in pluviam doctrina mea,* idem quasi est cum eo, quod sequitur : *Fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina.*

Nota secundò, aptè verbum Dei comparari stillis et rori, quia instar roris animam lenit, humectat, pinguefacit, fœcundat. Hinc Abbas Pimenion cuidam conquerenti, quòd verbum Dei, licet magno teneretur ejus desiderio, complecti tamen non posset, respondit : « Mollis « admodùm natura est aquæ, lapidum autem « durities est ingens; attamen dùm guttatim « in durum decidit silicem, tandem eum perfo- « rat; ita et verbum Dei molle et dulce est, « corda autem nostra dura sunt, minùsque ejus « capacia. Ejus autem cor qui frequenter et « sedulò verbum Dei audit, tandem emollit, sic « ut ejus suavitatem et fructum plenè perci- « piat. » Quin et Horus Apollo, lib. 1 Hierogl. 35 : Ægyptii, inquit, doctrinam indicantes, cœlum pingebant rorem fundens, eò quòd sicut ros mollit et fœcundat herbas, non saxa; sic doctrina molliat et imbuat dociles, non stupidos, duros et indociles,

Vers. 3. — Quia nomen Domini invocabo, q. d. : Domini majestatem colam, laudabo et celebrabo; unde et vos, ô Hebræi, date magnificentiam Deo nostro, ejus magnitudinem et laudem deprædicando. Sic enim hæc phrasis accipitur Gen. 4, v. ult. Hinc è converso, invocari nomen Dei super aliquem, est Deum ab eo coli, illumque Dei esse et vocari servum vel populum, ut dixi, c. 28, 10.

Vers. 4. — Dei perfecta sunt opera, q. d. : Deus invocandus et magnificandus est, quòd opera ejus usquequàque perfecta sint, ita ut nullâ ex parte culpari, reprehendi, vel emendari possint; et speciatim hoc opus, quo promisit patribus vestris, dare terram Chanaan, jam tam fideliter et magnificè fecit, et penè perfecit, ut perduxerit vos ad ingressum illius terræ, q. d. : Dei opera non sunt, ut hominum, caduca, manca, incompleta et vitiosa, in quibus penè semper aliquid deest; sed sunt stabilia, completa et perfecta. Rursùm, homo cùm cœpit aliquod opus, sæpè illud non perficit, sed mutat conceptum et consilia; item cùm promisit aliquid, sæpè illud non adimplet; Deus autem cœpta consilia, et promissa sua nunquàm revocat, sed semper ea perficit et adimplet. Tertiò, Deus tua, ô Israel, ô homo, opera imperfecta et vitiosa non creavit, uti non creavit te peccatorem, sed tu ea formâsti, tu te peccatorem propriâ voluntate fecisti; nam, ut ait Psaltes : *Imperfectum meum viderunt oculi tui;* et Osee : *Perditio tua, Israel; tantùm in me auxilium tuum;* Dei enim perfecta sunt opera. Quartò, nihil est, quod Deus per se aut per alium, ad perfectionem non adducat, ait Molina.

Nota. Pro *Dei,* hebr. est, *tsur,* id est, petra vel rupes; talis enim est Deus, tum ob stabilitatem, immutabilitatem et fidem in promissis præstandis : tum quia firmissimè communit et roborat se colentes, et in se sperantes.

Et omnes viæ ejus, omnia opera ejus sunt judicia, id est, sunt justa et æqua : usurpant enim sæpè Hebræi abstractum pro concreto, maximè ubi est emphasis.

Nota, hìc septem epitheta et attributa Dei. Primò, quòd sit magnificus; secundò, quòd sit *tsur,* id est, petra immutabilis; tertiò, quòd sit perfectus in omnibus operibus, ut discas à Deo illud Sapientis : *In omnibus operibus tuis,* etiam parvis, *præcellens esto;* quartò, quòd sit justus; quintò, quòd sit fidelis; sextò, quòd sit absque ullâ iniquitate, id est, sit sanctissimus; septimò, quòd si rectus, qui nec gratiâ, nec odio, nec muneribus, nec blanditiis, à recto et æquo dimovetur. Hæc imitentur sancti, utpote Dei filii, ut sint perfecti, sicut pater eorum cœlestis perfectus est.

Vers. 5. — Peccaverunt ei, et non filii ejus in sordibus. Clarè interpres reddidit Hebræa, quæ implexa sunt, dicitque quòd Hebræi peccârint ei, ideòque non sint filii ejus, qui in sordibus peccatorum suorum volutantur; sed adoptionem suam pernegârint, ideòque sint generatio prava atque perversa. Hebræa ad verbum habent : *Perversa hæc et detorta generatio corrupit sibi* (scilicet vias et actiones suas, qui) *non* (sunt) *filii ejus in maculis suis.* Septuag. per methathesin legerunt hebræa; vertunt enim : *peccaverunt non ei;* quò etiam alludit Chald., *dissipaverunt seipsos, et non illum, filii qui servierunt idolis.* Quod explicans S. August. quæst. 55, sic ait : Peccaverunt non ei; quia qui peccat, non Deo nocet, sed sibi; aut *non ei,* subaudi tanquàm medico se subdentes, quia pœnitentiam de peccatis agere noluerunt, nec redire ad Deum, ut ab eo curarentur.

Generatio prava atque perversa : Chald. aliter vertit : *Ordines mundi perversi sunt propter eam,* q. d. : Universa hujus mundi harmonia solvitur ob peccata, uti ostendi Gen. 6, v. 7.

Vers. 6. — Hæccine reddis Domino, populе stulte et insipiens? *Stultus* est, inquit Abulens., qui agit discordantia rationi; *insipiens*, qui à rectè judicando deficit. Unde propriè, *stultus* est, qui pravum et perversum habet judicium, indeque pravas affectiones et perversas operationes producit. Nam cùm tria, ut ait Aristot. initio 6 Ethic., sint humanorum actuum principia, scilicet intellectus, voluntas et sensus; si sensus et sensuales illecebræ depravent intellectum, hic depravabit voluntatem, quæ efficax et proxima est causa omnium actionum humanarum; itàque illæ pariter depravabuntur.

Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te? Pro, *qui possedit te*, verti potest ex hebræo : *Qui comparavit*, vel, *emit te*, redimendo videlicet te ab Ægyptiis, et sibi adsciscendo, ut esses hæreditas Domini, ut sit hîc climax, sive gradatio; nam Deus primò, redemit te. Secundò, fecit, id est, formavit, te in Sinâ, in suam Ecclesiam, populum et rempublicam. Tertiò, creavit, hebr., firmavit et stabilivit te tuumque regnum. Ita et Septuag.

Abulensis τὸ *creavit* propriè accipit, unde infert : « Moses, ait, probat hîc Deum esse colendum septem rationibus; prima est ratione « creationis, quæ attestatur verum Deum, et « infinitam potentiam, cui verissimè debetur « latria, et nulli alteri rei. » Verùm sic τὸ *creavit*, deberet præcedere τὸ *possedit*. Sensus ergo, quem ex hebræo dedi, magis videtur genuinus, præsertim, quia Moses peculiarem hîc dat titulum Judæis, quo ipsi præ aliis gentibus electi, obstricti erant Deo, ut patet ex sequent.

Vers. 7. — Memento dierum antiquorum, dierum priscorum, hebr., *dierum seculi*; quod etiam accipi potest de diebus mundi, q. d. : Revoca in memoriam dies, ex quo mundus esse cœpit, et invenies, Deum creâsse omnes homines, teque et tuos parentes, ac patrem se gessisse erga eos et te; teque ex omnibus gentibus elegisse, et hæreditatem hanc opimam Chananææ ibi præparâsse.

Vers. 8. — Quando dividebat Altissimus gentes, etc., constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel. Procopius et Lyranus sic explicant, q. d. : Quando Deus in Babel divisit et dispersit gentes, tot gentes constituit, quot erant personæ in populo Israel, quæ cum Jacobo ingressæ sunt Ægyptum, puta septuaginta : Hebræi enim in divisione linguarum, et dispersione gentium apud turrim Babel. septuaginta ponunt linguas, æquè ac gentes divisas et dispersas. Verùm, non fuisse septuaginta, sed multò pauciores, ostendi Genes. 10. Sensus ergo est : Quando Deus in Babel gentes dispersit, statuit terminos regionum et terrarum illis omnibus, idque ad hoc, ut scilicet tantum terræ spatium filiis Israel necdùm natis, sed nascituris, ad habitandum secerneret et eximeret, quantum noverat ad numerum eorum, atque commodam singulorum habitationem requiri et sufficere, q. d. : Ex tunc Deus terram Chanaan designavit et terminavit, ne ab aliis occuparetur, quàm à Chananæis, qui delendi et expellendi erant ab Hebræis. Ita Oleast. et Cajet., quem vide. Nota hîc, quantam curam sui populi ab olitanis temporibus gesserit Deus.

Anagogicè, Rupertus : Constituit, ait, Deus, ut duret genus humanum, donec impleatur terminus et numerus electorum.

Septuag. vertunt : *Constituit terminos gentium, juxta numerum angelorum Dei;* quasi angeli hîc vocentur filii Israel, id est, filii Dei, qui dicatur hebraicè Israel, id est, dominator, vel princeps fortis; quod multi sic explicant, q. d. : Constituit Deus singulis populis et gentibus angelos custodes et quasi præpositos. Sicut enim singuli homines, ita et singulæ gentes suum habent angelum, vel archangelum, quasi custodem et præpositum. Ita Origenes hom. 11 in Num., ubi addit, hos angelos in Babel divisisse linguas, et singulis gentibus suam indidisse; de quâ re dixi Gen. 10 et 11; sic explicat et Ruffin. in Expos. Symboli apud Cyprian. tom. 3 : Chrysost. hom. 3 in Epist. ad Coloss.; Procopius et Severus in Catenâ Cantic. S. Script. quam edidit Caraffa. Rursùm Origenes loco citato alium sensum adjungit, q. d. : « Initio seculi alterius, rursùs Deus dividet filios Adam; ut qui non potuerint ita mundi « esse cordis, ut ipsum videant Dominum, et « esse portio Domini, instar Israelis, videant « sanctos angelos, et sint secundùm numerum « angelorum Dei. » Verùm hic sensus uti novus, ita temerarius est et erroneus. Secundò, alii de singulis hominibus explicant, q. d. : Deus creavit tot homines, quot eis designavit angelos custodes; cuique enim homini suum dedit angelum. Tertiò, S. Gregor. hom. 34 in Evang. sub medium, sic explicat : « Superna, « inquit, illa civitas ex hominibus et angelis « constat, ad quam tanti (tam multi) conscendunt hominum, quanti (quàm multi) illic

« remanserunt angelorum. » Sic et Rabanus. Verùm hoc incertum est. Alii enim æquè probabiliter putant, tot fore homines salvandos, quot ex cœlo ceciderunt dæmones; eorum enim ruina instauranda est per homines. Dæmones autem videntur esse pauciores angelis; Lucifer enim tantùm traxit secum tertiam partem stellarum, Apocal. 12, 4. Certum est versionem septuag. hîc non esse litteralem, nec genuinam; nec enim filii Israel ad litteram, sunt angeli Dei; quare prior sensus nostri interpretis genuinus est, ut patet ex Hebr. et Chald., item Aquilâ et Symmach., qui omnes habent, *filiorum Israel,* unde et in Septuag., pro *angelorum Dei,* legendum puto, *filiorum Israel,* uti nonnulla eorum exemplaria habere testatur Origen. hom. 28 in Num. et alii.

Vers. 9.—Pars autem Domini populus ejus: Jacob funiculus hæreditatis ejus. Ex Hebræo aptiùs vertas, *pars enim,* etc.; ita Chald., q. d.: Non mirum est, quòd Deus ita amârit filios Israel, ut juxta numerum eorum constituerit terminos populorum; quia Jacobæi, sive Israelitæ sunt populus ejus, et quasi portio hæreditaria, quæ hîc vocatur funiculus; quia olim eam funibus dimetiri et inter fratres dividere solebant, ut patet Amos 7, v. ult., unde *funiculus* capitur pro ipsâ hæreditate, ut psal. 15, 6: *Funes ceciderunt mihi in præclaris;* quod more suo explicat, subdens: *Etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Similia sunt psal. 77, 55; Sophoniæ 2, 5, et alibi.

Vers. 10. — Invenit (Deus) eum (populum suum, sive Israelem) in terra deserta, q. d.: Dominus apparuit in columnâ nubis Israeli, cùm erraret in deserto, ibique cœpit eum deducere in terram promissam. Dicit autem, quòd invenerit eum in deserto, quia in Ægypto Israel serviebat idolis, et jungebatur Ægyptiis; in deserto autem, puta in Sinâ, allectus est in populum et Ecclesiam Dei.

Custodivit quasi pupillam oculi sui. Vide quanta sit sollicitudo, cura, providentia, et custodia Dei erga suos, scilicet quanta est hominis circa rem charissimam, tenerrimam, et pretiosissimam, scilicet pupillam oculi sui.

Hinc Judæorum illa philautia, ut R. David audeat dicere, Deum nullam aliarum gentium curam aut providentiam habere, nisi quatenùs aliquo modo pertinent ad Israel, hoc est, Deum non punire alias gentes, nisi quatenùs nocent aut injuriam faciunt Israeli: nec iis benefacere, nisi quatenùs Israelem juverint aliquâ in re. Verùm hæc tam stolida, quàm blasphema est ipsius amentia.

Vers. 11. — Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, etc., expandit alas suas, q. d.: Deus ut aquila, Israelem quasi pullum suum, per varia signa in Ægypto ad inde exeundum et evolandum provocavit, eumque jam exire parantem, velut in expansis providentiæ suæ alis assumpsit, protexit et subvexit, tum per se, tum per angelum viæ ducem, tum per columnam ignis et nubis.

Nota. Aquila est symbolum Dei, primò, quia ipsa est regina avium; secundò, quia est fœcunda et longæva; tertiò, quia est simulacrum solis, ipsum enim detectis et immotis oculis aspicit; quartò, quia aliæ aves cùm sursùm ascendunt obliquo tramite, sola aquila recto in altum evolat; hinc à poetis aquila vocatur Jovis avis, ut:

Cœlo imperium Jovis extulit ales.

Quintò propriè hîc aptèque Deus comparatur aquilæ, ob singularem ejus in pullos amorem, de quo ita scribit S. Hieron. in Isaiæ 65: « Inter cæteras animantes omnes, aquilarum « quidem maximus in pullos est amor, quæ « in excelsis et in accessis locis nidos collocant, « ne coluber fœtus violet. Ametystum quoque « inter pullos ejus lapidem reperiri scribunt, « quo omnia venena superentur. Si hoc verum « est, rectè affectus Dei in suas creaturas « aquilis comparatus est, qui omni studio pro- « tegit liberos suos, ne draco et coluber anti- « quus diabolus obrepat novellis fœtibus, ut « ad nomen lapidis, qui ponitur in fundamen- « tis Sion, omnes adversariorum insidiæ fran- « gantur. »

Pulchrè, doctè et piè S. Ambros. lib. 2 de Salom. c. 2, Christum Salvatorem aquilæ comparat, ob alias quatuor analogias; primò: « Quemadmodùm, inquit, aquila colona quasi « mater nidi semper unius est, nec ad pro- « creandam sobolem aliud quandoque cubile « perquirit. Secundò, cùm primùm calidis « ovis maturo ortu fœtus eruperit interior, « pullos educit implumes, hos contra faciem « fervidi solis opponit; ut qui ægram, et inva- « lidam corusco radiorum appulsu aciem sub- « miserit oculorum, materno damnatus arbi- « trio et à fratrum consortio separetur, et de- « jiciatur in terram. Tertiò, sicut avis inimica « serpentum est, quos cùm in aera alarum re- « migio subvectando supportat, hos adunec « rostro, et armatis quasi quibusdam telis, « pedibus suis lacerat ac divellit, quos devo-

« rat, calore suo interno noxium illud virus « extinguit; ita primò, Christus Dominus « unam diligit Ecclesiam, ut aquila nidum « suum, quam ab æstu persecutionis alarum « suarum defendit umbraculo; secundò, sic « quoque extra Ecclesiam projicit in quibus « fidei lumen infirmum est, qui igneam Evan- « geliorum lucem vitiis secularibus inquinati « ferre non possunt. Tertiò, ut aquila serpen- « tes devorat, et eorum venena calore conco- « quit interno; ita et Christus Dominus noster, « dracone percusso, id est, diabolo lacerato, « dùm humanum sibi corpus assumit, pecca- « tum illud, quod hominem tenebat obnoxium, « tanquàm perniciosum virus extinxit, sicut « Apostolus ait: *Et de peccato damnavit pecca- « tum in carne suâ*, et alibi: *Qui cùm peccatum « non nôsset, pro nobis peccatum fecit.* » Et in- feriùs addit quartò: « Aquila cùm aliquid ra- « pere voluerit, non vestigiis ambulat terras, « sed excelsum eligit locum; sic et Christus « altâ cruce suspensus, tonante strepitu et « terribili volatu impetum ab inferis fecit, « sanctosque rapiens ad superna remeavit. » Adde quintò, sicut aquila altissimè volat, ita Christus supra omnes cœlos ascendit; unde illud Prov. 30: *Tria sunt mihi difficilia*, etc., *viam aquilæ in cœlo*, S. Ambros. loco citato de Christo in cœlum ascendente intelligit. Et sextò, aquila liberalis est, et prædam quam cepit cum aliis avibus communicat; ita et Christus prædam æternæ beatitudinis cum sanctis partitur. Septimò, aquila visus acie pollet, et eminùs remota prospicit; ita Christus Deus noster humilia respicit in cœlo et in terrâ, qui in altis habitat.

Vers. 13. — Constituit eum super excelsam terram. Hebr., *equitare fecit eum super excelsa terræ*, quia terra promissa, alta et montuosa est. Nota. Propheticè hîc et in sequent. ponitur præteritum pro futuro; *constituit*, id est, brevi et certò constituet; et in suâ prædestinatione ac præscientiâ jam constituit.

Ut sugeret mel de petra, q. d.: In Chanaan Israel tantam habebit mellis copiam, ut etiam in petris apes spontè mellificent.

Oleumque de saxo durissimo, ut scilicet etiam inter saxa oleæ mirè fructificent, et copiosè olivas producant, quæ oleum abundè vel spontè distillent, vel expressæ emittant et effundant. Adde, oleas et olivas amare solum saxosum, in eoque mirâ naturæ et Dei providentiâ meliores et plures succressere, uti videmus fieri Tibure; Tibur enim in monte et rupe situm, oleis et olivis optimis abundat; unde oleum Tiburtinum totâ Italiâ celebratur.

Allegor. S. Gregor. homil. 26 in Evang.: Petra, inquit, id est, Christus, mel dedit, id est, miraculorum dulcedinem discipulis ostendit; dedit et oleum sacrum unctionis, cùm post resurrectionem Spiritum sanctum in eos immisit. Et Ambros. lib. 2 de Salomone c. 9: « Per mel, ait, significabatur, quòd Deus « dulcem daturus esset Evangelii suavitatem; « per oleum, quòd daret spiritum sanctum « per chrismatis unctionem. »

Tropol., hæc aliqui adaptant religioni et religiosis; hos enim constituit Deus super excelsam terram, puta religionis statum, ut fructus cœlestes carpant, ut divinæ consolationis melle pascantur, oleoque cœlesti perungantur. Religio enim est terra excelsa fluens lacte et melle; est *mons pinguis, mons coagulatus, mons in quo beneplacitum est Deo, habitare in eo*, psal. 67; est *hortus conclusus*, Cant. 4 » in quo religiosi velut arbores plantantur, quæ Deo jucundissimos proferunt fructus; est *fons signatus*, mundi sitim extinguens; est *turris eburnea*, castitatis ebore undique septa: est *turris David*, ex quâ mille pendent clypei, omnis armatura fortium, Cant. 4. Omnis enim adversùs vitia armatura in religione reperitur; veluti armamentarium mundi est religio, ex quo tela adversùs dæmonem, carnem et mundum promuntur. *Murus est, super quem ædificata sunt propugnacula argentea*, Cant. 8, id est, tria vota, paupertatis, castitatis et obedientiæ: *Ostium cœli est compactum tabulis cedrinis*, virtutum omnium. Denique de eâ rectè dicas cum Jacobo: *Quàm terribilis est locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli.* Est enim religio terribilis dæmonibus, *ut castrorum acies ordinata:* in eâ est scala à terrâ in cœlum deducens; est status angelicus.

Vers. 14. — Cum adipe agnorum, et arietum filiorum Basan, id est, arietum, qui nutriuntur in optimis et pinguissimis pascuis regionis Basan. Basannitidem enim, occiso Og rege, occupârunt Hebræi, eaque regio uberrima fuit et maximè compascua; unde vaccæ Basan, et tauri Basan vocantur vaccæ et tauri pinguissimi.

Sanguinem uvæ biberet. Poeticè succum ex uvis expressum, puta mustum et vinum, vocat *sanguinem*, quia est coloris sanguinei, sive rubei.

Vers. 15. — Incrassatus est dilectus. Hæc omnia præterita propheticè significant futurum; hæc enim omnia futura prævidebat Mo-

ses ita certò, ac si jam facta fuissent. Itaque *incrassatus* est, id est, incrassabitur opibus, deliciis et luxu in Chanaan; *dilectus*, hebr. *iescurun*, id est, rectus, uti noster vertit cap. seq. v. 5; vocat autem Israelem rectum, quia rectissimà fide et religione Deum verum colebat. Noster hic *dilectum* vertit, quia *iescurun* etiam directum, scilicet à Deo, id est, dilectum, significat. Et hoc epithetum huic loco magis convenit. Sic enim filii et discipuli à parentibus et præceptoribus dilecti ac lautè habiti et pasti, iis recalcitrare solent. Ita Apostolus juniores viduas ab Ecclesiâ ali vetat, quia, inquit, *cùm luxuriatæ fuerint in Christo* (græcè *in Christum*, id est, in Christi injuriam), *nubere volunt*, 1 Timoth. 5, 11. Posset tertiò *iescurun* deduci à *scor*, id est, taurus, q. d.: Israel fuit *iescurun*, id est, inter greges populorum fuit quasi taurus, dux gregis, id est, fuit Deo quasi primogenitus, et princeps aliarum gentium; ita Forerius in c. 44 Isaiæ.

Recessit a Deo salutari suo, id est, salvatore suo. Ita Septuag. Chald., *recessit à Deo redemptore suo*, qui scilicet eum ex ægyptiâ servitute redemit.

Vers. 16. — Provocaverunt eum (provocabunt Deum ad iram et indignationem) in diis alienis, eos scilicet colendo.

Vers. 17. — Immolaverunt dæmoniis. Hebr. *scedim*, id est, vastatoribus, qui animas, corpora, bonaque omnium suorum cultorum diripiunt et devastant; hoc enim faciunt dæmones, qui summi sunt tyranni.

Novi recentesque venerunt, nuper dii esse, haberi et coli cœperunt.

Talia quoque sunt hæreticorum dogmata sive commenta, quæ proinde Apostolus vocat profanas vocum novitates, à novantibus, id est, hæreticis, adinventas. Quare christiani presbyteri et diaconi Alexandrini, præfecto ad arianismum eos adhortanti responderunt: « Desine his vocibus nos perterrere, à verbis « inanibus te cohibe; nam nos neque novitium, « neque recentem colimus Deum, ac tametsi « tu velut fluctibus jactaris, spumam ore te- « merè fundis, et tanquàm ventus violentus « in nos cum impetu ruis; tamen nos ad ex- « tremum usque spiritum sumus doctrinæ pie- « tatis firmè adhæsuri. » Ita Theodor. lib. 4 Hist. c. 20.

Verè et appositè dixit noster Ogilbeus in Scotiâ hoc anno martyr: « Fides ministrorum « Scotiæ tantùm est octennis; nam duos pri- « marios articulos fidei, quos ante octo annos « etiam libris contra eos editis damnârunt, « jam credunt et docent, scilicet regem esse « caput Ecclesiæ, et episcopos ac episcopatus « esse admittendos. » Plus dixit S. Hilarius, scilicet, *fides hæreticorum esse bimestres et trimestres*, quia ipsi in singulos annos, imò menses, sæpè fidei suæ dogmata commutant. « Innovandæ, inquit S. Hilarius ad Constan- « tium imperatorem, fidei usus inolevit; et « facta est fides temporum potiùs, quàm Evan- « geliorum; periculosum nobis admodùm at- « que etiam miserabile est, tot nunc fides exi- « stere, quot voluntates, et tot nobis doctrinas, « quot mores. » Verè noster Frusius:

Una fides cùm sit, quam nos docuêre parentes,
Cur nunc tot fidibus luditur una fides?

Vers. 18. — Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui. Est admiratio, q. d.: Qui fieri potuit, ô Israel, ut dederis oblivioni Deum, qui parturivit et genuit te, quique fortissimus fortem et validum te procreavit et efformavit? unde hebræa sic habent: *Petræ, quæ te genuit, oblitus es; oblitus es fortis, qui te parturiit?*

Vers. 19. — Et ait (Deus peccatis Israelitarum iratus): Abscondam faciem meam ab eis, meum favorem, curam, protectionem, beneficia (horum enim symbolum est facies) ingratis subtraham et subducam, itàque otiosè spectabo et considerabo novissima eorum, quid scilicet ipsis à me destitutis tandem eventurum sit, quem fructum ex suis idolis et peccatis relaturi sint.

Vers. 21. — Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat deus, etc., et ego provocabo eos in eo, qui non est populus. Pro *provocaverunt* et *provocabo*, hebr. est *kana*, id est, ad invidiam, æmulationem, zelotypiam provoco, ut cùm sponsa unum rivalem præponit alteri, eum ad zelotypiam concitat. Ita enim Judæi vanis idolis adhærentes, neglecto vero ipsorum Deo, quantùm erat ex parte suâ, eum ad æmulationem et zelotypiam provocabant; unde justè simili æmulatione punit eos Deus, q. d.: Ego vicissim provocabo eos ad æmulationem et invidiam, præponendo eis alios populos. Nam faciam, ut ii qui non sunt populus Dei, imò sunt gentiles et idolo'atræ, feliciter vivant, opibus, imperio et gloriâ abundent; imò subjiciant et dominentur populo meo, scilicet Hebræis, eosque affligant, diripiant et occidant.

Aliter hæc explicat Abulens., ut τὸ *in*, capiatur pro *instar*, q. d.: Sicut ipsi irritaverunt

me in eo qui non erat Deus, id est, facientes de me, vel contra me, tanquàm non essem Deus, essemque similis idolis; ita ego irritabo eos in eo qui non est populus, id est, instar ejus qui non est populus meus, sed hostis, *et in gente stultâ non irritabo illos*, id est, ita eos provocabo ad iram, vel ad derisum, sicut provocantur homines stulti. Sic enim Babylonii et Romani ludibrio habuerunt Judæos. Verùm prior sensus planior est et magis genuinus.

Et in gente stulta irritabo eos, commovebo eos ad iram et invidiam, præponendo eis gentem stultam, vilem et ingloriam, scilicet Assyrios, Babylonios, Persas, etc., qui eos superent, subjiciant et divexent. S. Hieronym. ad Fabiol. de 42 Mansion., in ult., hæc refert ad vocationem gentium, rejectis Judæis; nam cantico, inquit, hoc Mosis extremo apertissimè Synagoga projicitur, et Ecclesia Domino copulatur; imò eò vel maximè hæc referenda esse, docet Apostolus Rom. 10, 19. Vide ibi dicta. Unde et Theodor. q. 41, sic explicat, q. d.: « Sicut vos uno Deo relicto, plures « falsos deos ei anteposuistis, sic ego relicto « uno populo, conferam omnibus gentibus « salutem; verùm vos coluistis eos, qui verè « non erant dii, nec eos colendo, deos efficere « potuistis; at ego gentes insipientes verè im- « plebo Spiritu divino, vos autem videntes « contabescetis invidiâ. »

Vers. 22. — Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima, q. d.: Ultio iræ et indignationis meæ in eos parata est, et exardescet instar ignis, adeò ut ad inferni novissima pertingat; est metaphora et hyperbole, quæ verbis sequentibus explicatur, ita videlicet, ut devoret terram cum germine suo, et montium fundamenta comburat, scilicet ut ima et profundissima terræ et montium loca consumat, et in sterilitatem vertat; hanc enim sterilitatem sæpè comminatus est, et sæpè inflixit Deus Hebræis, ob eorum peccata.

Allegor. Procop., Rupert., Raban. et Greg. 18 Moral. 12, per ignem hunc accipiunt ignem inferni et damnatorum.

Ubi nota primò, hunc ignem dici jam succensum, tum quia jam exstat ab origine mundi, Matth. 25, 41, Isaiæ 30, 33; tum quia in Dei præsentiâ et prædestinatione præparatus est, ut suo tempore exurat peccatores et reprobos. Secundò, ignem hunc succensum dici *in furore Domini*, quia auctor illius est furor Domini, id est, voluntas et firmum propositum puniendi impios modo horribili et inaudito, qualem suggerere solet furor. Ira enim et furor in Deo non sunt passiones, quales in nobis, sed voluntas tranquilla et rationabilis, acerrima tamen et efficacissima, atque omnipotens infligendi pœnas æternas; itàque cùm ejus effectus omnem furorem æquet, et etiam superet, meritò *furor* dicitur. Tertiò, quòd ignis hic *ardebit usque ad inferni novissima*, q. d.: Ignis ille non solùm hìc in terrâ corripiet et involvet impios (cùm Dominus judicabit orbem), sed etiam in inferno, et in imâ terræ voragine in omnem æternitatem ardebit. Quartò, quòd ignis hic *devorabit terram*, id est, universum terræ solum et superficiem, et quidquid ex terrâ oritur, nimirùm omnes arbores, sylvas, segetes, herbas, et omnes domus, arces, palatia, urbes, turres, omnesque opes, quæ iis continentur, in favillam et cinerem rediget, 2 Petri ult. v. 10 et 12. Quintò, quòd ignis hic etiam *montium fundamenta* altissimè demersa *comburet*, tum quia metalla, gemmas, omnesque opes in visceribus terræ contentas absumet, tum quia mixta omnia vi suâ dissolvet, et in sua primordia ac simplicia principia rediget; hoc est quod canit Psaltes psalm. 96: *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra;* et Judith c. 16: *Montes à fundamentis movebuntur cum terrâ; petræ sicut cera liquescent ante faciem tuam.* Scimus ingenti ardore saxa liquari, et instar torrentis ignei è montibus per plana decurrere; talis erit ignis hic; hunc cogita dùm peccas. Quis habitabit cum igne devorante, cum ardoribus sempiternis?

S. Prosper gehennæ pœnas ita paucis, sed nervosè describit lib. 3 de Vitâ contempl.: « Continuus, inquit, gemitus, cruciatus æter- « nus, dolor summus, pœnalis sensus, tor- « quent animas, neque extorquent; puniunt « corpora, neque finiunt, sibi deputatos ignis « non extinguit, ut permanente sentiendi vitâ, « pœna permaneat; et ad dolendum magis « quàm ad vivendum, æternis corporibus com- « peditos habeat, quos in flammis vivacibus « immortalitas secundæ mortis occidat. » Hunc ignem jugiter proponebat sibi sanctus ille abbas in Vitis Patrum, lib. 7, c. 44, dicens: « Ego ob peccata mea inferno adjudicavi me- « ipsum, dicoque: Esto cum his quibus dignus « es, istis post modicum adnumeraberis. Video « igitur ibi pares gemitus et incessabiles lacry- « mas. Aspicio stridentes dentibus, et salientes « toto corpore, et trementes à capite usque

« ad pedes. Video et mare ignis bullientis im-
« mensibile, et circumfluentes et mugientes,
« ut putent aliqui usque ad cœlos attingere
« fluctus ignis, et in tremendo illo mari innu-
« merabiles homines dejectos, et unâ voce
« omnes clamantes et ululantes simul, quales
« nemo super terram ululatus et voces unquàm
« audierat, et sicut arentia omnis virgulti
« cremare, misericordiâ autem Dei se aver-
« tente ab illis. Et tunc lamentor genus homi-
« num, quòd audeat loqui, vel cuilibet atten-
« dere, tantis mundo repositis malis. Et in
« his teneo mentem meam, luctum meditans,
« indignum me cœlo et terrâ judicans. »

Vers. 23. — Et sagittas meas complebo in eis. *Complebo,* id est, plenè immittam, *sagittas,* id est, ultiones et plagas omnes meas.

Vers. 24. — Consumentur fame. Chald. vertit : *Adusti erunt fame.*

Devorabunt eos aves. Pro *aves* hebr. est vox *resceph,* quæ generaliter significat omne id, quod volando adurit, incendit et inflammat; alludit enim per metathesin ad *saraph,* id est, incendere, adurere ; licet S. Hieron. *resceph,* vertat reptans ventre, quasi aliâ metathesi *resceph* alludat ad *raphas,* vel *ramas,* id est, repere. Hinc *resceph* vertunt avem, vel volucre, tam Septuag. quàm Chald. Symmachus, Aquila, Theodor. et quinta editio, teste S. Hieron. in Habacuc 3, 4, additque Hieronym. Hebræos dicere, *resceph* etiam dæmonis esse nomen, qui ob velocitatem et discursum, avis et volatila nuncupetur; unde Habacuc 3, v. 4, noster interpres pro *resceph* vertit, *diabolus.* Hinc secundò, *resceph* significat ignem, vel fulgetra, quæ instar volucrum celerrimè discurrunt et adurunt, ut psal. 77, 48. Tertiò, *resceph* significat sagittas ignitas, quas milites potenter et celerrimè ex arcubus ejaculantur, ut domos et urbes incendant, ut patet psal. 75, 4.

Dentes bestiarum immittam in eos, q. d. : Immittam in eos feras bestias, ut lupos, leones, ursos, tigrides. Ita leones in Israelitas idola colentes immisisse Deum docet historia sacra, 4 Reg. 17, 25.

Cum furore trahentium super terram, atque serpentium. Hebr., *cum furore serpentium in pulvere,* id est, cum serpentibus venenatis et furibundis, qui reptant et fœdè cum horrore intuentium trahuntur super terram, ut illi in eos desæviant, eos mordeant et lanient.

Vers. 28. — Gens absque consilio est. Hebr. præponitur *ki,* id est, *quia,* unde Vatabl. putat hic reddi rationem præcedentium, cur scilicet hostes Israelis superbirent, et dicerent : *Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia ;* quia scilicet ipsi sunt gens absque consilio, intellectu et prudentiâ. Verùm τὸ *ki,* Hebræis sæpè redundat, tantùmque sententiam inchoat. Quare noster rectè illud omisit, unde meliùs hæc ad ipsos Israelitas referemus : in hos enim continuò hic detonat Moses.

Vers. 29. — Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent ! Vatablus et Abulensis pergunt hæc referre ad hostes Judæorum, q. d. : Si hi hostes prudentes fuissent, intellexissent, viribus non ipsorum, sed meis, puta Dei, factum esse, quòd ego gentem hanc meam, scilicet Judæos, afflixerim et perdiderim, non ipsi; intellexissent præterea, quis finis, sive exitus eos maneat; intellexissent, eadem sibi eventura ob peccata propria, quæ genti meæ evenerunt, inquit Vatabl. ; ita enim Assyrii, quia gloriabantur, se destruxisse Israelitas, ideò à Chaldæis destructi sunt; vicissim Chaldæi, quia gloriabantur se destruxisse Judam, ideò à Persis et Medis deleti sunt, inquit Abulensis. Verùm, ut paulò ante dixi, Moses non curat hic hostes Judæorum, sed ipsos Judæos; hos enim licet postea futuros, hic metu novissimorum pungit et stimulat, ut ab idolis ad Deum, à prævaricatione ad pœnitentiam, et legem Dei redeant, q. d. : Utinam Judæi per hostes, et tot plagas à me eis immissas afflicti, ad cor redeant, resipiscant, intelligant, quid sit peccare in Deum, ac prævideant, quid in novissimo tempore illis eventurum sit, quæque peccati et impietatis ipsorum futura sit merces, tum in hâc, tum in futurâ vitâ, vel potiùs morte et gehennâ! Nam, ut ait Sapiens : *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* O quàm sapiunt, qui hæc sibi et aliis identidem ob oculos ponunt!

Rectè abbas Alexander fratri acediâ victo dixit : « Si in cellâ tuâ sollicitè cogitares re-
« gnum cœlorum, et cruciatum æternum, in
« cellâ tuâ acediam non sentires. » testis est Sophronius, vel potiùs Joannes Moscus in Prato spirituali c. 142. Rursùm c. 169, Alexander ita se excitat : « Væ tibi, Alexander!
« quanta erit confusio tua, cùm cæteri coro-
« nabuntur! » Et cap. 156, senex quidam duobus philosophis verbum ædificationis à se petentibus dixit : « Eloquentiæ studiosi estis,
« non veri philosophi; quamdiù enim loqui
« discitis, quasi loqui nesciatis? Sit ergo phi-
« losophiæ vestræ opus semper meditari mor-
« tem, silentioque et quieti vos assuefacite. »

Abbas Silvanus in Vitis Patrum, lib. 5, tract. de Compunctione, raptus, ac rediens ad se, cecidit in faciem, ac flevit; rogatus cur, dixit: « Ego ad judicium raptus sum, et vidi multos « de habitu nostro euntes ad tormenta, et « multos seculares euntes ad regnum. » Et lugebat senex, et nolebat deinceps exire de cellâ suâ; sed si exire cogebatur, operiebat capitio faciem suam, dicens: « Quid necesse « videre lumen istud temporale, in quo nihil « est utile? » Ibidem, monachus quidam qui negligenter vixerat, ægrotans, raptus fuit ad judicium, et invenit matrem suam jam mortuam cum his qui judicabantur. Illa autem ut vidit eum, obstupuit et dixit illi: Quid est hoc, fili? et tu in hunc locum condemnationis jussus es venire? ubi sunt sermones tui, quos loquebaris dicens: Volo salvare animam meam? Confusus ipse, ac rediens ad se inclusit se pœnitens et plorans negligentiam suam; cùmque multi eum rogarent, ut à nimio fletu temperaret ne se læderet, noluit consolari, dicens: « Si improperium matris meæ sustinere non « potui, quomodò Christi et sanctorum ejus « angelorum adversùm me confusionem po- « tero in die judicii sustinere? » Ibidem, alius senex dixit: « Si possibile esset in adventu « Dei post resurrectionem, præ timore inte- « rire animas hominum, omnis mundus more- « retur à terrore atque formidine. Quale est « enim videre cœlos scissos, et Deum revela- « tum cum irâ et indignatione, et militias innu- « merabiles angelorum, et totum simul genus « hominum intendere? propter quod sic de- « bemus vivere, utpote qui de singulis motibus « nostris rationem exigendi simus à Deo. » Alius senex vidit quemdam ridentem, et dixit ei: « Coram cœli et terræ Domino rationem « totius vitæ nostræ reddituri sumus, et tu « rides! » Piè S. Bernar. serm. de Apostolis Petro et Paulo: « Utinam saperent! etc., in- « quit, ut scilicet æternitatis imago reforma- « retur in nobis, videlicet ut præsentia mo- « deremur per sapientiam, præterita per « intelligentiam dijudicemus, novissima provi- « deamus ad cautelam. » Idem Epist. 292: « Utinam, inquit, saperes quæ Dei sunt, « intelligeres quæ mundi sunt, provideres « quæ inferni sunt! profectò inferna horre- « res, superna appeteres, quæ sunt mundi « contemneres. » Ita sapuit abbas Olympius in Prato spirit. cap. 141; rogatus enim: Quomodò sedes in hâc speluncâ? Quomodò toleras æstus et cyniphes? ait: « Ista ideò to- « lero, ut futuris cruciatibus liberer; ideò « cyniphes patior, ut immortalem effugiam « vermem; sic et æstum patior, æternum « metuens ignem; hæc enim temporalia sunt, « illa verò finem nullum habent. » Ita sapuit et abbas Moses in vitis Patrum, lib. 7, c. 26, dicens: « Ut te mortifices, cogita te triennium « jam agere in sepulcro. » Et alius cap. 44, cujus hæc erat quotidiana exercitatio: « Ego, « inquit, angelos aspicio, ascendentes et des- « cendentes ad vocationem animorum, et « semper finem meum opperior, dicens: *Pa- « ratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* » Et alius ibidem: « Ego, inquit, ex quo renun- « tiavi terræ, quotidiè mihi dixi: Hodiè rena- « tus es, hodiè cœpisti servire Deo; sic esto « quotidiè peregrinus, et crastinò liberandus. » Plura attuli Levit. 16, sub finem cap.

Vers. 30. — Quomodò persequatur (ita legendum est cum Rom. non, *persequebatur*) unus mille, et duo fugent decem millia? q. d.: Vel ex hoc sanè quod dicam, admoneri debuissent suæ impietatis, et ad sapiendum incitari, ac discere et advertere judicia Dei; quî enim fieri posset, ut unus hostium persequatur mille Israelitas, et duo fugent eorum decem millia, nisi quia Deus eos tradidit, et quasi vendidit hostibus eorum, et conclusit eos in manibus illorum?

Vers. 31. — Non enim est Deus noster, ut dii eorum, qui multa sinunt suorum cultorum peccata, quique impotentes sunt, ut se suosque ulciscantur, ut alicui benefaciant, vel malefaciant, cujus rei testes sunt etiam inimici nostri, qui potentiam et severitatem justitiamque Dei nostri præ suis idolis experti sunt, ut Ægyptii, Amalecitæ, Amorrhæi, et cæteræ gentes, per quas transivimus, quæque deinceps eadem experientur.

Vers. 32 et 33. — De vinea Sodomorum vinea eorum, q. d.: Meritò tradidit, id est, tradet, Deus Judæos hostibus suis, quia hic populus, qui mihi fuit quasi vinea electa, degenerans facta est de vinetis Sodomorum, et de suburbanis et arvis Gomorrhæ, q. d.: Pessima facta est, imitata Sodomitas et Gomorrhæos, ac si ab eis, non à sanctis patribus prognata fuisset. Unde et uva eorum uva fellis, q. d.: Uvæ talis vineæ, id est, fructus et opera Judæorum sunt fellea, amarissima et pessima. Hinc et fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile, q. d.: *Vinum*, id est, doctrina ab iis tam impiis expressa et manans, quàm ipsi aliis propinant, ut in eos sua scelera transfun-

dant, est venenata et lethifera, velut fel draconum, et venenum crudele ac insanabile, quod omnes bibentes perdit et occidit.

Sic Isaias cap. 1, 10, principes Judæorum vocat principes Sodomorum, et populum vocat populum Gomorrhæ. Sic Ezech. 16, 3, Judæos impios alloquens, ait : *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa.* E contrario filii Abraham vocantur gentiles, qui Abrahæ fidem et opera imitantur. Ita Procop.

Appositè vir ille honestus, cùm quidam ei objiceret familiam ignobilem, respondit : *Mihi probro est genus meum, tu autem probro es generi tuo*, uti refert B. Greg. Naz. Orat. in nobilem malè moratum. Paulò aliter hæc adaptat Abul. : « Peccatum, inquit, consummatur in tribus, « primò, in corde ; secundò, in ore ; tertiò, in « opere ; ideò ponuntur hìc tria, scilicet vinea, « quantùm ad primum ; uva, quantùm ad se- « cundum ; vinum quantùm ad tertium : et est « ordo inter ista, quia ex vineâ procedit uva, « et ex uvâ vinum ; sic ex peccato cordis pro- « cedit peccatum oris, et inde peccatum ope- « ris. »

Moraliter S. Greg. lib. 4 in lib. 1 Regum c. 4 : « Vinearum, inquit, appellatione mentis « concupiscentiæ rectè figurantur, quia repro- « borum corda inebriant, et à cognitione veri- « tatis alienant. Ex Sodomorum quippe vineâ « vitem, ex Gomorrhâ ducit propaginem, qui « nefandissimis concupiscentiis mentem replet ; « quasi enim vineam facit, qui inde æterna « obliviscitur, unde per concupiscentias ebria- « tur ; et qui se quasi sub umbrâ vineæ, et « amœnitate pravæ delectationis refrigerat, « æterni sibi incendii retributionem parat ; « unde hujus vineæ fructus sunt uva fellis, et « botrus amaritudinis ; uvæ quippe in visu est, « fel in sapore ; visum oblectans, gustum ama- « ricans ; quia nimirùm reprobæ menti valdè « placet quod concupiscit, sed in æternâ pœnâ, « quod sibi modò est dulce, amarescit. » Denique S. Ambros. lib. de Eliâ et Jejunio, cap. 14, vinum et ebrietatem hìc ad litteram intelligit, notatque ea vocari venenum, non tam corporis, quàm mentis.

Vers. 34. — Nonne hæc condita sunt apud me ? q. d. : Ne putetis, quòd ego temporis intervallo horum obliviscar ; nam memoria istarum culparum, quæ significantur nomine vineæ, uvarum et vini, manet apud me abscondita, et altâ mente reposta.

Et signata in thesauris meis, q. d. : Sicut ea quæ in thesauris sunt, id est, diligenter clausa, ne aliquis ea surripere possit ; ita omnia quæ Judæi agunt et agent, in secreto cognitionis, scientiæ et memoriæ meæ servantur, quasi obsignata, sigillata et clausa, ut suo tempore eadem puniam et ulciscar, nam

Vers. 35. — Mea est ultio, q. d. : Mihi competit, ad me pertinet ultio, meum est ulcisci, illudque non differam quia instat dies perditionis vestræ et ultionis tempora.

Ex hoc loco abbas Sisois in Vitis Patrum lib. 5, c. 16, de Patientiâ, suasit monacho cuidam læso et volenti se vindicare, ut Deo relinqueret vindictam, cùmque ille nollet, dixit : « Oremus, « frater. » Et surgens, dixit : « Deus, jam te « opus non habemus cogitare de nobis, quo- « niam nos ipsi vindictam nostram facimus. » Hoc audiens frater cecidit ad pedes ejus, dicens : « Jam non contendo cum fratre illo ; sed « rogo, ignosce mihi. » Nostrùm ergo est inimicis imprecari Dei non ultionem, sed benedictionem ; Dei enim est ulcisci. Ps. 93 : *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum liberè egit. Exaltare, qui judicas terram, redde retributionem superbis.*

Memorabile est quod de M. Bibulo viro amplissimo scribit Valer. Max. lib. 4, c. 1 : « Hic, « inquit, cùm in Syriâ moraretur, duos egre- « giæ indolis filios suos, à Gabinianis militibus « in Ægypto occisos cognovit. Quorum inter- « fectores ad eum vinctos regina Cleopatra « misit ut gravissimæ cladis ultionem arbitrio « suo exigeret. At ille oblato beneficio, quo « nullum majus tribui potuerat, dolorem mo- « derationi cedere coegit, carnificesque sangui- « nis sui intactos è vestigio ad Cleopatram re- « duci jussit, dicendo, potestatem hujus vin- « dictæ non suam, sed senatûs esse debere. » Itane gentilis princeps privatæ injuriæ, ejusque gravissimæ ultionem resignat senatui, et Christianus eamdem non resignabit Deo suo ?

Ut labatur pes eorum, ut corruant in omnia mala et plagas, præsertim coram hostibus.

Vers. 36. — Judicabit Dominus populum suum, q. d. : Justè ulciscetur et puniet Dominus peccata populi sui.

Et in servis suis miserebitur. Ubi eos puniverit, ipsique hâc punitione ad Dominum reversi fuerint, tum rursùm Dominus erga eos quasi servos suos, misericordiâ flectetur.

Videbit enim, quòd infirmata sit manus, id est, robur, et potentia eorum, ita ut clausi etiam in turribus defecerint, et pauci illi qui erant residui, penè omninò consumpti sint.

Hebr., *hi azelet iad*, id est, quòd abierint manus, hoc est, quòd sint sine manu, quòd nihil possint, quòd dissoluti sint viribus, et deficientes, ac si manibus truncati essent. Unde Septuag. vertunt : Παραλελυμένους καὶ ἐκλελειπότας. Videns ergo hanc extremam miseriam, eorum miserebitur. «Describitur enim hîc tribulatio Judæorum, inquit Abulens., ad modum civitatis, « quæ ab hostibus obsidetur, in quâ primò de« fendentes muros lassantur et moriuntur; « deinde captâ civitate, illi qui in fortibus ca« stris et turribus inexpugnabilibus se conclu« dunt, fame et siti enecantur, » ac tandem imbelle vulgus reliquum capitur et consumitur.

Vers. 37. — Et dicet (Deus per Prophetas, quos mittet ad Judæos, ut resipiscant et ad Deum redeant) : Ubi sunt dii eorum ? ubi sunt idola vestra in quibus sperâstis ?

Vers. 38. — De quorum victimis comedebant adipes, insultando hoc dicit; nam in vero et ordinato Dei cultu, adeps omnis victimarum à nemine comedi, sed soli Deo adoleri debebat, ut patet Levit. 3, 17, sic et vinum libaminum, id est, quod soli Deo libari et effundi debebat, ipsi sacrilegè more gentilium bibebant.

Surgant et opitulentur vobis. Est enallage personæ; transit enim à tertiâ ad secundam.

Vers. 39. — Ego occidam, et ego vivere faciam; percutiam, et ego sanabo. Armachanus in Quæst. Armen. asserit se à quodam docto Hebræo accepisse, hebræa punctanda esse passivè hoc modo : אני אמות ואחיה מחצתי ואני ארפא, *ani omath vacchie, muchatsthi vaani eraphe*, id est : *Ego occidar et vivam, transfigar et sanabor;* itàque scriptum est in codice conscripto manu Esdræ, qui Bononiæ apud patres Dominicanos servatur ; quasi hîc sit prophetia de Christo, de eoque dicatur quòd ipse à Judæis sit occidendus, mox à morte propriâ virtute resurrecturus, quasi Dominus vitæ et mortis. Verùm horum penès eum sit fides. Aliter enim legit noster, Chald. et Septuag.

Vers. 40 et 41. — Levabo ad cœlum manum meam, id est, jurabo; ritus enim jurantium est, ut in altum manus elevent quasi vocantes in testem Deum qui in altis habitat, q. d. : Ego Deus, quasi elatâ manu jurabo per me et per vitam meam, dicens : Vivo ego in æternum (uti homines jurant, dicuntque : *Vivit Dominus*) ; si acuero, ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea, q. d. : Cùm præparavero gladium ultionis meæ, ut sicut fulgur luceat, terreat, ac citissimè penetret, et ultrix potentia mea conversa fuerit ad faciendum judicium, reddam ultionem hostibus meis. Cogita quàm terribile sit, eritque judicium Dei, præsertim extremum, quo damnati adjudicabuntur gehennæ. Audi S. Anselm. lib. de Miseriâ hominis : « Hinc erunt accusantia peccata, « inde torrens justitia ; subtùs patens horridum « chaos inferni, desuper iratus judex ; intùs « urens conscientia, foris ardens mundus. « Justus vix salvabitur ; peccator sic deprehen« sus, in quam partem se premet? »

Vers. 42.—Inebriabo sagittas meas sanguine, q. d. : Sagittas meas omninò imbuam sanguine, scilicet cruore occisorum, ut sequitur, et de captivitate nudati inimicorum capitis, id est, cruore captivorum inimicorum, qui nudati sunt capitis, seu nudato capite, quasi victi et capti, ante victores hostes incedere coguntur.

Vers. 43. — Laudate, gentes, populum ejus. *Ejus*, scilicet Dei, q. d. : O gentes, dùm hæc intelligitis, laudate populum Domini, eò quòd tam propitium et justum habeat Dominum ; licet enim ipse eum ad tempus tradiderit hostibus impii puniendum, tamen tandem ulciscetur, et rependet talionem hostibus ejus, ac miserebitur populi sui, ad se reversi.

Septuag. paraphrasticè ita vertunt : *Lætamini, cœli, simul cum eo, et adorent eum universi angeli Dei. Lætamini, gentes, cum populo ejus, et roborentur in eo omnes filii Dei ; quoniam sanguinem filiorum ejus ulciscetur*, etc. Quod de gentium vocatione pulchrè explicat hîc Theodor. q. 42, imò Apostolus Rom. 11, 15, quia sicuti ad litteram hisce verbis promittitur liberatio populi Dei à violentiâ hostium suorum, ita mysticè promittitur liberatio futura per Christum, quæ tam gentibus, quàm Judæis præstita est.

Vers. 44. — Venit ergo Moyses, et locutus est, etc., in auribus populi ; locutus est populo audienti et auscultanti. Est anacephalæosis ; recapitulat enim hîc Script. quòd Moses hoc canticum audierit et didicerit à Domino in tabernaculo cap. præc. v. 13 et 19, illudque deinde populo promulgârit.

Quærit S. Chrys. in Isaiæ 1, cur canticum hoc vocet canatque Moses, cùm potiùs sit acris populi objurgatio? ac respondet, sapienter eum id facere, ut cantu leniat asperitatem objurgationis. Ex usu, ait, spiritualis sapientiæ, modulatione cantici dejectionem ei suffuratus est. Nimirùm ars fuit boni pastoris animarum, quasi ad fistulam edulcorare ovibus amara

pabula, quæ tamen noverat profutura saluti.

Vers. 46. — Ponite corda vestra in omnia verba, mentem apponite, et attendite ad omnia verba mea, quæ ego testificor, id est, seriò prædico, vobis, in hâc die quâ moriar, adhibitis testibus, scilicet invocans cœlum et terram.

Vers. 48, 49 et 50.—Locutusque est Dominus ad Moysen in eadem die, dicens : Ascende in montem Abarim, etc., quem conscendens jungeris populis tuis. Hinc satis colligitur, Moysen eodem die quo cecinit hoc canticum conscendisse montem, ex eoque speculatum esse terram sanctam, ac mox vitâ esse defunctum.

Vers. 49. — Abarim, id est, transituum; τὸ *transituum*, non est in hebræo, sed ab interprete explicationis gratiâ est additum; nam *Abarim* hebr. significat transitus, in plurali, fortè quia per eum pluribus viis ex Moab transibatur in Chanaan. Unde Chald. interpres montem *Abarim*, vertit, *montem transeuntium*. Rursùm per hunc montem transivit Moses, non in Chanaan, sed ex hâc vitâ in Limbum, et inde in cœlum. Conscendamus et nos cum Mose sæpè montem Abarim, et transitum nostrum ex hâc vitâ in alteram speculemur, quæ ibi nos domus expectet, quis locus, qui cives, quod seculum, quæ æternitas, discamusque mori et transire. Ita ascendit S. Basil., sed Mose directiùs, de quo audi S. Greg. Nazianz. in ejus laudibus : «Cùm autem cursu confecto, « fideque servatâ resolutionis desiderio tene- « retur, tempusque coronarum appeteret, at- « que illud quidem non audisset : *Ascende in « montem, et morere;* verùm : *Morere, et ad « nos ascende;* hîc quoque miraculum edit su- « perioribus nequaquàm inferiùs. Nam cùm « fermè mortuus et inanimis esset, maximâque « ex parte vitâ perfunctus, circa extremos ser- « mones invalescit, ut cum pietatis verbis abs- « cederet.»

In montem Nebo. Nebo erat jugum, vel cacumen montis Abarim.

Vers. 52. — E contra, è regione.

CAPUT XXXIII.

1. Hæc est benedictio, quâ benedixit Moyses, homo Dei, filiis Israel ante mortem suam. — 2. Et ait : Dominus de Sinaï venit, et de Seïr ortus est nobis; apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia. In dexterâ ejus ignea lex. — 3. Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt : et qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrinâ illius. — 4. Legem præcepit nobis Moyses, hæreditatem multitudinis Jacob. — 5. Erit apud rectissimum rex, congregatis principibus populi cum tribubus Israel. — 6. Vivat Ruben, et non moriatur, et sit parvus in numero. — 7. Hæc est Judæ benedictio : Audi, Domine, vocem Judæ, et ad populum suum introduc eum : manus ejus pugnabunt pro eo, et adjutor illius contra adversarios ejus erit.—8. Levi quoque ait: Perfectio tua, et doctrina tua viro sancto tuo, quem probâsti in tentatione, et judicâsti ad aquas contradictionis; — 9. qui dixit patri suo, et matri suæ : Nescio vos, et fratribus suis : Ignoro vos : et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt, — 10. judicia tua, ô Jacob, et legem tuam, ô Israel ! ponent thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum. — 11. Benedic, Domine, fortitudini ejus, et opera manuum illius suscipe. Percute dorsa inimicorum ejus, et qui oderunt eum non consurgant. — 12. Et Benjamin ait : Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo : quasi in thalamo totâ die morabitur, et inter humeros illius requiescet. — 13. Joseph quoque ait : De benedictione Domini terra ejus, de pomis cœli, et rore, atque abysso subjacente : —14. de pomis fructuum solis ac lunæ : —15. de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum; — 16. et de frugibus terræ : et de plenitudine ejus. Benedictio illius qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph, et super verticem Nazaræi inter fratres suos. — 17. Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua rhinocerotis cornua illius; in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ. Hæ sunt multitudines Ephraïm; et hæc millia Manasse. — 18. Et Zabulon ait : Lætare, Zabulon, in exitu tuo, et Issachar, in tabernaculis tuis, — 19. populos vocabunt ad montem : ibi immolabunt victimas justitiæ. Qui inundationem maris quasi lac sugent, et thesauros absconditos arenarum. — 20. Et Gad ait : Benedictus in latitudine Gad; quasi leo requievit, cepitque brachium et verticem. — 21. Et vidit principatum suum quòd in parte suâ doctor esset repositus; qui fuit cum principibus populi, et fecit justitias Domini, et judicium suum cum Israel. — 22. Dan quoque ait : Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan. — 23. Et Nephthali dixit : Nephthali abundantiâ perfruetur, et plenus erit benedictionibus Domini : mare et meridiem possidebit. — 24. Aser quoque ait : Benedictus in filiis Aser,

sit placens fratribus suis, et tingat in oleo pedem suum. — 25. Ferrum et æs calceamentum ejus. Sicut dies juventutis tuæ, ita et senectus tua. — 26. Non est Deus alius ut Deus rectissimi : ascensor cœli auxiliator tuus. Magnificentiâ ejus discurrunt nubes. — 27. Habitaculum ejus sursùm, et subter brachia sempiterna : ejiciet à facie tua inimicum, dicetque : Conterere. — 28. Habitabit Israel confidenter, et solus. Oculus Jacob in terrâ frumenti et vini, cœlique caligabunt rore. — 29. Beatus es, tu Israel : quis similis tuî, popule, qui salvaris in Domino ? scutum auxilii tui, et gladius gloriæ tuæ : negabunt te inimici tui, et tu eorum colla calcabis.

---

1. Voici la bénédiction que Moïse, homme de Dieu, donna aux enfants d'Israël avant sa mort. — 2. Il dit : Le Seigneur est venu de Sinaï ; il s'est levé sur nous de Séir ; il a paru sur le mont Pharan : et des millions de saints *anges étaient* avec lui. Il portait en sa main droite la loi *écrite* de *son doigt, qu'il nous a donnée au milieu du* feu, *par un effet de son amour pour nous.* — 3. *Car* il a aimé les *enfants de Jacob; il les a choisis d'entre les* peuples *pour son héritage.* Tous les *enfants d'Israël qui sont* saints *et consacrés à son service,* sont dans sa main ; *ils sont sous sa protection puissante;* et *tous* ceux qui se tiennent à ses pieds, *et qui sont soumis à ses lois,* recevront *ses instructions et* sa doctrine ; *c'est ce que nous avons éprouvé nous-mêmes.* — 4. *Car* Moïse nous a donné *de sa part* une loi, pour être l'héritage de tout le peuple de Jacob, *et pour attirer sur lui les bénédictions du Seigneur.* — 5. Elle tiendra lieu de roi dans *Jacob,* tant qu'il aura le cœur droit, *tant que* les princes du peuple seront unis avec les tribus d'Israël. — 6. *Moïse dit ensuite :* Que Ruben vive, et qu'il ne meure pas ; mais qu'il soit en petit nombre, *pour le punir de l'inceste qu'il a commis avec la femme de son propre père.* — 7. Voici la bénédiction de Juda : Seigneur, écoutez la voix de Juda, et donnez-lui parmi son peuple la part que vous lui avez destinée ; ses mains combattront pour Israël, et il sera son protecteur contre ceux qui l'attaqueront. — 8. Il dit aussi à Lévi : *O Dieu,* votre protection et votre doctrine *a été donnée* à l'homme que vous vous êtes consacré, que vous avez éprouvé dans la tentation, et que vous avez jugé aux eaux de contradiction *indigne d'entrer dans la terre que vous nous aviez promise* — 9. qui a dit à son père et à sa mère : Je ne vous connais point ; et à ses frères : Je ne sais qui vous êtes. *C'est ce qu'ont fait les Lévites;* car ils n'ont point connu leurs propres enfants, *et ils n'ont point été touchés de compassion pour eux, lorsqu'il s'est agi de venger l'outrage fait au Seigneur.* Ce sont ceux-là qui ont exécuté votre parole, *ô mon Dieu !* et qui ont gardé votre alliance, — 10. *qui ont observé* vos ordonnances, ô Jacob, et votre loi, ô Israël ! ce sont ceux-là *aussi, ô mon Dieu !* qui offriront de l'encens dans *le temps de* votre fureur, et qui mettront l'holocauste sur votre autel, *par un privilége singulier que vous avez accordé à la tribu de Lévi.* — 11. Bénissez sa force, Seigneur, et recevez les œuvres de ses mains. Chargez à dos ses ennemis ; et que ceux qui le haïssent *tombent* sans pouvoir se relever. — 12. Moïse dit aussi à Benjamin : *Ce peuple, qui est* le bien-aimé du Seigneur, demeurera en lui avec confiance ; il habitera tout le jour *autour de son temple,* comme dans sa chambre nuptiale ; et il se reposera entre ses bras, *s'y trouvant à couvert de la violence de ses ennemis.* — 13. *Moïse* dit aussi à Joseph : Que la terre de Joseph soit remplie des bénédictions du Seigneur, des fruits du ciel, de la rosée, et des sources d'eaux cachées sous la terre, — 14. des fruits produits par la vertu du soleil et de la lune, — 15. des fruits *qui croissent* sur le haut des montagnes anciennes, et sur les collines éternelles, — 16. de tous les grains et de toute l'abondance de la terre. Que la bénédiction de celui qui a paru *à Moïse* dans le buisson *ardent* vienne sur la tête de Joseph, sur le haut de la tête de celui qui a été *comme* un nazaréen entre ses frères, *par son élévation au-dessus d'eux, et son attachement au Seigneur.* — 17. Sa beauté est semblable au premier-né du taureau ; ses cornes sont semblables à celles du rhinocéros : *sa force et sa puissance sont très-grandes;* il enlevera en l'air *tous* les peuples jusqu'aux extrémités de la terre. Telles seront *les merveilles qu'opèreront* les troupes innombrables d'Ephraïm, et les millions *de peuples qui composeront la tribu* de Manassé. — 18. *Moïse* dit ensuite à Zabulon : Réjouissez-vous, Zabulon, dans votre *partage qui vous donne une* sortie *sur la mer,* et *vous met en état de trafiquer dans les pays les plus éloignés. Pour vous,* Issachar, *vous vous réjouirez dans le repos que vous goûterez* dans vos tentes, *et dans l'abondance que vous procurera votre riche et fertile pays.* — 19. *Vos enfants, ô Zabulon ! porteront la connaissance du vrai Dieu chez les étrangers;*

ils appelleront les peuples *les plus éloignés* sur la montagne *consacrée au Seigneur*, où ils *lui* immoleront des victimes de justice, *telles qu'il les demande*. Ils suceront comme le lait les richesses de la mer *que leur attirera leur commerce*, et *ils découvriront* les trésors cachés dans le sable, *d'où ils sauront tirer l'or et l'argent*. — 20. *Moïse* dit à Gad : Gad a été comblé de bénédictions *dans l'étendue de son partage*. Il s'est exposé comme un lion *fort et puissant, qui ne craint rien de la part de ses ennemis. Quand ils ont osé l'attaquer, il leur* a saisi le bras et la tête, *et il les a soumis*. — 21. Il a *demandé le premier pays qui a été conquis sur les ennemis du Seigneur, parce qu'il a* reconnu sa prérogative, en ce que *Moïse*, le docteur *d'Israël*, devait, *après sa mort*, être mis dans *le voisinage de cette terre qu'il demandait pour* son partage. *Avant de s'y reposer*, il a marché avec les princes de son peuple *contre leurs ennemis ;* et il a *ainsi* observé, à l'égard d'Israël, les lois du Seigneur et les ordres qu'on lui avait *prescrits de sa part, et auxquels il s'était soumis*. — 22. *Moïse* dit ensuite à Dan : Dan est comme un jeune lion *qui cherche sa proie ;* il se répandra *de même au-delà* de Basan, et il s'étendra bien loin, *ne pouvant se tenir dans les bornes étroites de son partage*. — 23. *Moïse* dit aussi à Nephtali : Nephtali jouira en abondance de toutes ces choses ; il sera comblé des bénédictions du Seigneur ; il possédera la mer, *où le lac de Génésareth*, et *le pays qui est au* midi. — 24. Il dit ensuite à Aser : Qu'Aser soit béni entre tous les enfants *d'Israël ;* qu'il soit agréable à ses frères, et qu'il trempe son pied dans l'huile. *C'est l'avantage que lui procurera son riche et fertile pays*. — 25. Sa chaussure sera de fer et d'airain, les jours de ta vieillesse, *ô Aser !* seront comme ceux de ta jeunesse, *pleins de santé, de force et de vigueur. Il n'en faut pas être surpris ;* — 26. il n'y a point d'autre Dieu qui soit comme le Dieu du *peuple d'Israël, ni qui puisse, comme lui, combler de biens ceux qui ont le cœur* droit. *En effet*, votre protecteur, *ô Jacob !* est celui qui monte au plus haut des cieux. C'est par sa haute puissance qu'il règle le cours des nuées. — 27. Sa demeure est au plus haut des cieux, et au-dessous il fait sentir les effets de son bras éternel. Il fera fuir devant vous vos ennemis, et il leur dira : Soyez réduits en poudre. — 28. *Ainsi, sous sa protection puissante*, Israël habitera *sur la terre*, dans une pleine assurance, et il y habitera seul. L'œil de Jacob *verra* sa terre *pleine* de blé et de vin ; et l'air sera obscurci par l'eau *de la pluie* et de la rosée, *qui tombera sur les terres pour les rendre fécondes*. — 29. Tu es heureux, ô Israël ! Qui est semblable à toi, ô Jacob ! ô peuple qui trouves ton salut dans le Seigneur ! Il te sert de bouclier pour te défendre, et d'épée pour te procurer une glorieuse victoire. Tes ennemis refuseront de te reconnaître : mais *tu te les assujétiras, et* tu leur mettras le pied sur le cou.

Vers. 1. — Hæc est benedictio, qua benedixit Moyses homo Dei filiis Israël. *Homo Dei*, id est, amicus, propheta, legislator, doctor et princeps Dei. Vide dicta 1 Timoth. 6, 11.

Vers. 2. — Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis : apparuit de monte Pharan. Judæi aliqui sic exponunt, q. d. : Deus primò præsentavit legem suam Idumæis, qui habitabant in Seir, et erant de semine Isaac ; verùm cùm Deus pronuntiaret Decalogum, et pervenisset ad quintum præceptum : *Non occides*, dixerunt Idumæi : Nolumus istam legem, quia patri nostro dictum fuit : *Vives in gladio*, Genes. 27, 39. Deinde ivit Deus ad Ismaelitas, posteros Abrahæ, habitantes in Pharan ; cùmque eis legeret præceptum sextum : *Non mœchaberis*, recusârunt et illi, dicentes, quòd patri suo dictum esset, eum valdè debere multiplicari, Genes. 21, 13. Unde tandem Deus venit ad Judæos in Sinâ, eisque Decalogum proposuit, qui eum avidè acceperunt ; hocque esse quod hic dicitur : *De Seir ortus est nobis ;* quis non rideat nugones et fabulones istos ?

Sensus ergo est, q. d. : Dominus de Sinâ venit ad nos, dùm inde nobis legem dedit et promulgavit, Exodi 19 et 20. Secundò, in monte Seir, quasi sol quidam nobis exortus est, cùm multis morsu ignitorum serpentum vulneratis, serpentem æneum erigi jussit, quem qui aspicerent, sanarentur, Num. 21. Hoc enim contigisse eo tempore, quo Hebræi circumierunt montem Seir, sive Idumæam, colligitur Deut. 1, v. 49, et c. 2, v. 28. Tertiò, in monte Pharan apparuit nobis, dando coturnices, et judices 70 constituendo, Num. 11. Hùc allusit Habacuc c. 3, v. 3, dùm ait : *Deus ab Austro* (ab Idumæâ, quæ Judææ est australis) *veniet, et Sanctus de monte Pharan*, q. d. : Filius Dei, qui in monte Pharan et Seir Judæis apparuit, nec postea visus est, sed ibi quasi delituit, ad nos veniet manifestus, dùm carnem nostram assumet.

Ubi notà. Sina, in quo data est lex vetus, fuit typus Sionis, in quâ promulgata fuit lex nova in Pentecoste; in Seir serpens æneus fuit typus crucis Christi: Pharan, ubi 70 judices impleti sunt spiritu Dei, fuit typus missionis Spiritûs sancti in Apostolos, et septuaginta discipulos Christi. Imò S. Augustinus hæc propheticè ad litteram de Christo intelligit. Sina enim inquit, hebr. idem est quòd tentatio (si videlicet per metathesin à radice *nasa*, id est, tentavit, derivetur). Venit ergo Dominus, puta Christus, ex Sinâ, id est, ex tentatione passionis et mortis. Secundò Seir, id est, pilosus, significat peccatorem. Christus ergo illuxit ex Seir, quia sedentibus in tenebris et umbrâ mortis lux orta est per Christum, vel ex Seir, id est, ex gentibus peccatricibus; in his enim claruit prædicatio et gratia Christi. Tertiò, festinavit Christus ex monte Pharan, id est, fructifero, hoc est Ecclesiâ, cum multis millibus sanctorum, qui per Christum sanctificati sunt, cum quibus venit, id est, veniet, Christus ad Israelitas in fine mundi colligendos et convertendos. Verùm hic sensus potiùs allegoricus est, quàm litteralis.

Et cum eo sanctorum millia, puta millia angelorum, qui Deo semper adstant et ministrant, Daniel 7, 10. Rabbini per *sanctos* accipiunt prophetas, et doctores qui condiderunt Thalmud, eò quòd hi suum Thalmud, illi suas prophetias, tum à Domino acceperint; omnes enim ipsorum animas jam tum extitisse et fuisse cum Deo in Sinâ. Ita fabulones isti suis fabulonibus per suas fabellas applaudunt.

In dextera ejus ignea lex. Dicitur Deus in Sinâ dexterâ suâ quasi portâsse et tradidisse legem igneam, quia eam dedit cum ignibus et fulgetris intermicantibus, idque ad terrorem Hebræorum, Exodi 19, 18. Porrò Cajetanus hæc ita explicat, ut non Deus ipse legem portet, sed ad majorem pompam portaretur à ministris, puta ab angelis, propè dexteram ejus, liber legis et ignis, ut per hoc significaretur Deum per legem judicaturum et per ignem puniturum legis violatores. Unde et pro *Dominus*, hebr. est *Elohim*, id est, judex.

Allegor. hæc lex ignea significabat legem novam, quæ est amoris, de quâ Christus: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Lucæ 12, v. 49. Hinc tropologicè S. Gregorius homil. 30 in Evangel.: « Dextera, inquit, Dei appellantur electi; in « dexterâ ergo Dei est ignea lex, quia electi « mandata cœlestia nequaquàm frigido corde « audiunt, sed ad hæc amoris intimi facibus « inardescunt. »

Vers. 3. — Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt: *populos*, id est, tribus duodecim Israel: hæ enim vocantur populi et gentes, Gen. 48, 19, q. d.: Ideò Deus dedit legem suam vobis qui estis populus Dei, quia vos diligit; hinc etiam omnes sancti, id est, ejus cultui dicati, quales estis vos, in manu, id est, potestate et gubernatione Dei sunt.

Et qui appropinquant (hebr. est *tuccu*) id est, qui medii facti sunt, vel inserti sunt (*toch* enim significat medium) pedibus ejus, id est, qui discipuli ejus sunt, qui eum audiunt, ejusque pedes et vestigia sequuntur. Discipulorum enim est sedere ad pedes, vel inter pedes magistri. Sic Paulus Actor. 22, 3, ait, se educatum ad pedes Gamalielis; hi accipient de doctrina ejus, scilicet Dei.

Vers. 4. — Legem præcepit nobis Moyses. Loquitur Moses de se in tertiâ personâ, quasi de alio, ut se ostendat, velut unum de populo, obligatum esse hâc suâ, imò Dei lege, uti boni et humani legislatores facere solent.

Hæreditatem multitudinis Jacob. Est appositio; legem enim vocat hæreditatem, quia æquè ut hæreditas transmittenda erat ad posteros; vel quia hæreditas terræ sanctæ data erat Hebræis sub hâc conditione, si servarent legem Dei; vel denique, quia eis ita chara esse debeat, uti chara est hæreditas.

Vers. 5. — Erit apud rectissimum rex, q. d.: Apud Israelem, quamdiù rectus et probus permanebit, rex erit lex Dei; vel potiùs Deus regens eos per legem, sine alio rege, idque congregatis principibus populi cum tribubus Israel, id est, quamdiù principes cum populo unanimes erunt, et conspirabunt, viventque secundùm legem Dei. Ita Abulens., Cajetan. et alii. Hinc à rectitudine hâc desciscentibus Judæis, et petentibus regem, non Deum, sed hominem, queritur Deus apud Samuelem, aitque: *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*, 1 Reg. 8, 7. Alii putant, hîc esse prophetiam de rege Saüle, et post eum Davide creando; sed huic expositioni non consonat vox *rectissimi*. Alii ad Mosen hæc referunt, quòd ipse fuerit quasi rex Hebræorum: sed repugnat vox *erit*, jam enim transierat ducatus Mosis, eratque ipse in limine mortis.

Vers. 6. — Vivat Ruben, et non moriatur, et sit parvus in numero, q. d.: Non moriatur penitùs, neque deficiat unquàm posteritas et tribus Ruben, videlicet ob peccatum incestûs

quod ipse in patrem admisit; ob hoc enim exscindi et deleri merebatur. Verùm in gratiam patris, avi et abavi, mitigavit hanc pœnam Deus, effecitque, ut parva tantùm esset in numero; illud idem prædixit Jacob pater Ruben, Genes. 49, v. 4: *Effusus es,* inquit, *sicut aqua* (per libidinem et incestum), *non crescas.* Nota hîc congrua et justa pœna libidinis, et præsertim incestûs : est imminutio, imò extinctio familiæ. E contrario Ephraim, qui Ruben hâc parte in primogeniturâ successit, valdè multiplicatus est, ut patet Genes. 48, 19.

Nota. Moses jam moriturus hîc morem patriarcharum imitatur, atque populo suo, cujus dux et quasi pater fuerat, benedicit, et prophetice statum cujusque tribûs futurum prænuntiat. Omittit autem Simeonem, secundogenitum Jacobi filium; nam quòd Septuag. ejus nomen hîc interjiciunt, vertuntque, *et sit Simeon multus in numero,* omninò verisimile est, Simeonis nomen vitiosè hîc irrepsisse, nam illud non habent Hebr., Chald. et noster; imò nec S. Ambros., Procop., Apollinar., Diodor., Epiphan. et Theodor., qui sequi solent Septuag.; unde nomen Simeonis hîc omittitur in editione romanâ Septuag. quam edidit Caraffa. Porrò, quòd Septuag. vertunt, *sit multus in numero,* cùm noster contrariè vertat, *sit parvus in numero,* inde accidit, quòd hebræa habeant: *Et sit virorum ejus numerus,* quod Septuag. sic acceperunt, q. d. : Sit ingens eorum numerus; cùm noster contrarium, scilicet, *parvus,* intellexerit, nimirùm secutus hebræam phrasin, quâ *viri numeri,* vocantur viri pauci. Chald. anagogicè ita vertit : *Vivat Ruben in vitâ æternâ, et non moriatur morte secundâ, et accipiant filii ejus hæreditatem suam juxta numerum eorum.* Causa verò, cur Moses omiserit Simeonem, est, quòd hæc tribus paulò ante fornicatione et idololatriâ Beelphegor contaminata, ideòque valdè à Deo punita et accisa fuisset, idque in aliorum exemplum, uti dixi Num. 26, 12. Ita Abulensis, Perer. et alii. Aliam causam dat Theodoretus quæst. ult., videlicet, quòd Simeon auctor fuisset insidiarum, quas fratres struxerunt Joseph, quâ de causâ Simeonem præ aliis fratribus Joseph vinctum detinuit, Genes. 42, 25. Sed eodem argumento, nec Ruben benedici debuisset, ob incestum ab eo admissum.

Vers. 7. — Hæc est Judæ benedictio : Audi, Domine, vocem Judæ, id est, ut Chald. : *Suscipe, Domine, orationem Judæ, cùm egressus fuerit ad bellum, et ad populum suum introduc eum,* id est, robur contra hostes illi da, ut suam terræ sanctæ partem et sortem victor obtineat. Minùs ergo rectè exponit Lyran. sic, q. d. : Introduc Judam post mortem in limbum, ut ibi jungatur patribus suis et populo suo; sequitur prophetia de Judâ.

Manus ejus pugnabunt pro eo, q. d. : Judas pugnabit pro populo Israel, ut dux belli et princeps tribuum; id ita factum esse, patet Judic. 1, vers. 2. Hâc de causâ Moses præponit hîc Judam Levi, qui tamen Judâ erat senior. Ita Abul.

Et adjutor illius contra adversarios ejus erit, scilicet *Deus,* ut patet ex Chald. et Sept., qui vertunt, *eris,* scilicet, *Domine;* hunc enim initio versûs compellavit Moses, dicens : *Audi, Domine,* etc.

Vers. 8. — Levi quoque ait : Perfectio tua, et doctrina tua viro sancto tuo, scilicet competit et debetur; hebraicè est : *Tummim tui sunt, tui sunt urim, viri* videlicet *pii tui,* puta Aaronis, quem probasti in tentatione (qui locus hebraicè dicitur *massa,* Exodi 17, v. 7), et judicasti ad aquas contradictionis, Numer. 20, q. d. : Tuæ sunt, ô Levi, tibique datæ sunt vestes sacerdotales, ac consequenter ipsum sacerdotium ; vestes, inquam, ephod et rationale, quibus inscriptum est *urim* et *tummim,* id est, illuminatio, sive doctrina et integritas, sive perfectio vitæ, quibus fulgere, populoque prælucere debet sacerdos, de quibus dixi Exodi 28, 30, unde Chald. clarè vertit : *urim* et *tummim,* id est, perfectione et doctrinâ, *induisti virum, qui inventus est sanctus coram te.* Porrò, hæc Levi data sunt, quia data sunt Aaroni, prognato ex tribu Levi, qui fuit vir pius et sanctus, nisi quòd peccârit, cùm eum, ô Domine, probâsti et judicâsti, id est, condemnâsti, ne ingrederetur terram promissionis; id factum est ad aquas contradictionis. Num. 20, 12. Aliter hæc explicat Abulensis, q. d. : Tu, Domine, perfectionem vitæ, et integritatem legis ac doctrinæ dedisti viro sancto, id est, Mosi, qui fuit oriundus ex Levi, ut eamdem populo, sed maximè Levitis suis communicaret. Verùm ex hebræo patet priorem sensum esse genuinum.

Vers. 9. — Qui dixit patri suo, et matri suæ : Nescio vos, et fratribus suis : Ignoro vos; et nescierunt filios suos, q. d. : Levi, id est, Levitæ in punitione idololatrarum, puta adorantium vitulum aureum, Exodi 32, v. 28, non sunt miserti amicorum et cognatorum, ac fratrum et filiorum suorum, sed occiderunt

eos, æquè ac alios, perinde ac si eos non novissent, imò non vidissent, vel aspexissent, ut habent hebræa.

Putat Abulensis, τὸ *patri et matri*, hic addi per exaggerationem; nec enim ullum Levitam, occidisse patrem, vel matrem, eò quòd nullo casu aut crimine, liceat filio occidere patrem vel matrem, utpote auctores vitæ suæ, nisi Deus expressè hoc mandet; fratres autem saltem ex altero parente genitos, item filios suos occidisse; nam ob crimen idololatriæ licebat occidere filios, ut patet cap. 13, v. 6 et 10.

Verùm æquè, imò magis et primò, dicitur hic de patre et matre, quàm de fratribus et filiis, quòd eos in cæde illâ idololatrarum non respexerint Levitæ, nec miserti sint eorum, ut vertit Chaldeus, unde videntur ipsi sine discrimine omnes noxios, etiam patrem et matrem occidisse; hoc enim jussu Dei mandaverat eis Moses, Exodi 32, 27; licet enim ibi non exprimatur pater et mater, sed tantùm frater, amicus et proximus, tamen ex hoc loco satis colligitur, Mosen nominâsse etiam patrem et matrem; aut certè Levitas mandatum Dei de occidendis vituli cultoribus, rectè ex zelo suo ita interpretatos esse, ut etiam patrem et matrem complecteretur.

Hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt, puta pactum cum Deo initum Exodi 24, v. 8.

Vers. 10. — Judicia tua, ô Jacob! et legem tuam, ô Israel! Heb. est: *Hi docebunt judicia tua Jacobum, et legem tuam Israelem.* Noster Interpres non legit in hebræo τὸ *ioru*, id est, docebunt, et fortè hoc irrepsit, ut pro *iintsoru*, id est, *servaverunt*, quod præcessit, aliqua exemplaria per *keri uketif*, ad marginem legerint *ioru*, quod postea ad *iintsoru* in textu sit additum, nam sine *iora* sensus consistit. Est enim appositio, q. d.: Levitæ servaverunt pactum tuum, quod non est aliud quàm judicia, id est, præcepta et leges tuæ. Posset secundò, retinendo τὸ *ioru*, noster cum hebræo rectè conciliari, si *ioru*, esto sit futurum, pro præterito accipias, uti accepit Vatabl. et alii; præcesserunt enim præterita; tunc enim sensus erit: Levitæ docuerunt judicia tua, ô Domine, Jacobum, videlicet hoc ipso, quo servaverunt pactum tecum initum, et pacti hujus violatores ulti sunt; tunc enim ipso facto ostenderunt et docuerunt, quàm rigidè judicia, id est, leges tuæ servandæ sint.

Ponent thymiama in furore tuo (heb. est *beappecha*, quod secundò verti potest, *in naribus tuis*), et holocaustum super altare tuum. Vatabl. rursùm pro *ponent*, vertit *posuerunt*. Sensus enim est: Ob hunc Levitarum zelum, tu, Domine, eos in sacerdotes delegisti, qui scilicet tibi obtulerunt, offerunt, offerentque deinceps semper thymiama et holocausta.

Vide hic quanti Deus faciat, quàmque præmiet zelum et zelosos. Est enim ipse *zelotes et ignis consumens.* « Angeli quoque, inquit S. « Ambr. in psal. 118, sine zelo nihil sunt, et « substantiæ suæ amittunt prærogativam, nisi « eam zeli ardore sustentent. » Denique angelo Laodiceæ dicitur Apoc. 3, 15: *Scio opera tua; quia tepidus es, et nec frigidus es, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Zelum habere debet sacerdos, qui incorruptam servare studet Ecclesiæ castitatem. Zelus, Dei vita est. Zelum habuit Elias; et ideò raptus ad cœlum est: *Zelans*, inquit, *zelavi Dominum.* Zelum habuit Mathathias, et ideò adeptus est gloriam et imperium gentis suæ. Zelum habuit Moses percutiens Ægyptium opprimentem Hebræum, et rectè: *Zelus enim purgat facinus.* Ex zelo clamat rex David psal. 118, 139: *Tabescere me fecit zelus meus; quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Et Jerem. 9, 1: *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum?* Christus ex zelo videns civitatem Jerusalem, flevit super eam. Paulus: *Æmulor*, inquit, *vos Dei æmulatione*, etc: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* Zelum S. Stephani vide Actor. 6 et 7. Zelabat sponsa in Cant.: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo;* et sponsus: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum; quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Lampades ejus lampades ignis atque flammarum.* Zelum Moses præcepit Levitis, dicens Exod. 32, 26: *Si quis est Domini, jungatur mihi, et occidat unusquisque fratrem et amicum suum;* et Christus nobis: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat?* et: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios*, etc., *adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.*

Zelus hic necessarius est prælato; hinc Deus in Ecclesiâ veteri, præfecit Mosen; in novâ, Petrum et Paulum, ob zelum. In republicâ veteri regem constituit Davidem, dicentem psal. 68, 10: *Zelus domûs tuæ comedit me;* in novâ Constantinos, Theodosios, Carolos, Bullonios, zelo fidei ardentes. Zelus S. Antonii compescuit Arianos, Aphraatis Valentem imperato-

rem. Historiam vide apud Theod. lib. 4 Hist. c. 24. De zelo S. Francisci vide Bonav. in ejus Vitâ lib. 1, c. 9. Hunc zelum maximè acuit cogitatio æternitatis. Quis enim contra peccata non zelet, si cogitet illud : *Momentum quod delectat, æternum quod cruciat?* quis pro felici æternitate sibi aliisque assecurandâ, labores omnes, dura omnia non ambiat? Hoc cogitent, hoc faciant prælati et sacerdotes, quos decet esse satores æternitatis.

Vers. 11. — Benedic, Domine, fortitudini ejus. Prophetia est per modum orationis de Machabæis, prognatis ex Levi, unde Hebræa sic vertas : *Benedic, Domine, exercitui ejus, et accepta sint tibi opera manuum ejus,* bella videlicet, quæ contra hostes tuos gesturus est Levi, per Machabæos. Ita Abul.

Nota. *Fortitudo* hic vocatur primò, fortis et invictus animus, quo Levitæ propter Deum truncârunt affectum erga parentes et fratres. Secundò, fortis et strenua vindicta, quam exercuerunt in adorantes vitulum aureum. Tertiò, fortitudo bellica, quam contra Antiochum et alios hostes Machabæi ostensuri erant; hanc enim significat hebræum *chail ;* inde enim milites et viri strenui vocantur *anse chail.*

Vers. 12. — Et Benjamin ait. Post Levi benedicit Benjamin, quia in ejus sorte ædificandum erat templum, in quo sacerdotes et Levitæ erant posituri thymiama et holocausta.

Amantissimus Domini. Quia sicut Jacob dilexit suum Benjamin, ita et Deus, unde primò sceptrum et potestatem regiam illi in Saüle (hic enim fuit ex tribu Benjamin) tribuit. Secundò, in sorte Benjamin, puta in Jerusalem, ædificari voluit templum.

Mysticè hæc omnia competunt S. Paulo, qui fuit ex tribu Benjamin. Ita Raban., Rupertus et S. Ambros. lib. de Benedict. Patriarch. c. ult.

Habitabit confidenter in eo, Deo suo scilicet, q. d. : Benjamin in suâ sorte habitabit sine timore, quia habebit Deum secum in templo et habitaculo suo, in eoque securè conquiescet, et quasi habitabit. Causam subdit, quia scilicet Deus est in Benjamin, puta in templo suo.

Quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet. Est hebraismus, *inter humeros,* id est, in medio tribûs Benjamin ; nam quod est inter humeros, est in medio. Secundò per humeros alludit ad situm templi, quod erat in sublimi parte montis Moria, non tamen in ejus vertice, sed, ut placet Hebræis, 24 cubitis infra ejus apicem, uti humeri sunt infra caput, et supra reliquum corpus. Ita Perer. in Gen. 49, 27. Vatabl. hæc vertit optativè sic : *Sit integens eum totâ die, et inter humeros ejus habitet,* q. d. : *Utinam Dominus habitet in medio Benjamin, et protegat eum omni tempore!* Atque hâc de causâ tribus Benjamin fuit robustissima, utpote à Deo suo adjuta et roborata, ut patet Judic. 20, 16. Cajetan. hæc refert ad Benjamin, q. d. : Ipse Benjamin requiescat inter humeros Dei, imò in ipso Deo, quasi in thalamo suo. Sed prior sensus est convenientior, ut non Benjamin, sed Deus hic intelligatur, quasi verbi suppositum, illudque exigunt hebræa.

Vers. 13. — Joseph quoque ait. Joseph erat frater senior Benjamino ; hic duas habuit proles et tribus, scilicet Ephraim et Manasse, quibus nomine patris sui Joseph, hîc benedicit Moses.

De (id est, *in*) benedictione Domini terra ejus, q. d. : Benedicta à Domino erit terra Joseph, patet ex hebræo.

De pomis cœli, id est, in pomis, quæ cœli, solis et lunæ influxu nascuntur, erit benedicta terra Joseph, copiamque habebit pomorum, roris et frugum ; præpositio enim *de,* hîc et in seqq., capitur pro *in;* sic enim Hebræi sæpè *beth* præpositionem, cum *in* commutant.

Atque abysso subjacente, q. d.: Terra Joseph, scilicet quam occupabunt Ephraim et Manasse, erit benedicta ob fontes, è terrâ infernè jugiter scaturientes, instar abyssi; sicut supernè benedicta erit ex cœli, solis, lunæ et siderum influentiâ.

Vers. 15.—De vertice antiquorum montium, q. d. : Quæ poma nascentur in vertice montium priscorum, sive cacuminum æternorum, id est, qui fuerunt ab initio mundi ; hoc enim est quod rhythmicè explicans subdit : *De pomis collium æternorum.* Innuit Moses, hos colles ab initio mundi fuisse fertiles et pomiferos. Hasce benedictiones dedit et Jacob pater Josepho, Gen. 49, 26.

Vers. 16. — Benedictio illius (Dei) qui apparuit (Mosi, Exodi 3, 2) in rubo, veniat super caput Joseph, et super verticem nazaræi inter fratres suos. Nominatur hic Deus apparens in rubo, quia sicut Deus in rubo apparuit soli Mosi, in loco deserto, eumque ducem populi constituit, ita Ahias propheta solum Jeroboam (qui erat ex Ephraim et Joseph) allocutus est, eique regnum decem tribuum prædixit, et quasi consignavit, 3 Reg. 11, 29.

Benedictio ergo Dei, qui Mosi apparuit in rubo, manifestandi per Abiam prophetam, et ventura super caput et verticem Joseph, fuit corona regia; unde Septuag. vertunt, *qui super verticem glorificatus est in fratribus.* Idem innuunt hebræa, et noster, dùm explicando subdunt : *Et super verticem nazaræi inter fratres suos;* meritum enim Joseph, quo tribui suæ meruit hanc coronam, insinuatur, cùm ipse vocatur nazaræus inter fratres suos; eò enim quòd Joseph à fratribus fuit venditus et separatus, meruit inter eos principatum et regnum in posteris suis. Ita Cajetanus.

Nota. Joseph fuit nazaræus, id est, separatus, primò, quia sanctus erat inter fratres; secundò, quia venditus fuit in Ægyptum, separatus, claususque in diuturno carcere; tertiò, quia in carcere mansit intonsus, comamque ut nazaræus aluit, quæ postea, cùm ex eo eductus est, ei attonsa fuit, Genes. 41 14; ita Rupertus; quartò, quia ob hæc separatus et exaltatus fuit ad principatum in Ægypto apud Pharaonem; quintò, quia ob hæc eadem separandus et evehendus erat in posteris suis ad coronam regiam; sextò, quia hæc corona ei obtigit, quando Israel, id est, decem tribus separârunt se à domo David, et à duabus tribubus, puta, Juda et Benjamin, constituendo sibi pro Roboam, proprium regem Jeroboam, qui erat de tribu Joseph. Ita Cajet.

Vers 17. — Quasi primogeniti tauri (Hebr. *schor,* Chald. *tor,* unde græcum et latinum taurus) pulchritudo ejus, quia videlicet Joseph ob pulchritudinem, ab herâ suâ velut lasciviente vaccâ, ceu taurus juvenculus, formosus, et inter cæteros egregius, ad stuprum appetitus est; quia verò ipse ejus libidini fortiter restitit, hinc de eo subditur : Cornua rhinocerotis cornua illius, inquit Rupert. Secundò, et aptiùs, q. d. : Sicut primogenitus tauri vitulus, est pulcher, torosus, robusto et magno corpore, quia robur est patris, in quo scilicet gignendo et formando taurus primam omnemque suam vim exseruit ita et tribus Joseph, puta Ephraim, erit fortissima, habebitque bellicas acies et cornua ita valida, uti sunt cornua rhinocerotis, quibus ventilabit, id est, exagitabit, profligabit, et quasi in ventum disperget, gentes hostiles, usque ad terminos terræ; scilicet suæ, et sibi vicinæ, puta Palæstinæ et Syriæ; est hyperbole.

Nota. Primò Josephum comparat tauro, primò, quia ipse ob agriculturam servatam, et benè provisam, colendus erat in Ægypto; et illius sepulcrum exornandum erat simulacro bovis, qui agriculturæ est symbolum; vide dicta Gen. 41, in fine. Secundò, quia posteri ejus reges futuri, alios superaturi erant robore et magnitudine, sicuti taurus præcellit armentum. Sic Homerus Agamemnonem comparat tauro; est enim taurus symbolum regis, ut docet Diogenes Orat. 2 apud Dionem.

Nota secundò. Dicit *cornua,* non cornu *rhinocerotis,* quia rhinoceros, præter unum cornu aduncum, quod habet in naribus, aliud habet cornu parvum supra nasum, sed validissimum, uti ex Pausaniâ, Eucherio, Pierio, et Lucitanorum experientia docet Raderus noster in lib. Martial. de Spect. epigr. 22. Hinc hebr. vocatur *reem,* à radice *raam,* id est, exaltavit, eò quòd cornu in altum tollat, vel motu ad feriendum, vel potiùs quòd fortitudine et robore, cornu suum super omnium animalium cornua exaltet, hoc est validius potentiusque esse demonstret. Quocirca Psaltes ps. 91, 11 : *Exaltabitur,* ait, *sicut unicornis* (hebr. *recm,* quod alii vertunt, *naricornis* vel *rhinoceros*) *cornu meum,* q. d. : Sicut reliquorum animalium cornua robore, pulchritudine ac soliditate, à cornu rhinocerotis superantur, ita super omnium regum et gentium vires et regna, meum regnum et dominatus exaltabitur et crescet. Ita Vilalpando in Ezech. c. 27, p. 21.

Alleg. Joseph nazaræus, et à fratribus venditus, significat Christum nazaræum à Judâ et Judæis suis venumdatum, et Pilato mortique traditum. Pulchritudo ejus est ut tauri; quia Christus aliis mansuetus est ut salvator; aliis sævus ut judex, instar tauri. Cornua ejus, sunt cornua crucis; quâ cruce, ipse nunc per fidem ventilat omnes gentes, eas sibi subjiciens, credentesque et sanctos à terrâ in cœlum transferens, et in fine mundi incredulos omnes et reprobos ventilabit per judicium et sententiam condemnationis dispergens, et deturbans eos de terrâ in infernum. Ita Tertul. lib. contra Judæos c. 10; Ambr. lib. de Benedict. Patriarch. c. 11; August. q. 56; Raban. hic, et Justinus contra Tryphon. pag. 70, ubi docet monocerotis (sic enim ipse legit cum Septuag. qui passim pro rhinocerote vertunt, *monocerotem,* id est, unicornem) cornua gerere typum et similitudinem crucis. Vide dicta Numer. 23, 22. Audi Tertull., cùm enim citâsset hunc Deuter. locum, subdit : « Non utique rhinoce-« ros destinabatur unicornis, nec minotaurus « bicornis, sed Christus in illâ significabatur

« taurus, ob utramque dispositionem, aliis fe-
« rus ut judex, aliis mansuetus ut salvator,
« cujus cornua essent crucis extima. Nam et
« in antennâ navis, quæ crucis pars est, ex-
« tremitates cornua vocantur; unicornis au-
« tem medii stipitis palus. Hâc denique virtute
« crucis, et hoc more cornutus universas gen-
« tes, et nunc ventilat per fidem, auferens à
« terrâ in cœlum, et tunc ventilabit per judi-
« cium, dejiciens de cœlo in terram.

Vers. 18. — Et Zabulon ait: Lætare, Zabulon, in exitu tuo, puta in portubus, navigationibus et profectionibus ad negotiationes tuas. Habitabant enim Zabulonitæ in littore maris Mediterranei. Vide dicta Gen. 49, 13.

Et Issachar, in tabernaculis tuis, quia Issachariani, non mercimoniis, sed agriculturæ domi suæ quietè erant vacaturi.

Vers. 19. — Populos vocabunt ad montem, q. d.: Issachar et Zabulon tum verbo (erant enim ex eis doctores), tum exemplo suo, invitabunt alias tribus ad templum in monte Sion, ut in eo piè et religiosè Deum adorent et colant, ibique sacrificabunt victimas justitiæ, id est, legitima et justa, quæ lege Dei præscripta sunt. Secundò, *justitiæ*, id est, ex opibus non iniquè, sed justè partis, ait Cajetan., quia, ut sequitur, inundationem maris quasi lac sugent, q. d.: Quia merces et opes quaslibet, per undas maris navibus importatas accipient, et thesauros absconditos arenarum, puta gemmas, aurum et metalla, quæ è terrâ eruuntur (hæc enim arenis immiscentur et occultantur, quasi thesauri), per mare advecta accipient. Septuag. vertunt: *Divitiæ maris lactabunt te, et emporia maritimam habitantium*; vel, ut Theodor. legit: *Divitias maris sugent; et mercaturam habitantium juxta mare;* Onkelos: *Facultatem populorum comedent, et thesauri, qui absconditi sunt in arenâ, revelabuntur eis.*

Allegor. meliùs, inquit Rupert., et prophetico spiritu digniùs, hæc ad doctrinam Christi et ad Apostolos referemus. Nam in terrâ Zabulon et Nephthali præcipuè versatus est et docuit Christus, unde et in Nazareth conceptus est, et in Thabor transfiguratus; Nazareth enim et Thabor sunt in Zabulon; ibi et Apostolos collegit, qui populos vocârunt ad montem, id est, ad Ecclesiam. Hi inundationem maris suxerunt, id est, multitudinem gentium dulci prædicatione in unam fidem, quasi in suum, id est, Christi, corpus trajecerunt; suxerunt et thesauros absconditos arenarum, quia suaviter biberunt profunda Scripturarum arcana legis et Prophetarum. Rursùm, ad litteram, Ecclesia suxit lac gentium, et mamillâ regum lactata est, atque accepit pro ære aurum, pro ferro argentum, pro lignis et lapidibus ferrum; cùm ex donatione regum et principum opes eas adepta est, quas prædixit Isaias c. 49, 23, et c. 60, v. 6; hinc Zabulon hebr. idem est quod *habitaculum fortitudinis;* Issachar, idem quod, *est merces*, q. d.: Lætamini, ô Zabulon et Issachar, id est, ô Apostoli Christi, quia vobis fortiter omnia relinquentibus, fortiterque evangelizantibus, et adversa quævis propter justitiam sustinentibus, temporalia bona non deerunt; et insuper copiosa merces in cœlis vobis reponetur; ergo in illo exitu vestro, in illis cœlestibus habitaculis et præmiis vestris lætamini et exultate.

Vers. 20. — Et Gad ait: Benedictus in latitudine Gad. Hebr. est, *dilatabit se Gad*, id est, latam et amplam sortem et possessionem in Chanaan obtinebit, uti patet Josue 13, 24.

Quasi leo requievit, cepitque brachium et verticem, q. d.: Tribus Gad erit impavida et fortissima ut leo, qui simul rapit caput et humeros, id est, qui uno quasi ictu ex suâ prædâ, puta ex animali quod venatus est, abscindit vel abrumpit caput et humeros.

Vers. 21. — Et vidit principatum suum. Hebr., *et vidit principium suum*, id est, ut Chald., *suscipiet in principio partem suam.* Principium enim sortis et possessionis Hebræorum fuit terra Og et Sehon, quam posseserunt Gaditæ, antequàm aliæ tribus transirent Jordanem, et in Chanaan suam sortem obtinerent, q. d.: Tribus Gad prima sibi sortem et ditionem elegit, eamque jam ante alias tribus possidet, in terrâ regum Amorrhæorum, Og et Sehon.

Et vidit (id est, mox videbit et cognoscet) quòd in parte (id est, sorte) sua repositus sit doctor, id est, sepultus sit Moses legislator; ita Chald.; nam juxta montem Nebo, cis Jordanem, sepultus est Moses. Licet enim Nebo, et sepulcrum Mosis propriè fuerit in tribu Ruben, tamen, quia erat trans Jordanem, in quâ regione eminebant et quasi dominabantur Gaditæ, hinc hoc eis attribuit Scriptura. Innuit Moses, Gaditas petiisse hanc sortem, non tantùm ob pascua suorum gregum, sed etiam quia sciebant in eâ sepeliendum esse Mosen,

suum ducem et legislatorem. Sciebant enim Mosen à Deo prohibitum esse transitu Jordanis ac proinde moriturum cis Jordanem, in ipsorum sorte. Aliter vertit Vatabl. scilicet, *vidit ibi* (in sorte suâ) *partem legislatoris laqueati*, id est, palatia laqueata et splendida principum; verùm hoc novum et obscurum est.

Qui fuit cum principibus populi, id est, cum principibus novem tribuum, cùm scilicet in transitu Jordanis Gaditæ præcesserunt cæteras tribus in acie, ad expugnandum Chananæos, sicuti jusserat Moses, ipsique ei promiserant; itaque Gad fecit justitias Domini, et judicium suum cum Israel, id est, fecit Gad id quod ex pacto et officio suo erga Deum, et erga contribules suos Israelitas facere debuit; ita Vatabl.

Vers. 22. — Dan quoque ait : Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan. Pro *fluet largiter*, hebr. est verbum *zanac*, quod hic tantùm reperitur, pro quo Septuag., Vatab., Cajetan. et alii vertunt, *saltabit*, sicque explicant, q. d. : Dan instar catuli leonis fortissimi et rapacissimi, quales solebant esse in Basan, prosiliet, irruetque in hostes, ut sit prophetia de Samsone, qui fuit Danita et fortissimè insiliit in Philistæos. Rursùm de Danitis subitò irruentibus in Lais, Judic. 18, v. 7 et 27.

Verùm subtiliùs noster interpres cum Chald. intellexit, hic duas benedictiones dari tribui Dan, scilicet primò, quòd esset bellicosa, ut catulus leonis, in Samsone, et aliis jam dictis; secundò, quòd in Dan esset origo Jordanis, fluvii celeberrimi in Scripturâ.

Pro quo nota. Ludit Moses in voce Dan; jam enim per Dan intelligit tribum, scilicet cùm ait : *Dan catulus leonis;* mox verò per Dan accepit fontem vel fluvium tribûs Dan, scilicet cùm addit : *Fluet largiter de Basan;* posset tamen utrobique eodem modo accipi pro tribu et urbe Dan, si sic exponas : Urbs Dan largiter fluet, scilicet per suum fluvium Jordanem, quem ex se quasi emittit.

Pro quo nota secundò. Dan est rivulus, qui ex Phialâ fonte, sito in Panio, ad radices Libani, per subterraneos meatus oritur, fluitque ad civitatem, quæ inde Dan pariter est dicta (quæ postea dicta est Paneas, et Cæsarea Philippi), ibique in eum alius rivulus influit, cui nomen est Jor; unde ex confluxu tam nominum, quàm rivulorum *Jor* et *Dan*, conflatur et dicitur Jordan, sive Jordanis; vide Adrichomium in tabulis geographicis terræ sanctæ. Jam quia Dan, vel potiùs Jordan, in hoc confluxu, qui est juxta urbem Dan, cum impetu, largiter et quasi dupliciter fluere incipit, adeò ut irriget et fœcundet totam Basanitidem, quæ propè urbem incipit, hinc dicitur saltare de Basan; sic enim vulgò dicimus, fontes et flumina saltare, vel desilire, quando in copiâ et cum impetu decurrunt et feruntur in præceps. Unde pro, *saltabit*, tam noster, quàm Chald. vertunt, *largiter fluet*, q. d. : Dan rivulus ex Libano et Panio fluet in urbem Dan, ibique confluet cum *Jor* rivulo, fietque Jordan; quapropter saltabit, id est, cum impetu et largiter fluet de Basan, quia regio Basan incipit juxta urbem Dan, et protenditur per totum decursum Jordanis, usque ad rivulum Jeboc.

Paulò aliter hæc explicant Lyran. et Cajetan., scilicet, q. d. : Fluvius Dan, qui est origo Jordanis, oritur et absconditur in Panio et Phialâ; inde per subterraneos meatus erumpit et exilit in Basan; vocaturque Dan; hoc autem erumpere, vocatur hic saltare; sed errant in chorographiâ : nam fluvius Dan non erumpit in Basan, sed multò ante quàm veniat ad Basan.

Vers. 23.—Et Nephthali dixit : Nephthali abundantia (copiâ frugum et opum) perfruetur. Hebr. est, *satur erit voluntatis*, id est, habebit quidquid volet, vel, ut Oleaster, liber erit, faciet quod volet, quasi cerva emissa, ut ait Jacob Gen. 49, 11, ideòque plenus erit benedictionibus Domini. Quod maximè, inquit Cajet., cernetur in eo, quòd in Nephthali præcoces maturescent fructus, ex quibus primitiæ offerentur Deo in templo.

Mare et meridiem possidebit, q. d. : Sors Nephthali extendet se ad mare Mediterraneum, et ad plagam meridianam; ita aliqui. Verùm, quia inter sortem Nephthali et mare, interjacet tota sors Aser, et tota Phœnicia, hinc secundò et veriùs, q. d. : Nephthali extendet se ad mare, id est, ad occidentem et ad meridiem; *mare* enim significat occidentem in Scripturâ, quia mare Mediterraneum est ad occidentem Judææ; vel tertiò, q. d. : Ad Nephthalitas merces et opes advehentur ex meridie et ex mari, id est, ex occidente; eas ergo possidebit Nephthali. Nam Nephthalitæ erant contermini Phœnicibus, puta Tyriis, Sidoniis, etc., unde ab iis totius orbis merces facilè habere poterat.

Vers 24. — Aser quoque ait : benedictus in filiis Aser, q. d. : Aser multas et decoras gignet proles; unde placebit et gratiosus erit fratribus suis.

Tingat in oleo pedem suum, abundet olivetis et oleo, ita ut in eo, seu aquâ pedes lavare possit, præ abundantiâ. Similis phrasis et catachresis est v. seq. et Job 29, 6, ubi Job ait : *Lavabam pedes meos butyro.*

Vers. 25. — Ferrum et æs calceamentum ejus. Est catachresis, q. d. : Aser abundabit fodinis æris et ferri, quantùm alii abundant corio, ita ut inde calceos sibi conficere possit, si velit; cujus indicium est urbs Sarepta, quæ huic tribui data est, Josue 19, 30, quæ à metalli officinis conflatoriis nomen accepit : *tsaraph* enim conflare significat; inde dicitur *Sarepta,* quasi dicas : Fornax, vel urbs conflatoria.

Nota. Ferrum æquè ac æs priscis erat in pretio. Ita Lycurgus apud Lacedæmones pecuniam auream et argenteam sustulit, et pro eâ substituit nummos ferreos, eosque ingentes et ponderosos, ut avaritiam et furta excluderet, uti refert Plutarchus in Lycurgo. Secundò, Cajet. metonymicè per calceamentum accipit possessionem : hæc enim adiri solet calceis, calcando rem possidendam, ut patet psal. 59, 9. Tertiò, Procop. sic explicat, q. d. : Aser erit robustus, suumque robur perpetuò servabit, perinde ac si ære et ferro calceatus esset. Quartò, Masius in Josue 19, per æs et ferrum Barbarorum vires accipit, qui Aseritas presserunt, uti pedem premit calceus, præsertim ferreus; nam in Galilæâ gentium magna erat gentium barbararum copia, quarum vires frangere non potuerunt Aseritæ. Inter hos sensus, primus simplicior et planior videtur.

Tropol. S. Greg. 34 Moral. 5 : « Sub Aser « specie, ait, Ecclesia sancta designatur; calceamentum significat munimen prædicationis, « ferrum virtutem, æs perseverantiam. Ferrum ergo et æs calceamentum ejus dicitur; « cùm prædicatio ejus acumine simul, et constantiâ munitur ; per ferrum enim mala adversantia penetrat; per æs autem bona quæ « proposuit, longanimiter servat. »

Sicut dies juventutis tuæ (scilicet sunt, et erunt placidi, floridi et robusti), ita et senectus tua, erit placida, florida et robusta.

Vers. 26. — Non est Deus alius, ut Deus rectissimi, puta Israelis, qui *iescurun,* id est, rectissimus, dicitur, ob rectissimam fidem et religionem, uti dixi c. 32, 15.

Ascensor coeli, hebr., *qui cœlis inequitat;* cœli enim, totusque mundus, sunt quasi equus sessoris Dei, qui eum habenis providentiæ suæ regit et gyrat quò vult ; ergo hic mundi auriga et rector est auxiliator tuus, ut scilicet celeriter et repentè advolet, utpote cœlis et nubibus, quasi equis velocissimis inequitans; utque è cœlis pro te lapides et fulmina in hostes vibret, solem stare faciat, etc., inquit Cajet. Non est ergo, ò Israel, quòd Chananæos, quòd Philisthæos, quòd homines, quòd dæmones timeas, hos enim omnes magnus hic eques uno lanceæ ictu confodiet ; quare animos ingentes cape, pugna viriliter, certò vinces et triumphabis.

Magnificentia ejus (magnâ ejus sapientiâ et potentiâ) discurrunt nubes.

Vers. 27. — Habitaculum ejus sursum, quia Deus habitat in se, suâque æternitate, item in cœlo empyreo, ubi suam majestatem et gloriam sanctis exhibet. Hebr. est, *habitaculum Dei est antiquitas,* id est, æternitas, inquit Cajet, vel, *qui* (scilicet nubes et æther) *sunt habitaculum Dei ab antiquo.* Ita Vatab. et subter brachia sempiterna. Heb., *et subter brachia seculi,* q. d.: Sub Deo, et Dei æternitate sunt angeli vel cœli, qui quasi brachia Dei sunt sempiterna. Ita Abul.; sic et Cajet. : Æternitas, inquit, quæ est Dei habitaculum, est supra; sed subter eam sunt brachia, id est, extensiones et durationes cujusque seculi ; omne enim seculum , et omne tempus ambit æternitas, quoniam vires potentiæque cujuscumque seculi oriuntur de et sub æternitate, sive sint vires angelorum, sive corporum cœlestium, sive inferiorum. Unde secundò, ex hebræo sic vertas : *Sub brachiis ejus est seculum,* q. d. : Deus sursùm per cœlos in immensum protendit suæ potentiæ brachia, et sub hisce ejus brachiis omnis hic mundus, omne tempus, omnesque res hujus seculi continentur, diriguntur et decurrunt. Tertiò, et aptiùs, q. d. : O Israel, Deus auxiliator tuus, licet habitet sursùm, non tamen inferiora et res humanas, tuasque negligit, sed eas curat, regit et providet; quia sub cœlo habet potentiæ suæ brachia sempiterna, infatigabilia et omnipotentia, quibus mundum, omnesque res mundi complectitur, stringit, movet, dirigit, protegit et gubernat; vel, ut Vatab. : O Israel, Deus tam infernè quàm supernè te cingit, amplectitur, defendit et regit; supernè enim protegit te se suoque cœlo, sicut tugurium homines protegit ab injuriâ aeris : infernè verò quasi sub te, habet sua brachia infatigabilia, quibus te stringit, in quibus securè recubas et quiescis, uti infans stringitur brachiis matris, in eisque securè requiescit, q. d. : A vertice ad calcem, sursùm

et deorsùm, diligenter Dominus ambit Israelem et custodit.

Huc pertinet et Oleastri explicatio : O Israel, Deus fuit habitaculum tuum ab initio, imò ab æternitate prædestinationis suæ, et complectitur protegitque te, quasi quibusdam æternis et continuis brachiis.

Ascende ergo, ô anima, quæ hic cum culicibus et pulicibus, cum glebâ et luto luctaris; extende te, et ascende ad ascensorem cœli, ad Deum tuum, qui habitat in altissimis montibus æternitatis. Ibi posita despice, et vide quàm modica sint, quæ hic te suî vel cupiditate alliciunt, vel terrore percellunt; vide quàm exilia et fragilia sint omnia, quæ terræ puncto continentur; vide quàm præ Deo, præ æternitate exigua sint creata omnia, quàm vana, infirma, brevia, imò nihilum sint; unum ergo summum et immensum bonum ambi, cætera parvi æstima; Deo nixus, sublimatus, et dilatatus, pedibus tere quidquid sub sole, sub lunâ vel blandum allicit, vel terribile minatur. Æterna cogita. Dæmon obsidens camelum, adductus ad S. Hilarionem, cœpit terribiliter furere quasi eum devoraturus; cui sanctus : *Non me terres, diabole, tantâ mole corporis, et in vulpeculâ, et in camelo idem es;* mox coram eo corruit, et mansuetus planè camelus effectus est. Ita S. Hieron. in Vitâ S. Hilarionis.

Talia sunt omnia blandimenta, omnia tentamenta mundi. Quid speras? quid amas? quid times? ascensor cœli auxiliator tuus; ipse brachiis suis sempiternis te complectitur et tuetur; iisdemque hostes tuos, qui vel alliciunt te, vel territant, stringit ita arctè, ut omnes uno ictu quasi pulices occidere, imò annihilare possit. Voluptas ergo gulæ aut libidinis te sollicitat? modica est, despice, æternam cogita. Terrent te minæ, tyranni, ærumnæ, paupertas? modica sunt, despice, æterna cogita.

Ejiciet a facie tua inimicum, dicetque : Conterere. Ita legendum cum Chald., Septuag. Rom., ut scilicet in hebr. aliis punctis legamus *hissçamed*, id est, *conterere*, passivè; nam *hissçamed* est imperativus passivus niphal. Jam aliis punctis legunt activè in niphil, *hasmed*, id est, *contere*, vastato, scilicet tu, ô Israel, inimicos tuos. Jam, *dicet : Contere*, id est, faciet ut conteras. Dei enim dicere est facere. Sed prior lectio et sensus aptior est et planior.

Vers. 28. — Oculus Jacob, id est, oculus Jacobæorum, sive posterorum Jacob, subaudi videbit, fruetur et delectabitur in terra frumenti et vini.

Cœlique caligabunt rore, q. d. : Tanta erit roris, herbas et agros irrorantis et fœcundantis copia, ut aerem et cœlos obscuret, solisque aspectum adimat.

Vers. 29. — Qui salvaris in Domino, id est, per Dominum, ope Domini, qui est scutum auxilii tui, ex quo scilicet omne tibi auxilium, omnisque protectio provenit.

Et gladius gloriæ tuæ, quo scilicet tibi paratur gloriosa victoria, imperium, decus et fama.

Negabunt te inimici tui. Hebr., *mentientur tibi inimici tui*, id est, omninò subjicientur tibi hostes tui; hoc enim significat hic hebraismus psal. 80, 16, psal. 65, 3, psal. 17, 46. Hostes enim devicti et capti, ut à victore veniam et gratiam impetrent, multa mentiri solent, ac dicere, se verè, et ex animo ejus non fuisse inimicos, multaque aliàs in ejus gratiam fecisse. Ita Cajet., Vatab. et alii. Aliter Abulens.; ipse enim refert hoc ad Gabaonitas, qui metu Hebræorum perculsi, mentiti sunt eis, negantes se esse de terrâ hostium Israel; sed Josue et Israel eorum colla calcavit, quia re cognitâ, non quidem occidit eos, sed subjecit servituti. Verùm prior sensus est ex phrasi hebraeâ et Script.

CAPUT XXXIV.

1. Ascendit ergo Moyses de campestribus Moab super montem Nebo, in verticem Phasga, contra Jericho, ostenditque ei Dominus omnem terram Galaad usque Dan, — 2. et universum Nephthali, terramque Ephraïm et Manasse, et omnem terram Juda usque ad mare novissimum, — 3. et australem partem, et latitudinem campi Jericho, civitatis Palmarum, usque Segor. — 4. Dixitque Dominus ad eum : Hæc est terra, pro quâ juravi Abraham, Isaac, et Jacob, dicens : Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, et non transibis ad illam. — 5. Mortuusque est ibi Moyses servus Domini, in terrâ Moab, jubente Domino; — 6. et sepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor; et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem. — 7. Moyses centum et viginti annorum erat quando mortuus est; non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt. — 8. Fleveruntque eum filii Israel in campestribus Moab triginta diebus; et completi sunt dies planctûs lugentium Moysen. — 9. Josue verò filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filii Israel, fece-

runtque sicut præcepit Dominus Moysi. — 10. Et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem, — 11. in omnibus signis, atque portentis, quæ misit per eum, ut faceret in terrâ Ægypti Pharaoni, et omnibus servis ejus, universæque terræ illius; — 12. et cunctam manum robustam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyses coram universo Israel.

---

1. Moïse monta donc de la plaine de Moab sur la montagne de Nébo, au haut de Phasga, *qui était la pointe de cette montagne, située* vis-à-vis de Jéricho, et le Seigneur lui fit voir de là tout le pays de Galaad jusqu'à Dan, — 2. tout Nephthali, toute la terre d'Ephraïm et de Manassé, et tout le pays de Juda, jusqu'à la mer occidentale, *c'est-à-dire, la mer Méditerranée,* — 3. tout le côté du midi, toute l'étendue de la campagne de Jéricho, qui est la ville des Palmes jusqu'à Ségor. — 4. Et le Seigneur lui dit : Voilà le pays pour lequel j'ai fait serment à Abraham, à Isaac et Jacob, en leur disant : Je donnerai ce pays à votre postérité. Vous l'avez vu de vos yeux, et vous n'y passerez point, *mais vous mourrez ici.* — 5. Moïse, serviteur du Seigneur, mourut ainsi en ce lieu, dans le pays de Moab, par le commandement du Seigneur, — 6. qui l'ensevelit dans la vallée du pays de Moab, vis-à-vis de Phogor; et nul homme jusqu'aujourd'hui n'a connu le lieu où il a été enseveli. — 7. Moïse avait cent vingt ans lorsqu'il mourut; sa vue ne baissa point *pendant tout ce temps,* et ses dents ne furent point ébranlées. — 8. Les enfants d'Israël le pleurèrent dans la plaine de Moab pendant trente jours, et le deuil de ceux qui le pleuraient finit ensuite. — 9. Pour ce qui est de Josué, fils de Nun, il fut rempli d'esprit et de sagesse, parce que Moïse lui avait imposé les mains : et les enfants d'Israël lui obéirent, en faisant ce que le Seigneur avait commandé à Moïse. — 10. Il ne s'éleva plus dans Israël de prophète semblable à Moïse, à qui le Seigneur parlât, *comme à lui,* face à face; — 11. ni qui ait fait des miracles et des prodiges comme ceux que le Seigneur envoya faire par Moïse dans l'Egypte, aux yeux de Pharaon, de ses serviteurs, et de tout son royaume; — 12. ni qui ait agi avec un bras si puissant, et qui ait fait des œuvres aussi grandes et aussi merveilleuses que celles que Moïse a faites devant tout Israël.

Vers. 2. — Usque ad mare novissimum, id est, usque ad mare occidentale, puta Mediterraneum, quod erat ad occidentem terminus terræ sanctæ.

Vers. 5. — Mortuusque est ibi Moyses, servus Domini. Mortem Mosis ita describit Joseph. lib. 4 Antiq. ult. : « Ad montem Abarim « Mosen deduxit senatus solus, et pontifex « Eleazarus, et imperator Jesus, in eo monte « ubi constitit, senatum dimisit, cùmque « post mutuos complexus Eleazaro ac Jesu « ultimum valediceret, inter loquendum re- « pentinâ nube circumdatus, in vallem quam- « dam est ablatus; in sacris autem volumini- « bus scripsit se mortuum, veritus ne propter « excellentem ejus virtutem, à Deo raptum « prædicarent. » Simili modo cùm episcopi ex urbe Constantinopolitanâ S. Epiphanium ad navim educerent, dixit ipse ad eos : « Urbem « hanc et aulam imperatoris vitæque hujus « actionem et fabulam vobis relinquo; ego « verò abeo, in civitatem aliam transire pro- « perans, » uti refert Niceph. lib. 13, c. 13. De Mose verò prosequitur Josephus : « Vitæ « ejus tempus universum fuit centum viginti « annorum, cujus tertiam partem in imperio « exegit, uno mense minùs; mortuusque ul- « timo anni mense, die primâ mensis, qui à « Macedonibus dystrus dicitur, à nostris verò « adar, » respondetque ferè Latinorum februario. Hebræi tamen in *Seder olam,* quos sequitur Andr. Masius in Josue 1, censent Mosen natum esse die 7 mensis duodecimi, qui dicitur adar, et eâdem die post 120 annos esse mortuum.

Verùm dico, Mosen sub initium adar, puta tertio vel quarto die adar esse mortuum. Id ita esse probatur; nam 36 dies fluxerunt à morte Mosis usque ad transitum Hebræorum per Jordanem in Chanaan; hic autem transitus contigit die decimâ mensis primi anni sequentis, ut patet Josue 1, v. 19; jam retrò computa 36 dies, à die decimâ mensis primi, et incides in diem quartam mensis ultimi anni præcedentis. Porrò 36 dies præcisè hic fluxisse probatur : nam Hebræi luxerunt mortem Mosis per 30 dies; quibus exactis Josue misit exploratores in Jericho, qui triduò latuerunt in monte; iis reversis Josue movit castra ad Jordanem, ubi moratus est tres dies, ac postridiè cum suis transiit Jordanem. Jam adde tres et tres dies ad 30, habebis 36, quos quærimus. Ita Torniellus.

Mirum est quòd in Martyrologio romano

Mosi dies consignetur quarta septembris ; licet enim in anno vulgari september, tamen in anno sacro (quo utitur Script.), adar, id est, februarius, est ultimus mensis.

Nota quod ait Josephus de Mose : *Scripsit se mortuum;* ita scilicet censet ipse, Philo, et aliqui alii. Sed verius est, ut alibi dixi, hæc non à Mose, sed à Josue, vel aliquo alio esse scripta ; hoc enim planè innuit id quod dicitur v. 6 : *Et non cognovit homo sepulcrum ejus, usque in præsentem diem;* unde Hebræi censent, totum hoc caput 34 scriptum esse à Josue, quibus consentit Abulens., qui tantùm excipit primos quatuor versus capitis ; eos enim putat scriptos esse à Mose, jamjam ascensuro in montem Nebo, cæteros à Josue.

Nota. De Mosis morte variæ fuerunt veterum opiniones. Primò, aliqui putârunt eum necdùm esse mortuum, sed translatum, ut redeat cum Henoch et Eliâ contra Antichristum. Ita opinatus est Hilar. can 20 in Matth. ; Joannes Arboreus lib. 11 Theosophiæ, c. 11 ; Catharin. in Gen. 3. Probabant hoc, tum ex eo quòd sepulcrum ejus non sit inventum, tum ex Apoc. 11, 6, ubi Joannes loquens de duobus testibus Christi, qui tempore Antichristi futuri sunt, subjungit : *Hi habent potestatem aquas convertendi in sanguinem, et percutere terram omni plagâ;* quibus verbis videtur significari Moses; ipse enim convertit aquas in sanguinem, et percussit Ægyptum omni plagâ, Exodi, 7 et seq. Eamdem sententiam videtur docere S. Hieron. in Amos 9, et Nyssen. in Vitâ Mosis, in fine, et S. Ambros. lib. 1 de Caïn et Abel, cap. 2, eamque S. Ambrosio tribuunt Viegas in Apoc. 11, et Suarez 3 p. q. 45, art. 3; ibi enim asserere videtur S. Ambros. Mosen verè non esse mortuum, sed tantùm dici mortuum per verbum Domini, quia scilicet jussu Domini translatus est instar Eliæ.

Hi tamen Patres ab aliis excusantur, quòd mysticè loquantur ; S. Hieron. enim ait, Mosen ascendisse in cœlum, id est, in cœlestem et perfectissimam vitam, et sanctitatem ; in morte enim fuit sanctissimus, et exseruit admirabilem zelum et spiritum, ut patet ex Deuteron. Eodem modo potest Nyssenus explicari; S. Ambros. verò videtur ludere allegoricè suo more, et velle tantùm, quòd Moses fuerit typus Christi à morte statim resurgentis, quòdque mors Mosis ita in Scripturâ narretur, ut ipse non tam mortuus, quàm translatus et immortalis fuisse videatur, primò, in eo quòd narratur non esse mortuus ex defectu virium ; secundò, quòd ab hominibus abreptus sit ; tertiò, quòd nesciatur ejus sepulcrum. Ex hisce enim potiùs translatus hominibus videri possit, quàm mortuus ; nam Ambrosium non negare, Mosen verè esse mortuum, colligitur ex eo quòd ibidem disertè doceat, Mosen esse resurrecturum.

Verùm quidquid sit de Patrum horum mente, dico erroneam esse hanc sententiam, adeòque de fide esse quòd Moses sit mortuus. Patet hoc ex c. 32, 5 : *Jungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron;* et hic expressè : *Mortuusque est ibi Moses;* et mox : *Et sepelivit eum in valle.* Ad Apoc. 11, respondeo ibi non esse sermonem de Mose, sed tantùm ad ejus portenta alludi, eò quòd Henoch et Elias similia facient iis, quæ fecit Moses. Secundò, alii censent Mosen quidem esse mortuum, sed statim resurrexisse, ideòque neminem cognovisse ejus sepulcrum. Ita R. Samuel Marochianus lib. de Adventu Messiæ cap. 13. Huic sententiæ ferè accedit Gagnæus in cap. 11 Apoc., qui docet Mosen quidem obiisse, sed resurrecturum, et venturum, ut cum Antichristo decertet. Idem (quod mirum est) censet Maldonatus in Matth. 17. Verùm hæc opinio improbabilis est et temeraria, utpote carens solido fundamento, et repugnans communi Patrum sententiæ, qui docent non Mosen, sed Henoch et Eliam venturos esse contra Antichristum. Tertiò, alii putârunt Mosen mortuum esse, sed resurrexisse in transfiguratione Christi, in monte Thabor. Ita videtur sentire S. Hieron. in Matth. 17, et auctor. de Mirab. S. Script. (qui liber falsò tribuitur S. Augustino) lib. 3, c. 10. Verùm hoc quoque est improbabile ; certum enim est, Christum primum omnium, et ante omnes homines resurrexisse ad vitam immortalem ; inde enim Christus ab Apostolo vocatur : *Primitiæ dormientium*, et : *Primogenitus mortuorum.* Si dicas Mosen resurrexisse, sed rursùm esse mortuum, respondeo : Longè durius et acerbius fuisset Mosi, post resurrectionem mori, quàm non resurgere. Deinde planè verisimile est, Mosen paulò post Christum, cum patriarchâ Jacob, Joseph, aliisque priscis sanctis (de quibus Matth. 27, 52) resurrexisse ; ergo non resurrexit in transfiguratione, sed tantùm apparuit ibi in corpore assumpto, uti apparent angeli ; ita docent Lyran. et Abul. in Matth. 17 ; D. Thom. 3 p. q. 45, a. 3, ad 2, et alii. Si enim alii patriarchæ resurrexerunt cum Christo, ergo multò magis Moses, qui fuit legislator et dux populi, typusque expressus Christi.

Moyses, servus Domini. Hoc est elogium et

quasi titulus sepulcralis Mosis, qui reliquos omnes complectitur *Servus* ergo idem est quod legatus, dux, legislator, propheta *Domini*. Magna dignitas est, esse servum Domini dominantium. Audi Ambros. lib. de Parad. c. 4: « Religiosa servitus subdita Dei verbo, multò « melior est, quàm seculi libertas. » Audi Philon. lib. de Cherubin : « Servire Deo ma- « xima est gloriatio, non modò libertate ma- « jor, sed et divitiis, et principatu, et omnibus « rebus quas mortales miramur, pretiosior. » Hinc S. Paulus gloriatur se esse servum Christi. Hinc S. Agatha ad tyrannum : « Multò, ait, « pretiosior est christiana humilitas et servitus, « regum opibus et superbiâ, nimirùm, *servire* « *Deo, regnare est*. » Et, ut ait S. Ambros., « dignitas est, servum esse potentis. » Dicamus ergo cum Cassiodoro : « Tibi, ô Domine, « nobilius est servire, quàm mundi regna ca- « pessere; meritò, quando ex servis filii, ex im- « piis justi, de captivis reddimur absoluti. » Dixit Alexander Magnus ad ducem militum, qui et Alexander vocabatur : « Res dignas « nomine tuo, dignas Alexandro gere; » et nos digna tanto nomine, digna servo Dei geramus,

Jubente Domino. Hebr., *ad os Domini*, id est, ut Vatabl., *ad verbum Domini*, vel de sententiâ Domini noster optimè vertit, *jubente Domino*. Jusserat enim ei Deus c. 32, 49, dicens : *Ascende in montem istum Abarim*, etc., *et morere in monte*. Ibi tulit Deus sententiam mortis in Mosen, ut scilicet moreretur in monte hoc; hic eam exequitur. Deus ergo, sicuti primus animam dederat Mosi, ita hic eamdem ab eo repetit, separatque à corpore. Unde nihil hic legimus de Mosis morbo, imò è contrario dicitur v. 7, eum usque ad ultimum ita fuisse sanum et validum, ut non caligârint oculi ejus, nec dentes ejus moti sint. Deus ergo animam illi exemit. Unde Septuag. et Chald. vertunt : *Mortuus est Moses per verbum Domini*; Dei enim verbum et jussio est efficax, ut si cui dicat : Morere, is statim vi jussionis ejus moriatur. Quidam conceptuum novorum asseclæ τὸ *ad os Domini*, exponunt, q. d. : *In osculo Domini*, q. d. : Sicut mater dormientem in sinu infantulum solet ore ori applicato in lectulo reponere, ita Deus Mosen seu dormientem infantulum, per osculum et amplexum, in sinu Abrahæ quasi in lectulo collocavit. Ita Viegas in Apoc. 14, Comment. 2, sect. 3. Hoc elegans est, et pium magis quàm genuinum. Nam heb. *os Domini* non aliud significat, quàm verbum et jussum Domini, ut exponunt Septuag., S. Hieron., Chald., Vatabl., Oleaster, omnesque interpretes.

Et sepelivit eum in valle. Ergo Moses non sepelivit seipsum, ut volunt aliqui Rabbini; nec Josue, ut ait S. Ephrem; sed Deus sepelivit eum ministerio angelorum, frustra resistente diabolo. Hinc S. Judas in Epistolâ suâ ait : *Cùm Michael archangelus cum diabolo disputans, altercaretur de Mosi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ* (eum blasphemare, ei conviciari), *sed dixit : Imperet tibi Dominus*. Ubi Œcumenius sic scribit : « Dicitur Michael « ministerium præbuisse in sepeliendo Mose; « id non ferebat diabolus, sed accusationem « afferebat, Mosen indignum esse sepulturâ, eò « quòd occidisset Ægyptium, eumque sepe- « lisset in sabulo; et propterea non permit- « tebat, ut honorificam consequeretur sepul- « turam; cùm autem in hâc controversiâ « Michael haberet occasionem, ut diabolo ma- « lediceret, propter ejus impudentiam, non « id fecit, sed id tantùm in eum intulit : *In- « crepet te Deus, ô diabole!* » Alii alias hujus altercationis afferunt causas, quas fusè recenset Serarius noster in Epist. Judæ.

Extitit olim liber inscriptus : *Mosis Ascensio*, scilicet in montem Nebo, in quo colloquia Mosis jamjam morituri cum Deo habita et ejusdem sepulcrum, angelorum manibus in occulto loco effossum, disceptatio quoque Michaelis et diaboli, percensentur; ex quo hæc S. Judam accepisse, censet Origenes lib. 3 Periarchon cap. 2, et Clemens lib. 6 Strom., ubi ex eodem loco refert, quòd Moses visus sit à Josue, et à Caleb, cùm assumeretur in gloriâ, inter angelos. Verùm S. Athanasius in Synopsi S. Scrip., hanc Mosis ascensionem, unà cum aliâ scripturâ cui titulus est : *Testamentum Mosis*, inter apocrypha rejicit.

In valle terræ Moab, contra Phogor. Hinc et ex vers. 5 patet, Mosen mortuum esse in monte Nebo, sed inde corpus ejus ab angelis translatum esse, et sepultum in valle Moab, id est, quæ confinis est Moab, sed est in ipsâ sorte tribûs Gad, aut potiùs Ru .

Contra Phogor. Opinatur non improbabiliter Serarius in Epist. S. Judæ, altercationis diaboli cum Michaele causam, inter alias fuisse, quòd diabolus coleretur in Phogor, ideòque eum non tulisse, juxta se reponi corpus tam sancti viri, qualis erat Moses, ac timuisse, ne ab ipso, vel loco pelleretur, vel obmutescere cogeretur.

Moralis causa fuit, quòd in hâc valle Phogor, sive Priapum coluerant Hebræi, fornicando cum puellis Moabitidis, Numer. 25, 1; ut ergo aptam huic vulneri medicinam faceret Deus, voluit ibi sepeliri Mosen, ut mortis memoriâ et sepulturæ præsentiâ à carnis illecebris et voluptatibus avocarentur. Nihil enim eas ita sopit et extinguit, ac mortis et cadaveris inspectio, vel consideratio. Ita sanctus ille in Vitis Patrum tentatus amore puellæ, ejus jam mortuæ cadavere et vermibus inspiciendis et olfaciendis se occupans, mortificavit planè hanc tentationem. Eâdem de causâ alios in sepulcris habitâsse legimus.

Et non cognovit homo sepulcrum ejus. Cur? respondeo primò, quia in honorem tanti viri, decuit eum non ab hominibus, sed ab angelis sepeliri, loco hominibus incognito. Ita Epiphan. hæresi 9; Œcum. in Epist. Judæ; Abul. hic q. 3, et Philo, qui ait, Mosen in sepulcro tam admirando sepultum esse, ut nullus hominum dignus fuerit unquàm illud conspicere. Secundò, ne Hebræi corpus ejus, utpote ducis et legislatoris sui, velut numen vel divinum quiddam colerent. Ita Theodor. Procop. hic, et Chrysost. homil. 1 in Matth. Præsertim, quia valdè credibile est, corpus Mosis, licet mortuum, conservâsse adhuc splendorem vultûs et decorem, quem antea habebat; sicut multis sanctorum accidit, inquit Bellarm. lib. 2 de Reliq. sanct. c. 4. Atque hanc præcipuam fuisse altercationis Michaelis cum diabolo causam, scilicet quòd diabolus vellet Mosis corpus et sepulcrum patere et cognosci à Judæis; Michael verò idipsum nollet, ne eis esset occasio idololatriæ, communiter docent tam veteres, quàm recentiores interpretes Epistolæ S. Judæ. Judæi enim tunc proclives erant ad idololatriam; unde illius tunc magnum erat periculum, quale non est apud Christianos, cùm venerantur reliquias sanctorum: ergo malè contra eas hoc torquent hæretici. Adde Deum hic honorâsse reliquias Mosis, dùm eas ab hominibus abscondit, et nonnisi per angelos decenter tractari et sepeliri voluit; itàque exemplo suo nos docuit, quàm sanctos, eorumque reliquias venerari debeamus.

Sic et S. Antonius moriturus discipulis suis mandavit: « Nullus, inquit, ad Ægyptum meas « perferat reliquias, ne vano corpus honore « servetur, ne vituperati ritûs à me, ut nostis, « etiam circa me serventur obsequia; hujus « enim rei gratiâ maximè hùc sum regressus, « ut nemo præter vos locum tumuli mei nove- « rit. Confido in Domino, quia necessariò re- « surrectionis tempore hoc corpusculum re- « surget incorruptum. Discipuli ergo involutum, « ut præceperat, corpus humo operuerunt; et « nemo interim usque ad hanc diem, præter « eos, ubi conditum sit, novit, » inquit S. Athanasius.

Verisimile est quod docet Joseph, scilicet, Mosen comitatum Josue, Eleazaro, et aliis primoribus, ascendisse in Nebo; ibique coram eis, ut ait Cajetanus, vel aliquibus eorum, esse defunctum; deinde ejus corpus iisdem spectantibus, ab angelis per aerem vectum, et translatum fuisse in vallem Moab, ibique sepultum, licet determinatum vallis locum, in quo sepultum est, cernere et notare non potuerint hi spectantes, ut hic dicitur. Hucusque Cajetanus. Moses 120 annorum erat, quando mortuus est; mortuus est ergo Moses anno mundi 2,493, à diluvio anno 836, ante Christum anno 1,456.

Hunc Mosis raptum imitari voluit Romulus, aut certè Romani similem ei affinxerunt; ipse enim à senatoribus vel occisus, vel abreptus, non comparuit. Unde finxit Julius Proculus patricius romanus, Romulum sibi apparuisse, ac rogatum quidnam ei evenisset, respondisse: « Diis, ô « Juli, à quibus veni, ita visum est, ut tantis- « per cum hominibus essem, urbemque cujus « imperium ac gloria foret maxima, conderem, « inde rursùm cœlum inhabitarem; vale, ac « Romanis dic, fore ut, si temperantiam for- « titudinemque colant, omnes mortales poten- « tiâ excellant. Ego autem Deus vobis propi- « tius ero Quiritius, » uti refert Plutarchus, in Romulo. Ita quoque Apollonius Thyanæus, magus, et impostor orbis, ablegans discipulum suum Davidem ad Nervam imperatorem, ne ultimi sui finis testis esset, occultam oppetit mortem anno Christi 99, quò immortalis in cœlum crederetur esse translatus; testis est Philostratus in ejus Vitâ. Hi fuerunt quasi simiæ Mosis, uti diabolus est simia Dei.

Vers. 7. — Non caligavit oculus ejus, uti solent senum oculi.

Nec dentes illius moti sunt, uti in senibus dentes, etiam molares, solent moveri et excidere; hoc enim est, quod de miseriis senectutis scribit Eccl. c. ult. v. 3: *Quando commovebuntur custodes domûs*, puta visus, aliique sensus, *et nutabunt viri fortissimi*, puta crura, *et otiosi erunt molentes* (puta dentes) *in minuto numero*. Pro, *dentes illius moti sunt*, Septuag. vertunt, *neque corrupta sunt labia ejus;* Chald., *neque mu-*

tatus est splendor gloriæ vultûs ejus; ubi planè significat cornua lucis semper adhæsisse Mosi; quod et censet Bellarm. paulò ante citatus, quâ de re dixi Exodi 34, 29. Vatabl. vertit: *Maxillæ ejus nihil defecerant*, vel, *nec emarcuerat vigor ejus;* ita et Cajetan. q. d. : Facies et corpus fuit ei semper succulentum; solet enim senectus esse sicca. Hinc patet, Mosen non esse mortuum ex defectu virium, vel ex morbo, sed tantùm ex Dei jussu et voluntate, nam validus ascendit in montem, ibique statim defunctus est, Deo nimirùm eum dissolvente, animamque à corpore separante, et educente ad limbum Patrum.

Hic vigor et vires proveniebant Mosi, inquit Abulens., ex familiaritate et præsentiâ Dei, quia moratus et collocutus fuit cum Deo bis per quadraginta dies in Sinâ, tumque non comedit, nec bibit, solâ Dei præsentiâ sustentatus. Et inde habuit cornua, id est, radios lucis, in facie; inde etiam habuit vires perdurantes in omnibus membris, ita ut eo anno quo mortuus est, ad bellum processerit contra duos reges, scilicet Og et Sehon, Num. 21 et 22. Vox etiam eum non defecit, quia voce maximâ et stentoreâ, quæ à toto populo audiretur, totum Deuteronomium ingenti spiritu Hebræis promulgavit, paulò ante mortem. Adde tamen, hùc adjuvisse tum sobriam diætam, tum animi tranquillitatem, ortam ex mansuetudine Mosis. Nam, ut ait Hippocrates : τὰ ἄσχολα μακρόβια, animalia quæ bile carent longæva sunt, et sana ac fortia in multam ætatem, quâ de causâ cervi præ reliquis animalibus longævi et validi perdurant. Unde schola Salernitana :

Si vis incolumem, si vis te reddere sanum,
Curas tolle graves, irasci crede profanum.

Ita S. Bernardus licet morbidus, ob pacem et tranquillitatem animi sexagesimum annum superavit, ac moriens suis ait : « Tria vobis commendo, quæ in stadio quo cucurri, quantùm potui, observavi. Primò, minùs sensui meo quàm alterius credidi. Secundò, læsus de lædente vindictam non expetivi. Tertiò, scandalum nemini facere volui; et si quando incidit, sedavi ut potui; » unde distichon :

Nullum turbavi, discordes pacificavi,
Læsus sustinui, nec mihi complacui.

Ita et S. Antonius, teste S. Athanasio, læto semper animo et vultu, vixit ad annum ætatis 105, persistens ad extremum in eodem tenore et rigore abstinentiæ et pœnitentiæ, « nec languore quidquam ætati aliquando concessit. Magis autem æqualitatem propositi tenens, nec vestimentum mutavit, nec pedes lavit, nec escam sectatus est molliorem; oculorum quoque aciem, et numerum dentium, licet paululùm ob ætatem viderentur attriti; nec non et pedum incessum, totius etiam corporis firmitatem, ita et contra jura naturæ meritorum gratiâ custodivit, ut lavatis corporibus, quæ balneis atque deliciis confoventur, hilarior ejus caro videretur. » Et rursùm : « Verba finierat, et osculantibus eum discipulis, extendens paululùm pedes, mortem lætus aspexit, ita ut ex hilaritate vultûs ejus, angelorum sanctorum, qui ad perferendam animam ejus descenderant, præsentia nosceretur. » Hucusque S. Athanasius. Ita et S. Abraham eremita, teste S. Ephrem in ejus Vitâ c. 18, assiduis licet jejuniis, vigiliis, fletibus et pœnitentiis se macerans, in senio vegetus fuit ad mortem usque. « Erat, inquit S. Ephrem, aspectus ejus quasi flos quidam immarcescibilis, atque in facie ejus puritas animi noscebatur. Sed et totum corpusculum ejus, quasi nihil egisset, validum ac robustum apparuit, utpote qui divinâ gratiâ in omnibus frueretur, et jucunditate spiritualis lætitiæ potiretur. In horâ namque dormitionis suæ ita splendidissimus vultu apparebat, quasi qui nequaquàm vitæ suæ tempus in abstinentiâ peregisset; sed et in omnibus quinquaginta annis abstinentiæ suæ, vestem cilicinam quâ indutus fuerat, non mutavit. »

Vers. 8. — Fleveruntque eum filii Israel triginta diebus. Hinc etiam apud Christianos aguntur tricenaria defunctorum, uti dixi Num. 20, 29.

Vers. 9. — Moyses posuit super eum manus suas, q. d. : Per *impositionem manuum Mosis, Josue acceperat Spiritum* S., inquit Vatabl. Vide dicta Num. 27, 18.

Vers. 10 et 11. — Et non surrexit ultra propheta in Israel (similis nimirùm Mosi, ita scilicet ut ipse, Deo familiaris et portentosus) quem nosset Dominus facie ad faciem. Item similis ei in omnibus signis atque portentis quæ misit per eum, dans scilicet ei virtutem et potestatem, ut ea faceret. Clariùs verti posset cum Vatabl. et Cajetano, *ad quæ* vel *propter quæ miserat eum Dominus, ut faceret,* etc. Hisce ergo omnes prophetas superavit Moses, scilicet in portentis, et in familiaritate cum Deo; cui tamen non obstat, quòd alicui alteri prophetæ revelata fuerint plura et majora mysteria. Sic enim communiter maximus prophetarum vo-

catur David, inquit Abulens. De Christo non est dubium quin Mose fuerit præstantior; sed Christus non tam propheta, quàm novus et clarus Evangelii inspector et legislator fuit.

Tropol. Ita S. Ephrem in Encomio S. Basilii, eum Mosi, cæterisque prophetis confert, si non præfert, dicens : « O fidelis Basili, velut Abel acceptus es, sicut Noe salvatus, tanquàm Abraham amicus Dei vocatus, ut Isaac pro victimâ Deo oblatus; instar Jacob tentationes fortiter pertulisti; et sicut Joseph, magnificè glorificatus es; ut Moses, Pharaonem posteriorem virgâ crucis demercisti, mare passionum secans : ut Aaron, summus sacerdos Domini fuisti; ut Jesus filius Nave, inimicos in fugam vertisti, ut Phinees æmulator, gratiâ dignus habitus; ut Isaias, spirituali igne mundatus; ut Ezechiel, sedentem super Cherubim spectâsti; ut Daniel, ora leonum obturâsti; et sicut tres pueri, adversariorum flammam rectè conculcâsti. Instar Petri prædicâsti, instar Pauli docuisti, instar Thomæ Filium Dei passum confessus es; instar Matthæi, Marci, Lucæ et Joannis, de rebus divinis disseruisti; instar Apostolorum iniquos erudisti, impios convertisti, et Deo gratus fuisti. Deprecare pro me admodùm miserabili, et revoca me tuis intercessionibus, pater. »

Vers. 12. — Et cunctam manum robustam. Id est, et cuncta opera robusta, valida et magnifica, repete *misit*, id est, dedit, Deus Mosi, cùm ad ea ipsum excitavit et corroboravit, ut ea perficeret. In hebræo clarior est connexio; habet enim : *Et in omni manu robustâ*, quod aptè connectitur cum eo quod præcessit : *In omnibus signis atque portentis.*

Magnaque mirabilia. Heb., *et omnem terrorem magnum.* Manum fortem, inquit Vatab. dicit, ob ea quæ facta sunt in mari Rubro; terrorem autem, propter legem, quam Dominus dedit in monte Sina, cum tot terrificis portentis, cui adde alios terrores, ut absorptionem Core, Dathan et Abiron, incendium 250 procerum, Num. 16, 75, stragem fornicantium, Numer. 25, et alios.

Vixit Moses, vivit jam Deo, beatus et gloriosus in æternum; ita vivamus et nos. Anima nostra æterna est, in æternum vivet, vel beatè vel miserè. Vive æternitati; certa, patere æternitati. Jacis hìc aleam, aleam irrevocabilem de æternitate. O chara æternitas! æterna veritas, vera charitas, Deus meus et omnia, aperi oculos nostros, amove à nobis stuporem hominum, ut cognoscamus quid sit, quàm immensa, quàm felix vel misera sit æternitas. Creâsti nos ad te, creâsti nos ad æternitatem, quia tu es æternitas, tuæ æternitatis nos participes facere voluisti, jussisti, sanxisti. Nam lux perpetua lucebit sanctis tuis, Domine, et æternitas temporum. Da ut monumentum hoc temporis piè et sanctè expendamus, ut in eo studeamus æternitati, laboremus æternitati, patiamur et certemus æternitati, utque idem omnibus inclamemus, et quotquot possumus animas perituras in æternum salvemus. Audite, Christiani, audite, pagani, audi, Belgium, audiat orbis : Nulla satis magna securitas, ubi periclitatur

ÆTERNITAS.

O longa, ô profunda, ô abyssalis, ô æterna ÆTERNITAS!

Beati qui habitant in domo tuà, Domine, in montibus æternis! in secula seculorum laudabunt te.

DOXOLOGIA DEI LEGISLATORIS,

EJUSQUE CONCIO EX DEUTERONOMIO.

Misericordias et sanctificationes Domini in æternum cantabo. — Audi, Israel, magnalia, audi misericordias; audi, et rumina mandata Dei tui. — Ut faciens ea vivas, et possideas terram, quam Deus daturus est tibi. — Hæc est enim tua sapientia, ut dicant : En populus sapiens, et intelligens, gens magna. — Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. — Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justaque judicia, et legem Dei? — In-

terroga de diebus antiquis, si unquàm factum est, ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti. — Si fecit Deus, ut tolleret sibi gentem de medio nationum, per tot signa et portenta, per pugnas, et manum robustam. — De cœlo te fecit audire vocem suam, quia dilexit patres tuos, et semen eorum. — Scito ergo, quòd Dominus ipse est Deus in cœlo sursùm, et in terrâ deorsùm, et non est alius.—Testes invoco cœlum et terram, citò vos perituros, si Deum ad iram provocetis; Deus enim tuus ignis consumens est, Deus zelotes. — Audi, Israel : Dominus Deus noster, Deus unus est. — Diliges eum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ fortitudine tuâ. — Hæc meditaberis sedens in domo, ambulans in itinere, dormiens atque consurgens; ut sis populus sanctus Domino. — Te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis gentibus, regale sacerdotium, gens sancta. — Non inibis cum gentibus fœdus, nec sociabis cum eis conjugia. — Si custodieris pactum, et legem Dei, benedictus eris inter omnes populos. — Non erit in te sterilis, auferet Dominus à te omnem languorem; devorabis omnes inimicos. — Deduxit te Dominus quadraginta annis per desertum terribile ; in quo erat scorpio, dipsas, et serpens flatu adurens. — Dedit tibi manna, ut ostenderet, quòd non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. — Nec pes, nec calceus tuus est subtritus; en quadragesimus annus est. — Inducet te in terram lactis et mellis; terram frumenti, hordei et vini. — Non propter justitias tuas inducet te; sed ut compleat juramenta, quæ dedit Abraham, Isaac et Jacob. — Ne tentes Deum, sicuti fecisti in incendio, in tentatione, et in sepulcris concupiscentiæ, quia populus duræ cervicis es. — Circumcidite præputium cordis vestri; et cervicem vestram ne induretis ampliùs — Et nunc, Israel, quid Dominus tuus petit à te, nisi ut timeas eum, ut ambules in viis ejus, ac diligas eum, et servias ei in toto corde?—En Domini Dei tui est cœlum, et cœlum cœli; terra, et omnia quæ in eâ sunt. — Ipse est laus tua, et Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia, et terribilia, quæ viderunt oculi tui. — Multiplicavit te sicut astra cœli, et sicut arenam quæ est in littore maris. — Duxit te sicco pede per mare Rubrum; Pharaonem et Ægyptios in eo demersit. — En morior; propono vobis hodiè benedictionem et maledictionem ; benedictionem, si obedieritis; maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini. — Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito; nec addas quidquam, nec minuas. — Si surrexit pseudoprophetes dicens : Sequamur deos alienos, illicò lapidibus obrues eum. — Urbem delebis, usque ad pecora; quidquid in eâ est, igne succendes. — Non apparebis ante Dominum vacuus; sed offeres juxta benedictionem, quam dederit tibi. — In judicio non accipies personam, nec munera, quæ excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum. — Si difficile et ambiguum apud te fuerit judicium, venies ad sacerdotes levitici generis, et facies quæcumque dixerint tibi. — Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, et decreto judicis, morte moriatur. — Prophetam de gente tuâ suscitabit tibi Dominus ; ipsum, ut me audies. — Si exieris ad bellum, ne timeas, quia Dominus in medio tui est, et pro te dimicabit ; tantùm custodias te ab omni re malâ. —Maledictus omnis qui pendet in ligno! cur ergo, ô Christe, dignatus es pro nobis in cruce fieri maledictum? — Primitias frugum dabis Domino, dicens : Profiteor hodiè coram Domino, quòd ipse nobis dederit terram lacte et melle manantem. — Dominum elegisti hodiè, ut sit tibi Deus; custodi ergo mandata et judicia illius. — Benedictus qui facit præcepta et justitias Domini; benedicta domus, et horrea ejus. — Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus. — Maledictus qui non permanet in sermonibus legis Dei, nec eos opere perficit. — Maledictus in civitate, maledictus in agro, maledictus ingrediens, et egrediens. — Sit cœlum quod super te est, æneum; et terra, quam calcas, ferrea. — Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem ; tradat te hostibus, et cadaver tuum volatilibus cœli. — Percutiat te ulcere Ægypti, amentiâ, cæcitate, et furore mentis. — Det tibi cor pavidum, et deficiens; sit vita tua quasi pendens ante te. — Manè dicas : Quis det mihi vesperum? et vespere : Quis mihi det mane? — Et dicent omnes gentes : Quare sic fecit Dominus terræ huic? quæ est hæc ira furoris ejus immensa? — Et respondebunt : Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum in Horeb. — Abscondita Domino Deo nostro, quæ manifesta sunt nobis, et filiis nostris, usque in sempiternum. — Mandatum quod ego præcipio tibi hodiè, non est supra te, ut dicas : Quis nostrûm valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos ? — Neque trans mare positum, ut causeris : Quis è nobis transfreta-

bit mare, ut illud ad nos afferat? — Juxta est sermo valdè in ore tuo; et in corde tuo, ut facias illum. — Considera, quòd hodiè proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum; et è contrario mortem et malum. — Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum; dilige Deum, ipse est enim vita tua, et longitudo dierum tuorum. — Viriliter age, et confortare, ne timeas hostes: Deus est ductor tuus, ipse non derelinquet te. — Audite, cœli, quæ loquor; audiat terra verba oris mei. — Date magnificentiam Deo nostro: Dei perfecta sunt opera, et omnes viæ ejus judicia. — Peccaverunt ei non filii ejus; generatio prava atque perversa. — Hæccine reddis Domino, populo stulte et insipiens? — Numquid non ipse est pater tuus; qui possedit te, et fecit et creavit te? — Quando dividebat Altissimus gentes, constituit terminos populorum, juxta numerum filiorum Israel. Pars autem Domini populus ejus; Jacob funiculus hæreditatis ejus. — Invenit eum in terrâ desertâ; in loco horroris, et vastæ solitudinis. — Circumduxit eum, et docuit; et custodivit quasi pupillam oculi sui. — Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, expandit alas suas; portavit eum in humeris suis. — Constituit eum super excelsam terram; ut sugeret mel de petrâ, oleumque de saxo durissimo. — Incrassatus est dilectus, et recalcitravit; dereliquit Deum factorem suum, et recessit à Deo salutari suo. — Deum qui te genuit dereliquisti; oblitus es Domini creatoris tui. — Ignis succensus est in furore meo; ardebit usque ad inferni novissima, et montium fundamenta comburet. — Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis. — Gens absque consilio est, et sine prudentiâ. — Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent! — De vineâ Sodomorum vinea eorum; fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile. — Mea est ultio, ego retribuam eis; juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora. — Inebriabo sagittas meas sanguine; et gladius meus devorabit carnes. — Laudate, gentes, populum ejus; quia sanguinem servorum suorum ulciscetur, et vindictam retribuet in hostes eorum. — Dominus de Sinâ venit, et de Seir ortus est nobis; apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia. — In dexterâ illius ignea lex; omnes sancti in manu illius sunt. — Moses moriens benedixit Levi, dicens: Qui dixit patri suo, et matri suæ: Nescio vos; et fratribus: Ignoro illos.—Hi custodierunt pactum tuum, Domine, eloquium tuum servaverunt.—Ponent thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum. — Benedic, Domine, fortitudini ejus; et opera manuum ejus suscipe.—Populos vocabunt ad montem; ibi immolabunt victimas justitiæ. — Non est Deus alius, ut Deus rectissimi; ascensor cœli auxiliator tuus — Magnificentiâ ejus discurrunt nubes; habitaculum ejus sursùm, et subter brachia sempiterna. — Habitabit Israel confidenter in terrâ frumenti, olei et vini; et cœli caligabunt rore. — Beatus es tu, Israel, populo, qui salvaris in Domino; ipse est scutum auxilii tui, et gladius gloriæ tuæ. — Negabunt te inimici tui; et tu eorum colla calcabis. — Ascendit Moses in montem Abarim, vidit terram Abrahæ et semini ejus promissam. — Mortuus est, nec cognovit homo sepulcrum ejus; non caligavit oculus ejus, nec dentes ejus moti sunt. — Non surrexit ei similis propheta in signis et portentis, qui nosset Dominum facie ad faciem.— Similem illum fecit in gloriâ sanctorum; ostendit illi gloriam suam. — In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum: et elegit eum ex omni carne. — Docere Jacob testamentum suum, et judicia sua Israel. — Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto; sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in secula seculorum. Amen.

ORATIO ET CONCLUSIO.

Creator omnium, Deus, qui tuâ providentiâ cuncta gubernas, attingens à fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter, quàm sanctus et mirabilis fuisti in Mose, et Hebræis, cunctisque operibus Pentateuchi! Spectavimus in Genesi, potentem tuam rerum omnium creationem; in Exodo, singularem erga tuos curam et providentiam; in Levitico, sacram tuam religionem, victimas et cæremonias; in Numeris, augustam tuam in tantis populi castris magnificentiam; in Deuteronomio fervorem tuum circa populi salutem, amorem et zelum. Spectavimus veterem Ecclesiam et rempublicam in populo à te electo institutam. Audivimus legis æternæ tuæ rivulos, præcepta tua sancta, moralia, judicialia et cæremonialia. Laudent te cœlum, terra, mare et omnia quæ in eis sunt; laudent te, et benedicant nomen sanctum tuum in secula. Da, Domine, ut in his omnibus agnoscamus, et intueamur te, revereamur te, colamus et amemus te ex toto

corde, ex totâ animâ, et ex totâ fortitudine nostrâ. Da, ut in his omnibus adumbratum et depictum speculemur Unigenitum tuum, Christum Dominum, Salvatorem nostrum. Da quoque, ut eumdem agnoscat Israel, populus olim à te electus, nunc derelictus et aberrans. Salva, Domine reliquias Israel; ipsi enim sunt filii Abrahæ secundùm carnem; ipsi sunt cognati tui, cognati Apostolorum. Aufer ab eis velamen litteræ, et carnalium cæremoniarum, quod positum est super cor eorum, à diebus Mosis et Messiæ; ut in eis legant et videant spiritum, et mysteria Christi tui recondita: hæc est enim vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti, Jesum Christum. Da denique, ut hic commentarius tuæ gloriæ, et Mosi tuo illustrando serviat, ut quicumque hæc legunt, et Pentateuchi, et Christi in eo figurati, et tuæ majestatis, quasi auctoris omnium, clariorem cognitionem nanciscantur, indeque ad majorem tui amorem, reverentiam et cultum incitentur. Fave hisce votis meis, S. Dei Genitrix, Virgo Maria; effice apud benedictum Filium tuum, ut eorum compos fiam. Tibi enim, ut matri meæ, omniumque quæ mea sunt, secundum hunc fœtum meum, æquè ac primum refero et offero: tibi Mosen hunc meum, æquè ac Paulum, dico, trado, consecro. Tuus enim est, non meus; tibi gloria, mihi autem confusio faciei meæ. Maria, mater Dei, memento meî, nunc, et in horâ mortis. Da denique, ut hæc scripta, hi apices singuli laudent te, tuumque benedictum Filium cum Patre et Spiritu sancto; laudent, inquam, et hoc seculo, et futuris omnibus, cunctosque hæc lecturos ad jugem ejus laudem invitent; atque me mortuo perennem ejus gloriam loquantur, et testentur universis æternum et immensum ejus laudandi et glorificandi desiderium. Amen.

IN NUMEROS

Dissertatio.

Hebræum hujus libri nomen ex primis verbis in textu fortè occurrentibns repetitum est: *Vaiedabber*. Alii inter Judæos ex quinto ejusdem textûs verbo appellant *Bemiddebar*, facilè quòd historiam rerum gestarum in itinere per desertum spatio 39 annorum contineat. Apud Græcos *Arithmi* et Latinos inscribitur *Numeri*, quod scilicet priora libri capita censum populi et Levitarum referant.

Perfecto jam et consecrato tabernaculo, Moyses jussus à Deo censum populi habuit (Num. 1 et 2, et 3, et 4); singulæ tribus singillatim censitæ sunt; omnium postrema et seorsùm tribus Levi. Cùm autem propediem iter in Chanaanitidem maturandum esset, Moyses regulas in castrametationibus, et in itinere inter singulas tribus servandas, sicut etiam cujusque familiæ Leviticæ munera, direxit. Succedunt in quinto, sexto, octavo et nono capite peculiares leges quàm plurimæ, uti de iis, quos contracta aliqua legalis macula extra castra amandabat; de aquis zelotypiæ, de Nazaræis. Descripta simul leguntur munera à singulis tribuum principibus tabernaculo post ejus erectionem oblata; sicut etiam nulla repetuntur de partibus tabernaculi, sacerdotum consecratione, et festo Paschatis. Quod tandem signum movenda atque figenda castra ediceret, in iisdem capitibus præscribitur. Castra igitur è Sinai mota sunt (cap. 10, 11) die vigesimâ secundi mensis anni secundi post egressum ex Ægypto. Eâ occasione Jethro, qui paulò ante supervenerat in castra, frustra rogari se à Moyse passus, patriam repetiit, filio tamen Hobab cum socero relicto. Tridui itinere in Pharan exercitus venerat, cùm et viæ tædio (cap. 11) et mannæ fastidio, fessæ in murmur abire turbæ cœperunt. Brevi tamen excitato divinitùs incendio, quo pars castrorum absumpta, repressa seditio est. Tum Deus coturnices cupientibus carnes suppeditavit; vixque optatis escis pastos immissa subitò plaga quàmplures exterminavit. Hinc nomen loco inditum *Sepulcra concupiscentiæ*, Hâc occasione Deus 70 seniores ex universo populo, Spiritûs sui illapsu selectos, adjutores Moysi in regimine Israelitarum dedit.

Redierat paulò ante ad virum Sephora Moy-

sis uxor (cap. 12), quam non rectis oculis aspicientes Aaron et Maria, nescio quid adversùs Moysen oblocuti sunt. Deus rem tulit indignè; quare immissa in Mariam lepra septem dierum spatio è castris exulare coegit.

Motis tandem castris è Sepulcris concupiscentiæ populus venit in Cadesbarne; unde missi à Moyse in Chanaanitidem exploratores (cap. 13 et 14). Illi ad castra regressi expeditionis discrimen et difficultatem adeò exaggerârunt, ut territus populus in seditionem abiret. Hunc motum compescere, æquiora narrantes, frustra Josue et Caleb ambo è numero exploratorum, conati sunt. Quare Deus resumpto iterùm flagello, seditiosos dispersurus omnes videbatur, nisi Moyses precibus suis intercessisset. Auditâ hâc Dei indignatione populus, seditione pacatâ, Dominum rogare, petere insuper ut in hostes duceretur. Serò tamen preces; prolata enim jam à Deo sententia omnes oppetendâ in deserto morte spatio 40 annorum, quo errabundi per solitudinem deducendi erant, damnati sunt. Audaciores quidem aliqui per angustias aditum tentârunt in Chanaanitidem; sed ab incolis, loca superiora occupantibus, pulsi iter vertere coacti sunt. Spe igitur frustratus populus diuturnam in Cadesbarne moram traxit; ubi sumptum credimus lapidationis supplicium de viro violatæ religionis sabbati, in lignis colligendis, reo (cap. 15).

Erratum est diutiùs à populo in montibus Seir, variarumque in eo itinere mansionum nomina à Moyse accuratè recensentur (Num. 33). Namque è Cadesbarne ventum est in Hazerot; succedunt deinde ordine Rechma, Remnon, Pharez, Lebna, Ressa, Ceelatha, mons Sepher, Adar vel Arad, Macelot, Tahath, Thare, Metcha, Hesmona, Moserot, Benejacan, Gadad, Jetebata, Hebrona, Elat, Asiongaber, Cadesbarne iterùm, Mozera, Salmona, Phunon, Obot, Jebarim, Torrens, Zared, Matthana, Nahaliel, Bamoth Arnon in finibus Moab, et ditionis Sehon. Dùm castra haberentur ad Jetebata, uti facilè credimus, Core, Dathan et Abiron collatas Moysi et Aaroni supremas reipublicæ dignitates graviùs ferentes, populi seditionem concitârunt, quam statim sumpta de auctoribus gravissima pœna excepit. Hiscens enim subitò terra Core ejusque socios absorbuit; tum et delapso cœlitùs igne ad 14700 virorum absorpti sunt. Neque hic prodigiorum finis, sed Deus quò Aaronis sacerdotium ratum etiam atque etiam maneret (cap. 17), jussit virgam ejus in tabernaculo unà cum cæteris principum singularum tribuum deponi, quam deinde manè alterius diei solam virentem et floribus ornatam exhibuit. Hæc 39 annorum spatio, quo Israelitæ per desertum errârunt; traditis antea legibus, ad religionem, sacerdotes et politiam spectantes nonnullæ adjectæ sunt, de quibus in cap. 18 et 19.

In secundâ castrametatione ad Cades, Maria soror Moysis decessit (cap. 20). Ibi etiam penuriâ aquarum laborans populus murmur in ducem excitavit; quare Deus jussit Moysen silicem percutere, è quâ statim aquæ erupissent. Ille indignatione in populum tam insigniter infidelem commotus, de fide prodigii aliquantò sub dubitare silicem percutiens, visus est. Culpam pœna secuta est; namque et extra terram promissionis obeundum ipsi, et extra illam sepulcrum ferendum eo uno de crimine fuit. Mox Aaron in castrametatione ad Mozera in monte Hor, in finibus Idumææ diem clausit.

Sub hæc Moyses regem Idumææ per nuntios rogaverat, ut liberum per regionem suam transitum in Chanaanitidem Hebræis faceret. Eo recusante, circumduci exercitum, ut ab altero latere aditus tentaretur, oportuit. Euntibus Arad rex chananæus hostis occurrit, commissoque prælio, inclinare primùm Israelitæ, deinde resumptis viribus plenam de hostibus victoriamr etulerunt; redactaque in potestatem regio, anathemati subjecta est (c. 21).

Hujus victoriæ lætitiam luctus excepit; nam pro insitâ gentis indole ad murmur reversi Israelitæ, immissis subitò in castra serpentibus immedicabili morsu afflicti sunt. Salutare fuit æneum anguis simulacrum, quod in hastâ jussu Moysi erectum sanitatem respicientibus restituebat. Hæc in castris ad Salmona contigisse creduntur.

Cùm ad torrentem Arnon pervenissent, rursùs tentando in Chanaanitidem transitu per regionem Amorrhæorum, nuntii ad Sehon, regem ejusdem gentis, missi sunt. Ille non recusavit tantùm, sed exercitum in Hebræos duxit. Victoria Israelitis stetit, atque victoriæ pretium regnum fuit. Commissum est etiam alterum prælium cum Og rege Basan, eodem successu. Interim rex Moab, ne quid simile sibi contingeret metuens (quòd et ipse transitum Israelitis negaverat) Balaam celebratissimum præstigiatorem è Mesopotamiâ accivit (cap. 22, 23). Sed ille veniens pro maledictis fausta omnia in populum apprecari coactus est.

Magus hæc sibi invito accidisse, simulque et itineris labore, et expectatione præmiorum, quæ sibi à rege Moab sperare poterat, frustratum se dolens, perniciosum in Israelitas, quin et regem ipsum, atque in se tandem malum auctorem consilium eidem regi suggessit. Persuasit enim, ut missis ex Madian et Moab in castra hostium puellis, ad idololatriam illos et scortationem pelliceret. Res pro voto successisset, nisi gliscens jam inter Hebræos malum, Levitarum zelus in cædem scortantium irruens repressisset. Eâ occasione ad 24000 virorum trucidata sunt (cap. 25). Jussit deinde Deus bellum inferri Madianitis, quod tamen usque post peractum non diù post populi censum (cap. 26) dilatum est. Constitutæ etiam à Moyse leges pro dirigendâ hæreditate puellarum, quæ patre sine maribus decedente, in bona paterna successissent, quemadmodùm et puellis Salphaad tunc accidisse constabat. Constituta quædam pro festis sacris, votis, etc.

Tandem ad prælium cum Madianitis, quod postremum fuit omnium sub Moyse gestorum, processum. Ex hostibus nemo est, qui in potestatem Hebræorum veniret, servatus est, exceptis puellis innuptis; eodemque cum cæteris fato Balaam sublatus. Tota regio inter tribus Ruben, Gad, et dimidiam Manasse distributa; eâ tamen, conditione ut fratribus suis in expeditione Chanaanitidis suppetias laturi venirent cap. 31.

Cùm Moyses denegari sibi à Deo Jordanis transitum comperto novisset, divisioni Chanaanitidis, latis edictis, antea providit; addito simul mandato tum ut nemini Chananæorum parceretur, cùm ut sors de singulis portionibus distribuendæ regionis decerneret. Jussit insuper separari urbes in Levitarum sedem, ex quibus aliquæ jure asyli pro iis qui imprudentes hominem interemissent, sacræ haberentur. Interdicta tandem connubia illa, quibus distributiones agrorum per singulas tribus turbarentur. Hæc libri Numerorum summa.

Hunc librum digestum à Moyse credunt sub vitæ suæ exitum, ex ephemeridibus à se antea pro datâ occasione scriptis.

ANIMADVERSIONES

IN VERSICULOS 15-16 CAP. 21 NUMER., UBI MENTIO FIT DE *libro Bellorum Domini*.

In suâ libri Numerorum analysi abbas de Vence notationem inserit quam illic referendam duximus. Quæ spectat ad hæc verba capitis 21, v. 14 et 15, ubi legitur juxta Vulgatam : *Unde dicitur in libro Bellorum Domini: Faciet in torrentibus Arnon sicut fecit in mari Rubro. Scopuli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Ar et recumberent in finibus Moabitarum.* De quo abb. de Vence sic loquitur :

« Hic Vulgata quemdam indicat librum Bellorum Domini in quo scriptum est, Dominus *faciet in torrentibus Arnon sicut fecit in mari Rubro.* Quis est autem ille liber Bellorum Domini? quæ certa illorum verborum interpretatio : *Faciet in torrentibus Arnon sicut fecit in mari Rubro?*

« Putat sanctus Augustinus librum de quo mentio fit in hoc loco eum esse in quo populi illarum regionum incolæ historiam suæ gentis retulerant, et in hoc libro mentionem fieri de bello quod fecit populus Dei cum eis; juxta eumdem patrem hoc bellum adeò grave fuerat, ut ei nomen fuerit inditum *Bellorum Domini,* cui superaddita sunt cætera prælia quæ coacti sunt Israelitæ cum suis inimicis inire. Aliqui novi interpretes hunc librum putant esse eumdem in quo hæc verba referuntur, scilicet librum Numerorum; quin etiam alii adjiciunt librum Josue et librum Judicum. Inde sequeretur versiculum textui superadditum esse post Moysen. Alii verò interpretes arbitrantur sanctum hunc legislatorem scripsisse, vel scribi jussisse commentarios omnium rerum quæ accidebant Israelitis, et eum ad istos commentarios remittere qui vellent planiùs cognoscere omnes factorum circumstantias quas non potuit illic referre.

« Juxta sancti Augustini opinionem supponendum est hic citari profanum auctorem à scriptore sacro, quod nullam præbet difficultatem, cùm videmus sanctum Paulum in Epistolâ ad Titum carmen Epimenidis poetæ Cretensis retulisse ad definiendos mores hujusce gentis. Alibi etiam sanctus idem Apostolus testimonio utitur Arati poetæ profani. In suâ Epistolâ sanctus Apostolus Judas obiter alludit ad id quod scriptum est in libro cui nomen est Henochus; sub hoc nomine tamen solummodò cognoscitur incertum opus. Hæc testimonia talibus scriptis nullam dant auctoritatem; verba autem quæ auctores divinitùs afflati ex illis referunt, Scripturarum sacrarum partes fiunt.

« Una ergo in sententiâ sancti Augustini manet adhuc difficultas; parùm enim probabile est, in spatio temporis quod ex illo eventu usque ad mortem Moysis elapsum est, scriptores illarum nationum librum Bellorum Domini componere potuisse, et scriptorem sacrum de

istis bellis mentionem facere. Bellum de quo agitur in capite 21 Numerorum gestum est primis mensibus anni 40 post egressum ex Ægypto, et mortuus est sanctus legislator sub finem ejusdem anni.

« Aliæ novorum criticorum sententiæ ferè omnes supponunt locum ubi mentio fit de libro Bellorum Domini superadditum fuisse textui Scripturarum post Moysen; itaque discernere difficile est talia addita in Pentateucho.

« Qui dicunt librum Numerorum ipsummet esse ad quem auctor nos remittit, rem proferunt quæ sano sensui parùm convenit; in hâc enim hypothesi locus citatus minimè distingueretur à loco in quo refertur ipsummet factum.

« Ergo rerum naturæ magis conforme est dicere hic alludi ad bella Domini qualia vulgò narrabantur, et tunc verba textûs originalis sic simpliciter traduci deberent: « Dicitur in narratione Bellorum Domini, » non autem ut traducunt novi interpretes: *Scriptum est in libro Bellorum Domini*. Vox enim hebraïca ספר librum non semper significat, sed etiam narrationem, recensionem, expositionem (1).

« Et sic traducta prima pars versiculi 14 significaret verba sequentia, quæ quidem difficilia sunt intellectu, contineri in narratione istorum bellorum qualis tunc vigebat.

« Juxta Vulgatam nostram legitur in hoc libro vel in hâc narratione: *D. minus faciet in torrentibus Arnon, sicut fecit in mari Rubro*. Hæc verba prophetiam magis redolent quàm narrationem, et potiùs videntur polliceri prodigium simile prodigio quod factum est in mari Rubro, quàm enarrare factum jam præteritum. Ad confirmandum sensum quem hæc verba præbent, dicendum esset, per torrentem Arnon divisum Israelitas transiisse sicut per assuetum iter, quemadmodùm mare Rubrum aquas dividendo jam iter expeditum dederat populo Dei.

« Quòd si ad textum hebraicum recurramus ad explanandam hanc difficultatem, tantam in eo reperimus obscuritatem, ut ferè omnes interpretes fateantur textum corruptum fuisse negligentiâ librariorum. Vox *vaheb*, והב, nullam dat significationem, et idcircò tentatum est illius loco aliam vocem substituere. Alii dicunt legendum esse *zared*, זרד, et in hoc sensu interpretantur, scilicet Israelitas torrentem *Zared*, transiisse, aut castra juxta posuisse; alii verò contendunt legendum esse מואב pro והב, et hoc supposito vocem explicant, Sehon pugnavisse adversùs Moab propè Supha.

« Idcò autem conjecturandi locus est in explicatione hujusce loci, quia phrasis tota in textu originali videtur carere verbo propriè dicto: itaque aliqui in locum vocis והב, verbum propriè dictum substituerunt perindè ac si scriptum esset ויתן, *dedit*, vel ויעשה, *fecit*, aut potiùs והב putaverunt deductum è verbo chaldaico יהב, *dedit*, et hoc modo interpretantur totam phrasim: « fecit, vel excitavit turbinem in torrentibus Arnon. » Sed impossibile est credere והב esse verbum propriè dictum, quia fert secum præpositionem את, *eth*, quæ vocabula tantùm comitatur.

« Juxta meam sententiam, addit abb. de Vence, mutando litteram ו in litteram י, quod sæpè reperitur in textu hebraico ob magnam earum similitudinem (1), interpretatio satis verisimilis dari poterat huic loco qualis nunc legitur in originali; sic pro והב dicere liceret יהב, quod significat pondus gravissimum, afflictionem, mœrorem, et hoc modo traducere: Quemadmodùm mœror vel pondus est in turbine, sic fuit in torrentibus Arnon, ad demonstrandum populos qui cum Israelitis pugnaverunt ad torrentem hunc obrutos fuisse sicut turbine, et prostratos fuisse protectione quam Dominus populo suo tribuit.

« In illâ explicatione tenemur tantùm supplere verbum *esse* quod facilè subauditur in omnibus linguis, et vocem *supha* (2) intelligere in sensu appellativo.

(1) Imò abbas de Vence adjicere potuisset voce hebraeâ ספר librum nonnisi extensivè appellari, et quia liber narratio est vel enumeratio. Etenim à ספר, *narrare, enumerare*, deducitur ספר, quod propriè narrationem, enumerationem, et extensivè librum significat. Neque verò sensum priorem ideò amittit; sic Genesèos cap. 5, v. 1, in Vulgatâ legere est: *Hic est liber generationis Adam*, quod ex hebræo litteraliter verti potest: *Hæc est narratio* vel *enumeratio generationis Adam*.

(1) Inventus est anno 1747, in musæo comitis de Ponchartrain, Pentateuchus hebraicus antiquissimus et manuscriptus, convolutis vituli pellibus inscriptus, duos pedes altis, centum circiter longis. Notari in plurimis locis poterat quâ curâ hujus manuscripti menda correcta fuerant: in textu citato, ex mediâ litterâ *vau* ו, oriebatur lineamentum debilitato expressum atramento, simillimè referente atramentum quo superscripta erant puncta litteris, quasi tentavissent ex eâ litterâ efficiendum *Iod* י. Librario Joanni Boudot, qui indicem horum librorum ordinabat, ut notâ dignum illud designatum est, et de eo mentio facta est in notitiâ quam in hunc Pentateuchum scripsit.

(2) Non tanta simplicitas, facilitasque inest huic interpretationi, quantam inesse credidit abbas de Vence. Ut sic foret, oporteret in he-

« Qui narrabant bella Domini superaddentes dicebant: *scopulos torrentium inclinatos fuisse ut requiescerent in Ar, et recumberent in finibus Moabitarum.* Juxta textum hebraicum liceret traducere fluenta (vel effusionem) torrentium inclinata fuisse, cùm diffunderentur ut requiescerent in urbe Ar. Si hoc de scopulis intelligitur, tum sanè dicendum erit, protectionem Dei in hoc apparuisse super populum suum, quòd scopuli, in quibus Arnon fontem habet, exsoluti sint ad obruendos inimicos Israelitarum; sed vox hebraica אשד non significat scopulum, sed *effluvium, declivitatem,* et juxta illam interpretationem dicendum erit aquas torrentis Arnon effusas fuisse cum impetu ad dissipandos hostes Israel et constitisse tantùm ad urbem Ar (1).

« Alii interpretes confiteri nolentes hic ullum esse argumentum potentiæ Dei, dicunt verba versiculi 15 nihil aliud indicare, nisi Israelitas castra posuisse juxta fluenta torrentium quæ braico textu inveniri: *Sicut onus est in turbine, ita et in torrentibus Arnon*; verùm non sic scriptum est: siquidem, 1° nec *sicut*, nec *ita*, in hebraico sunt: fatemur ex ingenio linguæ hebraicæ has particulas subaudiri posse, aut potiùs solam conjunctionem ו, *et*, earum locum obtinere; aliquoties pro *ut* sumitur; sed 2° *onus* non nominativo sed accusativo casu accipitur, siquidem præpositionem את, quæ hunc determinat casum, præ se habet; 3° vox *torrentes* etiam accusativi est casûs, eâdem illam præcedente præpositione. Ita ut, si lectioni assentiamur ab abbate de Vence propositæ, sola hinc supererit hæc phrasis: *Propterea dicetur in enarratione bellorum Domini: apud onus turbinis ut apud torrentes Arnon.* Subauditur vox *fuit*, nihilque acceptius in hebraico stylo hâc subauditione. Sic ergo verti latinè posset: « Ideòque in enarratione bellorum Domini dicetur, torrentes Arnon fuisse quasi turbinem onerosum inimicis Israel. » Illud non longè aberrat à sensu quem adoptat abbas de Vence, aut potiùs per ipsam interpretationis sequentiam id confirmabitur.

(1) Hunc esse ipsum sensum præcedentis versiculi interpretati sumus: « Torrentes Arnon fuêre quasi turbo onerosus inimicis Israel. » In hoc consonat etiam ultimi versiculi structura. Nam ex hebraico sic exprimi possunt hi duo versiculi: « Propterea dicetur in enarratione bellorum Domini: onus in turbine et torrentes Arnon et decursus torrentium, qui declinat ad requiescendum in Ar, aut potiùs ad habitationem Ar, et incumbit in finibus Moab; » quod sic interpretari licet: « propterea in enarratione bellorum Domini dicetur quasi turbinem onerosissimum fuisse torrentes Arnon, talem fuisse impetum torrentium quorum undæ inclinaverunt in Ar, requieverunt in finibus Moab. » Fuit ergo torrentium Arnon impetus, ut turbo onerosus hostibus Israel. Illud ex lectione propositâ ab abbate de Vence oritur.

inclinantur vel extenduntur usque ad Ar, et terminantur ad fines Moab. Sed si Moyses enarrare tantùm voluisset castrorum metationem Israelitarum, supervacaneum illi fuisset, ut videtur, mentionem facere de libro, vel de narratione bellorum Domini.

« Sic de Vence loquitur. Ad confirmandum sensum hîc superiùs expositum, adhuc probandum esset, ideam similitudinis quæ in hâc phrasi non exprimitur, posse subaudiri, et hujuscemodi exemplum habemus in versiculo 14 psalmi 21 in quo textus hebraicus fert ad litteram: *Aperuerunt super me os suum, leo rapiens et rugiens.* Hoc modo, textus dat subaudiendam ideam similitudinis in Vulgatâ expressam: *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens;* hujusce modi aliud adhuc habemus exemplum apud Isaiam versiculo 10 capitis 10 in quo textus hebraicus fert ad litteram: *Quomodò invenit manus mea regna idoli, et simulacra eorum de Jerusalem et de Samariâ.* In illâ phrasi duæ sunt comparationes, altera inter primum et secundum membrum, et sic in Vulgatâ traducta: *Quomodo invenit manus mea regna idoli, sic et simulacra eorum de Jerusalem et de Samariâ;* id est: « Quemadmodum brachium meum destruxit regna quæ colunt idola, ita auferam statuas quæ adorantur in Jerusalem, sicut statuas quæ adorantur in Samariâ. » Et hæc est secunda comparatio in secundo membro inclusa; nam Assyrius est qui loquitur et minatur non primùm eversionem Jerusalem et postea Samariæ, sed minatur destruere Jerusalem, sicut destruxit Samariam. Verumenimverò, quis me impediet, ait adhuc, tractare Jerusalem cum Diis quos veretur, sicut Samariam tractavi cum illius idolis? *Numquid non sicut feci Samariæ et idolis ejus, sic faciam Jerusalem et simulacris ejus?* Igitur in uno textu duæ phrases reperiuntur in quibus idea similitudinis subauditur: *Quomodò invenit manus mea regna idoli, et simulacra eorum de Jerusalem, et de Samariâ,* scilicet: *Quomodò invenit manus mea regna idoli,* sic et *simulacra eorum de Jerusalem, et* (id est, sicut) *de Samariâ.* Itaque hæc phrasis, *onus in turbine, et torrentes Arnon,* planè significare potest, *apud onus turbinis, sicut apud torrentes Arnon* vel quod idem est: *Sicut apud onus quod est in turbine, sic fuit apud torrentes Arnon.*

Probandum adhuc esset in linguâ sanctâ particulam את, *eth,* quæ hic regit *onus* et *torrentes,* subsistere posse sine ullo verbo propriè dicto expresso, et hujusce rei exemplum qui-

dem habemus in psalmo 83, versiculo 4 : *Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos : altaria tua, Domine virtutum, rex meus et Deus meus.* Illa pars ultima manet suspensa, et in textu hebraico hæc elocutio suspensa, *altaria tua,* regitur præpositione אֵת, *eth.* Hanc enim præpositionem accusativus non semper sequitur, et licet illam interpretari in multis aliis sensibus, scilicet *ad, apud, circa, de;* ita traducere liceret : *ad altaria tua, Domine virtutum,* subaudiendo, *est desiderium meum;* eodem modo possunt interpretes traducere : *Apud onus* quod est *in turbine et apud torrentes Arnon;* scilicet, sicut est *de onere* quod est *in turbine,* sic fuit *et de torrentibus Arnon.*

DE BALAAMI PROPHETIIS

Dissertatio.

Balaami prophetiæ singulari dignæ sunt attentione, tum præcipui objecti dignitate, tum et numerosis et amplis rerum mutationibus, quas prænuntiant (1). Illarum autem summa breviloquentia, figuratus stylus, lectionis in primigenio textu varietas, atque interpretationum, quas præ se ferunt et versiones et commentaria discrepantia, illas ita prophetias opacavêre nubeculis, ut necesse sit istas dilui umbras, si velimus harum prophetiarum, perinde admirabilium ac utilium, sensum perspicere ad verum.

Populum quidem Israel hæ prophetiæ evidenter designant et monent; Messiam insuper continuò significant, et quicumque Christo suam tribuit fidem, confitebitur hunc divinum liberatorem illis singulariter designari. Ille autem propheta non unicè populum Israel inspicit; Balaami contra oratio Moabitas, Idumæos, Amalecitas et Cinæos designat dilucidè; ipsos etiam Assyrios indicat. Quibus è rebus minimè potest fluctuare animus, et si quædam inest dubitatio, ad prophetiarum sermonem tantùm attinet, et ad prædictorum absolutionem.

Nec verò hos tantùm populos propheta agnoscit; pervadit etiam ad tempus quo, de Cithæorum terrâ sunt oriundi homines, qui Assyriis et Hebræis cladem inferent. Hic autem præcipuè sententiâ interpretes discrepant.

(1) Prophetiæ Balaami attentione dignæ sunt præsertim quia Moyses eas *Parabolæ* nomine septies designet; cujus vocis occasione P. Houbigant animadversionem affert maximi momenti, dùm impugnat errorem Joannis Clerici qui vocabuli hujusce vim omninò nescivit : « Parabolam Balaam ejus generis esse confitendum est, cujus erant parabolæ Salvatoris, « non tantùm figuratam orationem, ut Clerico « videbatur. » (Houb. notæ in Num. 23, 10).

Alii etenim volunt Græcos indicari, alii autem Romanos. Quâ ad finem perductâ prophetiâ, Balaamus ruinam uni ex his populis denuntiat. Quidam Græcorum aut Romanorum perniciem significari æstimant, quidam verò Hebræorum. Quid de hoc sentiendum diligenter perpendemus et investigabimus.

Reipsà inter interpretes, alii qui, Rabbinorum instar, litteram textûs solummodò perpendunt, Balaami *parabolas,* sic à Mose designatas, æstimant meras metaphoras, quæ Græcorum imperii excidium aut Hebræorum reipublicæ à Romanis indicant, vel Romani imperii ruinam à barbaris. Alii verò explanatores qui, veluti Patres, à Christo et Apostolis didicerunt quâ prophetiarum mysteria ratione denudantur, agnoscunt Balaami parabolas quâdam similitudine attingere Salvatoris parabolas, litteræ scilicet velamine altiorem magisque sermoni consentaneum occultare sensum. Existimant hi illas prophetias spectare non ad veterem solùm, sed ad novum inprimis Israelem, id est, ad ipsam Christi Ecclesiam, quæ sola etenim meretur elogia quibus Israelem prosequitur Balaamus; illi contra reputant has prophetias non ad designatos nominatim populos propriè pertinere, sed illarum gentium nomine cunctos orbis populos revisere, et ad seculorum solutionem pervadere. Quod hic prorsùs summâ investigabimus attentione pro rei momento.

Primus Balaami sermo. — *Dominus autem posuit verbum in ore ejus* (Balaami) *et ait : Revertere ad Balac et hæc loqueris* : Num. cap. 23, v. 5. Hæc nobis narrat Moses, simulque nos monet ipsum numen esse locuturum ore hujus divinitùs afflati viri. Non solùm Domini spiri-

tus in Balaamum descendet, ut quid dicendum edoceat, at ipse *ponet in ore* prophetæ *verba* quæ sumus audituri.

Et assumpsit parabolam suam. His quoque utitur verbis Moses. Septuaginta interpretum codex et Vulgata versio eadem servant vocabula, *assumptàque parabolâ suâ.* Ista vox hic magni est momenti; septies enim iterabitur, hoc est, quoties ad sermonem Balaamus redibit. Verba quæ Deus in ore Balaami ponit sunt ergo *parabolæ*, non equidem verba metaphoricè translata, qualibus oratores et poetæ utuntur ad ornanda et sermones et carmina; nec Deus enim ad vanam profanæ eloquentiæ pompam descendit, nec fiet sermonis poetarum aut oratorum imitator æmulus; digniorem contra orationem adhibebit; in parabolis locuturus est, veluti Christus apud Judæos sermonem agebat, simplicissimis verbis velando altissimas sententias, quas profani nullo modo possunt attingere, sed quarum mysteria discipulis suis Deus revelat, illis qui Filio dilectissimo fidem dant, illis qui humili corde intelligentiam postulant mysteriorum, quæ in illius sermone includuntur. Locuturus est Balaamus in parabolis sicut David, qui, ineunte magno psalmo 77, nuntiat se in parabolis locuturum; et tamen illud amplissimum canticum solummodò præ se fert simplicissimam historiæ Judaicæ enarrationem. Atverò illa enarratio parabolicè interpretanda est, cùm ipse Christus ostendat *cœlestem panem*, de quo sermonem habet David, velamine mannæ nominatim citatæ, esse ipsum Filii Dei corpus, qui sese pro nobis verum panem cœlestem effecit. Quicumque sic illum sermonem figuris reconditum interpretari abnuit, nunquàm Davidis nec Balaami parabolas ad verum percipiet.

Hæc ergo est oratio prior hujus prophetæ: *De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus Orientis.* Vers. 7. — Aram regio ex occidente ad orientem extendebatur ad terræ Chanaam et Moab septentrionem. Pars occidentalis citra Euphratem posteriùs nomine Syriæ fuit dicta; partem verò orientalem trans Euphratem, Euphratem inter et Chaboram, aut etiam inter Euphratem et Tigrim, Græci deinceps nominaverunt Mesopotamiam, hoc est, provinciam fluviis duobus conclusam. Hebraico etiam textu ipsa hæc regio identidem dicitur Aram-Naharaïm, hoc est duorum fluminum Aram. In Deuteronomio expressè significat Moses inde venisse Balaamus, *de Mesopotamiâ Syriæ*, secundùm Vulgatæ versionis vocabula: *De Aram-Naharaïm*, si textum hebraicum conferas, *adduxit me Balac: Veni, inquit, et maledic Jacob, propera et detestare Israel. Quomodò maledicam cui non maledixit Deus? Quâ ratione detester quem Dominus non detestatur?* cap. 23, v. 8.—Hoc est, ille contra quem non anathemata jaculatur Dominus, super quem illius indignatio non malè incidit. Hic verò pretium est attendere, persæpè hunc Israel, apud quem Balaamus sistebat, divinâ indignatione prostratum fuisse. At memoriâ quoque teneamus Balaamum in parabolis eloqui, et sic intelligamus rem ita se habere, scilicet, quemadmodùm mannæ velamine quæ minimè *verè cœlestis panis erat*, significabat David panem qui solus verè est panis cœlestis, ita, dùm de Israel, adversùs quem indignatio divina toties insurrexerat, loqueretur Balaamus, prophetam locutum fuisse de vero Israel populo secundùm spiritum, qui verè est populus cui non maledicit Deus. Namque, ait Apostolus: *Non... qui in manifesto, Judæus est; neque quæ in manifesto, in carne est circumcisio: sed qui in abscondito, Judæus est, et circumcisio cordis in spiritu, non litterâ, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Ille est populus cui Deus non maledicit et contra quem non in irâ fulmen emittit; hunc inter populum veteris Testamenti justi homines vitam degebant. Itaque inter hunc veterem populum, inter illum sensui deditum Israel, et murmuratorem et rebellem, qui toties Domini iram provocavit, Deus fideles prævidebat homines, veros Israelitas, contra quos anathematibus abstinebat, quos erga retinebat et moderabatur indignationem quâ sæviebat adversùs prævaricatores. Quorum igitur causâ fidelium hominum Deus, sic per Balaamum sermonem facit: *Quomodò maledicam cui non maledicit Deus? Quâ ratione detester quem Dominus non detestatur?*

De summis silicibus videbo eum, et de collibus considerabo illum. Populus solus habitabit, et inter gentes non reputabitur. Codex Hebraicus illas exprimit particulas, quas Vulgata versio negligit, sed quas septuaginta Interpretum codex retinuit: *Quia, ecce;* id est: « Nam illum vi- « dendo, populum prævideo, qui, segregatus « à cunctis nationibus, et inter gentes nobili- « tatus, semper versabitur. » Israel quidem carni deditus erat, sine dubio populus ab aliis distinctus tum et divinis promissis, tum et mirandis prodigiis quæ Deus illius causâ ediderat, tum et præsertim fœdere quod Deus cum illo sanxerat; at populus iste, ipso in deserto,

sese sæpè hoc fœdere indignum præbuerat, et tandem ad istud malitiæ culmen devenit, ut Deus illum illis persecutus est ultionibus, quibus gentes infideles et impias iratus oppressit. Qui quidem prævaricatores non minùs nocentes ac populi infideles, nocentiores etiam his nationibus, cùm magis ingrato essent animo, pro impertitis erga illos à Deo beneficiis; hi, inquam, prævaricatores non erant ergo populus ille à cæteris gentibus segregatus; at illos inter prosp.ciebat Deus fidelem gentem, populum justum, qui, omninò à suorum fratrum nequitiis alienus, erat populus ille Deo dilectus, populus ille qui verè *solus habitabat* vero Deo sincerâ devotione addictus, inter impiam quæ iram divinam provocabat multitudinem. Hi verè à nationibus cæteris distinguebantur, à quorum sceleribus abhorrebant, dùm alii per gentium nefarias semitas incidentes, merebantur qui cum illis confunderentur.

Quis dinumerare posset pulverem Jacob, et nôsse numerum stirpis Israel? ibid. v. 10. — Hic memoriâ revocanda sunt verba quæ Deus cum Abrahamo locutus fuerat: *Si quis potest hominum numerare pulverem terræ, semen quoque tuum numerare poterit.* Quæ verba apud Jacobum iterabit postea Deus: *Eritque semen tuum quasi pulvis terræ.* Abrahamo dixerat quoque Deus: *Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli et velut arenam quæ est in littore maris.* Quas ad memoriam promissiones revocans Jacobus Deo dicebat: *Tu locutus es quòd benefaceres mihi, et dilatares semen meum sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest,* Gen. c. 32, v. 12. Illas pro certo respicit promissiones Balaamus, cùm hic dicit: *Quis dinumerare possit pulverem Jacob, et nôsse numerum stirpis Israel?* Quandoquidem ignoraretur hebraicas prophetæ voces significare *pulverem* et *arenam,* ex comparatione textuum auguraretur hanc significationem, quisquis illam ex conjecturâ prosequeretur; quam equidem nos existimamus sinceram, cùm reipsâ prior harum vocum, in promissionibus verè adhibita sit ad significandum *pulverem.* Cùm verò posterior vox non planè in promissionibus iisdem significat *arenam*, sincera significatio quibusdam visa est dubio obnoxia. In septuaginta Interpretum codice reperire est nec *pulverem* nec *arenam*, sed *gentem* et *populos.* Hi sanè interpretes sensum potiùs quàm vocabula expresserunt. Vulgata versio retinuit verbum *pulverem*, at pro *arenâ*, posuit *numerum stirpis.* Hic quoque sincerus traducitur sensus, at vox textûs non ad verbum redditur. Notandum est insuper, cùm hebraicum vocabulum affine sit verbo hebraico quod *quatuor* significat, aut magis etiam affine verbo *quadrantem* significanti, quosdam interpretes effinxisse Balaam vocem interpretandam: *Quis possit numerare quartam Israel partem?* At quædam arabicæ linguæ notitia demonstrat hoc vocabulum omni in Oriente designare arenarum cortices, quæ in aridis jacent desertis. Promissiones expresserant *arenam maris;* Balaamus autem de *desertorum arenâ* loquitur. Ea est vocis discrepantiæ ratio; ast intrinsecùs idem omninò est sensus. Cùm verò nostra lingua unum solummodò verbum possideat ad illa arenarum duo genera exprimenda, retinemus omnem prorsùs vigorem hebraici textûs dicendo: *Quis dinumerare possit pulverem Jacob, et nôsse numerum stirpis Israel?* Bis tamen enumeratione recensus fuerat Israel, cùm ita sermonem faceret Balaamus: sed afflatu divino monitus, vir innumerabilem, quæ ex hoc populo oriunda erat, stirpem prævidebat. Deus, qui in ore ejus ponebat hæc prophetica verba, per illum denuntiatam et prædictam volebat numerosiorem Israel secundùm spiritum stirpem. Qui enim fidem redemptori dederunt sive priusquàm in terram descenderet, sive à diebus quibus inter homines versatus est, atnumerandi sunt omnes inter filios Israel secundùm spiritum, sive nati inter Judæos sint, sive inter gentiles fuerint. Hic porrò sensus textui sacro, si tributus sit: *Quis dinumerare possit pulverem Jacob, et nôsse numerum stirpis Israel?*

Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia! cap. 23, v. 10. — Secundùm septuaginta Interpretum versionem primæva textûs verba hæc erant: *Fiant novissima meà horum novissimis similia!* Septuaginta magnâ cum discrepantiâ interpretati sunt hæc verba. Vox hebraica universim significat, *quod succedit, quod post venit, vel posterius est;* ideòque Septuaginta interpretati sunt posteros, filios. Sic ergo primæva verba vertunt: *Moriatur anima mea inter justorum animas et posteri mei sint sicut illorum posteri!* Cùm constat autem idem vocabulum significare quoque *finem, ultimum* statum, sensus posterioris periodi requirendus est ex priori periodo, quæ est parallela. Vulgata igitur versio optimè utramque periodum traducit: *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia!* Illi justi non sunt

reverà murmuratores et rebelles, quos Deus à mansione pacis removet, illi contra sunt sancti patriarchæ, Abrahamus, Isaac, Jacob, et quicumque illorum vestigiis inhærentes, fuêre digni qui justi vocarentur. Qui justi non sunt hi tantùm qui ante Christi tempora vixerunt, at illi etiam qui Christo abhinc nato fuerunt, et qui cum primis unum efficiunt populum, qui verè est Dei populus. Hic est populus cui verè Deus misericordiæ suæ beneficiis favet; illum laudibus extollit populum Balaamus, dùm afflatas divinitùs parabolas profert; de illis fidelibus veris ita loquitur : *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia!* Quin imò hebraica vox multò majori vi pollet; nostrâ etenim in linguâ verbum *finis* aliquando *extinctionem* significat, et evidenter non ita intelligenda est Balaami sententia. Hebraicum vocabulum, ut animadvertimus, designat quod est posterius; hic igitur de quo Balaamus loquitur *finis* significat *posteriorem* statum qui morti succedit. Exoptat emori velut justi moriuntur, esse sicut illi, quando morietur, dignus quem suscipiat misericordia Domini, et cui subveniat divinus amor. Desiderat participem fieri bonorum æternæ mansionis, quæ Deus promiserat, quæ justi expectabant, et quibus frui concessum illis est, ex quo Christus pro sanguinis meritis nobis cœli portas reseravit. Hic sanè est felicissimus finis quem desiderat Balaamus et quem nos ipsi votis efflagitare debemus : *Moriatur anima mea morte justorum et fiant novissima mea horum similia!*

Talis est primus Balaami sermo. Sequentem prætermitimus narrationem, ne longiùs progrediatur hæc dissertatio, et ad secundum sermonem properamus.

Secundus Balaami sermo. — Deus rursùs verbum in ore Balaami ponit et ait illi : *Et hæc loqueris*, cap. 23, v. 16. — Idem rursùs notat Moses, ipse nos denuò monet Balaami verba ipsa esse ipsius Dei verba.

Balaamus *parabolam resumit*. Ipsa est hæc quoque vox Mosis diligenter servata in Septuaginta codice et in Vulgatâ editione : *Assumptâ parabolâ suâ*. Hic igitur novus sermo parabolicus est pariter, non metaphoricè quidem, sed ænigmaticè, ita ut alter sensus alterum involvat sensum multò ampliorem, multòque magis consentaneum vocabulorum nervo, quæ nimis certè magnifica et ponderosa videbuntur, si illa priori sensui volueris accommodare et applicare; optimè autem eadem in involutum sensum quadrabunt, si ad illum ea revocaveris. Jam primo in sermone plures notati sunt ejusmodi loci; alii plures etiam occurrent secundo hocce sermone. Apprimè doctissimus P. Houbigant mysteria denudavit illarum parabolarum, cùm, primo perpenso sermone, dixit : *Parabolam Balaam ejus generis esse confitendum est, cujus erant parabolæ Salvatoris.*

Sta, Balac, et ausculta; audi, fili Sephor. Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur, ibid v. 18 et 19. Pro verbo *pœnitet* textûs hebraici, Vulgata versio posuit *mutetur*, et explicuit quàm sint Dei promissa veracia et immutabilia : *Dixit ergo, et non faciet? Locutus est, et non implebit?* Pro certo teneatis eas quas fecit promissiones hujus populi patribus nec falsas esse nec revocabiles, sed exequendas ad summum et omninò quæque sint. Hic verò exstat hebraismus dignus qui notetur. *Locutus est et non suscitabit eam*, hoc est, eam rem de quâ locutus est, aut potiùs illud verbum quod locutus est; nam in hebraicâ linguâ femineum genus pro neutro usurpatur, subauditâ voce *verbum* quod hîc in verbi *locutus est* sensu includitur. Secundùm autem Hebræorum stylum, *suscitare verbum* significat *implere, perficere, exequi*. Gens Abrahami suos est jamjam devictura hostes, et recuperatura terram Chanaam, et postea hæres universi orbis Abrahamus evadet, auxiliante potentiâ Redemptoris, qui ex illo orietur. Tales ei promissiones dantur et indubitanter adimplebuntur.

Ad benedictionem adductus sum, benedictionem prohibere non valeo, ibid. v. 20. Unà consentiunt et textus samaritanus et septuaginta Interpretum codex et ipsa Vulgata translatio. Parumper discrepantiâ variat hebraicus textus; ubi nos legimus : *Ad benedictionem adductus sum*, textus hebr. habet : *Ille* (Deus) *benedixit, illam* (benedictionem), *non possem revocare*. Pro hebraicè *benedixit*, textus samaritanus fert : *Benedicam*. Magis aptatur hic sensus : *Ad benedicendum adductus sum, benedicam et non revocabo eam*. Hic quoque animadvertere est hebraismum : *Benedicam et non revocabo eam*, hoc est, *eam benedictionem*, aut potiùs : *Illud verbum quod benedicens proferam*. Quæ verba sic sunt commentanda :

« Benedicam et non revocabo benedictio-
« nem; vocâsti me ut huic populo maledice-
« rem; at hùc me Deus adduxit ut illi bene-
« dicam. Frustra et precibus et minis instabis
« apud me ut maledicam, benedictionem in-
« vocabo super illum, et non revocabo eam

« quia irrevocabilis est. Gens Abrahami bene-
« dicta est, et cunctæ orbis nationes benedi-
« centur in illo qui ex eâ nascetur. »

Non est idolum in Jacob, nec videtur simulacrum in Israel, ibid. v. 21. Vox hebraica fortè interpretanda esset : *Non videbitur,* et, *non apparebit,* sed samaritanus textus habet, *non videbo, non inspiciam,* quod magis consentit cum præcedenti versu.

« Vis me adversùs illum populum dira im-
« precari, maledictionem evocare; sed ad be-
« nedictionem adductus sum, et illi benedicam;
« tu vis me illi calamitates et clades denun-
« tiare, sed in illum non ingruentes videbo
« clades quas tu illi exoptas. » Pro verbo *malum* Vulgata versio posuit *idolum,* pro voce *cladem, simulacrum.* Discrepantiæ ratio hæc est : vox prior hebraica, quam nos traduximus *malum,* simul significat, veluti in nostrâ linguâ, physicum simul et morale malum, ita ut adaptetur scelerum maximo, id est, idololatriæ vel ipsi idolo, ex quo scelus oritur. Vox verò posterior pœnam, laborem, dolorem communiter sonat; quæ, si fortè simulacrum unquàm significaverit, difficilè probaretur. Forsan, ob similitudinem hebraicarum vocum, *labor* pro simulacro assumptus. Septuaginta autem Interpretum codex, et textus tum hebraicus, tum samaritanus, in priorem vocem consentiunt. Tunc temporis quidem erant forsitan nec idolum in Jacob, nec simulacrum in Israel, at primævo in textu Balaam, ut videtur, declarat se in hunc populum non videre irruentia mala, quibus illum Balac oppressum vellet; aut potiùs : « Tu vis me adversùs hanc
« gentem prophetare perniciem et ruinam;
« at ego illum video populum à numine sum-
« mâ donandum felicitate esse; ast Deus hu-
« jus populi lacrymas ipse, ut prospicio, postea
« absterget, et quævis ærumna atque quivis
« dolor, favente illo Deo, ab hoc ipso populo
« longè abibit. »

Dominus Deus ejus cum eo est, et clangor victoriæ regis in illo. Textus hebr. fert : *Clangor regius,* quam vocem Vulgata versio interpretatur sonum clangoris qui regis victoriam annuntiat : *Clangor victoriæ regis in illo.* Frustra aliquis insurgeret hunc in populum, quem Deus rex tutatur, et cui Deus est supremus rerum auctor, cujus voluntas et potentia quidquid flectunt et adimunt. Hìc autem notetur necesse est Orientis reges incedere, tubis præcedentibus, atque Deus medio in Israel tubas ipse voluerat esse, quæ illum coram stare canerent suique populi victorias nuntiarent. Ipsa fœderis arca simul et nubes quæ illam involvit pro Dei conspectu symbolicè erant in medio Jacob; verùm autem aderit tempus quo sese Deus populi oculis videndum dabit, atque ad sensum accommodatus hunc apud populum habitabit. Tunc verò resonabit, non quidem æneus clangor, sed evangelica tuba, quæ universæ decantabit terræ Messiæ victorias ejusque regalem potestatem.

Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis, ibid. v. 22. — Secundùm textum hebr. legitur : *Deus eduxit illos de Ægypto;* sed septuaginta Interpretum versio et Vulgata simul ferunt : *Deus eduxit illum de Ægypto;* quod meliùs convenit cum antecedentibus et sequentibus periodis. Legunt quoque Hebræi *reem* pro *rhinocerotis.* Septuaginta interpretantur *monoceros,* Vulgata autem *rhinoceros.* Quidquid id est, illud erat animal ingentissimo valens robore, quem propter sic interpretati sumus illud *reem,* cujus notitia maximè est obscura. Quibusdam si fides adhibenda sit, hâc imagine propheta ipsum Dei robur symbolicè designavit; at ex sequentibus patet hic ipsius populi potentiam et vim significari; proximè enim hic populus leoni vigore terribili comparatur. Sic verò quidam explanator explicuit : « Suam summus rerum Au-
« ctor potentiam palàm ostendit dùm illum
« populum ex Ægypto eduxit, illi suam quasi
« vim communicavit adjuvans tantâ eum cum
« potentiâ ut populos qui in illum insurgent
« exterminet. Adveniet insuper tempus quo
« suam Deus gentem à tenebris abducet atque
« sui dilecti Filii in regnum reponet. Tunc illam
« vi rhinocerotis donabit, ut inferni potentias
« devincat, idololatriæ imperium destruat,
« terrarumque orbem Christi jugo submittat
« solummodò veritatis et charitatis armis in-
« structa. »

Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israel, ibid. v. 23. — Legere est ad litteram in textu hebr., *in Jacob, in Israel,* sicuti Vulgata vertit. Ast ea vox *in* apud Hebræos velut apud Latinos persæpè interpretanda est *contra.* Ipso in hoc libro plurima rei fidem faciunt exempla. *Locutus est populus in Deum et in Moysen,* id est, *contra Deum et Moysen,* sicuti Vulgata versio traduxit; et inferiùs : *Misit Dominus in populum ignitos serpentes,* Num. cap. 21, v. 5 et 6. — Ipsa sic Vulgata vertit, et in ipsâ Vulgatâ vox *in, contra* significat, Deum scilicet misisse ignitos serpentes contra populum. Sic expla-

natores : « Frustra igitur adversùs hunc po-
« pulum consilium petis ab ariolis et auguri-
« bus ; nulla illi divinatio, nullum illi augurium
« adversa esse possunt ; frustra idololatria,
« Evangelio nuntiato eversa à fundamentis,
« philosophos et magos in auxilium invocabit,
« nec hi quidquam nec illi valebunt ad Chri-
« sti regnum convellendum. »

Temporibus suis dicetur Jacob et Israel quid operatus sit Deus, ibid. v. 23. —In textu hebr. legitur ad litteram : *Secundùm tempus,* quod Vulgata versio reddidit : *Temporibus suis,* quod interpretes gallicè verterunt, *avec le temps,* significare possent nativa verba : *Dicetur Jacob et Israel quid egerit Deus ;* cui versioni convenit Vulgata : *Dicetur Jacob et Israel quid operatus sit Deus.* At ille dativus *Jacobo et Israeli* apud Hebræos aliquando vertendus est ad significationem *propter,* vel *super,* vel *de.* In hoc ipso libro duo occurrunt exempla, cùm narratur Deum Mosi dictitavisse sua mandata de Levitis, in textu hebr. *Levitis* dativo casu. Optimè intelligit Vulgata dùm vertit *super Levitis,* Num. cap. 8, v. 20. Alterum occurrit exemplum, cùm legitur Mosem sua mandata dedisse Eleazari et Josue de Gad et Ruben tribubus, ubi fert textus hebr. *eis,* Num. cap. 32, v. 28, quod non exprimit Vulgata; at constat sensum esse *de eis* vel *super eis. Dicetur de Jacob et Israel quid operatus sit Deus.* Apud septuaginta Interpretes legimus : *Quid Deus operabitur.* At textus hebr. cum Vulgatâ versione consentit, *quod operatus sit Deus.* Explanatores sic : « Non
« est divinatio contra hunc populum, quia
« Deus illum protegit ; adsint tempora et ap-
« parebit quæ Deus propter Israel prodigia
« ediderit ; nec eum propter populum qui tibi
« videndus adstat, sed et quoque eam propter
« novam gentem quam posthàc suscitaturus
« est Dominus, quæ huic succedat populo. »

Ecce populus ut lœna consurget et quasi leo erigetur. Non accubabit donec devoret prædam et occisorum sanguinem bibat, ibid. v. 24. — *Leonis catulum* interpretatus est Septuaginta codex quam hebr. vocem Vulgata *Leænam* vertit. Ut enim vox hebraica genere masculino terminatur, magis ad masculum quàm ad feminam spectare videtur. Quidquid autem id est, planè constat hic Balaamum augurari proximas Israelitarum victorias. Sic explanatores cæterùm : « Quadraginta abhinc annis populus ille
« istis in desertis versatur sicut in suâ leo spe-
« luncâ ; ast ingenti validus robore ecce exi-
« turus properat, nec sanè moram est facturus
« quin suos subegerit hostes eorumque urbes
« et arva in ditione tenuerit. Quasi leo prædæ
« carnes devorat sanguinemque elibit, ita
« Israel agros occupabit citò atque divitias,
« quæ Dei promissionibus et mandatis est pos-
sessurus. » Ipse Christus, *leo de tribu Juda,* Apocal. cap. 5. v. 5, denominatur ; Satanam devicit ejusque prædam raptat ; *exivit vincens ut vinceret,* Apocal. cap. 6, v. 2, nec in requie stabit, quin hostes sub pedibus submiserit. Alios sustollendo perdit, alios miserando salvat fideique jugo subjicit. Illi ejus fiunt præda, eosque servat dùm suam in societatem aggregat, ita ut ejus membra evadant, prout beato Petro dictum est eà in visione, quâ illi gentium conversio ad fidem fuit annuntiata : *Occide et manduca,* Actus Apost. cap. 11, v. 7, quæ ita divus Augustinus verba explicuit : « In illis quæ sunt destruas, hoc est
« hominis veteris membra, atque illos fac quid
« tu sis, novi hominis membra. Ita ea quâ
« Christus stimulatur sitis, nostrarum est sitis
« animarum eamque sedat cùm eas sibi ad-
« jungit. Quæ omnia pro suo agit populo, ad-
« hibitis quidem ministris Ecclesiæ, quæ verè
« ejus est populus. Quæ autem Christi suæque
« Ecclesiæ victoriæ usque ad seculorum abso-
« lutionem producentur. » Sic eæ parabolæ, quas secundus Balaami sermo retulit, mundi ad finem vaticinando pervadunt, quam enim Israel victoriæ metam sunt adepturæ.

Tertia Balaami oratio. —Tertiò suam parabolam Balaamus resumit. Hæc est quoque Mosis vox : *Assumptàque parabolâ,* ut vertit Vulgata, *parabolâ suâ,* secundùm hebraicum textum. Convenit hæc elocutio cum Beati Pauli verbis, qui, postquàm narravit Abrahamum fide incitatum, sui sacrificio filii assensisse, cùm reputaret à Deo mortuum revocandum posse ad vitam, subjungit : *Unde cum et in parabolam accepit,* ad Hebr. cap. 11, v. 19. Quâ in parabolâ Isaacus Christi personam agebat symbolicè ; ejus in ligno immolatio erat Christi sacrificium in cruce, hebraicè *ligno,* ejus ad vitam revocatio figura fuit Christi resurrectionis. Tales porrò sunt patriarcharum et prophetarum parabolæ ; tales quoque habendæ sunt Balaami parabolæ. Ut autem hæc intelligantur mysteria, Abrahami filius, id est, ejus fidei hæres oportet esse.

Ecce ergo, ait Balaamus, *dixit Balaam filius Beor, dixit homo cujus obturatus est oculus,* ibid. cap. 24, v. 3. Sic saltem Vulgata. Septuaginta codex cum dissimili valdè sensu interpretatus

est : *Ecce quæ dixit homo qui verè videt.* Ut autem videtur, Septuaginta verterunt hebraicam vocem שתם pro שחם, *qui perfectus,* id est, *homo qui perfectus est oculo,* homo qui verè videt, homo cujus oculi sunt perfecti. Vox hebraica quâdam similitudine proxima est ei quam in Lamentationibus Jeremias adhibuit, cùm sic loquitur : *Sed et cùm clamavero, et rogavero, exclusit orationem meam,* Lam. cap. 3, v. 8, ubi vox, quam posuit Vulgata, *exclusit,* potest hebraicè reddi : *Occlusit orationem meam.* Vox ergo Numerorum significare potest *clausus,* et Vulgata optimè sensum vertisse videtur : *Homo cujus obturatus est oculus.* Pro certo etenim, cùm Balaamus angelum non videret quem ejus asina videbat, oculis erat magis clausis quàm ipsa asina. Cùm autem nunc est dicturus se esse oculo aperto, sat constat illum voluisse dicere se priùs fuisse oculis clausis.

Dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, ibid. v. 4, hoc est, quod illi Omnipotens revelat. Balaamus igitur hic dissimilia videt iis quæ à Balac rege ostenduntur. Illi Balac castra Israel ostendit; ast ei Deus apponit alterum Israel cujus ille quasi umbra est tantùm. Inde sanè parabolæ fundamentum et origo, scilicet dùm de iis loqui videtur rebus quas Balac ostendit, reipsà de iis loquitur quas illi Deus subjicit. Verba Dei audit, sermonemque divinum recitat, veluti mandatum acceperat.

Hæc igitur dixit homo *qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus,* ibid. v. 4. — Homo qui divini luminis fulgore prosternitur, atque animæ oculis distinctè videt quæ Deus illi revelat cùm cadens aperit oculos. Priùs quidem clauso erat oculo, cùm adstantem angelum non videret; at nunc est aperto oculo, cùm videat quæ illi Deus ostendit. Et profectò apertis oportet esse oculis, sicuti erat, ad audienda quæ dicturus est, prophetando quæ, dictante Deo, pronuntiabit. Sed enim, cùm necesse sit cordis aures operiat Deus, ut ejus vocem audiat, sic quoque est necesse animæ oculos aperiat ut ipsa videat quæ prophetis revelavit, et ab ipso expetendi sunt hi cordis oculi aperti, ut videamus quæ viderunt prophetæ.

Quàm pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel! ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irriguî, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri propè aquas, ibid. v. 5 et 6. — Apud Hebræos eadem vox designat nunc torrentes, nunc valles. Quidam igitur interpretes existimaverunt hic Israel tabernacula cum torrentibus comparari, et quia in textu hebraico proxima vox, *extensa sunt,* significat, explicuerunt, tabernacula Jacob extensa esse sicut torrentes. Hæc sanè comparatio nec foret valdè sensui accommodata, nec aptissima. Torrentes etenim qui transeunt et minimè durant, valdè sunt dissimiles ab Israel. Septuaginta interpretes et divus ipse Hieronymus rectissimè senserunt hic de vallibus agi, et imò de vallibus arboribus opertis, *valles nemorosæ,* ut Vulgata vertit, valles umbram suis sub arboribus præbentes, *valles umbrantes,* ut Septuaginta ferunt, interpretatio vera videtur. Hæc cæterùm comparatio rectissimè convenit cum sequentibus, ac præcipuè cum secundâ, *ex hortis juxta fluvios irriguis* desumptâ. Ita quoque idem verbum dissimili vocis sono pronuntiatum significat aut quasdam, quæ aloes existimantur arbores, aut solummodò tentoria. Unde etiam tùm et septuaginta Interpretes, tùm et divus Hieronymus reputaverunt tentoria Israel hic comparari *tabernaculis quæ erexit Dominus,* ad litteram, *fixit.* Textus autem hebraicus nec *erexit* nec *fixit* fert, sed expressè *plantavit.* Hic itaque omninò agitur de quibusdam vel arboribus, vel arbustis. Quid enim? num tabernacula cum tabernaculis compararentur? Nulla quidem superesset comparatio, si eadem utrinque vox poneretur. Insuper proxima comparatio, *ex cedris propè aquas,* assumpta, dilucidè confirmat utramque ex variis arboribus vel arbustis desumi. Cedri verò quò majori altitudine eminent, eò pluris vulgò fiunt. Nihil tamen interest an cæteræ arbores de quibus apud Balaamum est mentio fuisse tanti pretii. Comparatio contra et luculentior et venustior evadet, si ambæ illæ arbores dissimili fuerunt in pretio. De aloe verò lis est apud explanatores. Quidam Græcorum aloem esse contendunt. Objicitur nostrum aloem in Palæstinâ et in Arabiâ perrarum esse, ex Indiâ asportari, præterea injucundo esse odore, nec posse inter suffimenta reponi, dùm Hebræorum aloes esset odorata. Propterea ergo plurimorum sententia ea est, hic de sandalo arbore agi. Quam verò præsumptionem infirmare videtur historia, cùm sandalum videatur ignotum veteribus fuisse, cùmque præterea recentes Arabes de illo uno loquantur, dùm insuper affirmant illud ex Indiâ provenire. Sunt qui velint illud forsitan fuisse aloem Syriæ, Rhodi, aut Candiæ, quamque vocant alio nomine vel *aspalathum* vel rosa-

ceam arborem, quæque est arbuscula odorata, cujus ligno, cortice detracto, Myropolæ utuntur, quò solidiores suffitus efficiant, qui aliter liquidiori fluerent aquâ. Animadvertit Cassiodorus dulcissimum esse hujus ligni odorem, suâque ætate quibusdam in locis pro thure ad altaria cremari. Quidquid id est, constat hanc vocem *aloes* significâsse arborem vel odoratam arbusculam, quæ non ex altitudine, sed ex odore magni fiebat.

Nunc ad Balaami sententiam redeamus : *Quàm pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel ! Ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri propè aquas.* — Ultra et digniùs non potest Israel laudibus extolli; sed si eæ laudes haud immeritò fuerunt tributæ veteri huic Dei populo, huic Israel ex Abraham secundùm carnem nato, quantò magis tribuendæ sunt huic Dei Israel, ex fidei spiritu Abraham nato ! Ipsa est Christi Ecclesia illa splendentia pulchritudine castra; ipsa, sanctis fœcunda, necnon abundè salutaribus gratiæ aquis irrigata, digna verè est quæ cum vallibus nemorosis, quæ cum hortis propè aquas irriguas comparetur. Ipsa, et jucundo virtutum odore, et spei simulque fidei altitudine eminens, digna est quæ cum odoratis arboribus quas plantavit Omnipotens, comparetur, atque cum cedris propter flumina altissimis. Sic sanè in Balaami parabolâ in Jacob et Israel depincta symbolicè fuit Ecclesia.

Fluet aqua de situlâ ejus, et semen illius erit in aquas multas, ibid. v. 7. — Quæ ut intelligatur metaphora, comparanda est cum illâ quâ Salomon in Proverbiorum libro utitur cùm exoptans discipulum à mulieribus alienis avertere, illi dicit : *Bibe aquam de cisternâ tuâ et fluenta putei tui... sit urna tua benedicta et lætare cum muliere adolescentiæ tuæ,* Prov. cap. 5, v. 15 et 18. — Ipsa igitur conjux cum cisternâ comparatur, cum puteo, cum fluentis ex quibus oriuntur aquæ, quæ sunt filiæ ex illâ natæ. Ipsa itaque est urna de quâ Balaamus loquitur. Cùm verò de Israel dicit *aquas de situlâ fluxuras,* fœcunditatem hujus designat gentis, cujus reipsà posteri ad nostra pervenerunt tempora atque ad seculorum exitum sunt perventuri.

Et semen illius erit in aquas multas. Jam tum in duodecim dividebatur tribus, quæ jam duodecim efficiebant magnos rivos. Præterea ita multiplicatæ sunt quibus ex duodecim constabant tribus, familiæ, ut gens Judæorum facta sit magno in numero. Quin imò, hâc in parabolâ sub Israel nomine latet Ecclesia, et de illâ verissimè propheta prænuntiat aquas perpetuò de urnâ fluxuras esse, ejusque semen esse simile aquis multis, quæ universam inundatione invaserunt terram, quamque indesinenter illis irrigabit, donec ad finem secula pervenerint. Nihil profectò par Ecclesiæ Christi fœcunditati, nec alibi tam perfecto eventu completa fuisset Balaami prophetia.

Pro diversis explanatorum interpretationibus aliquid obscuritatis in hâc prophetiâ fuit. Vulgatæ versionis sensum hic sumus secuti. Hebraicus textus pariter consentit cum urnâ vel cum situlâ. Urna pro imagine comparationi rectiùs quadrat, sed eadem ima est sententia. *Fluet aqua de situlâ ejus, et semen illius erit in aquas multas.* Verterunt septuaginta Interpretes ad versionem valdè dissimilem. Ea est illorum lectio : *Exibit homo ex illius gente, et multos super dominabitur populos.* Inde verò lectionis dissimilitudo : Duo sunt voces hebraicæ ferè idem sonantes, quarum altera *aquas,* altera autem *hominem* significat ; insuper pro verbo hebraico dicente *de situlâ,* vel *de situlis ejus,* legerunt verbum ferè simile *de natis* ejus, quod verterunt, *de semine ejus.* Vox verò hebraica ambigua est prout pronuntiatur ; nunc enim semen, nunc autem brachium significat. Sic Septuaginta, ut videtur, interpretati sunt, sicuti apparebit. Item pro *in aquas* legerunt *in populos.* Videntur itaque legisse : *Et brachium ejus in populos multos,* quod verterunt : *Et dominabitur populorum multorum ;* dixerunt ergo : *Exibit homo ex illius gente, et multos super dominabitur populos.* Quod verbum planè eventu confirmatum est, Christo nato, qui ex Israel secundùm carnem ortus, cunctos super populos orbis terrarum dominabitur. Ipse etiam eventus prophetica verba superavit ; Christus etenim imperium à Patre recepit, non in multos tantùm, sed etiam super universos terræ populos. Unde apparet septuaginta Interpretes verum sensum non percepisse, vel saltem eam quam secuti sunt lectionem non esse genuinam. Præterea vox prima, verbum scilicet *fluet,* indicat hic non de homine, sed de aquâ agi : *Fluet aqua.* Quod ipsi intellexerunt Septuaginta, cùm commutando scripserunt *egredietur,* dicentes : *Egredietur homo.* Forsan autem objicietur in hebraico textu non esse *aqua,* sed *aquæ,* eamque vocem, *fluet aqua,* discordare. Sed in hebraicâ linguâ verbum non semper cum subjecto concordat cùm ante venit. Ita

gallicè rectè dicitur : *Il coulera des eaux*, pro, *des eaux couleront.*

Vox hebraica, quam Septuaginta interpretati sunt *semen*, in dubium quoque venit apud quosdam an, ut persicè, significet *intimum rei, cor, præcordia,* ex quo Balaami verbum significaret fortè *ex præcordiis suis : Aquæ fluent ex precordiis suis.* Sunt etiam qui contendunt, sic ea verba interpretatum esse Jesum Christum, cùm diceret : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Joan. cap. 7, v. 38. Namque, aiunt, ille solus est in Scripturâ locus, quo memorentur *aquæ de ventre fluentes.* Referunt, auctore sancto Paulo, aquas metaphoricè doctrinam quam confitemur significare, eumdem insuper loquendi modum ante illum Apostolum vulgarem fuisse, sicut ex divi Joannis baptismate ex aliisque ante eum similibus apparet. Cùm etenim, pergunt illi, à quodam aliquis aquarum baptisma acciperet, ideò ille profitebatur se ejus qui baptizaverat et doctrinam et agendi rationem imitari et sequi velle. Denique contendunt hanc interpretationem quadrare aptissimè cum sequenti phrasi, si tamen à vulgari interpretatione abstineatur. Supponunt igitur vertendam esse hebraicam locutionem, non quidem, *et semen ejus in aquas multas*, sed, *in aquis multis :* Semen ejus erit in aquis multis; ex quo percipietur semina vel plantas qui ex illo nascentur irrigandas fore : *semina vel plantæ ejus erunt in aquis.*

Tolletur propter Agag rex ejus et auferetur regnum illius. Ibid. v. 7. — Hebraicus textus habet : *Rex ejus assurget super Agag et regnum ejus efferetur.* In samaritano codice legitur : *Rex ejus assurget super Gog, et regnum ejus multiplicabitur.* Septuaginta Interpretes ita legisse videntur, sed illorum versio scribarum negligentiâ vitiata est, ita ut apud illos hodiè legatur : *Regnum Gog assurget, et ejus regnum multiplicabitur.* Inter se differunt textus samaritanus et hebraicus, dùm samaritanus legit *Gog* et hebraicus *Agag.* Bis solummodò nominatur *Gog* in Scripturâ, in Ezechiele scilicet et in Apocalypsi. In Ezechiele, cap. 38 et 39 capiti populorum septentrionis adjungitur. Indicare autem videtur Scytharum principem aut dignum qui Scythis comparetur; in Apocalysi autem cap. 20, v. 7, Antichristum videtur designare, ultimum Ecclesiæ hostem, cùm jamjam ad ultima devenerint secula. Parùm hæc cum Balaami prophetiâ quadrare videntur, dùm Agag nomen cum eâ aptissimè consentit. Agag ultimus fuit rex Amalecitarum qui à Saüle sub jugum fuerunt missi atque à Samuele Agag mortem recepit. Objicitur Balaamum ad versum 20 de Amalec prophetavisse, nec esse planum cur de illo bis mentionem fecerit (1). Cùm verò fateantur nemini esse notum quid Gog significet, nobis vox Agag anteponenda videtur. Nec verò eadem iteratur de Amalec prophetia. De illo etenim hic Balaamus loquitur, propter id tantùm quòd ad potentiam Israel regis attineat. Sic explanatores :

« Non modò gens Israelitarum propagabi-
« tur et multiplicabitur, sed etiam Amalec,
« qui sese primus in deserto adversùs illos in-
« tulit, à Saüle, primo Israel rege, devince-
« tur. Agag, ultimus Amalec rex, captus à
« primo Israel rege, morte morietur, supremo
« rerum auctore mandante, atque Amalec
« victor Israel exultabit, ejusque imperium
« deinde amplificabitur, regnante Davide,
« qui usque ad Euphraten dominium obtine-
« bit. Ita impium imperium, quod Christi
« Ecclesiam primis adortum fuerit oppugna-
« tionibus, ad ruinam trahetur ab hoc divino
« Salvatore, cujus imperium æternum latissi-
« mè ultra imperii Romani fines progredietur.
« Christi imperium ad extremas terrarum or-
« bis metas dominabitur extensum, in terrâ-
« que permanebit usque ad seculorum solu-
« tionem. »

Hic Agag Vulgata versio habet, sensu autem diverso. Vertit ergo de Israel loquens : *Tolletur propter Agag rex ejus, et auferetur regnum illius.* Saül enim, cùm Agag pepercisset, quamvis expressè monuisset Deus illum occidendum, à Deo fuit rejectus, ita ut illi propheta Samuel dixerit : *Pro eo ergo quòd abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus ne sis rex.* 1 Regum cap. 15, v. 23. — Propterea hic princeps cùm postea fuit in Philistæorum manus traditus, simul et coronam et vitam amisit. Verba autem hebraica, si *auferre* et *sustollere* significent, ea est ratio quòd propriè *tollere* significant, ita ut usurpentur non solùm indicantia *auferre* sed etiam *efferre.* Septuaginta versio duo verba ad hunc flexit sensum, quod confirmare videtur utrumque *elationem* exprimere. Balaamus hic prospera potiùs quàm calamitosa denuntiare videtur. Gens Israel propagabitur et multiplicabitur. Illi rex erit

(1) Objectionem hanc producit P. Houbigant, qui lectionem Gog præfert, confitendo tamen se nescire quid eo nomine designetur : *Quid sit Gog... me nescire confiteor*, inquit.

qui super Agag assurget; cùm Amalecitas, qui illi primi hostes occurrerunt, populus ille potens haud requiescet, quin usque ad Euphraten victor dominetur. Christus, David verus, idololatriæ imperium postquàm everterit, perget usque ad extremas orbis oras imperium extendens; Christi Ecclesia ille est populus, et populus ille universam super terram dilatabitur.

Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis, ibid. v. 8. — Eadem præcisè sunt hæc verba, quæ jam recensuimus in proximo Balaami sermone; inest autem ea sola differentia, quòd textus hebraicus pluraliter habebat : *Deus illos eduxit*, dùm singulariter habet : *Deus illum eduxit*. Deus fortis, omnipotens, ex Ægypto Israel eduxit, ut illum in terram Chanaam introducat, illumque indomito implevit robore ut omnes conculcet populos qui viam hostiliter illi occludent, vel ei quâ illum Deus armavit potentiâ obstare tentabunt. Hæc verò prima prodigia figuratè alia repræsentant prodigia quibus maximè imparia sunt. Rursùs Deus fortis terræ suam manifestabit potentiam, dùm à tenebris suum liberabit populum, suique dilectissimi Filii in regnum transferet. Animo Apostolos et ardore implebit, adeò ut ii duodecim, minùs intra annos quadraginta, ubique idololatriæ regnum quassabunt, et ubique pariter Christi regnum constituent. Mirabiliter animum eriget martyribus, qui sanguine Apostolorum labores confirmabunt. Nil par futurum his admirandâ fortitudine viris, qui semper et ubique invicti, serenâ fronte mortem accipient, quasi impatienter vitæ finem provocantes, ut qui vitam novam appetentes, tendunt ad cœlum certâ cum spe in æternum esse cum Christo. Sed interim, illorum sanguine madentes, in infernorum ignes cadent, militum Christi hostes. Christi Ecclesia semper eâ validâ potentiâ stabit, ut nemo illam concutere possit, propterea quòd vim omnem sumat ex Christo, qui veluti promisit, cum illâ erit usque ad seculorum finem.

Devorabunt gentes hostes illius, ossaque eorum confringent, et perforabunt sagittis, ibid. v. 8. — Vel, ut habent septuaginta Interpretes : *Et sagittis perforabit hostes*. Verbum *perforabit*, Vulgata pluraliter vertit, subaudiendo hostes. Forsitan autem è translatione tantummodò orta est discrepantia. Namque, dùm, uti fert hebraicus textus, legimus : *Devorabit gentes hostes suos, et sagittis suis perforabit*, fortè rectiùs legeretur : Devorabit gentes... et sagittis suis perforabit hostes suos. Vulgata versio, dùm habet *hostes illius*, non autem, *hostes suos*, hunc *illius* Deo conferre videtur. Unde etiam supponendi esset locus de Deo quoque fuisse dictum : *Ejus fortitudinem esse similem reem, vel rhinocerotis*. In hebraico verò textu necnon et in septuaginta Interpretum codice, hæc omnia huic populo attribuuntur : « Gentes exterminando devorabit, illarum ossa confringet, « earum duces enecando, atque quemcumque « illis in præsidium adstantem; sagittis suis « hostes perforabit; frustraque ab illius ictibus se auferre conabuntur, Deus enim inter Israel, manus quicumque adversùs eum « populum arma parabunt. » Sehon, Amorrheorum rex, Og rex Basan, unus et triginta Chananæorum reges in acie contra Israel stabunt et devicti cadent. Christi sagittæ sunt in verbis, verùm autem acutæ sunt illius sagittæ, et sub ejus manu cadent populi. Gentes devorabit, dùm apud illas evertet idololatriæ regnum. Illarum ossa confringet dùm idololatras et persecutores exterminabit principes, qui impietati erant præsidio. Gentes tandem superdominabitur, dùm illas fidei ad sanctimoniam et obedientiam adducet. Hæc ejus populo attribuuntur, quia princeps est Ecclesiæ, quæ illi est populus. Ille per se ipsum impios evertit; at Ecclesiæ ministris contra utitur, cùm populos edoceri et baptizari desiderat. Ejus populi ex manu sagittæ erumpunt, cùm animas submittit, evangelico verbo sagittante.

Accubans dormivit ut leo, et quasi leæna, quam suscitare nullus audebit, ibid. v. 9. — Vel, ad litteram hebraicam, *quievit, recubuit quasi leo, et quasi leonis catulus*. Sic legêre et septuaginta Interpretes et Vulgata versio. Hic autem rursùs leænam vocat Vulgata, quod animal Septuaginta vertunt leonis catulum, quia enim hebraicum verbum masculino indicatur genere. In Samaritano codice, qui dissimili litterâ inscribitur, femineo genere vox designatur. Quidquid autem id est, Balaamus hic, iisdem propè verbis iterat quod de Judâ dixerat Jacobus. Sola ea est differentia quòd in Genesi verbum hebraicum est *accubuit*, proprium quidem brutis animalibus, cùm in Numeris vox hebraica, prope idem sonans, solis propria est hominibus. Sic Genesis in textu comparatio est luculentior et rectior. Quam locutionem vertit Vulgata *dormivit*. Hunc illi voci persæpè attribuit sensum, qui tamen hebraicè

propriùs *accubuit* significat. Omni itaque Israel Balaamus attribuit quod Deus de Judâ dixerat, qui à Deo fuerat electus qui primas teneret partes. *Accubans dormivit ut leo, et quasi leæna, quam suscitare nullus audebit.* Populus ille, cùm promissam hæreditatem obtinuerit armis, in illâ sedem reponet, in illâ dormiet quasi victor leo, qui raptâ devoratâque prædâ, in antrum rursùs ingreditur et in illo recubat. Requiem ejus quicumque disturbare tentabit, temeritatis pœnas luet. David cùm universam Israel promissam regionem in ditionem demiserit, quasi leo fortitudine tremendus in illâ quiescet; in pace Salomon patris regnum possidebit; principatûs ejus pacem nullus audebit oppugnare. In posterum verò, si Assyrii et Chaldæi Israel ausi sint aggredi, ab illis Deus vis injustè illatæ pœnas repetet. Israel novus, Christi Ecclesia, tria circiter per secula oppugnabitur et prœliabitur, ut in terrâ per Evangelium Christi imperium constituatur. Illi verò pax deinde concedetur, et quicumque ejus pacem conturbare ausus fuerit, sive citiùs sive tardiùs profectò percipiet Deum Israel esse vigilias agentem atque illius hostes anathematibus evertere.

Qui benedixerit tibi, erit et ipse benedictus; qui maledixerit, in maledictione reputabitur, ibid. v. 9. — Hæc vertunt Septuaginta pluraliter et tempore præsenti : *Qui benedicunt tibi* illis benedicitur, qui tibi maledicunt in maledictione reputantur. Hebraicus textus nec præsens nec futurum tempus determinat ; singularis autem numerus cum plurali jungitur : *Benedictus qui tibi benedicunt, maledictus qui tibi maledicunt.* In linguâ hebraicâ facilè voces singulares *benedicens, maledicens* sunt usurpatæ pro pluralibus : *Benedicentes, maledicentes.* Genuinè Vulgata versio videtur reddidisse : *Qui benedixerit tibi, erit et ipse benedictus, qui maledixerit in maledictione reputabitur.* Abrahamo olim dixerat quoque Deus : *Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi.* Gen. cap. 12, v. 3 (1). — Promissio eadem ab Isaaco ad Jacobum iterata fuerat : *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur.* Gen. cap. 27, v. 29.—Quicumque Israel sincerè et imo ex corde benedicet, à Deo et ipse benedicetur ; quicumque illi maledicet aut illum quasi maledictum habebit, divinam in se maledictionem evocabit. Ita quicumque Christi Ecclesiæ benedicet, illi adhærens quasi soli Dei benedictioni ipse fiet particeps cœlestium benedictionum quas in illam Deus effundit. Quicumque illi maledicet, sive ab illâ alienus, sive uti maledictam habens, in se maledictionis æternæ anathema concitabit.

Quarta Balaami oratio. — Quartò tandem parabolam assumit Balaamus. Eadem semper vox est Mosis : *Sumptâ parabolâ*, secundùm Vulgatam; *parabolâ suâ*, secundùm hebraicum textum. Ipsum hoc verbum proximum est locutioni divi Pauli, cùm memorans ea quæ in tabernaculi parte primâ indesinenter offerebantur, et illud quod quotannis semel in secundâ offerebatur, subjicit parabolam rerum quæ tunc agebantur fuisse : *Parabola est temporis instantis*, vel ad græcum codicem, *tunc instantis.* Cujus annui sacrificii necessitas priorum indigentiam indicabat, hujusque secundi sacrificii annua iteratio, qui quidem ejusdem quâ priora erant naturâ, utrorumque tenuitatem significabat. Quæ cæremoniæ fuêre parabolæ, quas stupidus atque carni deditus Judæus non intelligebat, sed quarum mysteria nobis revelavit Deus, Apostolo interpretante. Eæ sunt Mosis et prophetarum parabolæ. Solum corticem illarum videt profanorum oculus nec quidquam subesse supponit; verùm autem, quibus nôsse datum est, divinus Spiritus cœlestia mysteria patefacit : *Vobis datum est nôsse mysteria regni cœlorum.* Matth. cap. 13, v. 11. — Ecce ergo, rursùm ait Balaamus : *Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cujus obturatus est oculus.* Ibid. v. 15. Eadem sunt omninò verba quæ incipiente tertiâ oratione.

Dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi, et visiones Omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos, ibid. v. 16. — Eadem propè sunt quoque verba quæ tertiæ orationis in principio. Hæc tantùm addita fue-

(1) Textus hebraicus hujus loci (Gen. 12, 3) ita dispositus est : 1° *Et benedicam ;* 2° *benedicentibus tibi ;* 3° *et maledicentibus tibi ;* 4°, *maledicam.* Juxta constructionis illius ordinem, Deus promiserat se benedicturum *benedicentibus*, antequàm ipsi benedicerent, et se maledicturum *maledicentibus*, postquàm ipsi maledixerint. Singularitatem hanc explicat Rabbinus recentior modo prorsùs faceto, ut solet Rabbinorum cohors : « Benedictiones ac « maledictiones, inquit, conditioni illius à « quo emittuntur consentaneæ sunt. Pauper « tibi centum nummorum *fortunam*, dives « mille nummorum millia precatur ; item est « de benedictionibus. Quamobrem Deus anti- « cipatam pollicetur benedictionem iis qui be- « nedicturi sunt generationi Abraham, et *vice* « *versâ !* » (Drach, Bibl. de Vence, edit. 1828-1829.)

runt verba : *Qui novit doctrinam Altissimi.* Notandum insuper, in samaritano textu, ad orationem antecedentem, hæc deesse verba : *Dixit auditor sermonum Dei*, verùm autem et in Septuaginta codice et in hebraico textu occurrunt. Septuaginta interpretati sunt, ut apparet, vocem hebraicam *cadens* significantem, quasi hominem qui, sensibus lassatis, somno succumbit. Hæc propter sanè hanc ideam cum præcedenti periodo junxerunt, dicentes : *Homo qui Dei visionem per somnia videt.* Balaamus autem planè vigilare interea videtur. Haud ægrè supponi potest illum divinæ visionis fulgore fuisse prostratum (1). Ezechiel, Daniel divusque Joannes, simili in occasione humi faciem posuerunt. Accipiendus ergo sensus et Vulgatæ et hebraici textûs *cadens*, occidit Balaamus, sed cadendo apertis erat oculis; ideò etiam quòd apertis erat oculis, luminis cœlestis fulgore prostratus est. — *Qui novit doctrinam Altisimi.* Deus illi divinæ præsentiæ splendorem manifestavit, ei rerum mutationes quàm maximè remotas, distinctèque demonstratos eventus indicando, velut ex sequentibus apparebit.

Videbo eum, sed non modò, intuebor illum, sed non propè, ibid. v. 17. — Sic autem explananda hæc verba : « Illum videbo Deum fortem « cujus verba audio, illum Altissimum qui mihi « suam revelat doctrinam, illum Omnipotentem qui mihi visionem aperit quâ oculi perstringuntur. Videndus postea habebitur nostram induendo naturam, sed non modò, « non ad hæc nos pervenimus tempora illum « in carne quâcum conjungetur contemplabor, « verùm autem non propè, hæc remotissimo « tempora absunt intervallo. Illum in longinquo tantummodò prospicio, quasi patriarchæ quibus illius promissa denuntiata sunt. »

Orietur stella ex Jacob et consurget virga de Israel. Ibid. 17.—Pro *orietur*, quod habet Vulgata simulque Septuaginta fert codex, in hebraico textu legitur *incedet*, stella incedet, properabit, quæ sic explananda : « Quem ego in « longinquo prospicio astrum est qui quondam « ex Jacob orietur, magnâque in majestate « procedet. In terrâ medium inter eum populum enascetur, ejus autem omninò cœlestis « erit origo. Ipse quoque stella matutina vocabitur, qui ex Patre ante auroram est natus. « Nec quivis illi æquiparandus est. Nec David, « nec Salomon sicut ille origine eminent; illorum autem ex gente orietur quod intueor « astrum. » *Virga*, id est, sceptrum, *consurget de Israel.* « Quod astrum in Israel summum « tenebit imperium. Nec erit vel Saül, vel David, vel Salomon nec ullus ex illis qui postea « in Israel solio sedebunt vel apud Judam; « sed cùm temporalis imperii sceptrum à Judâ « auferetur, incorporalis et cœlestis potentiæ « sceptrum illo ex populo exsurget; tunc ex « Israel enascetur puer qui simul erit et *astrum* « et *sceptrum*, quia simul erit et Altissimi et « David filius. » *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* S. Luc. cap. 1, v. 32 et 33. « At ejus regnum non erit « ex hoc mundo; regnum ejus regnum cœlorum. Ex cœlo in terram dominabitur ut homines à terrâ ad cœlum evehat. Nativitatem « ejus stella nuntiabit; at hæc stella non erit « illud sceptrum; hæc stella illum indicabit « qui hoc sceptrum divinum solus tenebit « manu. »

Et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. Ibid. 17. Nativus textus habet *angulos* pro *duces*. Anguli Moab sunt illius duces, sicut septuaginta Interpretes et Vulgata verterunt. Angularis petra vocatur Christus, qui sui populi est dux. De secundâ autem versûs parte lectio hebraica habet quæ verterunt Septuaginta et Vulgata : *Et vastabit omnes filios Seth.* Seth filii sunt omnes orbis terrarum habitatores, qui à diluvio universi ex Noemo per Seth originem ducunt. Venit autem Christus qui inter illos destrueret peccati regnum, dæmonis imperium. Alter verò occurrit sensus in Hebraico et Samaritano textibus. Pro *vastabit* Samaritani legunt *verticem*, parallela locutio, angulis in primâ parte positis. Anguli et vertices duces significant. Hæc quidem lectio textu confirmatur insuper Jeremiæ qui Balaami adversùs Moab verba refert : *Ignis*, ait Jeremias, *egressus est de Hesebon et flamma de medio Sehon, et devorabit partem Moab et verticem filiorum tumultus*, Jerem. cap. 48, 45. — Cæterùm illi filii verticum sunt filii superbiæ; hi autem superbiæ filii ipsi sunt Moabitæ, quibus Isaias et Jeremias illud vitium exprobrant. Princeps quem Balaamus intuetur *confringet angulos Moab et verticem filiorum superbiæ* (1). Sicuti est stella

(1) Traditio מדרש Synagogæ docet Balaamum in his circumstantiis reverà cecidisse. (Drach, loc. cit.)

(1) P. Houbigant ipse ambos textus confert, ac licet hic verterit : *Prosternet omnes filios Seth*, nihilominùs vertit in Jeremiâ : *Cervices filiorum superbiæ.*

matutina, ex Patre ante auroram natus, ipse Israel eduxit ex Ægypto et ipse Moabitas percutiet et illorum duces David dexterâ prosternet. Qui populi originem ex Loth ducunt, qui frater, id est, Abrahami erat nepos, Israelitarum sunt fratres ; sed non facti sunt fœderis quod Deus cum Israel sanxit participes. Postquàm autem rex ille divinus, cùm in terrâ apparuerit in cœleste regressus fuerit regnum, angulos Moab confringet, illorum duces qui ex origine novi Israel erunt fratres, sed qui novi fœderis participes fieri abnuerunt. Incredulos Judæos ducibus orbabit, illorum rempublicam evertet, vastabit verticem illorum filiorum superbiæ, qui, ut dixit Apostolus, *ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti; finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti*, ad Roman. cap. 10, v. 3 et 4. Illorum verticem vastabit illis suum pontificem summum auferens, ita ut in terrâ habitent sine pontifice, sine principe, sine sacrificiis et sine altaribus.

Et erit Idumæa hæreditas ejus ; hæreditas Seir cedet inimicis suis. Hic aliquid adulteratum est in textu. In hebraico legitur : *Et erit Edom hæreditas;* suppressum est pronomen *ejus*, nec etiam in græco Septuaginta reperitur. Sed id Vulgata exprimit, sensusque exigit. Vulgata Edom per Idumæam exprimit, quòd scilicet Edom, Idumææ pars, plerùmque in hebraico nomen Edom induit ; sed ex sequentibus deducitur conjectura à Balaam minùs ipsam regionem, quàm ejus incolas, designatam fuisse. Addit hebraicus : *Et erit hæreditas Seir inimici ejus,* et hic plurali numero accipitur *inimici :* ad quid pluralis numerus attinet? Vulgata supponit præficiendam esse huic voci in hebraico litteram indicantem dativum casum, tuncque sensus hic esset : *Et hæreditas Seir cedet inimicis suis.* Sed in hebraico non reperitur vox *cedet ;* dativus casus non indicatur. Intelligendum ergo esset regionem Seir intra manus Israelitarum hostilium transmittendam ; sed regio Seir ab Idumæis occupabatur ; Israelitæ nullo modo hostilia cum Idumæis suis fratribus gerebant ; ipsis etiam vetitum fuerat hostiliter Idumæos aggredi, dùm contra sese hostes Israelitarum Idumæi fecerant. Hoc sensu intelligendi sunt Septuaginta : *Et erit Esaü inimicus ejus;* id est, non pluraliter *inimici ejus* legerunt Septuaginta, sed *inimicus ejus,* et pro Seir, Esaü, ut concors etiam Samaritanus. Superest tantùm ut legerint *hæreditas* tum in secundo, tum in primo membro, dùm contra, quùm Vulgata legerit *hæreditas ejus* in primo, apparet etiam legendum id in secundo membro ; sicque omnis difficultas solveretur : *Edom erit hæreditas ejus ; et erit hæreditas ejus Esaü, inimicus ejus.* Ille dux qui, stella matutina, originem suam ex diebus æternitatis hausit, potens et clarus erit in Israel antequàm in terrâ appareat in medio populi illius. Proteret duces Moab per manum David, et Idumæos ipsos, inimicos ejus, faciet prædam ejus, et ita ut Esaü ipse hæreditas fiat ejus qui regnaturus est super Israel. Esaü frater est Jacob, sed non particeps benedictionum quæ diffusæ sunt super Jacob : quùm divinus ille dominator Israel apparuerit in terrâ, omnes ad se vocabit, qui, ut Idumæi benedictiones non acceperint, et ex eis faciet hæreditatem suam, fient populus ejus, qui populus ejus non erant : quibus superbiebat prærogativas exuet Judæus, et Gentilis, ad fidem vocatus, hæreditas erit Messiæ.

Israel verò fortiter aget : De Jacob erit qui dominetur, et perdat reliquias civitatis. Eadem fermè codex hebraicus scripsit. Et ex eo quòd aliquid obscuri offendant in ultimâ harum trium phrasium, mendum subesse suspicati sunt. Legendum proposuêre : *Seir peribit in urbibus suis,* aut : *perdet reliquias Seir* (1), sed concordant Septuaginta et Vulgata cum lectione hebraicâ, *et perdet reliquias civitatis.* Si primo aspectu obscurè et impropriè hoc expressum est, clarissimè et accuratissimè videbitur esse in sensu *parabolæ* quam continet. Conferamus ambas interpretationes. « Tempore David, Israel cum for-
« titudine aget ; nunquàm validiorem se ges-
« serit, nunquàm se adeò fortem ostendet, si
« spectetur hæc fortitudo quæ carnales oculos
« percellit armorum potentiâ : tum qui exitu-
« rus est ex Jacob et ex stirpe ipsâ hujus prin-
« cipis dominabitur in principis ipsius personâ.
« Nunquàm latiùs Israel dominabitur, quùm
« è Nilo ad Euphratem dilatandus sit. Per ma-
« num illius principis perdet, dominator Ja-
« cob perdet reliquias urbis, specialiter in
« Idumæâ, in quâ David non tantùm hostiles
« exercitus conteret, sed quemque *masculum*
« *superstitem* in urbibus morti dabit. Sed forti-
« tudo Israel longè mirabiliori modo fulgebit

(1) Prior lectio à D. Calmet, posterior à P. Houbigant fuit proposita. Cur utraque nobis non sit accepta, modò videbimus. Malè auxiliatus est P. Houbigant suus typographus, quùm asserit D. Calmet vertisse : *Pellet Seir de urbibus ;* nam D. Calmet dixit : *Seir peribit de urbibus suis.* Sed et ipse errat, nam hebraicus non dicit : *peribit*, sed *perdet*.

« in temporibus Messiæ, qui est ipse hic prin-
« ceps originis omninò cœlestis, qui nascitu-
« rus est de Jacob. Eò miratione dignior erit
« fortitudo Israel, quòd generosissimi ejus duo
« duces inermes pugnaturi sint, et moriendo
« victoriam relaturi. Fortitudo novorum Israe-
« litarum cunctis occurret periculis, omnia
« obstantia perrumpet, undique idololatriam
« impugnabit, quæ diutissimè terræ regina
« fuit, hancque proteret divinus filius Jacob,
« quem manet hæreditas solii David, patris
« sui. Non tantùm in Israel, sed etiam in om-
« nibus regionibus terræ dominabitur. Per-
« det *reliquias* hujus civitatis, quæ, utpotè
« maximi quod exstiterit imperii caput, se
« *urbem* solam vocari sinebat, perdet per ma-
« nus barbarorum reliquias urbis Romæ Eth-
« nicæ, Babylonis istius matris *abominationum*
« *terræ*, ebriæ *sanguine sanctorum* : et si hoc
« non sufficiat, in ultimâ die, obruet om-
« ninò reliquias istius immensæ civitatis,
« omni tempore civitati divinæ hostilis, reli-
« quias *magnæ Babylonis*, mundique corru-
« ptissimi, in quo sociantur et degunt impro-
« bi omnes, à Caïno, eorum capite, ad ulti-
« mum reprobatorum. »

Cùmque vidisset Amalec, Balaam assumens *parabolam suam* (his propriè verbis utitur Moyses), ait : « Amalec est populorum præcipuus; sed finis ejus usque ad excidium universum progredietur. » Textus hebraicus dat ad litteram hanc interpretationem : « Et finis « ejus usque ad interitum. » Quod Vulgata reddit : *Cujus extrema perdentur.*

Hæc eadem est vox hebraica אחרית, quâ usus est Balaam, quùm Justorum invidens beatitudinem, dicebat : *Et fiant novissima mea horum similia!* hîc finem Amalec longè alium affore, nempe omninò exitialem prænuntiatur. Septuaginta hîc adhuc verbo illi sensum *posteritatis* tribuêre : « Posteri eorum peribunt. » Samaritanum etiam annotes pro *usque ad perentem*, aut *usque ad interitum* scripsisse : *donec pereat.* Proponitur ergo versio ex litterâ ipsâ : « Et « posteritas ejus donec pereat. » Sed torqueri videtur hæc constructio, etiam pro charactere hebraicæ linguæ, quæ simpliciter ut in Septuaginta dixisset : *Et posteritas ejus peribit.* Meliùs servare linguæ typum lectio hebraica videtur, et quùm jam Balaam per אחרית finem aut extremum statum interpretatus est, idem hîc sonare vocem hanc facilè credirideni: « Et finis « ejus usque ad interitum, » aut ex Vulgatâ : *Cujus extrema perdentur.* Amalec ante omnes populos, has regiones occupavit; ex tempore Abrahæ citatur, ideòque præcessit Israelitas Idumæosque, ipsos Moabitas et Ammonitas. Primus et maximè antiquus inter hos populos eminet; sed qui ei reservatur finis excidium erit. Quùm Israel incipiet regem habere, peribit Amalec : primus inter omnes ausus in deserto aggredi Israel, interitu nefario et universo pœnas audaciæ luet. Eâdem clade disperdetur populus, inter omnes primus, non antiquissimus, sed certò potentissimus, populus Romanus, qui audacter insurget in novum Israel ex primis temporibus fœderis paciscendi cum novo populo illo, barbarorum ictibus percutietur, qui ejus provincias usurpabunt, et potentiam annihilabunt.

Balaam *vidit quoque Cinæum*, et *assumptâ parabolâ ait: Robustum quidem est habitaculum tuum, et nidus tuus positus est in petrâ; sed ignis ad nidum tuum penetrabit et astutia Assur capiet te.* Hic sensus sequitur ex variis textûs hujusce interpretationibus. *Robustum est habitaculum tuum....* et nihilominùs Assur capiet te, hoc essentiale est et præcipuum in prophetiâ illâ, et notâ digna est in hoc concordia omnium interpretationum et lectionum. Hoc hebraicus, hoc Septuaginta, hoc Vulgata ferunt. Samaritanus paulisper, et mendo scribæ facillimè videndo, differt; in reliquo versiculi nihil magni ponderis includitur; ut tamen omnia attentè scrutemur, variæ interpretationes lectionesque perpendentur. Ante omnia observandum est quàm propiùs vox Cinæi Hebraicè קי sese referat ad vocem hebraicam קן seu *nidum.* In hebraico ergo legitur, *habitaculum tuum robustum est, sed pone nidum tuum in petrâ.* Inde, ut videtur, Septuaginta et Vulgata vertendum crediderunt : *Sed si in petrâ posueris nidum tuum,* sed ex conjecturis credendum secundam partem cum primâ quadrare et pro imperativo *pone,* וישים legendum וישים, *et positus in petrâ nidus tuus,* q. d. : « Robustum est habitaculum tuum, et positus « in petrâ nidus » Pergit hebraicus : *Sed erit in combustionem Cin.* Septuaginta, sequentem phrasim invadentes, et unam ex his vocibus pro proprio nomine accipientes, et *Cin* pro *nido,* dixerunt : Et *si fuerit Beor nidus astutiæ.* Te *Beor* dativo casui assignavêre, id confundentes cum בער, *combustio.* Quid hoc significet, non hercè patet : *Et si Beor haberet nidum astutiæ?* sanctus Hieronymus, contra, credidit *Cin* esse nomen proprium, et pro לבוערה, *in combustionem,* legisse videtur לבחירה, *in electionem,* undè et in nostrâ Vulgatâ scriptum est : *Et* (id est, *etsi*) *fueris electus de stirpe Cin.* He-

braicus autem textus כי אם hìc pro *etsi* acceptus nihil nisi *sed* sonat, adeò ut in hebraico hæc phrasis non sit præcedentis sequentia, sed ipsi sit contraria : « Etsi nidus tuus poneretur in petrâ, nihilominùs *Cin dabitur in combustionem,* aut aliter : *nidus tuus positus est in petrâ; attamen ignis exaltabitur usque ad Cin*, aut *usque ad nidum;* siquidem facilè confundi potuit קין, *Cin,* cum קן, *nido,* et reverà legère Septuaginta קן, *nidus;* forsan etiam meliùs adhuc lectum fuisset : קנך, *nidus tuus : attamen invadet ignis nidum tuum;* et reverà sensus non mutatur. Hebraicus legit posteà : *usquequò*, aut *quamdiù?* cui addit Vulgata : *poteris permanere,* quasi ad ellipticam reticentiam supplendum. Sed pro עד מה *quamdiù,* legerunt Septuaginta ערמה, *astutia ;* inde scriptum est : *Nidus astutiæ.* Doctus P. Houbigant optimè notat hanc vocem ערמה, *astutia,* perfectissimè aptari, non si præcedentibus, sed si sequentibus applicetur (1). Tunc verò legendum esset ערמת, ut vox ea voci sequenti adjungatur, eo sensu : *Astutia Assur captivum te faciet*, pro quo Septuaginta verterunt : *Assyrii captivum te facient*, et Vulgata : *Assur enim capiet te.* Sic concordant in hoc hebraicus, Septuaginta et Vulgata, ut Assur capturus sit Cinet in captivitatem reducturus. Prætermissâ unâ litterâ, samaritanus verba diverso modo sejungit, sensumque mutat ; pro *usquequò* עד מה, vel *astutia,* ערמת, legitur עד מו, junctum voci sequenti *Assur;* eo sensu: *Donec ab Assur incola tuus.* Quod sic interpretandum : *Cin, vel nidus tuus comburetur, donec redierint ab Assyriâ tui incolæ.* Hoc ergo supponit eos captos jam ab Assyriis; verùm reducesne propheta priùs quàm captivos prænuntiâsset? Simpliciter ergo legendum cum Septuaginta et Vulgatâ : *Assur capiet te;* sed *Assur* masculini generis, verbum autem hebraicum feminini est; quod sat evidenter supponit nominativum femininum ערמת, *astutia Assur capiet te.* Apertissimum ergo sensum hujus textûs esse credo : *Robustum est habitaculum tuum, nidusque in petrâ positus; nidum tamen ignis invadet, et astutia Assur capiet te.*

Cinæi has inter gentes Chananæas quarum terræ à Deo Israelitis adscriptæ sunt, numerabantur ; in viciniâ Amalecitarum degebant. Jethro, socer Moysis, ex hoc populo oriundus erat; cujus posteri Israelitarum partes secuti sunt; hi in tribu Judâ, hi in Nephthali collocavêre sedem : quùm Saül jussus est Amalecitas ad internecionem persequi, Cinæis apud eos commorantibus dixit : *Abite, recedite atque descendite ab Amalec, ne fortè involvam te cum eo; tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel cùm ascenderent de Ægypto;* additque Scriptura sacra recessisse Cinæos, et deinde Amalecitas fuisse stragi omninò deditos. Potuerunt abeuntes ex Amalec Cinæi fratribus jam in tribu Judæ et Nephthali commorantibus adjungi, atque Nephthalitani Assyriorum in manus incidêre quùm ab Assyriis tribus incolis viduata fuit.

« Cladi Amalecitarum non immixti eritis, in Israel eligetis vobis nidum specie tutissimum; sed si Israel schismatis participes estis, quùm rescindet fœdus cum Judâ, pœnarum Israel et participes eritis, igne quo ardebit, conflagrabimini : unà ambo Assyriorum manus patiemini, etsi sedem eligeritis inexpugnabilem vi et armis, subripiet vos astutiâ, captivosque ut alios deducet. »

Non memorat historia quo pacto adimpleta sit hæc prophetia in hoc primo sensu qui litteraliter spectat ad Cinæos; at disertissimè designat eventus qui secundo hujusce parabolæ sensui omninò respondent. Cùm perdendum Amalec Deus statuit, Cinæos monuit ut recederent, recedendoque cladem communem Amalecitis Cinæi effugerunt. Quùm agitavit Deus delendam Romam ethnicam, cum reliquiis imperii ejus idololatriæ dediti, afflavit christianis imperatoribus consilium ab *Arbe* sedem imperii transferendi. Constantinopolim translata est, quùmque stabilitatum fuit novum hoc imperium in Oriente, eruit Deus imperium Occidentis. Deletus est Amalec; ruinam effugit Cinæus. Sic Deo favente novus ille Cinæus mille et diutiùs annis in nido commoratus est quem ei Providentia divina paraverat. Assyriorum aggressionibus, id est, à Mahumetis, à Turcis in vanum oppugnatus; *robustum* erat ejus *habitaculum,* diùque victor stetit ; sed infectus schismate Israel, id est, Ecclesiæ græcæ quæ à romanâ Ecclesiâ discessit, ignis divinæ ultionis, quo schismatum asseclæ vorabantur, Constantinopolim ipsam comburere potuit : Assyriorum astutiâ fuit perfectum, quod vis nondùm patraverat. Fœdus inire cum Græcis Turcæ ut amici postulavêre ; fœdus pacis cum eis pepigit Amurath ; ad id fiduciæ erga illum progressi sunt, ut ab eo dominum suum, ultimum imperatorem suum acceperint. Mahomet, Amurath succedens, dolosè apparatus bellicos congessit ; quos Græci

(7) *Optima scriptura et bona sententia*, ait P. Houbigant in notâ ad hunc textum.

impavidi vidêre; omnibusque paratis irruit in eos et capti sunt. Sic Cinæus, ex ruinâ Amalecitarum elapsus, Assyriorum manus non effugit; sed et ipsorum Assyriorum sors futura à Balaam nunc præcinitur.

Assumptâque parabolâ iterùm locutus est Balaam : « Heu! quis poterit vivere, quando desolabitur eum Deus fortis? » — Vox hebraica משמו derivari potest à שים, *ponere,* vel à שמם *desolari.* Septuaginta et Vulgata primam versionem accipiunt, cùm scripserint : *Quando ponet ista Deus,* ut Septuaginta habent, aut : *Quando faciet ista Deus,* ut fert Vulgata. Hebraicus non fert *ista,* sed *eum* (1), quod probat anteferendum esse secundum sensum : *Quis victurus est, quando desolabitur eum Deus?* Propheta ergo desolationem extremam, desolationem cui vix superstes poterit esse aliquis, modò nuntiaturus est. Quod modo sequetur attinet ad ultima tempora, tempora magnæ illius tribulationis, quæ, ut Christus prædixit, omnes præcedentes superabit, et ultima omnium grassabitur.

« Venient à regione Kithæorum homines qui subjicient Assyrios, subjicient et Hebræos, ac ipsi ad perniciem suam ibunt. » Hodie in hebraico, initio hujus prophetiæ, legitur וצים, *et naves :* subauditur *Egredientur* aut *Venient,* hocque sensu Vulgata dixit : *Venient in trieribus,* pro eâ autem versione legerunt Septuag. ויצאים et egredientes. Ipse Samaritanus scripsit : ויציאם, *Educet eos;* nec verò intelligitur ad quid attineat hæc vox, *eos;* quod anteponendam facit lectionem Septuaginta וצאים, *egredientes,* homines egredientur, venient. Littera hebraica addit : *De manu Kithæorum aut Kitthæorum :* quæ verba servata in Septuaginta invenire est. Sed in hebraicâ linguâ *manus* accipitur, ut apud nos *pes,* pro loco in quo commoramur. Sic in Isaiâ : *Dabo illis in domo meâ manum,* ait Dominus : illud Galli vocarent *un pied,* occupandum *locum,* ut in Vulgatâ scriptum est. Manus ergo Kithæorum dicitur de loco ab his occupato; illud sic interpretabatur sanctus Hieronymus, et populos illos ratus Romanorum esse imaginem, simpliciter vertit : *de Italiâ.* Et reverà Romani oriundi credebantur ex quodam populo Kithæo, et quondam hoc nomine ipsos vocatos fuisse asserunt plurimi. Animadvertitur eorum armis subjectas fuisse regiones olim ab Assyriis occupatas; etenim certissimum est à Romanis subactos Hebræos, Romanosque Barbarorum manibus interemptos posteà. Sed jamdiù subacti fuerant Assyrii, quùm Romani in Assyriam ingressi sunt; propheta autem de his qui Assyrios subigere debuerunt, sermonem habet. Animadversum fuit etiam in hebraico textu per *Kithæos* designari posse Macedones. Inde fit ut reipsâ in primo libro Machabæorum scriptum sit, Alexandrum Magnum, primum Græcorum regem, exortum esse ex terrâ *Kethim,* aut, ut pronuntiant Latini, *Cethim.* Fuerunt ergo qui cogitârunt Balaam hìc prædicere bella ab Alexandro illata per regiones olim ab Assyriis occupatas, et posteà quomodò Græci, id est Antiochus Epiphanes, rex Syriæ, Judæos acerrimè persecutus sit. Græci, quorum intra imperium Syria includebatur, ipsi à Romanis obruti, imperioque destituti fuerunt (1). Sed eâdem objectione coercemur. Jamdiù Assyrii subacti fuerant, quùm Alexander eorum regionem invasit, et propheta loquitur de illis qui Assyrios subegêre, et post subactos Assyrios, subegêre etiam Hebræos. Non nisi Chaldæis congruere possunt hæc duo proposita, siquidem Chaldæi Assyrios subegêre vivente Nabopolassar, patre famosi Nabuchodonosoris. Ab ipsis, Nabuchodonosor vivente, subacti sunt Hebræi, posteàque ipsi perièrc, Persarum dominio adjuncti. Hos ergo designat hæc vox *Kithæi,* notâque dignum est Kithæos quosdam in eorum imperio fuisse; sicque vocari populos Suzianæ, in extremis Chaldææ partibus, ad littus sinûs Persici.

Fatemur satis stupendam esse Chaldæorum designationem sub hoc nomine vix hodiè cognito. Sed ne obliviscamur *parabolam* hìc esse et sequentiam parabolæ præcedentis. Vix nota est historia Cinæorum; sed quàm nota sit historia eorum qui in hâc parabolâ sortem Cinæorum subierunt, vidimus; ex sequentibus eventibus forsan percipiemus qui sint veri Kithæi hìc commemorati à Balaam. Subacturi sunt Assyrios, qui captivos duxêre Cinæos; subactisque Assyriis Hebræos ipsos subigent. Sed, qui ut Amalecitæ impiis mani-

(1) Hoc animadvertit P. Houbigant in hunc textum. Contendit idem vertendum esse : *Væ ei qui vivet postquàm vastaverit eum Deus!* sed hebraica littera merè fert : *Heu! quis victurus est, quando,* ut exprimunt Septuaginta et Vulgata.

(1) De Romanis hìc agi asserit P. Houbigant, etiam supponendo per vocem *Cethim* intelligendos esse Macedones, quia, inquit, Romani venturi erant de *latere* (id est, de vicinià) *Cethim.* Modò vidimus quâ ratione Romanis his vocibus designati non sint; cur nec quadrent hæc verba Græcis, infrà ostendemus.

bus populum Dei impetierunt, ut Amalecitæ peribunt. Cinæi, Amalecitarum stragi non immixti, Assyriorum manum non vitabunt: sed et ipsi Assyrii sub potestatem Kithæorum redigentur. Græci Romanorum ruinis intacti, in potestatem Turcarum venerunt; apparet ergo hìc imminere Turcis alterius populi dominium imponendum, qui Kithæi vocabitur. Porrò si cui nunc populo nomen hoc Kithæorum competit, profectò populus omnium maximè proximâ appellatione designatus, ille est qui regionem Kithai incolit, quæ dimidiam partem vasti Sinarum imperii comprehendit. Pars est septentrionalis hujus imperii, et *Kithai* vel *Catai* pariter dicitur, in quo sita est urbs Pekin, totius imperii caput, et sedes imperatoria. In vanum per totam terram et in omnibus statibus quæreretur *Kithæorum* populus qui huic sit par famâ et illustratione. Hinc ergo, ut apparet, exorietur tempestas quæ ingruet primò in Assyrios, à quibus Cinæi captivi abducti sunt; id est, in Turcas qui Græcos in captivitatem redegêre: hinc illâ tempestas impetet et Hebræos ipsos, quorum nomen hebraicè significans *populi qui trans sunt,* magni ponderis sensum suppeditat. Balaam enim, qui multoties hìc nominavit Israel et Jacob, in hoc loco ipsos non assuetâ illâ appellatione distinguit quia reverà non de hoc populo sermo est. Dicit ergo ab his hominibus subigendos esse Assyrios et populum trans Assyrios, populum qui veræ religioni veræque fidei addictus, gloriatur esse, ut populus hebræus, populus Dei quocum Deus fœdus pepigit, in medio cujus Deus habitat, cui promissa Deus nunquàm revocanda est largitus. Sanctus Joannes asserit bestiam quæ exurget ex abysso in ultimis terræ momentis, et cui dabitur *bellum facere cum sanctis*, habituram potestatem in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem. Hoc erit tempus hujus insignis tribulationis, qualis non antea fuit. Sed bestia, surgens et ascendens de abysso, *in interitum vadit,* ut ait Apocalypsis. Hoc etiam asserit et Balaam: *et ad extremum ipsi peribunt.*

Legitur in hebraico: *Et etiam ipse usque ad interitum;* in Samaritano: *Donec pereat.* Ex eo quòd prænomen singularem teneat numerum, quidam recentiores interpretes illud aptari asseruerunt populo Hebræo, qui ultimus nominatur, et in textu primigenio numerum singularem obtinet: *Superabunt Assyrium et superabunt Hebræum, et etiam ipse usque ad interitum,* vel, *donec pereat.* Sed gens Hebræa se nunquàm perituram esse, ex Dei promissis certa est; Ecclesia Jesu Christi pariter se nunquàm perituram certa est; itaque hæc vox solis quadrare potest inimicis Dei. Sic illam Septuaginta interpretantur: *Et ipsi simul peribunt:* eodem modo et Vulgata: *et ad extremum etiam ipsi peribunt.* Septuaginta legisse videntur יחד, *simul*, pro עדי, *usque*, et Vulgata hanc extremam vocem voce *ad extremum* expressisse videtur, sed propriè significat *usque.* Hìc Balaam de Kithæis dicit, quod de Amalecitis cecinit; et in hoc incidunt voces *simul* septuaginta interpretum et *etiam* Vulgatæ. Amalec ad internecionem affligetur et *etiam ipsi peribunt.* Hæc sors manet inimicos populi Dei, hos præsertim, qui in ultimis hisce temporibus, ultimis ictibus Ecclesiam Jesu Christi petierint; similiter ac Romani, qui primos illi ictus inflixêre, *etiam ipsi peribunt.*

Fuerunt qui affirmarent hebraicam vocem hanc אבד non esse nomen cui respondeat vox *interitus;* sed participium, ita ut litteræ consentanea esset hæc versio: *Usque ad pereuntem.* Contorta esset expressio, verisimiliusque est hìc adhibitum fuisse, ut in plurimis aliis textibus, infinitivum אבד quod apud Hebræos, ut etiam apud Græcos, supplet nomen verbale accuratè expressum per *usque ad interitum.* Plurimis exemplis hoc comprobatur, ut in Deuteronomio, capite 7, versiculo 20: *Usque ad interitum eorum qui relicti fuerint* et in capite 28, versiculis 20, 22, *usque ad interitum tui.*

Hìc finem sumunt Balaam prophetiæ omnes. Quarum objecta magna resumamus.

Prophetiæ Balaam spectant ad Israel, quæ illi jura propria data sint, quæ illata promissa, commemorat, victorias ejus concinit; præsertim indicare videtur Saüli, Davidis et Salomonis regna. Exoriendum ex illo populo divinum *Liberatorem* prædicit. Loquitur de Moab et Edom, Amalecitis et Cinæis, Assyriis et Kithæis. Sed omnes ejus sermones meræ *parabolæ* sunt in quibus, per antiquum Israel, figuratur Israel novus, qui est Ecclesia Jesu-Christi; Moab imago est increduli Judæi, in Jesum Christum rebellis: Edom, gentilis, qui ad fidem vocatus hæreditas fit Jesu Christi; Amalec, idololatræ Romani, ob infensum Christo animum, anathematibus obruti; Cinæi, qui Amalecitarum excidio exempti Assyriorum in manus incidunt, christiani Græci sunt, Romanorum cladi superstites, posteaque sub Turcis principibus captivi. Assyrii, qui reductis in servitutem Cinæis, ipsi incidunt in potestatem populi qui Hebræorum fiet hostis infensissimus, signi-

ficant Turcas, Græcis subactis et captivis, ipsos incurrentes discrimen interitûs sub manu populi qui, in seculorum fine, sese maximum hostem feret populi fidelis : denique, in Kithæis qui, subacto pariter Assyrio et Hebræo, ut Amalecitæ intereunt, cognoscetur populus antichristianus, qui, in novissimis temporibus, oppresso et sub jugum misso christiano pariter ac infideli, in æternum peribit cum infidelibus, dùm contra populus christianus summâ felicitate cum Christo in cœlestis gloriæ sede beabitur (1).

DE BEELPHEGOR, CHAMOS,

CÆTERISQUE MOABITARUM DIIS,

Dissertatio.

Utriusquè simul numinis Beel-Phegor, et Chamos hunc locum esse censuimus, quòd ambo inter Moabitarum deos à Moyse adoptentur. Nota sunt etiam in S. Scripturâ ejusdem gentis, uti credimus numina *Nebo* Baal *Meon*, et *Baal Dibon*. Hæc simul omnia expendere impræsentiarum constituimus, ne molestâ satis repetitione eadem sæpè oggerere cogeremur ; ideò maximè quòd variis hisce nominibus unum eumdemque Solem, Adonidem, Osiridem designari non incongruè autumamus. Est autem nobis propositum afferendi primùm ea quæ de hoc argumento Scriptura suppeditat, tum conjecturas nostras eâ de re subjiciemus.

Nomen Chamos ex arabicâ radice derivatum accelerare significat ; eodemque apud Moabitas numen designabatur, quod velut universæ gentis supremum regem et Dominum colebant. Hinc sæpè in Scripturâ Moabitæ appellantur *populi Chamos* (1) et Prophetæ imminentem in Chamos ejusque populum captivitatem et mala minitantur (2). Tandem Moabitis regionem Amorrhæorum, ab Hebræis sub Moyse occupatam, repetentibus (Judic. 11, 14), quòd scilicet veteri jure ad se pertinuisse dicerent, Judæi hæc reponunt : *Nonne ea quæ possedit Chamos Deus tuus, tibi jure debentur ? Quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem.* Scitum est etiam, Salomone curante, templum diis Moabitarum in monte è regione Jerusalem (3 Reg. 11, 7, et 4 Reg. 23, 13) excitatum fuisse, quem locum Israelitæ frequentâsse sæpè, atque cultum Chamos impendisse legimus. Quæ verò hujus numinis esset figura, quis ritus, nullibi satis expressum in S. Scripturâ invenitur. Hactenùs S. Scriptura de Chamos.

Ex affinitate duorum nominum, Ammon scilicet et Chamos, unum eumdemque Deum utroque appellari vocabulo, illo apud Ægyptios, hoc apud Moabitas, aliqui suspicati sunt. Macrobius Ammonem et Solem confundendos censet (Macrob. Saturn. lib. 1, cap. 21) : illius enim cornua, ait, hujus radios designant. Porrò Ammonis cultus longè latèque obtinebat per Lybiam, Æthiopiam, Indias, Arabiam, ubi et Moabitæ sedes habebant (Lucan. Pharsal. lib. 9) :

Quamvis Æthiopum populis, Arabumque beatis,
Gentibus, atque Indis unus sit Jupiter Ammon.

Nomen Chamos celeritatem, expeditumque aliquid sonans, cum solis rapido circa terram motu quadrat.

Apud auctores profanos nota sunt synonyma Solis, deus *Homanus*, et *Apollo Chomeus ;* cujus posterioris numinis simulacrum è templo suo in templum Palatinum, Romæ excitatum, translatum fuisse Ammianus testatur (2). Deo Homano æternum ignem servâsse Orientales, maximè Persas, et Cappadoces, Strabone auctore proditum est (Strab. lib. 15). Porrò ignes solis arsisse ignoratnemo, servatosque credo intra septa, seu in templis illis subdivalibus, de quibus Moses, sub nomine Chamani

(1) *Num.* 21, 29 ; *Jerem.* 48, 46 : Periisti, populc, Chamos.

(2) *Jerem.* 48, 7 : Ibit Chamos in captivitatem, sacerdotes ejus, et principes ejus simul.

(1) Dissertatio de *Bal. prophet. animadversionesque* in cap. 21, v. 14-15 Numerorum ex Bibl. de Vence desumptæ sunt.

(2) Amm. lib. 23 : « Avulsum sedibus simulacrum Chomei Apollinis, perlatum Romam « in æde Apollin. Palatini Deorum antistites « collocârunt. »

(Levit. 26, 30, et 2 Par. 34), et Strabo voce *Pyreja*, vel *Pyratheja;* urbes etiam Comanæ in Ponto, Pisidiâ, et Cappadociâ facilè ex Chamos vel Chamanim, nomen derivâsse suum crediderim. In his urbibus celebre habebatur templum *Bellonæ,* ejusdem, quantùm conjicio, numinis ac *Bel Ana,* seu *Anais,* Luna, vel Diana (1). Hic autem opportunè recolenda sunt, quæ in dissertatione de Moloch fusè demonstravimus; de cultu nempe Solis et Lunæ, quemadmodùm et de nominibus utriusque astri variè confusis permixtisque apud Orientales.

Templa Chamos editis potissimùm locis insidebant, quemadmodùm de templo à Salomone ædificato in superioribus observavimus. Ex templo in ejus honorem supra montem Nebo erecto, facilè numini inditum est nomen *Nebo;* et cùm Moyses refert deductum à rege Moab Balaamum (Num. 22, 41) ad *excelsa Baal*, facilè pro *excelsa Chamos* positum est; cùm nomen Baal æquè de omnibus usurpari consueverit, et Moyses nonnisi de Chamos ad id usque habuisset sermonem.

Sunt inter interpretes, qui Chamos cum *Chomos* confundant, quæ sanè vox græcè sonat *Deus crapulæ;* sicut Phegor redditur *Deus salacitatis.* Porrò nomen *Chomos* Baccho sive Dionysio tribuitur, et Phegor Priapo; uterque autem Deus ad solem refertur. Ita Gerardus, Joannes Vossius lib. 2, cap. 8, de Origine et progressu idololatriæ. Sed has conjecturas ex harmoniâ quâdam vocis græcæ cum hebræo nomine deductas, futiles esse neminem latere arbitror.

S. Hieronymus, et interpretum plerique in eâ sunt opinione, ut Chamos et Phegor confundant; quod sanè nobis verissimè dictum creditur. Pesiclà referente scimus idolum Chamos, ex nigrâ petrâ constans, muliebrem figuram retulisse. Nicæta Venerem esse arbitratur, omnia fidei sublestæ.

Qui putant Chamos veterem fuisse Ammonitarum principem, ab illis post obitum consecratum, illi sanè numini et humanam figuram et regis insignia tribuunt. Sed undenam illi opinionem suam derivârunt? Ammonitæ et Moabitæ recentiores sunt populi, cùm Ammon et Moab, filii Loth, coævi fuerint Isaac filio Abrahami; quare eorum posteritas non priùs in unam gentem adolevisse potuit, quàm cùm Israelitæ ipsi adoleverunt, nempe 100 annis ante obitum Moysis circiter. Qui igitur fieri potuisse credimus, ut ejusdem legislatoris ætate principem suum jam consecraverint? Hæ sunt quæ de Chamos afferuntur conjecturæ; restat modò, ut certius aliquid de *Beel-Phegor,* si quid potuerimus, afferatur.

Beel-Phegor, sive Deus Phegor eumdem esse cum Phegor nullus dubito; quod sanè Origeni et S. Hieronymo priùs visum, omnibus deinde recentioribus interpretibus probatum est. Porrò Beel-Phegor juxta Origenis interpretationem est *Idolum turpitudinis* (1), quam sanè turpitudinem, verecundiæ parcens, Moyses apertioribus verbis exprimere noluit. Addit idem Origenes, cultui numinis mulieres præ cæteris addictas fuisse. Et S. Hieronymus post illum (Hieron. in Osee cap. 4): *Colentibus maximè feminis,* ait, *Beel-Phegor ob obscœni magnitudinem, quem nos Priapum possumus appellare.* Censet autem viros illos effeminatos, et mulieres in cultum idolorum prostitutas, de quibus sæpè in Scripturâ (vide 3 Reg. 15, 13, et Par. 9, 16), mysteriis Beelphegor, sive Priapi initiatas fuisse. Hisce cæremoniis præsidebat Maacha, mater regis Asa, coacta tandem pii filii auctoritate sacerdotium deponere. Tandem sequitur Hieron. in Ose. 9: *Interpretatur Beelphegor idolum tentiginis, habens in ore, id est, in summitate, pellem, ut turpitudinem membri, virilis ostenderet.* Probrosis hisce cultûs Beelphegor cæremoniis probrosiorem alteram addentes Rabbini censent cum Maimonide, obscœnorum membrorum revelatione cultum numini impendi consuevisse (vide Maimon. More Neboch p. 46 et Jarchi in Num. 25, 3), et Jarchi, oblata fuisse Deo excrementa, quod vix credimus. Quòd autem maximè confirmat opinionem Phegor cum Priapo confundentem, illud est, quod Ose. 9, 10, pudendi Beelphegor cultus describantur: *Ipsi autem abalienati sunt in confusionem, et facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* Scitum est, quantâ impudentiâ filiæ Moab Israelitas ad crimen provocârint (Num. 25); nec sanè ignotum, sive Priapi numen, sive cultus ei numini impensus.

(1) Strab. lib. 20; Cic. de Leg. Manil.; Hirt. de Bell. Alex. c. 66; « Cæsar venit Comana, vetustissimum et sanctissimum in « Cappadociâ Bellonæ templum, quod tantâ « religione colitur, ut sacerdos ejus deæ majestate, imperio et potentiâ secundus à rege « consensu gentis illus habeatur. » Vid. Cellar. Geogr. libr. 3, cap. 8, pag. 198.)

(1) In Num. cap. 25; Hom. 20: « Beelphegor, quod est idolum turpitudinis. » Et infra: « Idoli nomen est, quod apud Madianitas, « præcipuè à mulieribus, colebatur. »

Sunt qui Beelphegor ad Saturnum referunt (Theodoret. in Pss. Apollin. in Caten. in Pss. Suidas Mas. in Josue. Ottinger. Hist. Orient. cap. 7), cujus postremi numinis cultui Arabia, in quâ Moabitæ, devovebatur. Nomen Beel pariter Phegor et Saturno commune erat, et Saturni sacerdotes nudos se coram numine fœdè planè sistebant. Hisce conjecturis opinionem fulciunt, quæ tamen nutat.

Alii ex nominis etymologiâ naturam Phegor deprehendere tentantes, observant vocem illam ex chaldæo deductam, sonare ventris relaxationem; ex quo conjecturæ locus, Phegor, ipsissimum esse deum crepituum ventris, quem apud Ægyptios, unà cum deo Ructu consecratum narrant Origenes (contra Cels. pag. 255), et S. Hieronymus (1), sicut et ante illos Minucius Felix (2). Nec sanè indigna erant ea numina, quibus ab Ægyptiis divini honores deferrentur, cùm apud eas gentes vel ipsi porri, cæpæ, crocodili, lupi, febris, procellæ, fulmina, mala fortuna consecrarentur. Sed frustra hisce conjecturis futilibus arguendis immoraremur.

Aliis inter eruditos (Scalig. Bucer. in Ps.) visum est, nomen Beelphegor nonnisi per ludibrium Deo Moabitarum tribui, quem enim Moabitæ facilè appellàrint *Baalreem*, Deum tonitrui, hunc ab Hebræis per contemptum deum crepitûs ventris audisse autumant. Ita planè deum Accaron Judæi appellatum voluerunt *Bee'zebub* deum Muscarum; et Bethel, urbem idolo aureo Jeroboami consecratam, imputato nomine, *Bethaven*, domum iniquitatis, nuncupârunt.

Vossius tandem (de Orig. et progr. idolol. l. 2, c. 7) nomine Beelphegor designatum credit Solem, et Priapum, quo posteriori nomine Solem eumdem sæpiùs denotari in theologiâ paganorum constat. Porrò etymon Priapi accersit ex hebræo *Ab*, Pater, et *Peor*, vel *Phegor*; ac si diceretur *Deus*, vel, *Pater Peor*, quomodò usurpari solet apud paganos Pater Jupiter, Pater Neptunus, etc.

Rei gestæ in agris Moabitarum cùm nempe Israelitæ in superstitionem Beelphegor irruperunt describens Psalmista negotium interpretibus facit (Ps. 105, 28): *Initiati sunt Beelphegor, et comederunt sacrificia mortuorum.* Quonam, rogo, mortuorum nomine designantur?

Sunt qui indicata ipsa Beelphegor sacrificia crediderint; quippe qui deus mortuorum appellaretur, Deo Israelitarum, Deo scilicet viventi planè oppositus, quare Psalmistæ verba tantumdem sonare censent ac Moysis illa: *Quæ vocaverunt* (filiæ Moab Israelitas) *eos ad sacrificia sua. At illi comederunt et adoraverunt deos earum* (Num. 25, 2). Favet huic opinioni S. Augustinus, aliique nonnulli (Aug. in Ps. 105, item Cassiod. Remig. alii), explicantes illud de sacrificiis mortuorum, pro victimis mortuorum hominum numinibus. Hinc Israelitæ divinis honoribus mortuos coluerunt; neque enim præter homines vitâ functos paganorum Deos fuisse reputandum est.

Maluerunt alii, Hebræos cæteris criminibus hanc etiam fecisse accessionem, quòd Moabitarum funeribus sese polluissent, tum funebribus eorum cæremoniis, tum funereis epulis communicantes; scitum est enim paganos oblationes suas mortuis ritè solvisse (1); uti cùm in mediâ viâ testam relinquebant, corollis ornatam, et violis aspersam, in quâ fruges, sal, et panis vino mollitus, sparsi violis. Verùm eas superstitiones apud Moabitas etiam obtinuisse, et ad Hebræos vel minimùm pertinuisse, affirmare quis ausit?

Seldenus in suo opere de Diis Syris confundendum autumat Beelphegor cum Plutone, sive Deo mortuorum, id autem in causâ fuisse, cur Psalmista numen illud mortuum, sive mortem appellaret; sicut et oblata Manibus sacrificia, *sacrificia mortuorum* dicta fuisse censet (de Diis Syr. syntag. 1, c. 5). Laudat in eam rem paraphrasim Apollinaris, in quâ Hebræi se polluisse sacrificiis Beelphegor inducuntur, hecatombes mortuis immolatas degustantes. Apud Sanchoniatonem (apud Eus. Præp. l. 1, cap. 10) Legimus à Patre Saturno consecratum fuisse *Meth*, ex uxore Rheâ natum; hoc autem habuisse numen Phœnices, modò sub Mortis nomine, modò Plutonis invocatum. Item Moth tanquàm ex primis rerum auctoribus juxta theologiam paganorum, apud eumdem describitur. Solebat etiam apud Ægyptios Isis eodem nomine Moth, nempe Mater, auctore Plutarcho (de Isid. et Osir.), appellari; eodemque referente ex testimonio Archenaci Euboici, et Heraclidis Pontici scimus, *Serapidem* ipsissimum

(1) In Isai. lib. 13: « Ut taceam de formidoloso et horribili cæpe, et crepitu ventris inflati, quæ Pelusiaca religio est. »

(2) Minuc. in Octav.: « Nec Serapidem magis Ægyptii, quàm strepitus per pudenda corporis expressos contremiscunt. »

(1) Ovid. Fast. 2:

Tegula porrectis satis est velata coronis,
Et sparsæ fruges, parvaque mica salis,
Inque mero mollita Ceres, violæque solutæ:
Hæc habeat mediâ testa relicta viâ.

esse Plutonem, sicut *Isidem* Proserpinam. Ex quibus omnibus pronum est inferamus, pro eodem usurpari apud paganos Jovem, Plutonem, Bacchum, et Solem.

Ut certum quid in tantâ opinionum varietate statuamus, atque inter futiles et multiplices conjecturas satis optimam eligamus, vix fieri posse credimus. Ea tamen præ cæteris placet, quæ Chamos, Phegor, et Moloch in unum accenset, eumdemque omnes Solem designâsse credit; quanquàm et illud fateamur oportet, cultum Phegor et Chamos alium fuisse ab eo, qui Moloch impendebatur. Huic enim humanis hostiis litabatur; mitiori autem, uti quidem credimus, sacrificia Phegor et Chamos gaudebant. Porrò sacrificia Phegor *sacrificia mortuorum* appellat Propheta, unde facilis conjectura ducitur, eo nomine Adonidem, sive Osirim designari, cui funebres cæremoniæ celebrabantur, adhibitis lamentationibus, ploratibus, alioque apparatu lugubri. Sed hæc intacta hucusque apud alios scriptores, maturiùs impræsentiarum examinanda sunt.

Phegor numen erat notissimum in Arabiâ et Palæstinâ, cujus numinis mysteriis Hebræi et initiari se, et pollui unà cum filiabus Moab passi sunt. Factum inde, ut Dei illius religionem altè adeò imbiberint Hebræi, ut sæpiùs deinde in ejus cultum viros mulieres initiarent. Hæc de Phegor, ejusque cultu in Scripturâ. Hæc autem cum cæremoniis et cultu Adonidis adeò congruunt, ut vix alterum ab illo Deum fuisse Phegor credamus. Porrò Adonidem ab Ægyptiis, quemadmodùm et reliquas ferè omnes paganorum superstitiones, derivatum fuisse, neminem ignorare credo. Isis seu Venus amissi conjugis, Osiridis nempe sive Adonidis ab apro occisi desiderio, festum in ejus honorem instituit, quo funera amasii lugerentur. Post luctum tripudia veluti conjuge invento. Ab Ægypto in Judæam superstitio irrepsit; quare Ezechiel mulieres lugentes Adonidem in templo per visum spectavit (Ezech. 8, 14); Lucianus eadem sacrificia, qualia Bybli urbis Phœniciæ spectavit, describens, narrat (Dea Syr.) magno luctuum et clamorum per totam viam apparatu funera Adonidis celebrata fuisse. Manè alterius diei mutata omnia; sparso enim inter populos rumori de vitâ numinis, ejus simulacrum in aere elatum succedit, crines abscindunt, uti in moribus positum est apud Ægyptios pro morte Apidis. Tantumdem ac viri, mulieres quoque observant, quarum si fortè aliqua renuerit, illa in honorem deæ prostituere se, tum et pretium prostitutionis consecrare cogitur. Hujus festi sacrum tempus vere, cùm scilicet amnis Adonis liquatis Libani nivibus tumens, atque alvei sui arenis rubescens in mare præceps devolvitur.

Facilè etiam credimus, gliscentes apud Babylonios easdem superstitiones designâsse Baruch, cùm sacerdotes ejus gentis in suis solemnitatibus ita describit (c. 6, v. 30, 31): *In domibus eorum* (deorum) *sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, et capita, et barbam rasam, quorum capita nuda sunt. Rugiunt autem clamantes contra Deos suos, sicuti in cœnâ mortui.* Eadem apud Assyrios obtinuisse, apud quos etiam lamentationes Proserpinæ frequentes, Macrobius commemorat; quin et ab eisdem gentibus in Phœniciam derivatam superstitionem significâsse videtur (Saturn. lib. 1, cap. 21). Addit bis in singulis annis festum illud recurrisse, quo scilicet mense dies decrescunt, et quo augentur; sive duorum æquinoctiorum, autumnalis, et verni tempore, nempe lunâ, uti ferunt, decimâ septimâ. Eodem verno tempore Adonidis festa Athenis celebrari Plutarchus testatur in Alcib., narrans imposita mortuorum simulacra in feretris, veluti trophæa in viâ statui consuevisse, quâ funebris pompa Adonidis circumferebatur, tota interim vicina luctibus, et ploratibus amaris oppido insonante. Alexandrinorum luctum eâ occasione celebratum, duodecimo mense, nempe anni Ægyptiaci ab æquinoctio autumnali exordientis postremo, Theocritus describit. Tandem, cùm Ezechiel per visum spectavit feminas plorantes Adonidem, tunc sextus mensis anni sancti à paschate initium ducentis agebatur (vide Ezech. 8, 1). An eodem simul tempore solerent Israelitæ sacris Beelphegor initiari, modò disquirendum est.

Rex Moabitarum pessimo consultore Balaamo prophetâ usus, missis in castra Israelitarum puellis hostes ad sacra superstitione que suas pellexit. Quo id potissimùm anni tempore contigerit, quanquàm nihil Moyses expresserit, factum tamen quinto ante obitum ipsius mense, nempe ante ineuntem mensem duodecimum anni sancti, februario nostro respondentem, facilè credimus. Aaron frater Moysis diem clausit mense quinto anni sancti, anno mundi 2552, ejusque obitus Mosaicum præcessit 6 vel 7 mensibus; quare decessisse Aaron debuit labente julio, sive augusto ineunte. Secundùm hæc, bellum in regem Arad susceptum est, brevi confectum. Tùm Israelitæ secùs montem

Hor rectà ad torrentem Arnon processerunt. Porrò à monte ubi Aaron diem clausit, usque ad torrentem illum in finibus ditionis Sehon fluentem, octo tantùm mansiones Moyses enumerat; iisque emensis bellum narrat cum Sehon, alterumque cum Og gestum. Duobus secundis prœliis ambo reges à populo edomiti sunt; quare non diù expéditio duravit. His auditis, Balac, rex Moabitarum, accitum Balaam mali illius consilii, de quo nuper diximus, auctorem habuit. Hæc sanè omnia eo temporis spatio contigisse potuerunt, quod inter labentem julium, et diem 17 sive 18 septembris, Adonidis festo sacrum, intercedis.

Occasione igitur festi Phegor sive Adonidis acceptâ, puellæ ejus superstitionis ministræ, in castra Israelitarum ad Settim in agro Moab venientes, populum ad sua sacra invitàrunt. Videbantur ex amicâ gente venisse, cùm Moabitas amicos haberent Judæi, ab armis in eos inferendis à Deo prohibiti; videbantur etiam oris lascivientis aspectu juniorem ac victoriis tripudiantem populum plus allexisse quàm verbis. Quare facilè seducti Judæi, in sacra atque convivia, post luctum Adonidis celebrari solita, tum et in eas, quæ superstitionibus hisce appendices sunt, obscœnas religionis prorucerunt.

Vix dubito Mosaicas illas leges, caventes ne *in rotundum attondeant comam, ne radant barbam, neve super mortuo* (vel pro mortuo) *incidant carnem* (Levit. 19, 27, 28), aliò quàm ad Phegor, Osiridem, et Adonidem (quæ tria sunt ejusdem idoli nomina) spectâsse. Cujus rei has in promptu habemus conjecturas : Scitum est, in festo Adonidis eumdem servari luctum consuevisse, qui lugendis charissimorum funeribus, ploratus, ejulatus, lamentationes, tunsiones pectoris, vestium scissiones, etc. Solebant viri comas tondere, quas feminæ passas negligebant, quanquàm et aliquando avellere crines solebant. Apud Bionem in Epitaphio Adonidis Amores inducuntur, Dei funus lugentes, capite abraso, arcum et spicula proculcantes. Sponsa numinis per nemus oberrans, nudo pede, passisque crinibus, largo fletu sylvam irrigat. Feminæ Alexandrinæ apud Theocritum sparsis crinibus, aperto sinu, et vestibus discissis parent, Apud Aristophanem mulieres tecta domorum ascendunt, quò luctûs sui faciant spectaculum. Porrò in lugendis privatis funeribus paria tùm apud paganos, cùm apud Hebræos servabantur; quare dùm Moyses cæremonias hasce *super mortuo* interdicit, eâ sanctione superstitiones tantummodò Phegor vel Adonidis interdixisse censendus est; nullâ enim lege prohiberi sibi morem finitimarum gentium, in lugendis parentum funeribus, Israelitæ unquàm persuasum habuerunt.

Nec aliò spectare crediderim hortos illos superstitiosos, quos prophetæ Judæis, nec rarò quidem, exprobrant (Isai. 1, 29: *Confundentur... ab idolis quibus sacrificaverunt, et erubescetis super hortis quos elegeratis,* et cap. 65, vers. 3: *Populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper; qui immolant in hortis,* etc.; et Amos 4, 9 : *Percussi vos in vento urente, et in aurugine, multitudinem hortorum vestrorum, et vinearum vestrarum,* etc.) Quis enim hortos Adonidis apud profanos non legerit?

In edicto, quo Deus cavet ne Sacerdotes funus necessariorum, nisi intra certum gradum necessitudinis, lugeant, hæc mandat (Levit. 21, 5, 6) : *Non radent caput, nec barbam, nec in carnibus suis facient incisuras; sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus.* Quæ igitur sacerdotibus tantùm interdicuntur, hæc sanè continuò cæteris permissa esse constat. Alibi etiam Moyses verba facit ad Aaronem ejusque filios occasione Nadab et Abiu igne correptorum (Levit. 10, 6) : *Capita vestra,* ait, *nolite nudare* (id est, radere), *et vestimenta nolite scindere,* scilicet lugentes funus Nadab et Abiu). *Fratres vestri, et omnis domus Israel plangant incendium, quod Dominus suscitavit.* Licebat ergo Israelitis et Levitis, quod sacerdotibus interdictum erat. Tandem jubetur à Domino Jeremias renuntiare Israelitis suis verbis cap. 16, v. 6, 7 : *Abstuli à populo isto misericordiam et miserationes; et morientur grandes et parvi; in terrâ istâ non sepelientur, neque plangentur, et non se incident, neque calvitium fiet pro eis.* Cur, rogo, hisce minis terrerentur Israelitæ, si ne lugerent eo ritu funera cautum fuisset à lege? An minitatur Deus commissurum se, ne fiat quod jam abrogatum est? Deus etiam ad Ezechielem cap. 24, v. 16, 17: *Ecce ego,* inquit, *tollo à te desiderabile oculorum in plagâ, et non planges, neque plorabis, neque fluent lacrymæ tuæ. Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies; corona tua circumligata sit tibi, et calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes.* Omnia porrò hæc fecisset propheta, nisi Dei præceptum obstitisset.

In veterum legum interpretatione, habenda est ratio diligenter de receptâ legis observan-

dæ consuetudine apud illos, quibus indicta est. Illud enim reputandum est, religiosos saltem viros nunquàm sibi à spiritu et observatione ejusdem recedendi licentiam permisisse. Quod sanè, si de aliquibus unquàm, certè de Judæorum viris religiosis præsumendum credimus, legis studiosissimis, apud quos à legis sanctionibus vel lato ungue recedere religiosum fuerat. Quare cùm religiosissimorum etiam Judæorum in moribus positum noverimus, ut domesticorum funus comæ et barbæ abrasione, scissione vestium, etc., lugerent, non est cur hæc à Moyse interdicta suspicemur; aliusque proinde legum saltem in specie ea interdicentium sensus requirendus est.

Si quis planè mentem adhibeat legi in Levitico latæ, quâ luctus super mortuo populo interdicitur, is facilè intelliget, paganam superstitionem, apud finitimas gentes obtinentem, legislatorem spectâsse : *Non augurabimini neque observabitis somnia, neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam, et super mortuo non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas aut stigmata facietis in vobis*, etc., Levit. 19, 26, 27, 28. Porrò attonsio comæ apud Arabes religiosa erat Baccho, barbam radere, carnes incidere, apparatus erant luctûs, quo Adonidis adeòque et Phegor, uti facilè credimus, funus lugebatur. Stigmata inurere carnibus, frequentissima erat per Orientem superstitio, auctore Luciano (de Deâ Syrâ).

Sed juvat in nostram sententiam verbà legislatoris recitare, quibus paulò ante obitum easdem leges confirmat : *Filii estote Domini Dei vestri, non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo, quoniam populus sanctus ex Domino Deo tuo*, Deut. 14, 1. Ita Moyses ad populum qui cultu Phegor impenso, religioni suæ crimen irrogaverat. Ex superioribus autem satis constat, Adonidis cultoribus et comam abradere, et carnes incidere familiarem superstitionem fuisse. Alter etiam Deut. 26, 14, locus in hanc rem prætereundus non est. Israelitæ primitias suas Domino oblaturi venientes, hæc profitentur : *Non comedi ex eis in luctu meo, nec separavi ea in quâlibet immunditiâ, nec expendi ex eis quidquam in re funebri*. Hebr., *nec dedi quidquam mortuo*. Quid hoc est, rogo, nisi aperta Israelitarum professio omnes se primitias suas Domino obtulisse, nullâ reservatâ portione pro Iside deâ, serendi arbores colendique agros inventrice, juxta Ægyptios, cujus deæ luctus pro amisso Osiride vernâ messe ineunte recurrebat? Quam in rem nihil se expendisse Hebræi sive in usum sacrificiorum, sive epularum ad cultum mortui, hâc solemni formulâ profitentur.

Quibus ita se habentibus, facilè in eam sententiam descendimus, quæ Beelphegor cum Adonide confundit; eumque quem Moabitæ Phegor, ipsum eumdem credit ac Osiridem Ægyptiorum, Adonidem Phœnicum, Athynam Phrygum, Atym Syrorum, et Thammus Hebræorum. Quo enim loco habet Vulgata : *Plangentes Adonidem*, in Hebræo est : *Plangentes Thammus*. Quibus enim Phryges Athynam colebant cæremoniis (vide Macrob. Satur., l. 1, c. 21), iisdem et Syri suum Atym (vide Lucia. de Deâ Syr. et alios), Ægyptii Osiridem, Phœnices Adonidem. Ita varia hæc nomina juxta paganorum theologiam ad unum Solem referuntur.

Facilè etiam deprehendere nobis videmur nominis Phegor sive Peor vestigia in deo Oro, ex veteri Ægyptiorum rege in censum numinum translato filio deæ Isidis, cui etiam indutum cognomen Apollo, sive Sol (vide Macrob. loc. cit.), Deus ille, auctore Diodoro Siculo Bibl. l. 1, c. 2), matrem habuit Isidem, quæ post occisum à Titanibus filium, extincti cadaver in aquâ inventum ad vitam revocavit, tum et donavit immortalitate. Ferunt hunc Orum regum deorum in Ægypto seriem clausisse. Ex deâ parente artem vaticinandi, tum et curandi morbos didicit; ex quo Ori nomen longè latèque per universum orbem propagatum est. De tanto filio sibi plaudens mater, in inscriptione ab eodem Diodoro relatâ ita decora sua prædicat : *Ego sum uxor Osiridis; ego sum prima frugum inventrix; ego sum Ori regis mater*.

En Peor dei Moabitarum origo. *Pe*, sive *Pi* Ægyptii articuli loco positum est; *Or* nomen est Dei, cujus funus tum et post funus in vitam revocatio celebratur. Extat etiam ejusdem nominis vestigium in nomine religiosi illius abbatis *Pior*, et in nomine *Origenis*, quod ex Ægyptiorum consuetudine, nomina sibi deorum imponentium, repetendum est. Nomine *Thammus* noti sunt Ægyptii quidam in historiis (Plato in Pœdr. Plutar. de Def. orac.); Thammus autem Adonidem refert. Animadversione dignum est, apud Herodotum nihil quidem legi de Thammus, sed tantùm de *Ammo* (l. 2, c. 43); ex quo facilè suspicamur T. sive C. in Chammus et Thammus à radice nominis extraneum esse.

Adoni Hebræis est *Dominus*, quo sanè titulo uxores viros suos compellant, ut Sara Abrahamum (1). Potest ergo Ammus seu Thamus peculiare viri Isidis nomen designare, Adonis verò genericum fuisse nomen, quemadmodùm Beelphegor, sive *Baal-Peor*, ut est in hebræo vero Dei nomini *Or*, adjunctum habet *Pe* loco articuli, et *Baal* qui dignitatis titulus est, sonans *Deus*. Ipse autem per contemptum *Mortuus* appellatus est ab Hebræis.

Ad complementum dissertationis addendum aliquid est de cæteris Moabitarum numinibus, quo omnia ad ejus gentis religionem spectantia uno eodemque lucubrationis contextu collecta habeamus. Mentio est apud Moysen de *Baalmeon* (Num. 32, 38. Vid. etiam Jos. 13, 17; Ezec. 25, 9) urbe in veteri Moabitarum ditione, quam ex vetusto aliquo gentis idolo numen derivâsse suum credimus non inviti. Cùm verò alterius quàm Chamos et Phegor vel Peor numinis apud eas gentes mentio nulla occurrat, hinc facilè credimus alterutri ex iis numinibus urbis nomen accepto referendum fuisse. Porrò nomen illud sonat: *Commoratio Baal*.

Nabo, alius Moabitarum deus apud Isaiam 46, 1: *Confractus est Bel, contritus est Nabo, facta sunt simulacra eorum bestiis et jumentis.* Septuaginta pro Nabo legunt *Dagon*. In urbe Nabo, Dei Chamos alio nomine Beelphegor, simulacrum constitutum S. Hieronymus autumavit (In Isai. 15, 1. 5); ex quo facilè contigisse potuerat, ut de urbis nomine Deus appellaretur. Sed ut ingenuè fateamur, sancti viri sententia nullis satis validis fulcitur argumentis; atque Prophetæ oracula de casu regni Babylonici lata, de numine quodam horum populorum ultra explicanda se offerunt. Porrò nomen Nebo, vel Nabo, aut Nab, recurrit in Nabuchodonosor, Nabuzardam, Semgar Nabu, et Nabusezban (Jer. 39, 13), principibus Babylonicis: deductum verò ex hebræâ etymologiâ sonat Prophetam, Vatem. Hinc facilè oraculum quoddam indicat; an idem ac Nabchaz (4 Reg. 17, 31), idolum Hevæorum, quam gentem Sennacherib è regione Transeuphratæâ in Samaritidem transtulit. Suspicatur Vossius, in loco Isaiæ Bel et Nabo duo diversa numina designare, illum nempe Solem, hunc Lunam (De Or. idolol. lib. 2, c. 2). Sed commodè etiam duo illa confundi possunt, ut *Beel* titulus sit æquè illi cæterisque diis communis, et *Nabo*, quod oraculum sonat, nomen sit numini peculiare.

(1) Gen. 18, 12: Postquam consenui et Dominus meus (hebr., Adoni) vetulus est.

DE XLII MANSIONIBUS
AUT STATIONIBUS ISRAELITARUM
Dissertatio.

Cùm incertè sita sint pleraque loca in quibus Israelitæ per quadraginta sui itineris annos castra posuerunt, ab exitu de Ægypto usque ad eorum introitum in terram promissionis, inde varia surrexerunt systemata. Non hîc omnia discutienda suscipiemus; de systemate D. Calmet solius sermo erit. Ipse nos monet doctissimus ille interpres in suo commentario, se insudâsse illustrandæ huic Scripturarum parti, usque ad dies nostros nimiùm neglectæ. Hîc recolligemus varia commentarii ejus loca ex quibus judicetur rectissimè systema, multaque insuper annotabimus, seu ampliùs evolvendi causâ systematis, seu illustrandarum gratiâ difficultatum quæ in illo reperiuntur.

Non situs mansionum aut stationum Israelitarum omnes æquè incerti sunt: ex magis cognitis statuuntur qui minùs noti sunt. Hoc principio nititur quasi fundamento systema D. Calmet de Itinerario Israelitarum per desertum. Distingui possunt sex præcipuæ stationes quæ ad statuendas alias utiles sunt. 1° Ramesses quæ, prima est; 2° Sinaï, quæ undecima; 3° Cades-Barne, quæ quinta decima; 4° Asiongaber quæ tricesima et secunda; 5° Cades in deserto Sin, quæ tricesima et tertia; 6° Campi Moab, qui quadragesima secunda sunt et ultima.

1. Ramesses. — Prima statio Hebræorum fuit Ramesses in Ægypto : hic sese congregaverunt; hinc profecti sunt. Quam urbem D. Calmet inter maximas civitates fuisse existimat terræ Gessen, quæ ipsa etiam appellatur *Terra Ramesses*. Regionis Gessen caput erat Ramesses, et in capite XLVII Genesis, versiculo 11, appellatur hæc regio *terra Ramesses*. Josephus habitavisse Israel et filios ejus in Heliopoli. Huic opinioni assentire videtur Arabica lingua, in quâ Ramesses dicitur *Fons solis*, quod idem sonat atque Heliopolis, *urbs solis*. Geographus Arabs non aliter illud intelligit.

« Porrò illa urbs, ait D. Calmet, cæteris facilè urbibus regionis Gessen meridionalior fuerat : quanquàm certus ejus situs, silentibus omnibus vetustis monumentis, ignoretur. Non longè tamen à Nilo constitutam, cui præcipuæ ejusdem regionis urbes omnes proximè accedebant, facilè credimus. » (De Transfret. Erythr.)

Demonstravit P. Sicard, *Ramessen* esse eumdem locum atque *Bessatin*, tribus leucis distantem ab urbe *le vieux Caire*, ad orientem Nili et ad occidentem Erythræi in 30° gradu latitudinis et 49° longitudinis, ut ferunt novæ observationes.

2. Socoth. — Ex Ramesse, castrametati sunt Israelitæ *Socoth* vel Soccoth, in secundâ statione.

Satis constat hodiè Socoth idem esse ac campum *Gendeli*, ad occiduum Erythræi, habentem ad occidentem Ramessen, ad orientem Etham.

3. Etham. — Ex Socoth Israelitæ venerunt *Etham*, tertiam stationem, locum, ut ait Moyses, IN EXTREMIS FINIBUS SOLITUDINIS; in extremâ scilicet, dicit D. Calmet, orâ deserti Arabiam Petræam et Ægyptum interjacentis, quam sanè vastissimam esse solitudinem geographi omnes conveniunt.

Etham idem est atque campus Ramlie ad occiduum maris Rubri, habentem Socoth ad occiduum, et mare Rubrum ad orientem.

4. Beelsephon. — Ex Etham ventum est in conspectu Phihahiroth, *quæ est inter Magdalum et mare, contra Beelsephon*. « Castra tamen, ait D. Calmet, eo loco non Israelitas quidem, sed Pharaonem habuisse legimus in Exodo. Castrametati sunt Israelitæ Beelsephon, quæ est quarta statio, in conspectu Phihahiroth et ex adverso Magdali aut Migdoli, ut satis patet ex libro Numerorum. » Quare « Pharaonis castra ad Phihahiroth, Israelitarum verò ad Beelsephon constituimus, quemadmodùm et Migdol ad septentrionem Hiroth et Beelsephon collocamus, ut proinde urbs Beelsephon hinc haberet mare ad orientem, Hiroth ad occidentalem plagam, et Magdalum ad septentrionalem. »

Hic referemus commentaria D. Calmet de situ horum trium locorum, Phihahiroth, Magdali, Beelsephon : « Phihahiroth, inquit, sive tantùm Hiroth, ut in libro Numerorum et apud Eusebium et sanctum Hieronymum appellatur, situm habet variis diversorum conjecturis incertum. In Commentario nostro sententiam quorumdam adduximus, qui confundendam censent cum urbe Heroum ad extremam oram sinûs Arabici, apud veteres geographos notissimâ, quemadmodùm et aliorum sententiam laudavimus, qui ipsissimam credunt cum Phagroriopoli, metropoli regionis ejusdem nominis, et in eâdem ac superior urbs plagâ sita..... E regione ejus urbis vasta porrigitur via ad Rubrum mare ; ex pluribus autem itinerariis constat ab extremâ maris orâ usque ad eum locum, nullam patere viam exercitui deducendo, ut proinde facilè Israelitæ eò loci mare tranâsse credendi sint. Beelsephon sita est ad Clysma apud Eusebium in locis; in versione suâ S. Hieronymus nomen Clysma omittit; eam vocem in textu Eusebii redundare autumat Bonfrerius, nec illam planè assecuti sunt operum S. Hieronymi recentissimi editores. Cùm tamen recepta apud antiquos traditio ferat, Hebræos ad Clysma Erythræum transfretâsse, certum ejusdem loci situm operæ pretium erit investigare. Eusebius ad Erythræum collocat : ubi verò potissimùm, silet ; S. Athanasius in Arabiâ, in plagâ scilicet Erythræi occidentalis, quam veteres non rarò Arabiæ nomine appellant, ut R. P. Montfaucon ejusdem sancti doctoris mentem scitè interpretatus demonstrat. Rubrum mare ita describit Philostorgius : *In duos sinus dividitur, quorum unus desinit in Clysma, unde et nomen sortitur; altera verò pars in urbe Elam. Ad Clysma Israelita sicco pede aquas transiit.* Sanct. Gregorio Turonensi Clysma urbs est ad eumdem locum, nempe ad extremam oram sinûs Suez. Cosmas, Ægyptius monachus, transfretâsse Hebræos ad Clysma testatur, cujus rei fidem, ait, vestigia curruum et rotarum intra alveum longiùs excurrenti, quæ adhuc manent, apertissimè confirmant ; porrò locus iste euntibus ad Sinai dexter occurrit. Exactè ille quidem, sed exactior in

« designandâ plagâ ejusdem maris ulteriori vel « citeriori desideraretur. In tabulis Peutingeri « ad littus occidentale sinûs illius pertinet, sed « apud Ptolemæum, itinerarium Antonini et op- « timas tabulas geographicas, plagam occidenta- « lem sinûs arabici inter *Suez* et *Crondel* tenet. « Ipsissima esse creditur cum *Colzumâ* ex quâ « oræ occidentali maris Rubri nomen inditum; « quin et mare ipsum hodiè *Bahar el Colsum* « appellatur. Thevenot ad extremam oram bo- « realis Erythræi sinûs Clysma collocat; addit- « que insuper se quindecim solidis diebus per « littus ejus freti iter habentem ad montem « Sinai, nunquàm tamen ampliorem alvei si- « num quàm octo vel novem milliarium ob- « servâsse. Monasterium S. Antonii hodiè us- « què ad Clysma visitur. Transfretaverunt igitur « Hebræi unâ vel dimidiâ leucâ infra extremam « Erythræi oram multò supra Tor ad vadum « Crondel, quem locum alii Israelitis mare tra- « jicientibus assignant (1). »

Porrò visa olim ad Clysma vestigia cur- « ruum et rotarum fragmenta Paulus Orosius, « Gregorius Turonensis et Cosmas monachus « supra laudatus testatur. Suâ enim ætate « mansisse rotarum vestigia non in littore « tantùm, sed in imo quoque pelagi fundo, « quantùm oculis persequi posset, scribit « Orosius : Si quis autem, ait, curiositate « aliquâ, sive aliâ quâcumque causâ arenam « turbâsset, vestigia tamen illa continuò ventis « fluctibusque reparabantur. Paria certissi- « morum testium fide, Gregorius Turonensis « refert. Quare, etsi fidem superare res illa « videatur, post tales tamen tantosque scri- « ptores ac testes, temerè prorsûs rejiceretur. « Eam opinionem confirmat quod ex plurium « oculatorum testium relatione compertum est, « solum nimirùm ejus oræ facilè corporibus « quibuscumque crustam lapideam inducere, « ut non rari occurrant arbores, cymbæ, an- « gues, fructus, cadavera, in lapidem rigescen- « tia. An fortè idem contigit ruderibus curruum « Pharaonis, quæ scilicet in lapidem solidata ad « quintum et sextum seculum rei gestæ mo- « numenta servare potuerunt? »

Hæc sunt D. Calmet verba : sed demonstrare aggressus est P. Sicard, Beelsephon debuisse ad septentrionalem, Magdalum ad meridiem, Phihahiroth inter Magdalum et mare, situm occupare, et Israelitas profectos è loco appellato *Thouaireq*, sito contra veterem Phihahiroth, id est, in radicibus montis *Euiaqua*, qui ipsissimus videtur cum *Beelsephon*.

(1) Consultandi sunt de situ Clysmatis doctissimi libri : *Memoranda geographica et historica de Ægypto*, à D. Stephano Quatremère (Lutetiæ 1811, lib. 1, p. 151 et seqq.). Apparet in primis Ecclesiæ ætatibus transfretationis Israelitarum locum ad extremam fermè oram maris Rubri assignatum fuisse. Huic sententiæ concors est Niebuhr. « Verisimiliter, inquit, Israelitæ aliquot leucis ab Heliopoli congregati fuerunt, in loco quem Moyses vocat Ramessen, in viâ quæ ducit ad mare Rubrum, sive proximè ad Birket-el-Hadji, sive alibi, ut se aquâ munirent itineri necessariâ : Moyses ait Exod. XIII, v. 17 et 18 : NON EOS DUXIT DEUS PER VIAM TERRÆ PHILISTIIM QUÆ VICINA EST, SED CIRCUMDUXIT PER VIAM DESERTI QUÆ EST JUXTA MARE RUBRUM. Israelitæ autem non moniti Deum ipsis pede sicco transfretandum mare Rubrum jussurum esse, ut præsumendum est, duobus primis diebus viam secuti sunt quæ ad extremitatem maris Rubri pergit directè. Hanc viam sequuntur et hodiè omnes viatorum manus quæ de urbe Cairo ad Montem Sinai et ad Meccam peregrinantur; tunc enim temporis ut et hodiè trita erat, propter maximum quod inter Arabes et Ægyptios mutuabatur commercium. Magna viatorum cohors, si festinat, hanc tribus solidis diebus superare potest. Ex Birket-el-Hadji ad Suez, de numero resectis horis otii, incessimus per 28 horas et 40 minuta. Etham, me sentiente, est Adjeroud, aut ipsi proxima fuit; nam in hâc arce aqua invenitur, et dici potest sita in extremis FINIBUS SOLITUDINIS, si ex occidente veneris, aut sita in primis finibus solitudinis, si ex Suez petatur Le Caire. Apparet etiam omnem regionem quæ ad extremas oras sinûs Arabici explicatur, nomen accepisse Etham, siquidem, Moyses, in Numeris, XXXIII, 8, dicit Israelitas AMBULASSE TRIBUS DIEBUS PER DESERTUM, mari transfretato.

« Quod subjacet Suez fretum videtur primo aspectu fluminis speciem referre, si id confe- « ras cum maximo mari quod ei adjacet. Ideòque minus est quàm ut Deus id elegerit illustrandæ gratiâ potestatis suæ. Ideò primò crediderat filios Israel transfretâsse mare Rubrum ad meridiem Suez, aliquot ab hinc leucis; sed cùm mensus fuerim freti latitudinem propè hanc urbem, id largum agnovi 1514 passuum, vel 3,406 pedibus; se latiùs adhuc ad septentrionalem oram porrigit; opinionem ergo emendavi. Si Israelitæ transfretaverunt ad Colsum (Clysma), signum longè minùs stupendum editum esset quàm transnantibus propè Bedea. Sed errant qui sine miraculo hanc multitudinem transiisse contendunt : nulla enim etiam hodiè viatorum manus ibi transfretat, ut petat à Cairo montem Sinai, quod tamen viam multò breviorem efficeret. Res ex naturâ locorum longè magis ardua fuisset Israelitis, aliquot millibus annis nobis anterioribus, cùm verisimile sit fretum latius fuisse, altius, et ad septentrionem porrectius. Nam, ut apparet, aquæ recesserunt, et agglomeratis arenis proximæ solitudinis, imus angulus excreverit. » (*Descriptio Arabiæ*, Parisiis, 1779, t. 2, p. 186.)

De contracto alveo maris Erythræi, legendæ sunt causæ quibus sententia Niebuhr ut probabilis confirmatur in *Memorandis de Ægypto* l. 4, p. 218 et sequentibus.

5. Mara. — Israelitæ, transfretato Mari, ambulaverunt tribus diebus per desertum et castrametati sunt Mara, quintâ statione. Quod peragraverunt desertum Israelitæ, superato mari ex Erythræo ad Mara, appellatur in Exodo DESERTUM SUR, in Numeris DESERTUM ETHAM. D. Calmet putat desertum Etham nomen accepisse ab urbe Etham, quam sitam indicat juxta angulum maris Erythræi ad septentrionem; et existimat desertum Sur affine esse solitudini Etham. Sed etiam non distinctis duabus solitudinibus, *desertum* Sur tamen dici potest nomen accepisse *desertum Etham*, quâ voce hebraicè significatur *solitudo* arenis suis *aspera*. D. Calmet spatiari hoc desertum contendit in isthmo qui interest Erythræo et Mediterraneo mari. Israelitarum ex itinerario probatio exoriri videtur hoc desertum saltem prolatari ad triduum aut quatriduum secundùm orientalem plagam Erythræi; quandoquidem Israelitæ, transfretato mari Rubro, triduo in deserto ambulaverunt, procedentes in Sinai, qui mons ad meridiem stabat.

Situs verò Mara et aliarum stationum usque ad montem Sinai subsequentium determinatur hujusce montis situ; cum enim mons ille, in loco ubi Israelitæ mare Rubrum transierunt, vergeret ad meridiem, consequitur à transitu maris Rubri usque ad castrorum metationem Sinai iter Israelitarum à septentrione ad meridiem fuisse. Tantùm post tres dies itineris in deserto Sur Israelitæ Mara attigerunt. Igitur Mara distabat tres circa dies itineris ad meridiem à loco ubi mare Rubrum transierunt Israelitæ. Apud Mara Moyses aquas edulcoravit, propter quarum amaritudinem appellatus fuerat hic locus Mara, quod in linguâ hebraicâ significat *amaritudinem*. « Hujusce regionis traditio collocat, inquit D. Calmet, aquas Mara versùs viginti vel viginti quinque leucas Suez, descendenti ad Tor circa dimidium itineris Suez ad Sinai. Multi asseverant illas aquas adhuc esse poculentas, licet ex tempore rursùm comparaverint acrimoniam haud omninò jucundam, partam magnâ quantitate nitri cujus plena est terra. » Et alibi, superaddit D. Calmet: « Fontem Mara collocamus circa viginti leucas infra promontorium maris Rubri, ad meridiem. »

6. Elim. — Ex Mara Israelitæ venerunt Elim, in sextam stationem. *Ibi erant, dicit Moyses, duodecim fontes aquarum, et septuaginta palmæ.* « Si liceret, dicit D. Calmet, popularibus traditionibus Arabum confidere, hanc stationem possemus statuere et locum illarum palmarum quæ secundùm aliquos viatores crescunt non procul à mari Rubro; de hoc autem nihil dicere præstat, quàm verba sine auctoritate afferre. Sylvam palmarum in his locis Strabo indicat circa quinque dies à Jericho distantem. Hæc sylva in omni regione sacra est propter multas fontes aquarum, licet alia regionis confinia sicca sint et sterilia. Diis hæc sylva dicata est; illius sunt custodes vir et mulier. Hic locantur palmæ Elim. » Si in distantiâ à Strabone indicatâ nullus est numeri error, sylva quam ille Strabo collocat circà quinque dies à Jericho, dissimilis esse debet palmarum Elim, quæ versùs mare Rubrum probabiliter erant distantes à Jericho circa decem dies.

7. Mare Rubrum. — Elim exierunt Israelitæ ad castrametandum prope mare Rubrum, in septimâ statione. Hæc castrorum metatio in Exodo non indicatur, sed tantùm in libro Numerorum; inter Elim et desertum Sin esse debebat ad septentrionem Sinai.

8. Sin. — Ex hâc enim castrorum metatione prope mare Rubrum Israelitæ venerunt ad desertum Sin, in octavam stationem; et secundùm Moysis testimonium inter Elim et Sinai situm erat hoc desertum. Non permiscendum est hoc desertum Sin, סין, cum deserto Tsin, צין, propè Cades-Barne, de quo mentio fiet in tricesimâ tertiâ statione.

9. Daphca. — Ex Sin Israelitæ Daphca venerunt, in nonam stationem, de quâ Moyses in Exodo non loquitur; indicata est in libro Numerorum. Legimus Raphaca in interpretatione Septuaginta. Eusebius Raphaca ipse scribit in suo libro Locorum Hebraicorum.

10. Alus. — Ex Daphca venerunt Alus Israelitæ in decimam stationem. « Has castrorum metationes in Exodo Moyses non indicavit, quia, ut verisimile est, dicit D. Calmet, Israelitæ erant in deserto Sin, Moyses de quo mentionem fecit, et illic nihil singulare acciderat. Cognoscuntur in Petreæ Arabiâ, addit D. Calmet, Alus et Elisa vel Lusa. Sunt qui illas urbes esse duas asserunt. Altera ex duobus ædificata est, vel primâ tantùm instaurata à Chananæo ex Bethel tempore judicum. »

11. Raphidim. — Alus venerunt Israelitæ Raphidim, in undecimam stationem. Probabiliter hic locus procul non erat à monte Horeb ex quo Deus extraxit aquam rupis ad restinguendam sitim populi qui aquâ carebat in Raphidim. Mons Horeb situs est, dicit D. Calmet, in Petræâ Arabiâ et quàm proximè montem Sinai. Mons ille Sinai est

ad orientem Horeb, ita ut Horeb, sole oriente, umbrâ Sinai omninò operiatur. Aliqui viatores asserunt fontem, quam è rupe Moyses extraxit, nunc adhuc fluere, et hoc fonte fœcundari agros sub ipsis hujusce montis radicibus positos; alii verò affirmant aquam nunc ex illâ rupe non fluere. Manent tantùm parva vestigia aquæ quæ olim ex illâ rupe diffusa est per duodecim ora deorsùm aperta alterum super alterum spatio æquali. Hæc rupes de quâ nobis mentio fit distat circa semi leucam à Sinai. Sunt autem in Horeb alii fontes, ex quibus duo tresve pulcherrimi, necnon arbores fructiferæ in illius vertice vernantes.

12. Sinai.—Tandem è Raphidim Israelitæ veneruntad desertum Sinai, in duodecimam stationem, quæ proficit ad determinandas stationes præcedentes ex transitu maris Rubri et stationes quæ subsequentur usque ad Cades-Barne. Mons Sinai in Petræâ Arabiâ erat ad recessum existentem inter sinum Heroopolitam, qui versùs Elath et Asiongaber extendebatur. Spectabat ad occidentem montem Horeb, et ad Etesiam parvâ distantiâ Asiongaber. Secundùm recentes observationes mons Sinai situs est sub 28° gradu 30 momentis latitudinis, et 51° 45 longitudinis.

13. Sepulcra concupiscentiæ. — E Sinai venerunt Israelitæ ad locum postea vocatum Kibroth-Hatthaava, scilicet Sepulcra Concupiscentiæ, in tredecimam stationem. Ex Moyse cognoscimus Israelitas per tres dies iter fecisse priusquàm pervenerint ad Sepulcra Concupiscentiæ; « et in hoc itinere, probabi- « liter, dicit D. Calmet, castrametati sunt in « loco qui Conflagratio vocatus fuit, de quo lo- « quitur Moyses priusquàm narret illorum sta- « tionem ad Sepulcra Concupiscentiæ. » « Non « aggredimur, superaddit, determinare loca « illarum stationum : hoc esset impossibilia « moliri. » Attamen hæc animadvertemus : si illæ stationes sitæ erant in viâ quam secuti erant Israelitæ euntes à Sinai ad Cades-Barne ad septentrionem positum comparatè Sinai, sine dubio illæ stationes ad septentrionem Sinai et ad meridiem Cades-Barne esse debebant; illis hanc etiam positionem dat D. Calmet in suâ tabulâ geographicâ.

Animadvertit Moyses, Israelitis è monte Sinai profectis, nubem illorum ducem, quæ sistens locum indicabat ubi consistere ipsi debebant, recubuisse in solitudine Pharan; inde concludit D. Calmet castrorum metationem apud Sepulcra Concupiscentiæ probabiliter fuisse in solitudine Pharan. Alibi animadvertit « Pharan nomen esse aliquot montium in « circuitu Sinai, et indicare magna rura infra « illos montes, » scilicet ad septentrionem descendenti ad Mediterraneum mare.

Israelitis è Sinai venientibus ad Sepulcra Concupiscentiæ, orta est ex populo querela in Dominum, illisque Dominus ignem immisit qui extrema castra devoravit. Locus ubi hæc acciderunt, vocatus fuit Thab-era, scilicet Conflagratio. Putat sanctus Hieronymus hunc locum esse eumdem qui postea vocatus fuit Sepulcra Concupiscentiæ. « Cur autem, dicit D. « Calmet, illas duas stationes permiscere? Sta- « tio Conflagrationis in linguâ hebraicâ voca- « tur Thab-era, et statio Sepulcrorum Con- « cupiscentiæ in linguâ hebraicâ vocatur Kib- « rot Hatthaava. » Vel potiùs, secundùm nostram sententiam, licet distinguere illa duo loca, nec cogimur dicere primum stationis locum fuisse sicut secundum. Pro certo saltem habemus locum Thab-era vocatum non adscribendum esse in numero quadraginta duarum stationum cujus tredecima est illa quæ vocata fuit Sepulcra Concupiscentiæ. Sic vocatus est ille locus propter multitudinem Israelitarum qui illic perierunt et sepulti sunt postquàm carnem manducaverunt quâ exsatiari cupiverant.

14. Hazeroth. — Ex Sepulcris Concupiscentiæ proficiscentes Israelitæ venerunt Hazeroth, in quatuordecimam stationem. Secundùm D. Calmet, propè Cades-Barne hic locus situs esse debebat. « Putamus, superaddit, hunc locum eumdem esse ac Hazerim, vel sicut legitur in Septuaginta, Hazeroth, sedem Hevæorum qui hinc extendebantur usque ad Gaza. Illa vox hebraica חצרות, vel חצרים, pagos et vicos significat non mœnibus septos, præsertim vicos populorum Arabiæ, sicut ex multis Scripturæ locis apparet. Si proprius exigitur locus vocatus חצור singulariter, חצרות pluraliter, licet adscribere חצור maximè conspicuam inter cunctas urbes omnis regionis terræ meridianæ Chanaan. Ponit Josue חצור et Cades sicut vicinas. Aliter vocatur Hesron illa urbs; quæ quidem tribui Judæ data est. »

Hic multa loca dissimilia D. Calmet permiscere videtur. Urbem Asor junctam Cades Josue secernit ab illâ aliâ urbe quæ vocatur Asor vel Carioth-Hesron. Et illæ duæ urbes Asor sitæ in tribu Judâ dissimillimæ sunt hujusce aliæ urbis potentis quæ Asor etiam vocatur, et ad meridiem non sita erat, sed ad septentrionem terræ Chanaan in partitione Nepthali. Cæterùm reliqua ostendent Israelitas non venisse in Ca-

des-Barne, nisi postquàm ex Hazeroth venissent in Rethma, quæ fuit quintadecima statio ; quà de re concludimus Hazeroth et Rethma fuisse in viâ quæ ex Sinai tendebat ad Cades-Barne, et sic Hazeroth non fuisse in finibus regionis Chanaan, sed in medio deserti Arabiæ ad septentrionem Sinai et Sepulcrorum Concupiscentiæ, et ad meridiem Rethma et Cades-Barne.

15. Rethma. — Ex Hazeroth igitur Israelitæ Rethma venerunt, in quintam decimam stationem; vel potiùs, in capite XIII libri Numerorum Moyses tantùm dicit Israelitas profectos ex Hazeroth fuisse castrametatos in solitudine Pharan ; et nobis dat subaudiendum hìc Moysen jussu Domini duodecim misisse legatos qui regionem Chanaan explorarent. Sed in capite XXXIII expressè dicit Israelitas profectos ex Hazeroth venisse castrametatum in Rethma, et in Deuteronomio legimus ex Cades-Barne missos fuisse duodecim legatos. Rethma igitur esse debebat in solitudine Pharan, propè Cades-Barne quò paulò post venerunt. Quin etiam Barradius affirmat Rethma fuisse nomen hujusce partis solitudinis Pharan, ubi erat Cades-Barne; sed illas duas mentiones secernere, nullam affert difficultatem. In capite XIII libri Numerorum textus samaritanus inserit locum satis longum, extractum, ut verisimile est, capite 1, v. 20, 21 et 22 Deuteronomii, in quo narrat Moyses se in statione Cades-Barne, in finibus regionis Chanaan dixisse Israelitis, illos in hanc regionem posse introire, et hanc terram occupare quam Deus illis pollicitus erat; superaddit deinde, populum ad se venientem petiisse ut priùs mitterentur aliquot ex illis qui naturam, qualitatem, opes regionis expenderent, et scirent facillimos aditus, et urbem cui inhærere oporteret. Omnia hæc singula, nec in textu hebraico libri Numerorum, nec in interpretatione Septuaginta reperiuntur. Recensio quadraginta duarum mansionum à Moyse relata in capite XXXIII de Cades-Barne nullam habet ipsa mentionem; attamen, ut animadvertitur à D. Calmet, post stationem Sinai illa statio maximè conspicua est; nonne librarii hoc omissio esset? Nonne Moyses dixisset Israelitas venisse ex Hazeroth in Rethma, et ex Rethma in Cades-Barne? In Deuteronomio dicit Moyses Israelitas Cades-Barne diù commoratos fuisse. Reperitur adhuc hujusce stationis vestigium in libro ipso Numerorum in quo dicitur legatos rediisse ad Moysen ad Cades in solitudine Pharan.

Hæc solitudo Pharan ubi Cades erat dissimilis esse debebat solitudini de quâ mentionem fecimus, et quæ vergebat ad Sinai; nobis enim Moyses describens Israelitarum iter ex Sinai usque Cades, illos è Sina deducit *ad solitudinem Pharan*, ex solitudine Pharan ad Hazeroth et ex Hazeroth *ad solitudinem Pharan*, ubi erat Cades.

Locus Rethma vocatus in solitudine Pharan prope Cades in nullo aliorum librorum Scripturæ reperitur. Interpretatio Septuaginta fert Rathama. Hanc vocem Aquila *juniperum* traducit. Hæc est vocis hebraicæ significatio sicut animadvertit D. Calmet. Hâc voce Symmacus locum opertum, *umbraculum* intelligit.

« Vera autem positio Cades-Barne vulgò collocatur, dicit D. Calmet, fermè spatio æquali à mari Salso et à mari Mediterraneo. Cùm autem textus chaldaicus hanc urbem semper Recem vocet, quæ est eadem ac Petra prima urbium Petrææ Arabiæ, cùmque nobis affirmet Eusebius hanc urbem Cades-Barne junctam, scilicet proximam esse Petræ, propiùs ad mare Salsum admovendam esse putamus, et in regione vel in finibus Edom collocandam non procul à clivo Scorpionum. Urbem Petram collocat Strabo tribus vel quatuor diebus à Jericho; Plinius verò ab urbe Gaza centum et triginta quinque millibus passuum, et à sinu Persico sexcentis millibus passuum »

Ex ipsis verò distantiis consequitur Petram, caput urbium Arabiæ, probabiliter à mari Salso fuisse longo spatio distantem, sive ad orientem, sive ad meridiem, et reipsà à Cades Barne tam longo spatio fuisse distantem. Hanc urbem inde concludimus omninò fuisse dissimilem loci qui Petra vocatur, quem Eusebius propè Cades-Barne collocat. Propè Cades-Barne putamus probabiliter fuisse locum in finibus Chanaan Petram vocatum, cujus nomen cum nomine Petræ, primæ urbium Arabiæ, permixtum fuerit. Hunc locum Petram vocatum in finibus Chanaan situm putamus eum esse de quo mentio fit in libro Judicum et in libro quarto Regum ; et sententiam communem anteponimus quæ quidem Cades-Barne collocat fermè spatio æquali à mari Salso et à mari Mediterraneo, scilicet 31° 15' latitudinis, 52° 45' longitudinis.

Cades-Barne positio proficit ad stationes determinandas ex statione Sinai præcedentes, et etiam proficiet ad determinandas stationes quæ sequentur usque ad Moseroth propè montem Hor, qui, ut videbitur infra, ad austrum orientalem parvo spatio debebat à Cades esse remotus; unde consequitur Israelitas à Cades

proficiscentes ad occidentem circuitum fecisse qui quidem illos ad montem Hor propè Cades reduxit. Hoc quoque supponit D. Calmet parvâ tamen cum differentiâ quam nunc expositurì sumus.

16. Remmon-Phares. — E Rethma propè Cades-Barne, vel potiùs è Cades-Barne propè Rethma Israelitæ venerunt Remmon-Phares, in decimam sextam stationem. Ignotus est ille locus. A Moyse autem audimus Israelitas è Cades-Barne exeuntes in desertum rediisse per viam quæ ad mare Rubrum ducit, secundùm jussum quem à Domino acceperant, *Revertimini in solitudinem per viam maris Rubri.* Porrò mare Rubrum ad meridiem occidentalem Cades-Barne extendebatur; Israelitas igitur credere licet Cades-Barne exeuntes iter fecisse ad occidentem, et sic Remmon-Phares profectò sitam fuisse ad occidentem Cades-Barne.

17. Lebna. — E Remmon-Phares Israelitæ venerunt Lebna, in decimam septimam stationem. Sæpè mentionem facit Scriptura de urbe hujusce nominis quæ in parte meridionali tribûs Juda sita erat. Hanc urbem Eusebius et sanctus Hieronymus in circuitu Eleutheropolis collocant; « nos autem putamus, dicit D. Calmet, ad meridiem hanc fuisse magis porrectam. Illa urbs oppidum erat munitissimum, cùm illam Sennacherib obsessam tenuerit. Nullam videmus difficultatem, pergit, dicendo Hebræos in circuitu hujusce urbis castrametatos fuisse, cùm Moyses nobis ipse dicat Israelitas diù vertisse circùm montes Seir, diùque inspexisse aliarum vicinarum stationum positionem. Inter Cades-Barne et Gaza sita erat Lebna, ut legimus in Josue. » Hoc induxit D. Calmet ad collocandum Remmon-Phares inter Lebna ad septentrionem, et Rethma ad meridiem. Probat autem idem Josue textus à D. Calmet citatus Lebna urbem fuisse Chananæorum, et urbem regiam; quod locum potest præbere dubitandi an castra metati fuerint Israelitæ in circuitu hujusce urbis; nam à Domino in desertum jussi fuerant redire ut à Chananæis discederent. Fermè igitur incredibile est nubem quæ Israelitarum iter dirigebat, illos tum versùs Chananæos deduxisse. Locus est credendi potiùs, quemadmodùm Remmon-Phares ad occidentem Cades-Barne probabiliter fuisse, ita locum Lebna vocatum de quo hic mentio fit profectò fuisse ad occidentem Remmon-Phares, scilicet in viâ quæ extendi poterat è Cades-Barne ad mare Rubrum; cùm hanc viam illis calcandam Deus jussisset : *Revertimini in solitudinem per viam maris Rubri;* tunc dicendum erit hunc locum Lebna vocatum, in deserto Arabiæ dissimilem esse debuisse urbis Lebnæ in terrâ Chanaan sitæ.

18. Ressa.— E Lebnâ Israelitæ venerunt Ressa, in decimam octavam stationem. « Nusquàm Scripturæ reperitur hic locus : itaque illius positionem determinare difficile est. In Arabiâ reperiuntur Geressa et Caphar-Orsa quæ paulisper Ressa congruunt. Putat Grotius Caphar-Orsa nomen deducere ex Caphthorims qui terram occupaverunt ab Hazerim vel Hazeroth usque ad Gaza. Dicit Josephe Antigonen, postquàm Massada obsidione liberavisset, invasisse castellum Ressa. In vitâ sancti Hilarionis legitur hunc sanctum ad christianam fidem deduxisse omnem urbem Ressa, sitam inter Gaza et Cades. Loquitur Thevenot de urbe Risch vel Riche in viâ Ægypti ad Gaza. » Hactenùs D. Calmet qui supponit Ressam fuisse propè fines regionis Chanaan ad meridiem illustris urbis Lebna, et ad occidentem Cades-Barne. Nos verò putamus hanc stationem probabiliter à finibus regionis Chanaan fuisse remotam, et magis ad occidentem Cades, sed ita ut simul esse potuerit in viâ Ægypti ad Gaza.

19. Ceelatha. — E Ressâ venerunt Israelitæ Ceelatha, in decimam nonam stationem. « Hic « locus nobis est omninò ignotus, dicit D. Cal- « met, nisi idem sit ac Ceila, de quo sæpè mentio « fit in libris Regum ; illa verò urbs in regione « nimiùm prona extendebatur. Hanc Eusebius « collocat ad orientem Eleutheropolis eundo « ad Hebron. » Addere liceret vocem hebraicam alterius ex duobus parùm congruere alterius nomini. Ipsa autem positio Ceila in regione Chanaan sufficit ad probandum Ceila dissimilem esse Ceelatha, quæ profectò in terrâ Chanaan sita non erat. Illam D. Calmet collocat in finibus ad septentrionem Ressa, et ad occidentem urbis illustris Lebna. Nos autem putamus Ceelatha ab illâ positione longo spatio fuisse remotam; illam libentiùs collocaremus ad occidentem Ressa flectendo ad meridiem, et semper sequendo viam Moysi præscriptam, scilicet viam quæ è Cades-Barne ducebat ad mare Rubrum.

20. Jepher. — E Ceelathâ Israelitæ venerunt ad montem Jepher, in vigesimam stationem. « Hunc montem non cognoscimus, dicit D. « Calmet; de illo nusquàm Scriptura mentio- « nem facit. Libenter crederem (addit idem) « Cariath-Sepher, vel urbem Sepher super hunc « montem sitam fuisse, si differentia non exsta- « ret in modo quo scribuntur in textu hebraico « duo hæc nomina. » Cæterùm autem in terrâ

Chanaan erat Cariath-Sepher, et mons Sepher de quo hic mentio fit in hâc terrâ profectò non erat. Hunc montem propè fines regionis Chanaan D. Calmet collocat : nos autem putamus illum montem in medio solitudinis Arabiæ, forsan ad meridiem Ceelatha ; nam postquàm iter fecerunt Israelitæ ex Cades ad occidentem, ad meridiem progredi debuerunt quò penitiùs intrarent in solitudinem, secundùm jussum Domini : *Revertimini in solitudinem.*

21. Arada. — E monte Sepher Israelitæ venerunt Arada, in unam et vigesimam stationem. « Putamus, dicit D. Calmet, Arada « eamdem esse ac Addar. Nobis Josue de « Addar loquitur, cùm regionis Chanaan de- « scribit limites meridianos. Dicit lineam quæ « illic hanc regionem Arabiâ separat, transire « per Sina, Cades-Barne, Esron, Addar, et « Carcaa. Sic ferè hanc lineam describit Moy- « ses. Ex clivo Acrabim, vel Scorpionis, per « Cades-Barne, Addar, Assmona transit. Alibi « Josue vocat Hered urbem hic vocatam Arada, « et propè Lebna illam collocat. Illam credo, « eamdem esse quæ vocatur in Genesi Barad. « Dicit Moyses puteum Viventis et Videntis esse « inter Cades et Barad. Israelitas rex Arad ag- « gressus est, illosque persecutus est usque ad « Horma, cùm rursùs in solitudinem Cades ipsi « venerunt. Propè solitudinem Cades Eusebius « Arad collocat viginti millibus passuum ab « Hebron, et quatuor millibus passuum à Ma- « latis aut Malata quæ probabiliter eadem est ac « Maceloth, quò castrametaturi venerunt Israe- « litæ exeuntes de Arada. » Hæc est D. Calmet sententia, quæ quidem illi dedit locum adstruendi Israelitas per integrum iter tenuisse oras terræ Chanaan ex Cades-Barne usque ad Arada. Animadvertimus autem Israelitas Cades-Barne exeuntes debuisse digredi è terrâ Chanaan, ut intrarent in solitudinem per viam quæ ex Cades-Barne ducebat ad mare Rubrum, et nobis impossibile est credere illos tam citò ad hanc regionem propiùs accessisse, præsertim ut irent castrametaturi propè urbem à Chananæis occupatam, et tunc forsan primam urbium hujusce regionis, sicut erat cùm rursùs ad Cades venerunt ; cæterùm Arada, Arad, et Addar in linguâ hebraicâ dissimiliter scribuntur, et nobis maximè dubium est hoc esse nomen unius et ejusdem loci : libentiùs putamus locum hic Arada vocatum in medio solitudinis Arabiæ fuisse forsan ad meridiem montis Sepher : nobis enim verisimile videtur Israelitas eò magis in solitudinem se abstrudisse quò magis progrediebantur.

22. Maceloth. — Ex Aradâ venerunt Israelitæ Maceloth, in secundam et vigesimam stationem. Hoc nomen in Scripturâ nusquàm alibi apparet ; sed Eusebius et sanctus Hieronymus sæpè loquuntur de Malatis aut Malata, quæ quatuor millibus passuum ab Arad, et viginti millibus ab Hebron sita erat. « Hanc urbem « credo, dicit D. Calmet eamdem esse quæ voca- « tur in Josue Malada, et tribui Juda adscribitur, « et forsan etiam eamdem ac Maliatta Ptolemæi; » Nobis maximè dubium videtur Maceloth eumdem fuisse locum ac Molada. Parva est in linguâ hebraicâ similitudo inter hæc duo nomina, neque apparet Israelitas accessisse usque ad urbem quæ in terrâ Chanaan esse debebat. Maceloth in solitudine Arabiæ potiùs collocaremus ; poterat ad meridiem Arada sita esse.

23. Thahath. — E Maceloth Israelitæ venerunt in Thahath, tertiam et vigesimam stationem. Fatetur D. Calmet se hujusce loci positionem ignorare; sed illius in suâ tabulâ geographicâ positionem determinat et duarum stationum sequentium positione Hesmona quæ sextæ et vigesimæ stationis locus fuit, supponensque Hesmona fuisse ad meridiem Arada, collocat Thahath ad septentrionem Hesmona, et ad meridiem Arada, in finibus Arabiæ. Nos verò supponimus Thahath fuisse in solitudine Arabiæ forsan ad meridiem Maceloth.

24. Thare. — E Thahath Israelitæ venerunt Thare, in quartam et vigesimam stationem. Fatetur adhuc D. Calmet hunc locum esse ignotum ; tantùm animadvertit Ptolomæum de Cletarro mentionem facere in hâc regione, scilicet in Arabiâ. Positione Hesmona determinat adhuc D. Calmet positionem Thare quam in oris Arabiæ collocat. Hunc locum supponimus in Arabiâ ipsâ fuisse, forsan ad meridiem vel ad occidentem Thahath, scilicet in viâ quæ poterat ad Asiongaber Israelitas reducere.

25. Methca. — E Thare Israelitæ venerunt Methca, in quintam et vigesimam stationem. « Nonne hæc, dicit D. Calmet, esset Moca urbs « Petrææ Arabiæ numismate Antonini Pii cog- « nita ? » Methca in oris Arabiæ D. Calmet collocat propè Hesmona, de quâ modò locuturi sumus. Nos verò supponimus hanc urbem fuisse sitam in Arabiâ ipsâ forsan ad meridiem Thare.

26. Hesmona.— E Methcâ venerunt Israelitæ Hesmona, in sextam et vigesimam stationem. « Hæc urbs, dicit D. Calmet, confinis erat Ægy- « pti et tribûs Juda, et sita in hujusce tribûs « parte maximè meridianâ. Hanc Moyses vocat

« Asemona in capite 34, et sub hoc nomine magis « in Scripturâ cognoscitur. » Asemona verò in Scripturâ nota est textu tantùm qui modò citatus est è libro Numerorum in quo regionis Chanaan meridianos limites describit Moyses, et textu libri Josue, in quo eorumdem limitum descriptio reperitur. Et in hebraicis litteris illorum duorum textuum, apparet nomen Asemona nomini Hesmona dissimile esse. Israelitas videtur ad fines terræ Chanaan non rediisse nisi postquàm ad Cades rursùs redierant. Non potuissent enim ad fines terræ Chanaan reverti quin à Chananæis pertimuissent novam aggressionem; et ex egressu de Cades-Barne illos à Chananæis invasos tantùm videmus, cùm Cades redierunt in solitudinem Tsin. Hesmona locum vigesimæ sextæ stationis Israelitarum putamus in Arabiâ fuisse, forsan ad meridiem Methca.

27. Moseroth. — Profecti Israelitæ de Hesmonâ, venerunt in Moseroth. Hic aliquid controversiæ surgit de loco vigesimæ et septimæ mansionis : dicitur in Numeris quòd Israelitæ *profecti de Hesmonâ venerunt in Moseroth, et de Moseroth castrametati sunt in Benejaacan, profectique de Benejaacan venerunt in montem Gadgad, unde profecti castrametati sunt in Jetebatha.* Sed in Deuteronomio, secundùm hebraicum, Septuaginta et Vulgatam, dicuntur movisse *castra ex Beroth filiorum Jacan in Mosera, inde* venisse *in Gadgad, de quo loco profecti castrametati sunt in Jetebatha.* « Non immeritò, « ait D. Calmet, suspicamur in alterutro ex « his textibus transpositionem aliquam unius « voculæ irrepsisse, » et alibi : « Frustra com- « mentatores torquentur discrimen illud con- « ciliaturi; alii quidem stationes ejusdem no- « minis duas distinguentes, alii plurima nomina « uni eidemque conciliantes. Multò sinceriùs, « meâ sententiâ, fatendum transpositionem hic « voculæ obrepsisse, ut amanuensium mendo « positus sit *Beroth Benejaacan* ante *Mosera*, « cùm hic posterior locus illi præponendus « esset. Rei natura postulat ut eum teneamus « stationum ordinem quem Moyses datâ operâ « digessit in libro Numerorum, potiùs quàm « hunc in alieno loco incidentem, ubi modica « tantùm pars stationum indicatur. Samarita- « nus congruit hîc cum libro Numerorum; « verùm Septuaginta et Vulgata Beroth filio- « rum Jacan præponunt Moseroth, uti legit « Hebræus » (Comment. in Deuteronom. v. 6). Supponit ergo D. Calmet venisse Israelitas de Hesmonâ Moseroth, et de Moseroth Beroth-Benejaacan, ut indicat liber Numerorum. Priusquàm textum Samaritanum evolvissemus hic memoratum à D. Calmet, propensi eramus ad præponendum iter assignatum per hebræum textum Deuteronomii itinerario; sed videbitur modò aliam difficultatem in eo textu inveniri quâ immunis est textus samaritanus, ita ut, omnibus perpensis, præferendam credamus viam indicatam per textum samaritanum in Deuteronomio, quæ planè consentanea est cum narratione libri Numerorum. Moseroth ergo erit vigesimæ et septimæ mansionis locus.

Hic locus nominatur Mosera in textu hebræo Deuteronomii, ibique Aaron mortuum ac sepultum esse dicitur : In Mosera, *ubi Aaron mortuus ac sepultus est* (Deut. 10, 6). Attamen in alio ejusdem libri loco et in duobus Numerorum locis affirmat Moyses mortuum esse Aaron *in monte Hor.* Ut hæc conciliet, D. Calmet dicit : « Fortassè castra habita fuère in « loco Mosera appellato et monti Hor subjecto. « Non tamen in eo quod describimus itinere « Aaron decessit, sed potiùs in reditu, cùm « scilicet Hebræi iterùm eamdem stationem, « Moseram tenuerunt, seu potiùs cùm in eâdem « regione Moseroth mensi sunt castra; verisi- « millimum enim est in hâc statione non adeò « ad montem Hor accessisse. Occurrit urbs *Mas-* « *sarta* circa *Petram* in Arabiâ; nec incongruè « confunditur cum Moseroth vel Moserâ; poni- « mus autem cum plerisque interpretibus Mose- « roth et Mosera vel unum omninò, vel duo fuis- « se loca propinqua. » Indicabunt sequentia montem Hor, ad cujus radices locat D. Calmet Moseroth vel Mosera, non longè distare à Cades-Barne, quam urbem contra Petram statuit Eusebius, et collocandum esse ad meridiem occidentalem Cades.

Sed reditus Iraelitarum ad Moseroth nullis nititur argumentis : certum est solummodò, Aaron non in primâ mansione *Moseroth* obiisse, sed tantummodò in statione *ad montem Hor.* Textus samaritanus non modò duo loca distinguit, nihil inter ea commune indicando, sed etiam demonstrat quâ ratione amanuenses in unum contulerint quod pertinebat alteri : hoc ergo samaritanus scribit in Deuteronomio : « Profecti sunt filii Israel Moseroth et castra- « metati sunt ad Benejaacan : inde exeuntes « castrametati sunt Gadgad : inde exeuntes « castrametati sunt Jetebatha, quæ est terra « vallium cum aquis : inde exeuntes castra- « metati sunt Hebrona : inde exeuntes castra- « metati sunt Asiongaber : inde exeuntes castra-

« metati sunt in deserto Sin : inde exeuntes « castrametati sunt ad Cades : inde exeuntes « castrametati sunt ad montem Hor ; et ibi « mortuus est Aaron, et Eleazar, filius ejus, « pro eo in sacerdotii munus successit. » Illud perfectè consentaneum esse videtur cum narratione Numerorum. Non Hebræus Deuteronomii expressè asserit mortuum esse Aaron Mosera, sed ut Samaritanus dicit : *Aaron ibi mortuus est*, hoc adverbium, *ibi*, necessariò se refert ad locum ante citatum ; sed si per errorem scriba illud alio loco translatum apponit, æquè huic loco referendum erit, et Aaronis obitum omni alii loco assignabit quàm decesserit. Multis nititur argumentis sententia, quòd per simile mendum in hebræo Deuteronomii collocetur mors Aaronis Mosera in capite decimo, cùm in tricesimo et secundo ejusdem libri, Moyses iteret Aaronem mortuum esse in monte Hor Relinquamus ergo Aaronem in monte Hor mortuum, nec laboremus ut huic monti approximetur Moseroth, quæ statio solummodò quærenda est in viâ quæ ducere potest ex Cades, sito in finibus Chanaan, usque ad Asiongaber, ad oras sinûs Elanitici, id est, è septentrione ad meridiem.

28. Beroth-Bene-Jaacan. — De Moseroth castrametati sunt Israelitæ Bene-Jaacan : hoc nomine significantur Filii Jaacan, et in textu hebræo Deuteronomii nominatur Beroth-Bene-Jaacan, Putei filiorum Jaacan, in Vulgatâ, *Beroth-Filiorum-Jaacan;* hic ergo locus vicesimæ et octavæ mansionis fuit : poterat poni ad meridiem Moseroth : hunc etiam situm ei assignat D. Calmet. Vox Beroth non legitur in libro Numerorum.

29. Mons Gadgad. — Profecti è Beroth-Bene-Jaacan Israelitæ venerunt in montem *Gadgad* vel *Gadgada* quæ vicesima et nona fuit statio. (Num. 33, 31, 32. Deut. 10, 7). « Certus « situs hujus montis, ait D. Calmet, ignoratur : « Hebræus nostræ ætatis legit, ad vallum Gad- « gad ; verùm Septuaginta, uti et Vulgata, le- « gunt, montem Gadgad. Levissimâ in hæ- « bræis litteris differentiâ discrepant hæ variæ « lectiones. Origenes habet Galgat. Eusebius « tantùm poni dicit Gadgada in deserto : eam- « dem posuisse videtur Gadgadam cum *Jete- « batha*, cùm scribit locum esse *riguum aqua- « rum torrentibus* quæ propria sunt Jetebathæ, « stationis statim post *Gadgad* succedentis, « apud Moysem. » Supponit D. Calmet Gadgad positum fuisse ad meridiem Moseroth, id est, in viâ quæ ducebat è Moseroth ad Asiongaber : Gadgad sic appellatur in libro Numerorum. Legitur Gadgada in hebræo Deuteronomii.

30. Jetebatha. — Israelitæ egressi de Gadgad castrametati sunt in Jetebathâ, tricesimâ statione. « Idemne locus, inquit D. Calmet, « ac Sepulcra Concupiscentiæ ? Je-taabatha, « de hoc loco nihil scimus aliud, quàm quòd « uberi aquarum venâ dives fluxerit. » Sed in Hebræo *Je-toabatha*, significans *tumuli concupiscentiæ*, differt non solùm à *Jetebatha*, sed et ab *Kibrot-Hatthaava*, quod significat *sepulcra concupiscentiæ*, et D. Calmet ipse distinguit in suâ chartâ Jetebatha *à sepulcris concupiscentiæ ;* collocat Jetebatha ad meridiem Gadgad, versùs iter ad Asiongaber.

31. Hebrona. — *Et de Jetebatha venerunt in Hebrona* Israelitæ, tricesimam et unam stationem (Num. XXXIII, 34). « Incognitus nobis « locus, » ait D. Calmet ; præsumi tantùm potest situm fuisse in meridie Jetebathæ, et in septentrione Asiongaber : hunc ei assignat situm D. Calmet.

32. Asiongaber. — *Egressique de Hebronâ, castrametati sunt in Asiongaber* Israelitæ : tricesima et secunda statio est (Num. XXXIII, v. 35). « E re futurum censemus, ait D. Cal- « met, si statuatur situs hujus loci cujus « mentio sæpè occurrit in Scripturâ, ut sci- « licet ea quæ hic dicturi sumus valeant pro « reliquis textibus idem nomen referentibus. « Apertè nimis Scriptura constituit Asiongaber « in Idumæâ et ad mare Rubrum, ut eâ planè « invitâ alibi quæratur. *Classem fecit rex Salo- « mon in Asiongaber, quæ est juxta Ailath* « (aut Elath), *in littore maris Rubri, in terrâ « Idumææ* (Reg. IX, 25). Eusebio et S. Hie- « ronymo urbs est *Elath* mari Rubro proxima, « quam ætate suâ appellatam ferunt *Asiam* vel « *Esiam*..... Affirmat Josephus Asiongaber, « ætate suâ Berenicem appellatam fuisse ur- « bem Elanæ satis proximam..... Cellario con- « traria omnia probantur rato, urbem Berenicem, de quâ Mela, aliam esse planè ab eâ « quam Josephus ab Asiongaber non distin- « guit, atque Asiongaber jacuisse ad sinum « Elaniticum, cùm vicissim Berenice Melæ ad « sinum Heroopolitanum Ægyptum versùs, « id est, ad littus occidentale ejusdem sinûs « pertineret. Hæc sententia nobis præ cæteris « probatur ; reputamus enim Israelitas mo- « ventes ex *Hebronâ* venisse in Elath vel Elan, « tum Asiongaber, urbem facilè ad extremam « oram sinûs Elanitici. Elat hic quidem non « meminit Moyses, sed defectum supplet in

« Deuteronomio, his verbis : *Per viam campes-* « *trem de Elat et de Asiongaber venimus ad iter* « *quod ducit ad desertum Moab* (Deut. II, 8). » Hæc à D. Calmet expressa sunt : sed non nobis manifestum est hunc textum Deuteronomii certum facere quòd Israelitæ commorati fuissent in Elat ut in Asiongaber. Satis manifestat connexio hujus textûs cum præcedentibus et sequentibus, Moysen sermonem habuisse non de eo quod contigit Hebræis cùm venerint de Moseroth ad Asiongaber, sed de eo quod evenit eis reversis ab Asiongaber ad Cades : Siquidem coacti sunt rursùs inire iter quod ducebat ad mare Rubrum, id est, quod eos revehebat in Asiongaber, et circumire terram Edom per viam camporum Edom et Asiongaber, ut venirent deindè ad iter quod ducit ad desertum Moab : *Per viam campestrem de Elat et Asiongaber venimus ad iter quod ducit ad desertum Moab.* Cæterùm, sententiam D. Calmet comprobamus, quâ Elat et Asiongaber dantur sitæ in sinu Elanitico, et posse Asiongaber jacere in orâ septentrionali hujusce sinûs, id est, in 20° gradu 12″ latitudinis, et in 52° gradu 3″ longitudinis.

33. Cades, in deserto Tsin. — Profecti de Asiongaber, Israelitæ venerunt in desertum Tsin, id est, Cades, tricesimam et tertiam mansionem. Jam monuimus illud desertum *Tsin,* longè aliud esse ac desertum *Sin* in mari Rubro situm. « Demonstrare enim conati sumus, « ait D. Calmet, Cades et Cades-Barne sive « unum esse eumdemque locum, sive jacuisse « ambo in deserto Tsin. Nunc autem secundò « venerunt Israelitæ in Cades, sed non eum- « dem ac priùs locum castris metandis elege- « runt. Primo enim adventu diuturnam traxe- « runt in Cades-Barne moram, nullam aquarum « penuriam experti, secundo verò, aquarum « penuriâ coacti, abierunt in murmur et « Moyses aquas expressit ex silice. Est autem « hîc statio ad aquas Contradictionis. Ibi pari- « ter Maria, soror Moysis, diem clausit, ac « Moyses per legatos suos à rege Idumææ tran- « situm postulavit, et passus est repulsam. »

Hîc memorandum est quod D. Calmet asserit, ut probet Cades idem esse ac Cades-Barne, aut saltem duos locos vicinissimos esse. Illud commentarium spectat ad id quod dictum est in libro Numerorum, capite XIII, versu 27, duodecim scilicet legatos missos ad explorandam terram Chanaan, reversos esse ad Moysen et Aaron et *omnem cœtum filiorum Israel in desertum Pharan, quod est in Cades.* « Jam supra « v. 22, animadvertimus, inquit, exploratores Israelis percurrisse totam Chanaanitidem « à deserto Tsin usque Rohob, extremam oram « septentrionalem hujus provinciæ. Hîc autem « regressus eorum describitur : redeunt enim « in Cades, in desertum Pharan. Statuendum « est igitur Cades vel propiùs accessisse ad « desertum Tsin, vel in eodem deserto consedisse, et Cades hoc loco unum esse idemque « ac Cades-Barne; certò enim constat exploratores profectos esse è Cades-Barne inspecturos terram Chanaanitidis, nec Moysen absentibus illis castra sua movisse. Denique ipse « Moyses tradit se substitisse adhùc diutiùs in « Cades-Barne. Sed non hic unicus textus Cades et Cades-Barne aut synonymum ponit. « Idem pariter et in Genesi licet animadvertere : nec sanè nobis quidquam affirmari « posse de Cades, quod non item et de Cades-Barne, videatur. Nomen loci, situs et reliqua omnia congruunt utrinque; quare « pro unâ eâdem que urbe accipiendæ sunt. « Cades et Cades-Barne urbes sunt in finibus « Idumææ et Chanaanitidis, proxima utraque « Sennæ, vel Tsin et montibus Hor, Arad, Horme secùs viam è mari Rubro ad Hebronem, « et ex Hebrone vel è regione Chanaan ad « mare Rubrum. Cùm Moyses et Josue describunt limites meridionales Terræ Promissionis, indicant desertum Tsin, ubi urbs « Sina et urbes Cades-Barne, Adar et Hasar « (seu Hesron); nihil autem habent de alterâ « Cades quæ à primâ differat : vero igitur simillimum unicam agnosci in Scripturâ urbem Cades vel Cardes-Barne, adscriptam « modò deserto Pharan, modò deserto Tsin, « quòd scilicet in alterutro ex his desertis ita « consideret, ut proxima alteri quoque accederet. Hanc opinionem, quæ unicam tantùm « agnoscit urbem Cades, asserunt suffragatores « habuisse Eusebium, S. Hieronymum, doctosque alios scriptores commentariorum quàmplurimos.

« Qui duas urbes distinguunt Cades et Cades-Barne, opinioni suæ fidem potissimùm « ex eo conciliant, quòd in Cades murmur « sublatum est populi, aquarum penuriâ laborantis, cùm vicissim in Cades Barne necessaria omnia suppeterent : sed quid mirum, si « in duobus diversis deserti ejusdem nominis « locis, hîc quidem desint aquæ, ibi verò « abundent? » Sic disserit D. Calmet.

Nos verò putamus Cades in deserto Tsin diversam esse potuisse quàm Cades-Barne, vel

Cades in deserto Pharan; sed vicinitate approximari magnâ hæc loca, censemus, posseque etiam unum esse eumdemque locum, cujus una pars producebatur in desertum Tsin, altera pars in desertum Pharan, et vocabatur Cades-Barne; novo etiam argumento contenderetur Cades deserti Tsin proximam esse Cades-Barne: reverà, cùm venerunt Israelitæ in Cades, in deserto Tsin, et inde progressi sint ad montem Hor, rex Arad, qui ad meridiem incolebat Chanaanitidem, eos aggressus est, ex eo quòd certus factus erat Israel venisse *per exploratorum viam*. Atqui, quomodò Israelitæ venerant per viam exploratorum? sine dubio, venientes à Cades ad desertum Tsin, eamdem viam arripuerant quam secuti fuerant duodecim exploratores, cùm profecti è Cades-Barne, ingressi fuerant Chanaanitidem per desertum Tsin. Septuaginta, fateor, legerunt Israel venisse per viam *Atharim*, imòque D. Calmet hanc lectionem præponit cæteris; sed pro *Atharim*, legit auctor Vulgatæ *Tharim*, quod hebraicè significat *exploratores*; nihil acceptiorem esse jubet lectionem Septuaginta, quæ nomen loci profert omninò ignoti, quam lectionem auctoris Vulgatæ, quæ sensum naturæ rei consentaneum offert, confirmatumque aliis circumstantiis, ex quibus fluit demonstratio Cades in deserto Tsin appositam esse debuisse contra Cades-Barne. Buxtorf hîc asserit hebræum *Atharim* sumendum esse in sensu *Tharim*. Supponemus ergò Cades deserti Tsin jacuisse per 30um gradum 38' latitudinis, et 53um, 15' longitudinis.

34. Mons Hor. — Cades erat in finibus Idumææ, ibique castrametati erant Israelitæ, cùm Moyses misit ad regem Edom legatos qui transitum per terram ejus postularent. Non tantùm rex postulatum recusavit, sed etiam cum potenti exercitu Israelitas invasit. Coacti ab ejus regione gradus avertere, Israelitæ egressi è Cades venerunt ad montem Hor, in quo tricesima et quarta mansio. « Iter flexerunt ad me-« ridiem, dicit D. Calmet, ut circumirent regio-« nem Idumæorum sedes habentem ad extre-« mam oram maris Mortui, et quorum regio « porrigebatur ultra Petram, metropolim Ara-« biæ Petrææ. Jam supra ex Eusebio didicimus « Cades ad hanc urbem proximè accessisse. « Chaldæus, Onkelos et Syriacus conceptis « verbis exprimunt Israelitas movisse castra « à Rekem, quæ ipsa est Petra, ut ad montem « Hor proficiscerentur. Igitur Cades conse-« disse necesse est in agro ejusdem urbis, si-« cut et eodem in loco continebatur mons « Hor, si quæ fides Josepho; quod etiam con-« firmatur ex Eusebio, qui tradit monstrari ad-« huc juxta montem Hor silicem, unde Moyses « aquarum venam eduxit. Habendus est igitur « mons Hor non tanquàm unicus et singularis « mons, sed tanquàm plurium montium uno « ductu catena; quemadmodùm et persimilem « seriem montium referunt Libanus, Antilibanus, Taurus, aliique earum regionum celebratissimi. De nomine hujus montis fortassè « appellati sunt Horræi, de quibus in Genesi, « Ager huic monti adjacens, in quo consederunt Israelitæ, appellabatur Mosera vel Mo-« seroth, ut in Deuteronomio. » Alibi addit D. Calmet: « Hunc montem constituamus oportet « in Idumeâ, ibi circiter unde patet transitus « ex Arabiâ vel Idumæâ in Chanaanitidem. »

Nobis autem maximè dubium esse videtur an constituendus sit mons Hor intra regionem quæ Idumæa vel terra Edom vocabatur, siquidem Moyses monet verbis disertis Israelitas, cùm venerint in urbem Cades, imminente ipsis exercitu regis Edom, ab ejus finibus divertisse, ut venirent in montem Hor; nec dubium est scriptum esse in capite 20 libri Numerorum: *In montem Hor, qui est in finibus terræ Edom*. Idem Vulgata in versiculo 22, et hebræus in versiculo 23 certum faciunt; fatemur eisdem verbis inscribi in capite 33: *In monte Hor, in finibus terræ Edom;* sed fines terræ pro regionis medio assumi non licet; Hor erat in finibus Edom, ut Cades, sed non ad regem Edom pertinebat. Animadverti etiam potest nomen Horræorum, quod memorat Genesis, alio modo hebraicè scribi quàm nomen montis Hor. Nobis ergo probatur montem Hor in Arabiâ, non in Idumeâ stetisse, sed fatebimur eum potuisse ad meridiem Cades collocari.

Sic reversis ad Moseram vel Moseroth in radicibus montis Hor Israelitis, tunc Aaron in hoc monte MORTUUS EST, ANNO QUADRAGESIMO EGRESSIONIS FILIORUM ISRAEL EX ÆGYPTO, MENSE QUINTO, PRIMA DIE MENSIS. Tunc etiam regem Arad, qui incolebat meridiem terræ Chanaan, *aggressorem*, oppresserunt.

35. Salmona. — Egressi Israelitæ de monte Hor, viam secuti sunt quæ ducit ad mare Rubrum ut circumirent terram Edom; per viam campestrem Elat et Asiongaber incesserunt, ut hinc peterent iter quod ducit ad desertum Moab; per hanc viam progressi, primò venerunt è monte Hor ad Salmonam, in trigesimam et quintam stationem. « Jussi à Deo Israelitæ, ait D. Calmet, « ut abstinerent ab Idumæis, exacti sunt iter

« relegere per viam quæ ad mare Rubrum, id « est ad Asiongaber, undè paulò antè move- « rant, ducit, et cursu ambire regionem Edom « et Moabitarum..... Creditur Deus in Salmonâ « immissis anguibus ultionem suam in popu- « lum exercuisse. » Sed alio loco D. Calmet scripsit : « Porrò è monte Hor proficiscentes, « substiterunt Salmonæ, deinde in Phunon, « ubi consignandum credimus et murmur et « serpentum venenatos morsus. » Phunon locus fuit sequentis mansionis, et quod scimus de immissione serpentum adversùs Israelitas, ad id tantùm redigitur, scilicet : ex Moysis narratione, hæc plaga intersita est stationi montis Hor, quæ est trigesima et quarta, et stationi Oboth, quæ trigesima et septima est. Salmona sita esse poterat ad orientem montis Hor. D. Calmet eam ad Euronotum collocat.

36. Phunon. — Venerunt ergo Israelitæ de Salmonâ Phunon, in trigesimam et sextam mansionem. « Phunon, ait D. Calmet, alio no- « mine Phenon, Phinon, vel Fana, vel Metallo- « fenon, locus est in Idumeâ celebris, situs in- « ter urbes Petram et Zegor, vel Zoaram, quò « ad fodinas damnatos fuisse martyres quosdam « memoriæ proditum est. Phenon est Eusebio « 15,000 passuum à Dedan meridiem versùs; « facilè autem nomen Phunon loco inditum est « ex Phinon uno ex principibus Idumææ, de « quo Genesis. » Nec immeritò dicetur Phinon vel Phunon in Idumæâ sita esse, si supponatur Idumæa spatiari usque ad Asiongaber, ut videtur producta tempore Salomonis; sed tunc oportebit ut supponatur Israelitarum per Idumæam transgressio, dùm satis conceptis verbis Moyses asserit hos declinásse ab itinere suo, et circumivisse, id est, juxta fines Idumæorum viam tenuisse, *ut circumirent terram Edom.* Phunon ergo tunc temporis non inclusam in Idumæâ apparet, sed tantùm finitimam fuisse Idumææ. D. Calmet ad ortum Salmonæ ponit Phunon.

37. Oboth.— De Phunon Israelitæ castrametati sunt Oboth, quæ est trigesima et septima « mansio. « Est Oboth, ait D. Calmet, locus non « veteribus ignotus, de quo Stephanus : Ὄβοδα, « χώριον Ναβαθαίων, *Oboda, statio Nabathæorum.* « Colebatur ibi Deus Obodas, vetus provinciæ « rex inter numina consecratus, cui et Dusarem, « alterum regem ejusdem loci jungit Tertul- « lianus. Meminit etiam Plinius urbis Ebodæ « in Arabiâ, quam Helmodæis tribuit. » D. Calmet locat Oboth ad orientem Phunon.

38. Je-Abarim.— Egressi Israelitæ de Oboth fixêre tentoria in Je-Abarim, in trigesimâ et octavâ mansione. « Vocem eam Je-Abarim, ait « Calmet, exponunt interpretes : alii quidem, « *Vada transituum vel transeuntium,* alii, *Angus- « tiæ Abarim,* vel *Cumuli Abarim.* Prima versio « ex eo adstruitur, quòd Je-Abarim adjaceret « torrenti Zared. Quare commodè accipitur de « vado, unde torrentem Israelitæ trajecêre. Sed « opinionem exponenti de angustiis vel de cu- « mulis montium Abarim illud repugnat, quòd « inter stationem Je-Abarim et montes de qui- « bus agitur, Moyses constituit stationes tor- « rentis Zared Matthanæ, Nahorbielis, Bamoth- « Arnon, Dibongad et Helmondeblathaim; « quæ loca longe nimis removent Je-Abarim « à montibus Abarim, nisi latissimè porriga- « mus montes illos per totum latus orientale « Moabitidis, quod æquissimè in re præsenti « censetur. Nam Eusebio et S. Hieronymo est « statio Gai vel Hai eadem ac Jee, propè ur- « bem Petram, in Arabiâ. Affirmat autem « Moyses orientalem fuisse regioni Moab : *In « solitudine, quæ respicit Moab contra oriental- « lem plagam* (aut ex hebræo *ab ortu solis*) infra- « que Moyses dicit *esse in finibus Moabitarum.* « Reputaverim ego quidem, pergit D. Calmet, « Je vel Jie eamdem esse urbem ac Gai vel « Hai, de quâ Jeremias, qui constituere illam « videtur in regione Moab : *Ulula, Hesebon, « quoniam vastata est Hai.* » Incertissimum esse ducimus, urbem Gaiam propè Petram, de quâ loquitur Eusebius, eumdem esse locum ac Je-Abarim. Cùm de situ Cades-Barne meminimus, diximus ab ipso D. Calmet asseri Petram adjacere proximiùs Cades-Barne, id est, ad occiduum Idumææ, dùm ad ortum stare debuit Je-Abarim, habens ad meridiem stationem Oboth, ad septentrionem torrentem Zared. Quod D. Calmet supponit, textum Moysis invocando, hanc scilicet mansionem jacere ad orientem Moabitidis, infra discutiendum erit.

39. Dibongad. — De Je-Abarim Israelitæ castrametati sunt ad Dibongad, in trigesimam et nonam mansionem, et Dibongad proxima esse debuit torrenti Zared. Illud facillimè cognoscitur ex collatione textûs capitis 33 libri Numerorum, versiculo 45 : *Profectique de Je-Abarim fixêre tentoria in Dibongad*, cum textu capitis 21, versiculo 12 : *Indè* (scilicet de Jebarim) *profecti, fixêre tentoria ad torrentem Zared,* seu *in valle Zared.* « Torrentis hujus, ait D. Cal- « met, fontes sunt in montibus ad orientem « Moabitidis ; is verò fluens ex oriente in occi- « dentem devolvitur in mare Mortuum. Tor-

« rentem hunc transvadaverunt Israelitæ tri-
« ginta et octo annis post murmur in Cades-
« Barne, uti Moyses in Deuteronomio animad-
« vertit : *Tempus autem quo ambulavimus de*
« *Cades-Barne usque ad transitum torrentis Za-*
« *red triginta et octo annorum fuit.* » D. Calmet supponit Moabitas sedem habere ad meridiem torrentis Arnon, et Israelitas per fines orientales eorum incessisse. Apparet contra Moabitas habitâsse ad orientem torrentis Arnon, Israelitasque transitum peragrâsse per fines occidentales hujusce regionis. Tunc fontes torrentis Zared reperias ad occiduum Moabitidis. Hoc in ipso loco positos Moabitas refert D. Calmet in chartâ geographicâ Terræ Promissionis. Ultra perpendemus quod spectat ad situm Moabitarum.

Distinguit D. Calmet mansionem ad torrentem Zared à mansione *Dibongad* de quâ sic meminit : « *Dibongad* sæpè et Dibon appella-
« tur. Facilè nominis illius *Dibongad* accessio
« facta est, quùm Israelitæ in regionem vene-
« runt. Veteribus ac recentiorum pluribus suc-
« currit ut *Dibon* à *Dibongad* distinguerent,
« sed discriminis hujus nullam sentimus ne-
« cessitatem. Collocandum *Dibongad* cense-
« mus ad Arnon, ubi et Dibon ab Eusebio et
« S. Hieronymo constituitur : tum et inter
« duas hasce stationes, Je-Abarim et Dibongad
« medias ponimus stationes ad torrentem Za-
« red, ad Matthanam, et ad Nahaliel. Vide ca-
« put XXI versiculis 12, 19, 20, ubi singulæ
« istæ seu castrametationes, seu variorum lo-
« corum ejus tractûs nomina à Moyse recen-
« sentur : paruit Dibon primò Moabitis, dein
« armis subacta à Sehone, ex Sehone victori-
« bus cessit Israelitis et tribui Ruben obtigit.
« Tribuitur interdùm Gaditis, idcircò fortassè
« quòd utriusque tribûs fines attingens, utri-
« usque pariter incolis frequentaretur. Ita et
« postea Jerosolymæ accidit, quæ modò inter
« urbes Juda, modò inter Benjaminiticas nu-
« merata est. Tandem rediit ad Moabitas, qui
« ætate prophetarum Isaiæ et Jeremiæ illam
« tenebant. » Hæc omnia optimè aptanda esse censemus urbi *Dibon*, quam tamen non eamdem esse asserimus ac *Dibongad*, quæ ultima à nobis ponitur ad torrentem Zared : expressis enim verbis Moyses hunc locum et situm commemoravit : *fixerunt tentoria ad torrentem Zared*, et nobis hæc statio videtur non posse alia esse quàm statio Dibongad : *fixerunt tentoria ad Dibongad.*

40. Helmondeblathaim. — E Dibongad, Israelitæ castrametati sunt ad Helmondeblathaim, in quadragesimam mansionem, et Helmondeblathaim propior esse debuit torrenti Arnon in deserto. Hoc concluditur adhuc ex collatis textibus, tum capitis XXIII libri Numerorum, versiculo 46 : *Unde* (scilicet *Dibongad*) *egressi castrametati sunt in Helmondeblathaim*, tùm capitis XXI versiculo 13, in quo : *Unde* (scilicet de *torrente Zared*) *egressi castrametati sunt ad transitum Arnon qui est in deserto.* Fontes habet torrens Arnon, dicit D. Calmet, in montibus orientalibus Moabitidis et ex oriente ad occidentem fluens, post separatas veteres regiones Moabitarum et Ammonitarum in mare Mortuum devolvitur, proximè ad ostia Jordanis in idem mare influentis. Potissimùm videtur torrentem Arnon fontes duxisse ad occidentem Moabitarum, et primò ex septentrionali ad meridiem vergendo, sejunxisse, ut Moyses asserit, Moabitas ab Amorrhæis; posteaque ex oriente in occidentem fluendo, finem fecisse regioni Amorrhæorum, quos à Madianitis dividebat.

D. Calmet distinxisse videtur etiam mansionem torrentis Arnon à statione ad Helmondeblathaim, inserensque inter Dibongad et Helmondeblathaim locum dictum Bamoth-Arnon, de Helmondeblathaim hæc notat : « Urbis hu-
« jus Deblathaim, vel Beth-Deblathaim, ut in
« Jeremiâ appellata est, certus situs ignoratur.
« Sunt qui Helmon et Deblathaim in duo di-
« versa loca distinguant. Helmon nomen est
« fortè loci ubi castrametati sunt Israelitæ;
« et Deblathaim, urbs eidem loco proxima.
« Helmodenos constituit Plinius propè Ebodam,
« Oboth hîc appellatam, in Arabiâ Petræâ. »
Nobis autem videtur Helmondeblathaim fixum fuisse situm ad torrentem Arnon; directis enim verbis Moyses torrentem Arnon indicat ut unum è mansionum locis : *Israelitæ castrametati sunt ad transitum Arnon*, nec alia statio esse nobis apparet quàm statio Helmondeblathaim : *Castrametati sunt in Helmondeblathaim.*

Israelitarum mansio ad torrentem Arnon, in deserto locum habuit : *Castrametati sunt ad transitum Arnon qui est in deserto ;* quod autem desertum apparet fuisse desertum Cademoth ; illud enim memorat Moyses in Deuteronomio dicens, quòd cùm Hebræis præcepisset Deus, ut castrametarentur in alio loco, et torrentem Arnon superarent ad invadendam terram Amorrhæorum, Moyses legatos ad regem Amorrhæorum misit, qui transitum ab eo expeterent in regionibus ejus, ex deserto Cade-

moth : Cademoth ergo desertum jacebat ad orientem torrentis Arnon, et potest animadverti hebraicè vocem ipsam Cademoth locum significare situm ad orientem. Statio ergo Helmondeblathaim in hoc deserto, propè torrentem Arnon, sita esse debuit ad hujus torrentis orientalem plagam.

Hic datur locus illustrandi sitûs Moabitidis, interpretationem notando sermonis quem memorat Jephte de peregrinatione Israelitarum à Cades usque ad torrentem Arnon. Hoc ergo Jephte legatis suis mandat Ammonitis exponendum : *Non tulit Israel terram Moab, nec terram filiorum Ammon; sed quando de Ægypto conscenderunt, ambulavit per solitudinem usque ad mare Rubrum, et venit ad Cades. Misitque nuntios ad regem Edom, dicens : Dimitte me, ut transeam per terram tuam ; qui noluit acquiescere precibus ejus. Misit quoque ad regem Moab, qui et ipse transitum præbere contempsit. Mansit itaque in Cades, et circuivit ex latere terram Edom et terram Moab, venitque contra orientalem plagam terræ Moab, et castrametatus est trans Arnon. Nec voluit intrare terminos Moab; Arnon quippe confinium est terræ Moab. Misit itaque Israel nuntios ad Sehon.* Hebraicus textus ad litteram verti posset : *Et abiit Israel in desertum, et circuivit terram Edom et terram Moab, et castrametatus est in transitu Arnon, et non ingressi sunt terminum Moab, Arnon enim terminus est Moab.* Et misit Israel nuntios ad Sehon, etc. Quid inde? Dicesne Israelitas, post trangressum in finibus meridionalibus et orientalibus regionis Edom, deinde transitum expetiisse in finibus orientalibus terræ Moab, indeque ad plagam Arnon castrametatos esse? Illud supponunt Septuaginta et Vulgatæ versiones : *Venitque contra orientalem plagam terræ Moab, et castrametatus est trans Arnon.* Quod sic D. Calmet et P. de Carrières traducunt : « Ils vinrent par le côté oriental du pays de Moab camper au-delà de l'Arnon. » Sed tunc supponeretur Moabitis ad meridiem torrentis Arnon spatiari, et per consequentiam ad meridiem regni Sehon, quod deinde in potestatem tribûs Ruben incidit, et reipsà hanc suppositionem admittit D. Calmet, in chartâ geographicâ terræ Promissionis, in quâ Moabitas ad orientem torrentis Arnon inscribit.

Reverà, 1° si Israelitæ transgressi fuissent orientales fines Moabitarum, ut castrametarentur propiùs torrenti Arnon, oporteret Moabitas ad meridiem hujus torrentis ita depressam terram habuisse, ut ad orientem nihil occupâssent. 2° Nullam ipsis fuisse oporteret communionem cum Ammonitis, qui ad orientem commorabantur, siquidem non dicuntur Israelitæ, ut transitum per terram Moab vitarent, transiisse per terram Ammonitarum. 3° Si Israelitæ superavissent fines Moab quùm ad littus torrentis Arnon pervenerunt, cur addit Jephte : *Nec voluit intrare terminos Moab, Arnon quippe confinium est terræ Moab?* Si adjaceret terra Moab ad meridiem Arnon, ad quid tenderet hæc notitia : *Arnon quippe confinium est terræ Moab?* 4° Ex descriptionibus nobis à Josue et Moyse de terrâ Promissionis relictis, non immeritò crederemus urbem Aroer, in torrente Arnon sitam, confinium esse inter tribus Ruben ad meridiem, et Gad ad septentrionem, sicque spatiari debuisse ad orientem horum tribuum, et ad occidentem torrentis. Atqui Josue ponit Aroer in conspectu Rabba, quæ ipsissima videtur ac civitas à S. Hieronymo appellata Rabbath-Moab, id est, hebraicè metropolim Moabitarum, id est, urbs quam vocat Moyses Ar. Stabat ergo hæc civitas caput Moabitidis, ad orientem torrentis Arnon.

Videntur ergo Moabitæ incoluisse terram ad orientem torrentis Arnon, ad orientem regni Sehon, ad orientem tribûs Ruben et tribûs Gad, et id significabat forsan Jephte per has voces : *Venit* (Israel) *ab ortu solis.* Illud incutit aliquam caliginem sermoni Jephte, quòd in unum cogat duo quæ tamen facilè distincta esse potuerunt; verbi gratiâ, uno tempore legatos asserit missos ab Israelitis et ad Idumæos et ad Moabitas, antequàm profectos ex Cades memoraret; atqui si constat anteriorem exitu à Cades fuisse legationem ad Idumæos, credendum etiam multa probant jam profectos Israelitas, quùm nuntios miserunt ad Moabitas. Nec sanè mireris in hoc compendio Jephte non seriem factorum historicâ fidelitate narravisse. Item, asserit circumivisse Israelitas terram Edom et terram Moab, quasi immediatè à finibus Idumææ ingressi fuissent fines Moabitidis; fortè solummodò significari voluit, circumgressos primò terram Edom Israelitas, postea circumivisse Moabitidem, nec ideò conterminas regiones asseruit. Circumiverunt terram Idumæorum à Cades ad Jeabarim, locum situm in deserto quod jacet ante Moabitas, id est, ad meridiem Moabitarum. Deinde circumiverunt terram Moab à Jeabarim ad Helmondeblathaim, quæ sita erat in deserto Cademoth, ad orientem torrentis Arnon, ad occidentemque Moabitidis.

Utque omnis series harum perambulationum hic resumatur, animadvertemus primò, Israelitas, quùm ex Asiongaber transiissent in Cades, progressos esse ex meridie ad septentrionem, ut et indicat ipse Moyses : *Ite contra aquilonem;* deinde, aliquantisper in Cades commoratos, ad meridiem rursùs gressus flexisse circum terram Edom procedentes; *mansit itaque Israel in Cades, et circuivit terram Edom;* postquàm circumiverint Idumæam, venerunt in Jeabarim, in conspectum Moabitidis, cujus à latere occidentales fines secuti sunt : *Et circuivit ex latere terram Edom et terram Moab;* ex finibus Idumææ recedentes, progressi sunt ad orientem regionis quæ iis postea cessit : *Et venit ab ortu solis ad terram Moab;* in Moabitidis ergo conspectum progressi hujus fines à latere secuti sunt, et castrametati sunt in littore torrentis Arnon, ad orientalem plagam hujusce torrentis, et *castrametatus est in transitu Arnon.* Potuissent viam deflectere à vicinio hujus torrentis, cujus ora orientalis adjacet solitudini; potuissent, inquam, in terras Moab penetrare, quæ stabant ad orientem hujus torrentis, sed *nec voluit intrare terminos Moab.* Appropinquaverunt ergo ad torrentem Arnon, ne introirent in terras Moab; Arnon quippe confinium est Moab; Moyses verbis expressis asserit unam è mansionibus eorum locum habuisse *in finibus Moabitarum.* Inde, ex eo quòd Jephte dixerit Israelitas non voluisse *intrare terminos Moab,* non concludendum est non etiam propiùs ad fines eos accessisse. *Castrametati sunt in finibus Moabitarum,* id est, non ultra fines ejus penetraverunt : *Non ingressi sunt terminum Moab.* Nec negamus, à textu Moysis stationem Jeabarim apponendam esse ad terminos Moab, *castrametati sunt in Jeabarim, in finibus Moabitarum;* nam textus hebræus sic se habet, et annotavimus jam supra mansionem Jeabarim ad meridiem torrentis Zared collocari. Forsan Moabitarum terra usque hùc spatiabatur; sed forsan etiam amanuensis aliquis erravit, aptando stationi Jeabarim, quod stationi conveniebat Helmondeblathaim. Memoravimus stationem Helmondeblathaim insidere littoribus Arnon, et per consequentiam, finibus Moab, *in finibus Moabitarum,* siquidem torrens Arnon confinium erat terræ Moab, *Arnon enim est terminus Moab.*

Ex hoc occasionem assumimus revolvendi quod etiam dicit Moyses, scilicet, Israelitas castrametatos esse in Jeabarim, ab oriente sole, in deserto quod jacet ante Moabitas. Hæc solitudo spatiari potuit ad meridiem Moabitarum, in fronte regionis quam incolebat ille populus, *ante faciem Moab,* et simul ad orientem regionis postea Israelitarum ditioni subjectæ, *ab ortu solis.*

Uno verbo, difficillimè crederem Moysem et Jephte significâsse ab Israelitis proculcatos fuisse terminos orientales Moabitarum, qui, ut autumo, commorabantur ad orientem torrentis Arnon : sed absque dubio, Israelitæ, cùm fines meridionales Idumææ relinquerent, ad torrentem Arnon viam perrecturi, latus orientale sequebantur regionis quam postea occupaverunt; sicque statio Jeabarim quæ in hâc viâ offendebatur, jacebat ad orientem terræ quam deinceps sortiti sunt : *Ab ortu solis.* Patet ipsos, sic ab ortu solis progredientes, appropinquâsse ad terras Moab, quas ad orientem regionis quæ postea fuit Israelitarum, spatiatas esse apparet.

41. Montes Abarim. — Egressi Israelitæ de Helmondeblathaim, quem locum autumamus in deserto Cademoth situm, ad orientem torrentis Arnon et in finibus Moab, castramentati sunt in montibus Abarim, in conspectu Nabo, quæ est quadragesima et una mansio. Hoc nos docet vigesimum et tertium caput libri Numerorum. Sed eorum iter narratione ampliori in capite XXI explanatur. Leguntur Israelitæ, egressi è loco ubi castrametati fuerant ad torrentem Arnon, venisse in locum qui vocatur Beer, id est, Puteus, propter puteum quem Deus Israelitis aquam hausuris indicaverat. Moyses memorat hanc putei inventionem celebratam fuisse ab Israelitis in cantico cui insunt hæc verba : *Puteus quem foderunt principes et paraverunt* (hebraicè *aperuerunt*) *duces multitudinis.* Ex hoc inducimur ad credendum hunc locum ipsissimum esse ac locum postea vocatum Beer-Elim, id est, Puteum Principum, quem tenebant Moabitæ, in tempore Isaiæ. Locus ille jacere potuit ad septentrionem Helmondeblathaim et ad orientem torrentis Arnon, in deserto Cademoth; Moyses enim statim addit : *Et de solitudine Matthana.* Hæc solitudo, ut videtur, eadem erat ac desertum in quo castrametati fuerant ad Arnon, id est, desertum Cademoth, nec verisimili repugnat Israelitas in Matthana venientes superavisse torrentem Arnon, siquidem excesserunt è solitudine quæ spatiari debebat ad orientem hujus torrentis. Eusebius ponit Matthana in Arnon ad duodecim millia à Medaba, vergendo ad orientem; suo tempore vocatam dicit *Maschana.* Ex Matthana seu Maschana, Israelitæ

venerunt in *Nahalded*, quæ et sita erat, si fides Eusebio, in torrente Arnon ; annotari etiam potest significatio vocis *Nahaliel*, hebraicè indicantis, *torrentem Dei, seu torrentem vehementissimum, fortissimum.* Ex Nahaliel, venerunt ad Bamoth, qui idem esse videtur ac *Bamoth-Arnon*, seu *Baal-Bamoth-Arnon*, quæ Moabitis erepta est à Sehone, rege Amorrhæorum, et quæ ipsissima etiam videtur ac Bamoth-Baal quam sortita est tribus Ruben. Eusebius memorat ut et S. Hieronymus, Bamoth urbem esse Amorrhæorum in Arnon sitam, quæ capta ab Israelitis deditaque tribui Ruben fuit. Apparet ergo Israelitas, superato torrente Arnon, iter perexisse secundùm ejus littus ex meridie ad septentrionem progressos, vicissim perlustratis urbibus Matthana, Nahaliel et Bamoth.

Ex Bamoth Israelitæ *venerunt in vallem quæ est in campo Moab in vertice Phasgæ, quæ respicit contra desertum* (vel contra *Jesimon*). Nomen illud Phasgæ videtur esse inditum vertici summo montis Nebo, ut concluditur ex Deuteronomii verbis : *Ascendit Moyses supra montem Nebo, in verticem Phasgæ.* In hoc ergo loco, quem assecuti erant, castrametati sunt Israelitæ in facie Nebo, quæ urbs ad radices montis Nebo ædificata est, in montibus Abarim. Dicitur hæc vallis respiciens ad *Jesimon*, seu contra *Jesimon* tendens. Hebraicè *Jesimon solitudinis* sensum secum fert ; eumdem ac *Jesimoth* aut Beth-Jesimoth, de quâ sermo erit in statione sequente, et quæ ad occidentem meridionalem Phasgæ subjacere debuit, locum credimus esse Jesimon. Hæc vallis in campo Moab numeratur, id est, inerat vallis agro quem tenebant Moabitæ, priusquàm regio in ditionem venisset Amorrhæorum.

Sed, ut animadvertit D. Calmet, nonnisi debellato Sehone Israelitæ castrametati sunt ad radices Abarim montis. Credibile ergo est Israelitas è Ramoth prope Arnon in conspectu habuisse Sehon, regem Amorrhæorum qui obviam processit eis cum populo suo usque ad Jasoc. Quam urbem Eusebius sitam meminit inter Medaba et Debus vel Dibon. Hic pugnatum est ab Amorrhæis et Israelitis ; Sehon afflictus est, ejusque regnum ab Israelitis captum. Videntur post felicem expeditionem Hebræi castrametati esse ad montem Abarim ; ut enim in narratione Moysis rectâ viâ de Ramoth ad radices montis Phasgæ procedunt, ibi castra posuisse rectè creduntur, priusquàm prodirent in regionem Basan, quam ipsis tradidit Deus, victoriam impertiendo in Og, hujus regionis regem.

Observandum hîc est, in capite vigesimo et primo Numerorum, Moysen remisisse legationis hebrææ ad Sehonem mentionem post descriptionem itineris eorum ad radices Phasgæ. Ut verò Phasga erat trans torrentem Arnon, in ipsâ Sehonis terrâ, inde fit ut legatio Israelitarum præcessisse debuit eorum ad radices montis Phasgæ adventum, Moysenque distulisse quid narrandum haberet de hâc legatione, ne itinerarium Israelitarum interrumperet.

42. Campi Moab.—De monte Abarim, Israelitæ castrametati sunt in campis Moab, quæ juxta Jordanem spatiantur, in conspectu Jericho, à Bethjesimoth usque ad Abel-Sarim, et hæc fuit quadragesima et secunda mansio, ultimaque. « Hos agros appellat, ait D. Calmet, Scriptura « campestria Moab, non idcircò scilicet quòd « Moabitis parerent, sed quòd è Moabitis, pri- « scis dominis, ad se derivâsset Sehon, atque « ex Sehon recepissent Israelitæ. Spatiabantur « illi campi à Bethsimoth, secundùm Vulgatam, « Bethjesimoth, secundùm Hebræum, usque « ad Abel-Sarim. Suâ adhuc ætate mansisse « affirmat Eusebius oppidum, nomine *Isimut*, « ad meridiem, et è regione Jerichuntis, ex « quâ urbe decem millia passuum distabat, ad « mare Mortuum. Jacebat Isimus, vel Bethsi- « moth, vel Bethjesimoth, uti appellatur à « Josue et Ezechiele, ad lævam, id est, ad me- « ridiem castrorum israeliticorum ; quare et « Settim ad dexteram constituenda est. » Quem nominamus locum Abel-Satim alibi vocant *Settim* vel *Satim*. Hebraicè, Abel-Satim significat *Luctum Setim*, et D. Calmet hujus vocabuli inditi causam fortassè inveniendam in strage viginti et quatuor millium hominum, quùm Israelitæ Beelphegor adoraverint, ibi patratâ. In his campis, ultima verba Moyses Israelitis concinit ; ex his campis Hebræi, imperante Josue Jordanem superaverunt. Jacere debent intra 32um gradum latitudinis, et 53um longitudinis.

Sic, ut compendium fiat itinerarii Israelitarum à Ramesse ad campos Moab, dici potest :

— 1-2-3-4-5. — Egressi de Ramesse (intra 49° long. et 30° lat.) iverunt in solitudinem Sur (intra 51° long., 29° et 38' latit.)

— 5-6-7-8-9. — Egressi de solitudine Sur, descenderunt ad Daphca (51° 12' long. 28° 33' latit.)

— 9-10-11 12. — Egressi de Daphcâ, iverunt in montem Sinai (51° 47' long., 28° 28' latit.)

— 12-13. — Egressi è monte Sinai iverunt

in solitudinem Pharan (inter 52° et 53 long. et 30° et 31 latit.)

— 13-14-15. — Egressi è solitudine Pharan, iverunt in Cades-Barne (ad 53° long. supra 31° latit.)

— 15-16-17-18-19-20. — Egressi de Cades-Barne, descenderunt in montem Sepher (ad 52° long. 30° 45' latit.)

— 21-22-23-24-25-26-27. — Egressi de Cades-Barne iverunt in Moseroth (52° 50' long. 30° 25' latit.) percurrendo 52° ad 53° gradum long. et 53° ad 52° id. et 30° 10' latit.

— 27-28-29. — Egressi de Moseroth iverunt in montem Gadgad (intra 52° et 53° long. in 30° latit.)

—30-31-32. Egressi de monte Gadgad iverunt in Ailath (52° 15' long. in 29° 20' latit.), deinde in Asiongaber, (52° 33' long. 29° 12' latit.)

— 32-33-34. — Egressi de Asiongaber iverunt ad 53° gradum longitudinis, 30° gradum 35' latitudinis, hincque ad montem Hor (53° 30' long. 30° 20' latit.)

— 35-36-37-38-39-40-41-42. — Exorti de monte Hor, ultra 54° gradum longitudinis excedentes in 54° gradum reversi sunt per 31° 35' latitudinis; invadunt denique campos Moab sitos intra 53° et 54° gradus longitudinis et 32° gradum latitudinis paulò superantes.

Si nunc hujus itinerarii spatium metiri velis, gradui unicuique viginti et quinque leucas attribuendo, ut vulgò in Galliâ numeratur, invenies:

1° A Ramesses ad Sinai, — circiter	90 — Leucas.
2° A Sinai ad Cades-Barne, — circiter.	90
3° A Cades-Barne, multis flexibus et inflexibus contortis, ad Asiongaber, — circiter	100
4° Ab Asiongaber ad desertum Sin, — circiter.	70
5° A deserto Sin ad Campestria Moab, — circiter. . .	50
In summâ peragravêre — circiter.	400 — Leucas.

(Ex *Bibl. de Vence.*)

IN DEUTERONOMIUM

Dissertatio.

Judæis inscribitur *Elle Haddebarim,* nullo alio mysterio quàm quòd in contextu hebraico operis prima illa verba occurrant. Inscribitur etiam à Rabbinis quandoque *Misna*, quod scilicet repetitionem continet et innovationem legis. Tandem *Liber Reprehensionum* (*Sepher thochhot*) ab aliis appellatus est, cùm reprehensiones à Moyse factas in Israelitas referat. Apud Græcos et Latinos *Deuteronomium* dicitur, ex eo scilicet, quòd legis antea latæ summam complectens, veluti secundam legem exhibeat. Porrò leges istæ pluribus accessionibus et interpretationibus in hoc opere referuntur, in gratiam eorum potissimùm, qui, cùm primùm leges rogatæ fuerunt, sive nondùm nati, sive nondùm eâ fuerant ætate, ut rationis compotes esse potuerint. Res à Deo et à se gestas in populum Moyses enarrat; quibus accedit historia quinque vel sex hebdomadum, nempe ab ineunte undecimo mense anni quadragesimi ex egressu ab Ægypto, usque ad diem septimam duodecimi mensis ejusdem anni.

An Moysi opus tribuendum esset, dubitârunt nonnulli (vide Jansen. Præf. et Comment. nost. in c. 3), quòd scilicet Moysis obitum descriptum in eo legerint (Deut. 34, 5); tum et scriptum videatur ab auctore, dùm in occidente Jordanis versaretur; ita enim res gestas in castris Israelitarum describit, quasi in aversâ fluvii ripâ contigerint (vide Josu. 1, 1): *Trans Jordanem.* Hinc aliqui Josue sive Esdram ejus libri auctorem voluerunt.

Sed luculenti adeò occurrunt in opere mosaicæ lucubrationis characteres, ut æquum lectorem vix de altero cogitare permittant. Ipse de se Moyses testatur scriptis mandâsse canticum (Deut. 31. 22), quod libri partem constituit, additque insuper scripto itidem redegisse omnes à se propositas leges (ibid. 9, 24), quarum legum contextus adeò cum reli-

quis totius libri partibus conjungitur, ut divelli possit, distingui non possit. Quòd autem *trans Jordanem* res in eo descriptæ contigisse scribantur, optimi quique interpretes satis conveniunt, hebræam vocem, *Heber*, in originali occurrentem, æquè reddi posse *trans* et *cis*; quare sensui determinando sermonis contextus spectandus est. Quod tandem subditur de obitu Moysis, hæc ab alio auctore suppleta ultrò credimus.

Hæc autem operis summa. Moyses in solemni populi concione, die primâ undecimi mensis anni, ab incœpto itinere 40, totam historiam, ab egressu ex Ægypto, usque ad stativa in agro moabitico, post relatas de rege Basan, Amorrhæis et Madianitis victorias, percurrit. Huic orationi priora libri capita usque ad capit. 4, 41, impenduntur; exinde totum quod superest ejusdem capitis, historicum est. Narrat ibi Moyses domitæ regionis à se factam divisionem, tum et tres refugii urbes constituit; quare supplementum videtur ex libro Numerorum deductum, velut ad mosaicæ orationis complementum. Hoc autem sive Moyses ipse per se, sive alius ejus opus recensens, adjecit; nos tamen alteri deputandum arguimus, quòd non ab auctore insertum videatur, qui explorata scribat, sive res paucis antea mensibus gestas, quas ipse antea fusiùs in eodem opere exposuerit. Eadem observes in capitis 10 versibus 4, 5, 6, 7, 8, 9, quos alienâ manu adjectos suspicamur.

Ad caput 5, Moyses, coacto iterùm populo, res ad Sinai gestas fusiùs pro concione exponit, latisque eâ occasione legibus plura simul adjicit. Sequitur in capit. 27 oratio seniorum populi, qui unà cum Moyse Hebræos hortantur, ut divinis jussionibus legibusque per Moysen à Deo latis, morigeros se præbentes, voluntatis in illum suæ perpetuum monumentum altare in Chanaanitide trans Jordanem erigant, in quo victimis oblatis fœdus cum Deo innovent (cap. 27, 15, 26), fœderisque innovati leges in ejusdem altaris lapidibus insculpant. Monet insuper, ut bipartito exercitu sex tribus utrinque in montibus Habal et Garizim stantes, maledictiones illæ, hæ benedictiones sacerdotum ore pronuntient, respondente ad singulas populo universo.

His ita constitutis, Moyses ad obedientiam Deo præstandam iterùm atque iterùm populum hortatur (cap. 28), præmiorum spe venales animos alliciens, pœnarumque timore contumaces terrens: quæ omnia stylo præter morem pathetico et gravi prosequitur.

Fine orationi imposito, Moyses cœtu populi coacto (cap. 29), vel saltem nondùm priori cœtu soluto, fœdus quatuor ante annis in Horeb inter Deum et Israelem sancitum, iterùm innovavit. Post hæc ad priorem orationem regressus (cap. 30), eadem inculcat, nec minis parcens, nec promissiones præmiorum negligens; iisque omnibus beneficiorum à Deo acceptorum, grati animi excitamenta adjecit. Demùm orationem claudens, exposuit se 120 annorum ætate grandævum, ferendo reipublicæ et exercitûs ponderi jam imparem esse; addens insuper divinæ providentiæ consilio ingressu in Chanaanitidem prohiberi se; quare illud reputâsse, ut à principatu sese abdicans, Josue, sibi à Deo datum successorem, statueret; quod actutùm executioni mandatum est. Post hæc dimisso populo (cap. 31, 8, 9... 14, etc.), Moyses omnia quæ pro concione populo exposuerat, scripto redegit, quem deinde codicem in manu Levitarum et seniorum populo depositum, jussit singulis septenniis in festo Tabernaculorum in solemni populi concione legi.

Paucis ante obitum diebus, jussus à Domino unà cum Josue ad tabernaculum venit (capit. 31, 14, etc.), eorum quæ Deus ipsi Josue ediceret, testis futurus. Cùm igitur in conspectum venissent, Deus discessurum populum à fide prædixit; jussit deinde canticum scribere, quo altè in mente Israelitarum insidente, constans beneficiorum Dei, atque vicissim debiti in illum Hebræorum officii monumentum restaret. His executioni mandatis, tum et cantico coram populo à Moyse recitato (cap. 32), eâdem die Moyses ascendere montem Nebo, ubi diem clauderet supremum, à Domino jubetur. Ascensurus jam supremam benedictionem pius pater mœstissimis filiis impertitus est, benedictionem, inquam, singulis tribubus peculiarem, in quibus de futuris eventibus singularum plurima (capit. 33). Pio illo officio persoluto, montis cacumen ascendit, ubi vitâ defunctus est (capit. 34). Hæc Deuteronomii summa.

Additiones in hoc libro, quibus nonnulla locorum sensa implexa efficiuntur frequentiores, quàm in cæteris libris Moysis, exemplarium exscriptionibus accepto referendas credimus. Non enim principes tantummodò (Deut. 17, 18), sed privatorum etiam singuli, illi Dei jussu, hi verò spontè, sibi exemplar describebant. Inter scribendum autem amanuenses notas voces pro obsoletis substituebant interdùm, uti et obscurum quandoque textum nacti, opportunas voces et sententias perspicuitatis gra-

tiâ addiderunt. Porrò earum additionum aliæ Davidis seu proximam illi ætatem referre creduntur, quo potissimùm tempore, ut ferè fit in regno tranquillo, florenti, et pacato, studium legis et Scripturæ viguisse inter Hebræos non immeritò conjectamur.

Legis repetitio cœpta est à Moyse die primâ undecimi mensis, anni ab inito itinere per desertum quadragesimi. Obiit autem legislator primâ die mensis duodecimi ejusdem anni, ætatem agens 120 annorum, anno mundi 2553.

Opportunum factu visum est exhibuisse hîc sub unum veluti conspectum totam legum hebraicarum naturali ordine deductam summam. Cùm enim frequentiùs interruptæ, nec rariùs repetitæ in libris sacris describantur, lectorem nimis distrahunt, quominùs justam de illis ideam concipere, atque in unum veluti corpus redigere cogitando possit.

Deus cœli, terræque Creator (Gen. 1, 1), ex universo hominum genere Abrahamo ejusque familiâ selectis in suum populum (Levit. 19, 11, et Deut. 26, 16, 17), fœdus cum illis in monte Sinai inivit, legemque tradidit, in quâ se Deum unicum (Exod. 20, 7), solum proinde amandum atque colendum declarat (Deut. 6, 5, et 10, 12, 20). Neque amorem utcumque, sed cui nihil sit reliquum, exigit; gloriæ verò suæ atque justitiæ adeò studiosus assertor est, ut quantùm in suos misericors, atque præstandis promissis fidelis, tantùmdem in animadversionibus severus, parentes perduelles usque ad tertiam et quartam generationem puniat, et vicissim pro patris fidelitate beneficia in mille generationes rependat (Exod. 10, 5, 6, et 34, 6, 7; Deut. 5, 9, 10, et 6, 15). Juramenta per rei alterius cujuscumque nomen, nisi tantùm divinum, emitti vetat (Deut. 6, 13, et 10, 20). Quare neque cultu ullo, neque ipso nomine (Exod. 23, 13), deos alienos invocare, nedùm imagines ipsorum, sive aliorum quorumcumque, etiam brutorum et siderum efformare fas est (Exod. 20, 3, 4, et 23, 13). Blasphemia in Deum morti obnoxia adjudicatur (Levit. 24, 11); neque mitior est sententia in juramenta inania, mendacia calumniosa, utpote quibus crimen in veritatem, et sanctitatem nominis Dei inferatur (Exod. 20, 7; Deut. 5, 11). Vota vel nulla fieri jubet, vel si fiant, statim implenda, dilationem non inultam se passurum professus (Deut. 23, 21; Levit. 27; Num. 30). Si quis temerè de summâ Dei auctoritate sive periculum facere, sive illam in dubium revocare ausus fuerit (Deut. 6, 16); nec non qui magos, ariolos, pseudoprophetas de rerum futurarum eventibus consulant, sive se superstitionibus immisceant, illos reos criminis pronuntiat (Levit. 19, 3, et 20, 6, 27, et 22, 18; Deut. 18, 10). Jubet igitur purum, sincerum cultum exhiberi, nullam somniis fidem (Deut. 18, 13; Levit. 19, 26); nullum cum ritibus eorum, qui comam tondent, commercium; procul esse jubet incisiones et stigmata (Levit. 19, 27, etc.); magi, pythones et pseudoprophetæ è populo exterminentur (Lev. 20, 27; Deut. 18, 20, etc.); nihilque tandem feratur, quod ad idololatriam, sive pravo exemplo, sive sollicitatione inducat; ipsasque urbes ejus criminis reas vult devoveri (Exod. 22, 20, et 23, 24, 25, et 24, 16; Deut. 4, 16, 17, et 13, 6, 10, et 17, 3). Cavendum insuper edicitur à luctibus, juxta morem Ethnicorum (Deut. 14, 1, 2); ab oleo unctionis et à thymiamate, cujus est usus in templo mortis indictâ pœnâ, abstinendum (Exod. 30, 33). Manus tandem insontes atque impollutas ad Deum levent Israelitæ, uti filios, famulos, et Dei populum decet (Exod. 12, 31); in legis meditatione diù noctùque versentur, eamque sive brachio, armillarum more, sive supra frontem alligent; in superliminaribus ædium inscribant (Deut. 6, 7, etc., et 11, 20).

In deserto Deus tabernaculum sibi expandi, veluti regi in castris cum populo suo versanti, voluit; cujus papilionis opificio omnes donaria conferre (Exod. 23, 3, et 25, 5), solos verò sacerdotes ejus obsequiis atque servitiis destinari; quibus unis ejus aditum permitti (Num. 18, 4), nec nisi eo tantùm in loco sacrificia offerri jussit (Deut. 12, 14). Quidquid autem hostiarum immolaretur, sive extra sive intra atrium tabernaculi, statim ante fores ejusdem tabernaculi sisti voluit, ejusdem sanctionis transgressores, tanquàm homicidas damnari, (Levit. 17, 3, 4). Cùm verò Israelitæ ad terram sibi promissam pervenerint, ait Deus, ter singulis annis urbem à Deo in sedem sui templi selectam petant, debitum Domino obsequium, (Exod. 23, 14, et 24, 20; Deut. 15, et 12, 11, 12) munerum oblatione (nefas est enim Deo vacuum se sistere) exhibituri. Deum autem cultu longè à Chananæis diverso colant; neque enim sive statuas erigere, sive aras passim excitare, sive lucum, ne circa altare quidem templi, consecrare Israelitis fas est (Deut. 16, 21, 22). In signum autem obtentæ à Deo regionis, quam colunt, primitias et decimas pro sacris ministris (Exod. 22, 29, 30; Deut. 31, 1,

2) ad templum deferant, his additis ad sacerdotem verbis (Deut. 26, 4, 5) : *Profiteor hodiè coram Domino Deo tuo, quòd ingressus sum terram, pro quâ juravit patribus nostris, ut daret eam nobis.* Acceptisque à sacerdote oblationibus statim Israelita prosequatur : *Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Ægyptum, et ibi peregrinatus est in paucissimo numero, crevitque in gentem magnam ac robustam et infinitæ multitudinis. Afflixeruntque nos Ægyptii, et persecuti sunt, imponentes onera gravissima, et clamavimus ad Deum patrum nostrorum, qui exaudivit nos, et respexit humilitatem nostram et laborem atque angustiam; et eduxit nos de Ægypto in manu forti et brachio extento, in ingenti pavore, in signis atque portentis, et introduxit ad locum istum, et tradidit nobis terram lacte et melle manantem. Et idcircò nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi.*

Præter has oblationes, quotannis semel religiosa in templo convivia instruere jubebantur Israelitæ, à quibus Levita, pauper, vidua, et orphanus non abessent (Deut. 14, 23, etc.). Suæ preces his mensis erant, in hæc verba (Deut. 26, 13, etc.) : *Abstuli quod sanctificatum est de domo meâ, et dedi illud Levitæ et advenæ et pupillo ac viduæ, sicut jussisti mihi; nec præterivi mandata tua, nec sum oblitus imperii tui. Non comedi ex eis in luctu meo, nec speravi ea in quâlibet immunditiâ, nec expendi ex his quidquam in re funebri. Obedivi voci Domini Dei mei. Respice de sanctuario tuo, de excelso cœlorum habitaculo, et benedic populo tuo Israel, et terræ, quam dedisti nobis, sicut jurâsti patribus nostris, terræ lacte et melle mananti.* Hæc tamen convivia semel singulis trienniis in suâ cuique regione præstare fas erat.

Sacerdotes Domini amplissimis privilegiis atque muneribus decorabantur : illud inprimis insigne, quòd soli ministrarent altari ; adipem et sanguinem, et quidquid insuper de victimâ adolendum esset, offerrent ; unis insuper aditus in Sanctum ad imponendum igni thymiama, accendendas lampades, ad innovandos singulis sabbatis panes propositionis, pateret. Suæ illis erant partes è victimis in sacrificiis pacificis, et pro peccato, in oblationibus panis ; necnon in libamentis, quorum parte in ignem conjectâ, reliqua sacerdoti cedebat (Levit. 2, 3). In victimis pacificis armum dexterum, et pectusculum (Levit. 7, 31, etc.), sacerdos sibi reservabat, adipem tradebat igni, sanguine ad basim altaris effuso ; quod reliquum erat offerenti (ibid. 30, 31) permittebat. In sacrificiis pro peccato, renes, cauda, et adeps ilia comprehendens, reticulum jecoris, Domino; reliqua sacerdoti erant (ibid. 1, 2, 3). De holocaustis, igni omnia ; vellus tantummodò sacerdos habebat. Ex hostiis pacificis sive in templo, sive in privatis ædibus cum totâ familiâ degustare fas erat : post alteram verò diem à sacrificio, si ex iis reliquum fuisset, igne statim absumendum (Levit. 7, 18). De victimis pro peccato extra templum sive degustare, sive efferre quid sacerdoti nefas (Levit. 6, 26, et 7, 6 ; Num. 18, 9); aliis verò à sacerdotibus ne in templo quidem aliquid ex iis delibare permissum : quoad decimas, primitias, primogenita, vota, et oblationes, familia sacerdotis non excipiebatur (Levit. 10, 14; Num. 18, 13, etc.). Sacerdos, qui ex sanctificatis aliquid ipse non purus in cibum caperet, ultimo supplicio damnabatur (Lev. 22, 2, etc.). Ex dapibus sanctificatis operarii mercede conducti, et advenæ non participabant, quanquàm mancipia sacerdotis non excludebantur ; filiæ item è sacerdotali familiâ viduæ, sive repudiatæ, amissum antea in illas jus recuperabant. Porrò dapes sanctificatæ censebantur, sive portiones ex victimis pacificis sacerdotibus cedentes, sive quæ ex oblationibus templo factis in usum eorumdem segregabantur; quoad decimas enim et primitias, quæ veluti ministrorum proventus habebantur, nihil exceptum ; quî enim levitæ et sacerdotes inexpiati ali potuissent ?

Primogenita tam hominum, quàm pecudum, atque jumentorum universa Domino segreganda erant (Exod. 13, 1, etc., et 34, 19); nisi quòd aliqua ex illis redimendi facultas esset. Hominum enim quinque siclis redimebantur (Num. 18, 16); nec alia erat de primis animalium immundorum fœtibus ratio, uti asini et cameli. Siquidem pro asino ovis, sive quinque sicli offerri poterant (vers. 17, 18); alioquin statim mactabatur. Animalia pura nullo pretio redimi, sed omninò cædi oportebat : quorum tantùm adipe igni tradito, et sanguine ad basim altaris effuso, reliquum sacerdotibus cedebat (Levit. 19, 23, etc.). Quos recens planta fructus tribus prioribus annis emisisset, impuros haberi oportebat; quarti anni, omnes Deo consecrandi ; à quinto verò anno eorum usus permittebatur (vers. 24, 25, 26).

Pro iis, quos sibi Deus ex universis primogenitis Israelis reservaverat, tribum Levi substituit (Num. 3, 41), è quibus familiæ Aaro-

nis sacerdotio demandato, reliqui inferioribus templi et sacerdotum ministeriis deputati sunt. Sacerdotum igitur ministeria circa altare, Sanctum et Sanctuarium versabantur; ignemque, ne extingueretur, in eodem altari curabant; Levitarum, circa templi fores, musicam, ac victimas, quas excoriabant, necnon circa ligna ad altare afferenda.

In Sanctuarium aditus nulli præter summum sacerdotem, ipsique die tantùm expiationis solemnis, permissus (Levit. 16). Ea dignitas tùm criminibus puniendis, cùm religionis rebus curandis summam in unum auctoritatem conferebat (Deut. 17, 12, 13). Ad illam verò assumi oportebat virum, cujus pater virginem feminam, et ejusdem tribùs atque generis duxisset (Levit. 21, 13). Ipsum verò ab omni corporis vitio purum esse oportebat (Levit. 21, 17, 18): nec sanè aliter decebat illum, per quem Deus oracula veritatis fundebat; siquidem summus sacerdos insignibus suæ dignitatis indutus, de Urim, et Tummim quæ in Rationali gestabat, Dei nomine consulentibus respondebat (1 Reg. 23, 9, et 30, 7). Neque funera lugere, excepto tamen patris, neque vel locum ingredi, ubi cadaver jaceret, ne quid impuritatis contraheret, permittebatur (Levit. 21, 10, etc.). Hæc tamen lex cum pontifice arctissima, aliis inferioribus mitior erat; siquidem vulgò sacerdotes parentum, filiorum, et fratrum funeribus (Levit. 21, 2, etc.), non tamen extraneorum, neque etiam principis, assistebant: Levitas verò iis omnibus, quibus cæteros Israelitas, adesse fas erat. Quo temporis spatio sacerdotes templi servitiis occupabantur, ab uxoribus, et vino temperabant, studiosè ab omnibus sese observantes, ne quid unquàm impuritatis contraherent (Levit. 10, 9). Eorum vestis religiosa, quâ in templo tantùm sacerdotes utebantur, tunica erat linea talaris (Exod. 28, 40, 41), femoralibus, cingulo, et capitis operimento itidem lineis, adjectis; quæ sanè vestis Levitis etiam communis fuit. Comam minimè nutriebant, uti neque barbam in labio superiori; pedibus erant nudis in templo, ubi et cibum, et somnum capiebant.

Pontifex splendidiori sanè veste utebatur. Femoralibus (Exod. 28) lineis, tenuitate, et opere spectandis; tunicæ alia superinducta, cærulei coloris, simplici opere, ac fortassè non manicata, cujus fimbriam tintinnabula aurea, et malogranata variato opere contexta, alternè disposita ornabant. Hanc tunicam cingulus stringebat operis phrygii, et variati, cui nomen in S. Scripturâ *Ephod*. Porrò Ephod duabus fasciis splendidissimis constabat, quæ utrinque per humeros in anteriora descendentes, corpori deinde circumductæ, ante stomachum vinciebantur, simulque fluentem tunicam continebant. Quà verò fasciæ illæ ex humeris in anteriora descendebant, binæ gemmæ insertæ erant, sex utrinque nominibus tribuum Israelis insculptæ: uti et quo loco ante pectus decussabantur, *Rationale* eminebat, nempe pannus ille quadratus 12 digitorum latitudine, duodecim gemmas singulis nominibus tribuum Israelis insculptas præ se ferens.

Sacerdotibus cautum erat, ne cum feminâ moribus inhonestis, sive prostitutâ, sive tandem ab altero repudiatâ, connubia inirent (Levit. 21, 7, etc.); si quæ verò filia sacerdotis in crimine deprehenderetur, utpote quæ patris famam violâsset, continuò igne damnabatur. In thure offerendo, alienum ignem adhibere sacerdotibus nefas, quod Nadab et Abiu vel morte expiârunt (Levit. 10, 1, 2). In sacrificiis sale quidem semper (Levit. 2, 13; Num. 15), oleo, et fermento nunquàm (Levit. 2, 11) utebantur. Suis impensis et operâ panes propositionis conficiebant, quos singulis sabbatis recentes mensæ aureæ in Sancto apponebant (Levit. 24, 5, etc.), veteribus remotis, de quibus comedere ipsis tantùm fas erat (Matth. 12, 4). Insuper holocaustum perpetuum vespertinum, et matutinum, cum libationibus sacerdotes sufficiebant. (Exod. 29, 38; Num. 28, 3, 4). Vitia corporis, quæ à sacerdotio, et vitia hostiarum, quæ à sacrificiis arcebant, in Commentariis recensentur, Levit. 21, 17, 18, et 22, 18, etc. (1).

Levitarum et sacerdotum proventus non agri quidem, et arva, quorum illis nulla assignata sunt, sed decimæ, primitiæ, oblationes, et victimarum participatio satis uberes exhibebant (Num. 18, 20, 21). Ne verò sedibus carerent, 48 urbes, atque suburbana in circuitu, spatio 1000 cubitorum, pro domicilio assignata sunt (Num. 35, 2). Domus illorum rusticæ eodem jure, ac cæterorum Israelitarum agri, vendi quidem, sed restituto pretio à domino nunquàm non redimi poterant; imò ne redemptæ quidem, anno jubilæi ad pristinum dominum redibant (Levit. 25, 32). Ex eisdem urbibus, sex in asylum (Num. 35, 6; Josue 20, 7, 8) iis, qui imprudentes hominem

(1) Vide supra, tom. VI Script. sacræ, Comment. in Levit.

occidissent, destinatæ erant. E toto numero 13 ad sacerdotes spectabant; cæteræ ad Levitas (Josue 21, 19, etc.). Semper ac farina aquâ subigebatur ad panem conficiendum: è totâ massâ portio aliqua pro Levitis jussu Dei segreganda erat: quam portionem majorem quadragesimâ, minorem sexagesimâ parte rabbini præscripserunt. Cùm animal occidebatur, uterque humerus, ventriculus, et mandibulæ dono ad Levitas deferri solebant (Deut. 18, 3, 4), neque suâ portione, cùm greges tondebantur, sive cùm præda ex hostibus referretur, etiamsi bello non adfuissent, fraudabantur (Num. 29, 30). Adesse tamen bello semper sacerdotes consueverunt, quorum munus erat tubis clangere (Num. 10, 8), solemnesque illas formulas coram exercitu recitare (Deut. 20, 3, 4): *Audi, Israel: Vos hodiè contra inimicos vestros pugnam committitis; non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos, quia Dominus Deus vester in medio vestri est, et pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo.* Si quando arca fœderis in castra reducenda erat, illius deferendæ atque custodiendæ negotium sacerdotibus committebatur (1 Reg. 4, 4, et 14, 13, et 2 Reg. 15, 24, 25). Nec rarò etiam summus sacerdos cum sacris ornamentis, Dominum de agendis consulturus, aderat.

Convivia nulla fermè, sive in templo, sive in urbibus instituta, ad quæ Levitæ non accerserentur; quod quidem Hebræis Deus vicies in sacrâ Scripturâ commendat. *Cave*, ait, *ne derelinquas Levitam, qui in urbibus vestris commoratur; neque enim habet aliam partem, et possessionem inter vos* (Deut. 12, 18, 19, et alibi passim). Decimæ illis non ex fructibus tantùm, sed etiam ex pecoribus, quodcumque numeranti decimum fortè occurrisset, solvebantur (Lev. 28, 30, 31, 32); liberum tamen erat suam decimam oblato pretio, et quintâ insuper ejus parte, redimere.

Ex collectis apud Levitas primitiis et decimis, pro sacerdotibus decimæ segregabantur (Num. 18, 26). Sacerdotes et Levitæ certâ ætate, nempe annorum 25 sive 30, ministerium inibant, atque annum agentes 50, illud dimittebant (Num. 8, 24, et 4, 3). Sub Davide 20 annis nati admitti cœperunt (Par. 23, 24, et 2 Par. 31, 17, et 1 Esdr. 3, 8). In ministrando verò mutuò sibi invicem sacerdotes sacerdotibus, et Levitæ Levitis succedebant. Si Levita, relictâ priori sede, ad templum venisset, ut ejus servitiis se toto tempore impenderet, illum recipi, et ex proventibus ejusdem templi ali oportebat (Deut. 18, 6).

Levitarum et sacerdotum munus secundum à sacrificiis, erat populi institutio: quippe qui in cœtu solemni universæ gentis, die Expiationis, lectionem universæ legis publicè obire tenebantur (Deut. 31, 10, 11). Cùm novus rex inaugurabatur, ejusdem legis volumen ab illis recipiebat, ac deinde in suum usum transcribendum curabat (Deut. 17, 18). Si quid in judiciis arduum implexumque occurrisset, res ad sacerdotes deferebatur; eâque occasione summi sacerdotis sententiæ non acquievisse capitale erat (Deut. 17, 8, etc.). De leprâ judicium (Levit. 13, 14); de expiatione homicidii, cujus auctor lateret (Num. 21, 5); de divortio, de aquis zelotypiæ (Num. 5, 14, 15); de votis Nazaræorum (Num. 6, 20, 21) ad illos spectabat. Tandem solemnis populi benedictio, atque divini nominis super illum invocatio ex ipsis obtinebatur (Num. 6, 23, etc.).

Sacrificia apud Hebræos non unius erant rationis. In holocausto omnium perfectissimo tota victima, detractâ pelle atque extis, adolebatur. In sacrificiis pacificis pro obtinendis referendisve gratiis, seu tantùm pro asserendâ Dei super omnia potestate institutis, sanguis tantùm et adeps Deo, armi et pectusculum sacerdoti, reliquum offerenti sacrificium cedebat. In sacrificiis pro peccato, nihil offerenti, sed adipe exta continente, reticulo jecoris, et renibus igni traditis, reliquum sacerdoti remanebat. Victimæ ut plurimùm tauri erant, vaccæ, vituli, arietes, oves, verveces, hirci, capræ et hœdi; aves nonnisi in expiatione hominis leprâ mundati (Levit. 14, 4) ejusque, qui juramentum imprudens transgressus fuisset (Lev. 5, 6, 7), non adhibebantur: eâque occasione ex duabus avibus oblatis, altera immolari, altera libera in auras dimitti solebat.

Verùm peculiares de singulis sacrificiis cæremonias recensere operosum esset nimis; quare prima Levitici capita consulantur.

Festa Israelitarum potissima, quibus ab anno 12 ætatis viri omnes adesse tenebantur, hæc sunt: Pascha, Pentecoste, et festum Tabernaculorum. Nomen *Paschatis*, quod transitus redditur, ejus festi institutionem designat: angeli enim exterminatoris memoria recolitur, qui per Ægyptum transiens, relictis Hebræis, omnes Ægyptiorum primogenitos occidit, ipsâ nocte exitûs Hebræorum ab Ægypto (Exod. 12, 14, et 23, 15; Num. 28, 16; Deut. 16). In eâ solemnitate manipulus hordei solemni

ritu in templo offerebatur, veluti primitiæ hordeaceæ messis, statim à festo colligendæ (Lev. 23, 10). Totâ eâ hebdomadâ panis nonnisi azymus adhibebatur (Exod. 12, 19, 20), ipsoque ineuntis festi vespere, in singulis familiis, sive 10 aut 15 convivis coactis, agno hœdove anniculo asso (ibid. 8, etc.) cum herbis amaris epulum instituebatur. Illud quidem non tam convivium, quàm specialis ritus sacrificium erat, ad agendas Deo gratias, et ad memoriam liberationis ab Ægypto excitandam, quanquàm sanguis tantùm ad basim altaris effundendus offerebatur. Cautum erat, ne hujus agni ossa ad extrahendam medullam comminuerentur. Alia erant hujus festi sacrificia, quæ hoc loco recensere non vacat (vide Num. 28, 19, etc.). Porrò, si quis Pascha cum suis cæremoniis celebrare neglexisset, è populo exterminandus, denuntiatur (Num. 9, 13; Exod. 12, 19): pro iis tamen, qui sive impuritatem aliquam legalem contraxissent, sive in itinere essent, à die 14 primi mensis, ad 14 secundi mensis, differri poterat (Num. 9, 6); nec tamen quid de præscriptis cæremoniis quoad azyma, eorum gratiâ remittebatur.

Diebus 50 à Paschate, festum Pentecostes recurrebat (Exod. 23, 16, et 24, 22), oblatione duorum panum ex novo frumento, in signum messis statim colligendæ (Lev. 23, 17), solemne. In eo memoria initi à Deo cum Israelitis fœderis, in lege in Sinai traditâ, recolebatur. Sacrificia à paschalibus Deo oblatis non discrepabant (vide Num. 28, 26, 27, collatum cum 28, 19, 20).

Festum Tabernaculorum, in memoriam itineris 40 annorum per desertum sub pellibus (Lev. 23, 40... 43), tertium succedebat; quo, labente anno civili celebrato, simul et gratiæ pro obtentis à Deo toto anno beneficiis, collectisque messibus et uvis, referebantur (Exod. 23, 16). Totâ eâ hebdomadâ populus sub tentoriis ex arborum ramis contextis, degebat. Stata erant hujus solemnitatis sacrificia (Lev. 33, 27; Num. 29, 12, 13, etc.).

Decima dies septimi mensis anni sancti, et prima anni civilis, expiationi universæ gentis destinata, et jejunio sacra sub pœnâ mortis indicto, et pœnitentiæ operibus (Num. 29, 7), addicta, et tandem peculiaribus sacrificiis, ac potissimùm duorum hircorum (Lev. 16, 6, 7); quorum alter liber dimittebatur, *Azazel* dictus, alter immolatus extra castra cremabatur. Eâdem die summus sacerdos sanguinem vituli, atque hirci immolati in Sanctuarium inferebat, alterum ad lustrandum Sanctuarium, alterum ad populi expiationem (Num. 29, 16). Eâdem die immolari consuevisse credimus vaccam rufam, cujus cineres pollutionem in funeribus contractam expiabant.

Mensium calendæ festæ ducebantur, quamvis nulla esset his diebus indicta ab operibus requies. Statis sacrificiis (Num. 28, 11), concrepantibus in exordio buccinis, colebantur. Prima dies primi mensis anni civilis, et septimi anni sacri, quòd anni introitus, præter alias cæremonias, tubis etiam denuntiaretur, solemnitas Tubarum dicta est (Num. 29, 1, etc.).

Festum sabbati, ab ipso Deo post peractum opus creationis (Genes. 2, 2) dedicatum, omnium S. Scripturæ vetustissimum est; quippe quòd ejus observantiam Moyses, mox ab egressu ex Ægypto, antequàm ad Sinai venitet, induxit (Exod. 16, 23, 29). Ab operibus sub pœnâ mortis (Exod. 31, 15; Num. 15, 32) jussu Dei vacandum erat; adeò ut neque ignem excitandi parandis cibis facultas daretur (Exod. 35, 3): vacandum verò erat et ipsis mancipiis, brutisque: omnes enim ejus diei curas obsequiis et laudibus suis, legisque meditationi Deus volebat impensas (Exod. 20, 6). Nec deerant, uti in reliquis festis, peculiaria sacrificia (Num. 28, 9).

Præter solemnitates per anni cursum recurrentes, intra unius ad summum hebdomadæ fines conclusas, aliæ post certam annorum periodum, atque longiori temporis spatio continuatæ celebrabantur. Harum potissima annus erat sabbaticus, quo Hebræi cultum agrorum negligere, et quidquid ii spontè produxissent, advenis, pauperibus, et orphanis (Exod. 23, 10, 11; Lev. 25, 1, etc.), quin et brutis ipsis permittere jussi sunt. Ad hæc, servi hebræi manumittebantur (Deut. 15, 2); æris alienis remissio (Exod. 21, 2), legisque solemnis lectio fiebat (Deut. 30, 10, 11).

Quibus quidem jussionibus Deus, licet politiam nonnihil negligere visus sit, studiosè tamen æquandis bonis, et conditionibus apud Hebræos, ac infirmorum oppressionibus consulere; quin et labentem jam ex hominum mentibus creationis mundi memoriam eâ ratione refricare, simulque suæ in populum auctoritatis specimen exhibere voluit. Eodem consilio, singulis 50, sive potiùs 49, annis; jubilæum (Levit. 5 et 8, etc.) instituit, in quo non vacatio tantùm ab agrorum cultu, manumissio servorum, ærisque alieni remissio, sed possessiones neque hæreditates ad veteres

dominos regrediebantur. Ejus anni ingressus circa mensem septembris, (quo etiam tempore claudebatur) solemnibus cæremoniis, ac tubarum clangore indicebatur. Hoc sanè monumentum Deus extare voluit suæ in universam gentem ac regionem potestatis, quamvis, ne infirmos alioquin populi animos plus nimiò tentaret, pro neglectis integri anni proventibus, sexto et quadragesimo octavo quoque anno tantùmdem messis se largiturum pollicetur, ut ad triennium sufficiat.

Quæ Moyses regibus, fortè ab Israelitis eligendis, præscribit (Deut. 57, 14, 20), longè alia sunt ab iis, quæ Samuel *jus regis* appellat (1 Reg. 8, 11). Porrò rex, juxta Moysen, è medio populi, non ex alienigenis, ita Deo præcipiente, et populi suffragio eligendus erat. Vetitum illi, ne equitum numerum augeat; neve populum illis emendis in Ægyptum regredi cogat; feminarum gregem, quippe quibus cor facilè avertitur, ne innutriat; comparandis divitiis ne studeat, caveatque, ne tumido in fratres sit animo. Denique exemplar legis apud se non in manibus tantùm, sed et in corde retineat, eamque sibi agendi normam præscribat. Samuel verò jus regis Israelitis explicans dixit, illum filios Israelis aurigas et præcursores suis curribus, quin et suos equites facturum. Ad hæc alios tribunitiâ, et centurionis dignitate donaturum, alios ad metendos serendosque suos agros, nec non ad arma currusque suos fabricandos coacturum. Fulloniis verò, et culinæ ministeriis, conficiendisque unguentis filias Israelis addicet. Servis suis ditandis, pinguiores Israelitarum possessiones in illos transferet. Nihil erit tandem, sive ex mancipiis, sive ex junioribus, sive tandem ex jumentis, in quos ipse manus non injiciat violentas, eo jure, quo sibi ex gregibus decimas, et populum universum in servitutem asseret.

Bellum, quod potissimum erat regis munus, non æquo jure cum singulis hostibus agendum erat; aliâ enim ratione cum Chananæis, aliâ cum cæteris curandum. Quibus bellum indicendum erat, æquis antea conditionibus pax offerebatur (Deut. 20, 11, etc.); renuentibus bellum denuntiabatur. Si oppugnanda urbs, atque longior immineret obsidio, contra quam propterea turres et aggeres, pro more illorum temporum, struendi essent, cautum erat, ne ullæ arbores frugiferæ, sive arva cæderentur. Si armorum vi tandem expugnaretur, contra viros quidem victorum iram exercere fas erat; feminæ, pueri, bruta et utensilia in victorum potestatem, deinde toto exercitui distribuenda, venire debebant. In urbibus Chananæorum omnia, quæ vitam haberent, unâ clade involvebantur (Deut. 20, 16, 17).

Si collatis signis certandum fuisset, ante prælium sacerdos, Dei opem adfuturam pollicitus, milites ad certamen incitabat (Deut. 20, 16, 17), deinde duces, suæ singuli turmæ, elatâ voce regressum indicebant iis, qui sive novam domum ædificâssent, seu vineam novam plantâssent, vel tandem novam nuptam duxissent; durum enim nimis futurum videbatur, si fortassè in bello decedentes, partas suis laboribus possessiones, ne tantillo quidem obtentas, ad alienos transmittere cogerentur. Post hæc, coram universo exercitu (Deut. 20, 8) formidolosis omnibus, ut se à periculo subducerent, potestas concedebatur, ne suo exemplo in alios terrorem inducerent.

Relata ex hostibus spolia imperator inter milites æquè divibebat, nullo facto discrimine inter eos, qui decertâssent, eosque qui remansissent ad sarcinas (vide Deut. 31, 27, et 1 Reg. 30, 24). Quin Moyses relatâ ex Madianitis prædâ, populum universum in agro madianitico tunc versantem, et unà cum cæteris militibus exercitum ex totâ ratione constituentem, caruisse non tulit. Antequàm spolia in castra reducerentur, præviâ purificatione expiabantur hoc ritu : metalla, et si quæ alia ignem paterentur, flammâ, cætera verò aquâ expiationis lustrari oportebat. Feminæ alterius quàm Chananæorum generis, in potestatem victorum captivæ cadebant (Deut. 21, 10, etc.); è quibus, si quam herus uxorem ducere voluisset, post abrasos ejus crines, amputatos ungues, detractas vestes, cum quibus capta fuit, concessumque integri mensis luctum, pro amissione parentum deflendâ, statim sibi copulabat. Si verò succedente tempore, eam tandem uxorem fastidisset, illam manumittere cogebatur.

Sua etiam prædæ portio erat Dei, et sacerdotum, ac in bello cum Madianitis ex singulis quingentis tam mancipiorum, quàm pecudum, quæ militibus cessissent, singula sibi reservari; ex prædâ verò, quæ reliquo populo contigisse, quinquagesimam pro Levitis pendi Deus injunxit. Sua etiam erat in spoliis, ac selecta portio ducis, uti de Davide (1 Reg. 30, 9), et Gedeone (Judic. 8, 24) constat; ac in bello contra Madianitas, duces Israelitarum armillas et annulos aureos ex hostibus

acceptos Deo exhibuerunt, fortassè tanquàm ducem, et imperatorem universæ expeditionis eâ oblatione illum agnoscentes (Num. 31, 49, 50).

Disciplinæ militaris in castris Israelitarum non segniter ratio habebatur, et quem in disponendis tribubus circa tabernaculum in castrametationibus per desertum, quem etiam in profectionibus ordinem servaverint, constat (Num. 2). Sordibus ablegandis, plura constituta erant, nempe ut feminæ abessent; imò, si quis imprudens inter dormiendum pollutionis aliquid contraxisset, ille extra castra usque ad vesperam se continebat; nec nisi aquâ toto corpore et vestibus lotus (Deut. 23, 10, etc.), regredi permittebatur. Singuli milites paxillum cingulo appensum deferebant, ut scrobem excavarent, cùm è castris egrediebantur, ut naturæ necessitatibus succurrerent. Post prælium, totâ hebdomadâ milites, utpote contactu cæsorum polluti, à castris abstinebant (Num. 30, 19, etc.); ante regressum verò totum corpus et vestes aquâ eluebant, quod in bello contra Madianitas scimus, et in aliis observari consuevisse non dubitamus. Verùm, si ab universis prælium commissum fuisset, tunc contractâ ab omnibus legali impuritate, alter alterius consortium vitare non tenebatur; quare omnes simul in castris versari potuissent.

De Hebræorum politiâ pauca novimus. Ea quæ ad justitiam administrandam pertinent, ac de præcipuis illorum tribunalibus, in dissertatione de hoc argumento egimus. Judicandi potestas summa penes reges, et summum sacerdotem erat; hinc illud populi ad Samuelem: *Constitue nobis regem, qui judicet nos* (1 Reg. 8, 5). Summum sacerdotem in arduis quibuscumque supremum judicem Moyses constituit (Deut. 16, 10, etc.). Præterea, sui erant singulis judices urbibus, seu urbium portis, juxta phrasim S. Scripturæ (Deut. 16, 18), (is enim erat judiciorum locus); eosque summâ veneratione observari Moyses jussit: *Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices* (Exod. 22, 28). Porrò principes judices et magistratus eodem ac Deus nomine *Elohim* nuncupabantur (1); illi siquidem veluti Dei administri, et assessores habiti sunt,

Cautum est ne judicia vernalia fiant, purasque judices habeant à muneribus manus, quippe qui justitia muneribus facilè corrumpitur (Exod. 23, 8); turbam in deterius non sequantur (Exod. 23, 2, etc.), nec vulgi sententiæ æquitatis dispendio accedant; ne præposterâ in pauperes misericordiâ, sive in divites obsequio, à justitiæ tramite exorbitent; ne insontem, sive advenam fraudent; neque tandem cujuscumque personam respiciant (Lev. 19, 5; vide et Deut. 16, 18); pater pro crimine filii, et vicissim filius pro scelere patris non puniatur (Deut. 24, 16). In pœnis exigendis summum jus evitetur; quare neque post solis occasum reorum cadavera in supplicio appensa relinquenda (Deut. 21, 22); neque fuste, sive ad virgas damnatis, ictus ultra 40 inferendi (Deut. 25, 2, 3). Si qui in crimine falsi testis deprehenduntur, ejusdem criminis rei habendi, quod fratribus imputârunt (Deut. 29, 18, 19; vide et Levit. 19, 16); vitamque pro vitâ, oculum pro oculo, omni quoad illos clementiæ aditu præcluso, pendere cogantur. Verùm reis supplicio damnandis non unius tantùm, sed duorum triumve testimonium postulandum (Deut. 19, 16, 17).

Judicandi filios usque ad legis promulgatæ ævum, penès solos parentes jus erat: quod quidem Moyses deinde in judices ita transtulit, ut reos violati in parentes obsequii, sive verbo (Levit. 20, 9), sive percussione (Exod. 21, 15), sive contumaciâ et proterviâ (Deut. 21, 18, 19), solâ eorumdem parentum delatione accusatos, ultimo supplicio puniendos jusserit: quanquàm nihil contra parricidas, quasi contra rem quæ evenire nequeat, in lege præscriptum est. Cautum est parentibus, ne filios in cultum Moloch per ignem traducant (Lev. 18, 21 et 20, 1, 5: Deut. 18, 10); filiis verò, ut parentibus per omnia obsequantur (Exod. 10, 12). Necessitate ad extrema cogente, filios in servitutem vendere patri permissum; qui tamen alterius filias emebant, non captivas, sed uxores sibi vel filiis suis comparare censebantur (vide Exod. 21, 7, etc.); secùs illas manumittere cogebantur. Parentes sanè filias in matrimonium vendere consueverunt, unde feminam emere, et cum illâ matrimonio copulari, pro eodem usurpabatur.

Homicidii crimen capitale erat (Exod. 20, 13, et 11, 12, 13). Urbes asyli tres citra, totidem ultra Jordanem, iis qui imprudenter hominem peremissent, confugium præstabant. Qui ad asylum se recepisset, causam suam coram judicibus loci dicebat (Num. 35, 23, 24; Deut. 19, 1, etc.); deinde propinquis occisi

(1) *Psal.* 81, 1: Deus stetit in synagogâ deorum, in medio autem deos (sive deorum) dijudicat.

postulantibus, ad locum cædis, datis custodibus, remittebatur : ubi causâ discussâ, si crimen judices deprehendissent, in potestatem partis adversæ remittebatur, si verò cædes imprudenti contigisse probaretur, iterùm ad urbem asyli remittebatur, ubi se usque ad obitum summi sacerdotis ita continere debebat, ut extra urbem deprehensus, impunè à propinquis occisi interfici potuisset. Porrò leges illæ non de Israelitis tantùm, sed de advenis etiam latæ sunt. Crimen homicidii, nullâ concessâ pœnæ remissione, morte puniebatur, vel à propinquis occisi inferendâ, si fortè in occisorem incidissent : nec pecuniâ vitam redimere, neque illam aræ religione defendere hujus criminis reus permittebatur (Exod. 21, 14).

Si duobus viris jurgantibus, alter ex illis vulnus alteri ita inflixisset, ut decumbere cogeretur, ac deinde ita à vulnere convaluisset, ut scipione fultus incedere potuisset, tunc qui injuriam intulerat, impensis in medicum, atque operis alteri persolutis, absolvebatur (Exod. 21, 19, 20). Qui captivum suum occidisset, crimine homicidii reus habebatur; si verò ità vulnerâsset, ut ad unum et alterum diem vitam produceret, impunis abibat herus; ipse enim mancipium possidet, ejusque dispendio perit. Si duobus rixantibus, mulier fœta casu transiens, fortè percussa, abortum patiatur, tunc feminâ superstite, reus mulctam arbitrio viri, et selectorum ad eam rem virorum, persolvat : si obierit, vita pro vitâ, oculo pro oculo, dente pro dente crimen expiabit. Herus oculum, sive dentem mancipio excutiens, illud manumittat (Deut. 33, 11). Si femina viro suo rixante accurrens, adversarii pudenda manu contigerit, manûs abscissione mulctabitur (Exod. 21, 28, etc.).

Bos, qui hominem cornibus transfoderit, lapidibus opprimetur, ejusque carnibus abstinendum (Exod. 20, 14; Lev. 20, 10; Deut. 5, 18, et 22, 21, etc.) ; dominus verò, cui petulans bovis ingenium innotuerat, nec illum antea inclusit, vel morte damnabitur, vel requisitam mulctam persolvet. Mancipio illata à bove mors, bovis ejusdem lapidatione, et 30 siclorum pretio hero persoluto expiatur. Si bos bovem transfodisset, occisi carnes pretiumque superstitis (qui vendendus erat) inter utriusque dominos æquè dividebatur : domino tamen, cui sui bovis petulantia innotuisset, neque periculo eumdem claudens in bubili occurrisset, defunctum animal, superstes altéri cedebat. Si putei defossi os non occluderetur, indeque bos, sive asinus in illum incidens periisset, domini ejusdem putei dispendio peribant, ad quem tamen defunctum animal pertinebat.

Adulterii crimen tam in viris, quàm in feminis capitale (Levit. 18, 6, 22 et 20, 11, 17); desponsæ verò si quis vitium intulisset extra urbem, procus tantummodò interibat; intra urbem uterque ; femina enim vim causari non poterat, quippe quæ clamando sese subducere valuisset.

Incestus, sodomia, et à quibus natura abhorret crimina, capitali pœnâ puniebantur (Exod. 22, 19; Levit. 18, 22, et 19, 29, et 20, 11; Deut. 23, 18). In prostituentes pudicitiam tam viros, quàm feminas gravissimâ pœnâ animadvertebatur (Exod. 22, 16); atque infame lucrum ad templum inferre nefas (Deut. 22, 11, 18). Si quis feminæ vitium intulisset, illam ducere cogebatur ; dissentiente tamen puellæ patre, dos vitiatæ tantùm persolvenda. Imò et ad mulctam 50 siclorum patri puellæ persolvendam, et ad nuptias procus adigebatur, si re ad judicum delatâ, vis ab illo aliqua illata fuisse probaretur (Deut. 22, 28, cum Exod. 22, 16); hoc verò conjugium per repudium solvere vetitum. Viris ad uxorem menstruatam accedere nefas, quod quidem crimen ad judicium delatum capitale erat (Exod. 20, 17; Deut. 5, 20).

Legis quidem præcepta homini in officio continendo, quoad ea quæ extrinsecùs patent, lata sunt ; non ita tamen, ut cordis desideria negligat; alterius namque bona, et feminas concupiscere inhibitum est. Post repudium (quod quidem toleratur) si femina alteri nupserit, iterùm cum illâ conjugium nectere prior vir prohibetur (Deut. 24, 1). Turpia illa à quibus natura maximè abhorret, his fortassè verbis per ænigma prohibentur (Deut. 22, 5, 9, 10, 11 ; Lev. 19, 19, 20) : *Non indueris vestimento, quod ex lanâ linoque contextum est ; non seres vineam tuam altero semine : non arabis in bove simul et asino ; non induetur vir veste virili,* ac vicissim.

De furto nihil non vetitum (Exod. 20, 15), licet non iisdem omnia pœnis prohibita. Liberum hominem in mancipium furto vendere, capitale erat (Exod. 21, 16, et Deut. 24, 8) ; bos sublatus, quintuplo ; ovis quadruplo restituenda (Exod. 22, 1, etc.) ; furto tamen extante, duplo tantùm. Fur noctivagus, suffodiens parietes deprehensus, impunè occiditur:

diurnum verò interficere capitale est. Si fur bona non habet, vendatur (Exod. 22, 4, 5). Qui alieno agro, sive vineæ damnum intulerit, sive suâ culpâ messes, sive manipulos alterius igne corruperit, de suo agro et vineâ resarciet. Depositum custodis fraude sublatum, si fraus in judicio probetur, duplo restituendum; si dolus abfuerit, custos absolvitur. Si cui pecus alterius creditum est, ejusque incuriâ, seu dolo perierit, sive furto sublatum sit, ipsius dispendio peribit; ab hostibus sublatum, sive si fortè occubuisset, re in judicio sacramento probatâ, custos absolvitur; si tandem à bestiis voratum fuisset, discerptæ pecudis reliquiis ad dominum delatis, insons idem custos judicatur. Alia verò est ratio de commodato et conducto; conductor enim et commodatarius absolvitur, si coram domino animal perierit; secùs ad restitutionem adigitur.

Fœnus à suis exigere Israelitis nefas, cum externis toleratur (Exod. 22, 25; Levit. 25, 37; Deut. 24, 17, 20). Pignus si creditor à debitore exegerit, extra fores domûs illius accipiatur, quidquid ab altero producetur (Deut. 24, 6, 10); à molis tamen, quibus triticum teritur, à vestibus viduæ accipiendis abstineat; vestem autem, sive culcitram acceptam, saltem ante vesperam restituat ut frater nocte dormiens foveatur (Exod. 22, 26). Mercenariis diurnis ante noctem pretium persolvendum (Deut. 24, 14, 15; Lev. 19, 13). Divites mutuum dare pauperibus recusantes, quòd ex illis nihil sperent lucelli, damnantur (Deut. 15, 4, 8); mutuam enim opem sibi Israelitæ præstare debent, ut nemo indigere cogatur. Alieni agri termini ne transferantur (Deut. 19, 14). In colligendis messibus et uvis, non ità seduli sint messores, ut racemos et spicas pro indigentibus, qui ponè illos consequuntur, nullas relinquant; et si fortè manipulus in agro per oblivionem relictus fuerit, deinde non requiratur. In conviviis religiosis pauperum, viduarum, orphanorum, advenarum, ac Levitarum ratio potissimùm habenda: *Advenam non contristabis*, ait Moyses (Exod. 22, 21, et 23, 9; Lev. 19, 33, 34; Deut. 10, 18); *advenæ enim et ipsi fuistis in terrâ Ægypti... scitis enim advenarum animas.* Neque in fratres tantùm et amicos, sed in adversarios quoque benevolo esse animo Deus jubet, omnem ultionis exigendæ curam sibi reservans (Lev. 19, 18; Deut. 32, 55). Hinc si adversariis jumentum sub sarcinis fatiscat, manus illi relevando apponenda; si pecus illius errabundum offendatur, ad causas reducendum (Exod. 23, 4, 5; Levit. 19, 17; Deut. 21, 1, etc.). Quæ tamen de Chananæis dicta non intelliguntur, ab Israelitis ultionis divinæ ministris, igne et aquâ interdicendis (Exod. 22, 32, 33 et 34, 12; Num. 30, 51, 52; Deut. 7, 2, 16). Racemos sive spicas fortè occurrentes colligere ad vescendum fas est; ad asportandum nefas (Deut. 23, 24, 25).

Penès Israelitas mancipiorum duplex erat genus; ex Hebræis nempe et advenis. Hebræi anno sabbatico manumittebantur: cæteris æterna servitus (vide Exod. 22, 1, 6; Levit. 25, 39, etc.). Hebræi verò qui servitutem libertati prætulissent, lege privilegio coram magistratibus renuntiabant; domum deinde ab hero reducti, cùm ad fores pervenissent, subulâ auribus perforabantur. Unà cum conjuge et filiis manumittendus, si captivitatem unà cum illis subivit; si verò in captivitate conjugem ab hero accepit, solus ipse manumittitur. Si vir Israelita, egestate cogente, libertatem suam externo vendiderit, à propinquis redimendus; si verò illi tenues substantiæ sunt, quisque Israelita redimere possit; vel ipse tandem servus pretium pro se restituat. A quocumque tamen solvatur, integra pecunia hero restituenda, deductis tamen annis in servitute exactis, et supputato temporis spatio usque ad annum jubilæi; Israelitis enim simul, et extraneis vetitum, ultra jubilæum captivos, necnon alienas hæreditates diutiùs retinere. Si mancipium ab hero duro habitus, in ditionem Israeliticam confugerit, quamcumque tandem urbem elegerit, tutò ibidem agere permittatur (Deut. 23, 15, 16). Filiam si quis à patre emerit, vel ipse, vel filius ipsius in conjugem inferioris ordinis illam habebit; secùs, eamdem anno sabbatico libertati restituens, 30 siclis, juxta Rabbinorum doctrinam, donabit. Hanc verò filiam semel emptam aliis vendere nefas, neque eidem filiæ ultra annum sabbaticum servitutem suam producere permissum est. Si emptor servam filio suo nuptum tradidisset, integrum illi erat eidem filio novam conjugem adjungere, rato semper, ac firmo prioris feminæ jure. Uxori semel emptæ vir domum, victum, vestitum, et si quæ alia conjugem decent, præstabit; in quibus si plus nimio parcior fuerit, feminæ servitutem solvere, ne expectato quidem anno sabbatico, licet.

Hominibus in homines bene afficiendis, humanitatis sensus ipsa vel in bruta per legem

insinuantur. Hinc die sabbati quies non hominibus tantùm, sed et jumentis indicta (Exod. 23, 12). Pascua toto anno sabbatico omnibus pervia (Levit. 25, 7), ipsis, ut videtur, etiam belluis agrestibus. Plura etiam in lege præscripta sunt de non coquendo hœdo in lacte matris suæ (Exod. 23, 20 et 34, 26; Deut. 14, 21), de non capiendis in nido pullis, sive ovis unà cum matre (Deut. 22, 6), de non mutilandis brutis (Lev. 21, 24), de non alligando ore bovis triturantis, (Deut. 25, 14), de non jungendis simul jumentis diversi generis (Lev. 19, 19; Deut. 22, 10). Eosdem humanitatis sensus inducunt leges, quibus de surdo oblocutio interdicitur, sive ne coram cæco offendiculum ponatur (Lev. 19, 14).

Non omnibus indiscriminatim animantibus Israelitis vesci, quin et omnibus æquè avibus, et piscibus concessum; erant quæ impura, erant etiam quæ pura apud illos habebantur. Ex quadrupedibus, quæ tantùm saltem bifidâ ungue non essent, nec ruminarent, impura (Levit. 11, 2, etc., et 20, 25; Deut. 14, 4). Ex piscibus, qui pinnuli, et squammis carerent, abjiciendi; ex avibus quoque, et reptilibus plura hujus generis suppetunt. Porrò animantia illa, dùm vivebant, contingere nullâ lege interdictum erat; mortua verò si quis attigisset, inquinabatur, nec nisi ad vesperam, lotis priùs corpore et vestibus, contracta macula eluebatur. Nervo femoris cujuscumque animantis etiam puri vesci minimè permissum, quòd Jacobi femur angelus contigerit (Gen. 32, 32), uti et à morticinis, sive à belluâ carnivorâ discerptis abstinendum (Exod. 22, 32; Lev. 17, 15). Sanguis et adeps eodem jure vetiti censebantur (Gen. 17, 11, etc.).

Masculorum circumcisio die octavâ à nativitate, Abrahamo olim præcepta ad omnes Israelitas capitali pœnâ prorogata est. (Lev. 17, 10; Gen. 10, 4, Deut. 12, 23, 24; Lev. 6, 25). Legales sordes, quæ ab usu rerum sacrarum arcebant, sive quæ ab hominum commercio homines interdicebant, non unius erant rationis. Cadaver contigisse, sive in eâdem cum illo domo egisse, funeri interfuisse, virum per hebdomadam inquinabant, qui dein aquâ expiationis sub capitali pœnâ lustrandus erat (Num. 5, 9 et 19, 11, etc.) Lepra, gonorrhæa, menstrua, non morbum tantùm, sed et legalem sordem inducebant, quamdiù ægrotus non convaluisset (Lev. 13, 45, 46, et 15, 2, 19); post morbum verò sacrificium pro expiandis iis criminibus quæ imprudenti eo temporis spatio contigissent, indictum erat. Si quis inquinatum, sive ab illo contactum attigisset, diurnam maculam contrahebat (ibid. vid. 4, 20). Puerpera, quæ masculum edidisset, 40 diebus, quæ verò feminam quinquagenis impura habebatur (Lev. 12, 4, etc.): quo temporis spatio neque res sacras contingere, neque ante templi atrium se sistere permittebatur. Eo verò elapso, agno, sive turture, sive pullo columbarum, quod (paupercularum sacrificium erat) in sacrificium oblato expiabatur.

Exteri quibus circumcisionis nulla erat ratio, ab Israelitis impuri habiti sunt, adeò ut rem inquinatam innuere volentes, *incircumcisam* dicerent. Chananæi, et Amalecitæ anathemati devoti (Exod. 17, 14; Deut. 25, 17); eunuchi, nothi, atque prostitutæ filii ab Ecclesiâ Dei usque ad decimam generationem (Deut. 23, 1, 2), nempe à consortio privilegiorum Israelis, exclusi sunt. Idem de Ammonitis, et Moabitis in lege cautum est (Deut. 23, 1, 6); cum quibus etiam populis fœdus, et amicitiam inire vetitum. Idumæi et Ægyptii, illi quòd Esaü Jacobi germanum patrem habuissent, hi quòd Israelitas tamdiù jure hospitii apud se habuissent, post tertiam generationem recipiebantur.

Dolo et fraude in commerciis removendis, plura sancita sunt. Vendendo emendoque, exigendo, adque solvendo exacta mensura adhibeatur (Levit. 19, 15; Deuter. 25, 13, 14). Senioribus obsequium præstandum, neque coram illis assidendum (Levit. 19, 30). Ansulæ ad quatuor angulos pallii ab Israelitis assuendæ, uti et vestium extremitatibus fimbriæ, quo eorum aspectu legis memoria refricetur (Num. 15, 38; Deut. 22, 12). Deficientibus tantummodò masculis, feminæ in jus hæreditatis vocantur (Num. 27, 3, 6, et 26, 3, etc.): quibus autem feminis hæreditas obvenerit, virum ex alienâ tribu ducere prohibentur, ne tribuum possessiones turbentur (Num. 27, 8, etc.). Defuncto sine liberis fratris fratres succedunt, eorumque defectu patrui; sin minùs, sanguine propinquiores.

Decedente sine liberis fratre, frater superstes relictam ex illo viduam duceret, ut extincti memoriam in prole conservaret (Deuter. 25, 5, etc.): qui si conjugium renuisset, ad portas urbis à feminâ adductus, calceo exuebatur, atque in ore expuebatur, his verbis adjunctis: *Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui.* Sinistrâ de fide conjugis opinione à viro conceptâ, atque ad eam rem destinatæ judicio

illam subdebat (Num. 6, 14) ; Deo Hebræorum proterviæ aliquid indulgente, quò majora mala vitarentur. Eâdem etiam indulgentiâ permissum est, ut conjux uxorem absque indiciis virginitatis deprehensam (Deuter. 22, 14, 15) judicio sistat : si tamen accusatio falsa probaretur, virgas, sive fustes accusator subibat, pretio insuper 100 siclorum persoluto. Viro duplici conjugio copulato, jus primogenituræ filio natu majori acquisitum, in alterum ex prædilectâ conjuge natum transferre, sive invisæ conjugis natum eodem primogeniti jure privare interdictum (Deut. 22, 15, 16).

Tota Chananitidis regio pro numero tribuum, singulorumque contribulium æquis portionibus dividenda erat (Num. 33, 13, et 34, 13). Ædium culminà muri loricâ ambienda, quò in tectis ad modum solarii complanatis, inambulantibus periculum vitaretur (Deuter. 22, 8).

Vota non unius erant generis apud Hebræos; sive enim se vel alios devovebant (Levit. 27, 2), etc. Quo voto adstricti, pecuniâ redimebantur, varia illa quidem, pro sexûs ætatisque discrimine. Viris enim ab anno ætatis 20 usque ad 60, mulcta 50 siclorum, feminis 30 indicta. A quinto usque ad 20, viri 20 siclos feminæ 10 pendebant. Pauperiores pro facultatum modulo, ad sacerdotis arbitrium. Animal sacrificio aptum, voto consecratum, immolandum omninò, neque à volente redimi poterat : impurum verò si offerens redimere velit, pecuniam quæ sacerdotis videbitur, et quintam insuper partem adjiciat. Ædes priùs æstimandæ, deinde sacerdotis lucro vendendæ : quas si Dominus sibi habere velit supra pecuniam æstimatam, quintam adjiciet. Ager voto consecratus, à sacerdote de more æstimandus, supputatis reditibus, et spatio temporis usque ad jubilæum; liberum deinde est offerenti illud sibi emere, si pretio quintam addiderit : si verò alieno vendatur, neque in jubilæo ad veterem possessorem regreditur ; cùm enim sanctus sit ager, et sacerdotibus acquisitus, sacerdoti in jubilæo restituendus. Primogenita ad Dominum spectant, quorum proinde per votum consecratio supervacanea esset.

Ea quæ anathemati devovebantur, nullâ concessâ redimendi potestate, animalia quidem neci tradenda fuerant; ædes verò et possessiones sacerdotibus acquirebantur (Levit. 27, 28). Decimæ ex frugibus et pecoribus, soluto pretio et quintâ insuper parte, redimi poterant. Vota statim et plenâ fide implendâ sunt (Num. 30, 3). Filia sub patris disciplinâ, si voto se obstrinxit, et pater sciens siluit, voti rea est; renuente patre, voti religione nequaquàm tenetur. Conjugio copulatæ votum, viro intra diem dissentiente, solvitur; si alterâ die vir propositum suum significaverit, votum nihilò seciùs firmum ratumque est. Repudiata et vidua, voti, si quo se obstrinxerit, rea est.

Nazaræi genus sunt virorum Deo devotum, abstinentiam à vino mero liquoribusque profitentes, quibus intonsa est coma, totoque nazaræatûs tempore ad funera non accedunt (Num. 6, 1, etc.). Elapso voti tempore, ante fores templi à sacerdote sistebantur, statimque agnus in holocaustum, ovis pro peccato, aries in hostiam pacificam offerebatur. Victimis immolatis, Nazaræi coma abradebatur, igne altaris absumenda : dein traditum sibi à sacerdote armum, arietis atque panis et laganæ oblationem Nazaræus iterùm sacerdoti restituebat, coram Domino elevandas. His peractis, vini usus Nazaræo permittebatur. Si voti tempore fortè coram eo vir aliquis occubuisset, iterùm cæremoniæ nazaræatûs ab exordio repetendæ erant, atque insuper duo columbæ in expiationem offerendæ.

Cùm tota ante Chanaanitis idololatriæ superstitione teneretur, quo tempore ab Hebræis occupata est, omnia fictæ religionis monumenta, quæ unquàm occurrerent, subverti, lucos, aras, petras, columnas, deorum simulacra Deus jussit (Lev. 16, 1; Deut. 13, 4). Sibi verò primùm aram ex glebis ad radices Sinai excitari (Exod. 20, 24, 25) voluit; deinde alteram ex ligno excavatam, æreisque laminis superindutam, et in tabernaculo collocandam, quæ cratem æneam ad medium clavi suspensam sustinendo igni continebat (Exod. 27, 8). Porrò ad illam per gradus ascendere vetitum, ne fortè inter ascendendum ea detegerentur in sacerdotibus, quæ intuentium pudorem offenderent (Exod. 20, 26). Judæis terræ promissionis limites ingressis, jussit Deus alias ex tribubus montem Garizim conscendere, ibique legem Dei servantibus benedictiones precari, alias verò montem Hebal tenentes, dira imprecari in legis prævaricatores (Deuter. 11, 29, et 27, 13, 27, 23). Ara deinde ingens erigenda calce oblita, in quâ Lex Dei inscriberetur. Porrò hoc præceptum à Josue impletum est (Josue 8, 30, 31).

DE POLITIA,

SIVE RATIONE JURIS DICENDI

APUD VETERES HEBRÆOS, ET POTISSIMUM DE SANHEDRIO,

Dissertatio.

Reipublicæ Hebræorum constitutæ crepundia ex latâ à Deo in monte Sinai lege, susceptoque à Moyse populi regimine, ac tandem invectâ ad normam divinarum legum politiâ, repetenda sunt. Frustra enim in populo, dùm in Ægypto versabatur, certam politiam, certosque judices Israelitas pleno jure regnantes exquiramus; quos enim operibus fratrum præpositos (Exod. 5, 6), sive quos seniores appellatos (Exodi 3, 16) in Scripturâ novimus, iis spontè quidem populum paruisse, nullam tamen eos cogendi habuisse auctoritatem, planum est. Moyses omnium primus plenum in populum suum jus supremamque auctoritatem obtinuit. Solus omnia reipublicæ onera sustinuit, donec monente Jethro socero suo, in partem laboris selectos ex fratribus accivit. Consultissimus enim ille senex animadvertens unicum virum juris dicendi inter populum majus ferre pondus quàm sustineri posset, selectos sibi viros ut adsciret Moysi auctor fuit (Num. 11, 16). Ejus igitur consilia secutus Moyses (Exod. 18, 25, 26) : *Electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi, tribunos, et centuriones et quinquagenarios et decanos, qui judicabant plebem omni tempore.* Quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodò judicantes.

Hæc politia parùm mansit; ab adventu scilicet Jethro in castra Israelitarum, paulò ante quàm Israelitæ è Cadesbarne moverent, usque ad castrametationem ad Sepulcra concupiscentiæ, quo tridui itinere è monte Sinai populus venit. Ibi enim Deus senatum septuaginta virorum selegit, quos divini spiritûs illapsu instructos Moysi assignavit adjutores. Ibi Sanhedrii defensores prima constituti illius celebratissimi senatûs, de quo nos infra fusiùs, fundamenta collocant. En igitur senatus 70 senioribus constitutus, cui Moyses præesset, omnesque simul pro eo, quem à Deo habuerant, prophetiæ spiritu jura populo dabant. Mansit tamen simul constituta auctore Jethro antea politia; quibus judicibus collatam credimus auctoritatem dirigendi res civiles, ad politiam et militiam pertinentes; quemadmodùm et judicia omnia ad senatum septuaginta deferebantur; exceptis tamen causis gravioribus, de quibus Moyses ipse cognoscebat. Malunt tamen rabbini, nec injuriâ fortassè, hosce septuaginta seniores ex ipso judicum sub Jethro constituto numero fuisse.

Ita constitutæ res toto itineris per desertum spatio scilicet 39 annis circiter obtinuerunt. Nec sanè aptior alia politia invehi potuisset, imò vix aliter deducendus videbatur populus, qui in unum veluti cœtum coalescens, ambulantis civitatis speciem referebat. Cœtus faciles erant et communes, litium pars maxima, quòd agrorum et latifundiorum divisio nulla esset, succisa; quare parvus judicum numerus totam rempublicam facilè administrabat.

Verùm cautè reputans legislator futurum, ut in terrâ promissionis ea politiæ ratio haberetur incommoda, jussit constitui in singulis urbibus judices et magistratus (1) pro causis civium cognoscendis, ita tamen, ut si quid gravius emersisset, illud ad locum à Domino selectum deferretur, sacerdoti de familiâ Aaron, penès quem tunc temporis suprema esset auctoritas, judicandum; hujus autem judicio non acquievisse capitale decrevit (2). Alibi

(1) *Deut.* 16, 18 : Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis.

(2) *Deut.* 17, 8, 9 : Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris... et judicum intra portas tuas videris verba variari, surge, et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Levitici generis, et ad judicem qui fuerit eo tempore, quæresque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem... Qui autem superbierit, noluus obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis morietur homo ille.

etiam cavet, si homicidium aliquod, cujus auctor lateat, commissum deprehendatur, acciri statim sacerdotes, ad quos attinet (Deut. 21, 5) *omne negotium et quidquid mundum vel immundum est* (Heb., omnis causa, et omnis plaga); ab illis verò, adhibitis etiam senioribus vicinioris urbis, crimen expiandum, tum et ira Dei à populo avertenda. Eadem sacerdotum judicialis auctoritas asseritur etiam, Deut. 19, 16: *Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis, stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum et judicum qui fuerint in diebus illis; cùmque diligentissimè perscrutantes invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei, sicut fratri suo facere cogitavit.* Paraphrastes Onkelos, cujus interpretationes maximi sunt inter rabbinos ponderis, verba illa Deut. 33, 9, 10: *Qui dixit patri suo et matri suæ: Nescio vos,* explicat de sacerdotibus, qui in causis judicandis rectam judicii lancem tenent, ut solam respiciant veritatem et æquitatem, nihilque in carnem et sanguinem inclinent; quæ interpretatio ex subsequenti versiculo confirmatur, cùm de filiis Levi sermo est, qui servaverunt, ait Moyses *judicia tua, ò Jacob, et legem tuam, ò Israel.* In eamdem idem loquitur Ezechiel 44, 24: *Cùm fuerit controversia, stabunt in judiciis meis, et judicabunt. Leges meas et præcepta mea in omnibus solemnitatibus meis custodient.* Samaritani in suâ ad Scaligerum Epistolâ testantur summam apud se auctoritatem esse penès summum sacerdotem, ad cujus judicium undique ex urbibus convenirent. Ita porrò ille populum judicat, ut vel in ipsas cogitationes ferat sententiam; omnia ad ejus nutum terminantur; felicem profectò qui sacerdotis illius dicto audiens est, infelicem, qui jubentem contemnit. Is igitur rerum judaicarum status fuit, cùm pax et religio in tranquillo manserunt.

Nec sanè aliter legislatoris mentem Josephus interpretatus est tradens constitutos ab illo in singulis urbibus septem judices, qui adhibitis duobus Levitis jus civibus dicerent. Majoris tamen indaginis causæ, ait, ad urbem à Domino selectam, summo sacerdoti, prophetæ et senatui cognoscendæ deferebantur. (Antiq. l. 10, c. ult. cont.) Ipsi pariter regi inconsultis summo sacerdote et senatu nihil agere fas erat. Atque in opere contra Appionem, de politiâ Hebræorum agens (cont. Appion. l. 2, c. 61), nullam constitui unquàm posse ait politiam neque æquiorem neque sanctiorem, quàm quæ Deum auctorem habet supremum rerum arbitrum. Deus autem iste magnus omnibus simul sacerdotibus rerum sacrarum majoris momenti administrationem reliquit, auctoritatem in reliquas res omnes penès summum sacerdotem esse disposuit. Horum igitur curæ datur, addit Josephus, ut legis sanctiones et disciplinæ ratio salvæ perseverent et integræ; de controversiis ita judicant, ut et animadvertendi in sontes jus habeant. Quid igitur sanctius quàm Hebræorum politia? Itaque ex Josephi sententiâ (idem cod. lib.) Judæorum respublica neque ad monarchiam neque ad democratiam referebatur, sed genus quoddam politiæ constituebat, quod Deum habens supremum arbitrum, theocratia jure rectèque appellaretur. Nec sanè sacerdotes aliique primores judices aliter de causis cognoscebant, quàm delegatâ sibi à Deo auctoritate; ejusque veluti tribunali assidentes, coram arcâ et in loco à Deo selecto judicia ferebant. In causis discutiendis legum oracula consulebantur; nec rarò judices divinitùs inspirati sententias, tanquàm è tripode, proferebant; quin et in causis gravioribus summus sacerdos non priùs judicabat, quàm urim et thummim ferens, à Deo edoceretur. Porrò, ait Josephus (ibid.), summo sacerdoti potissimùm incumbebat leges sartas tectas servare, dijudicare de controversiis, atque reos sententiâ damnatos punire; quicumque sacerdoti parere recusâsset, in eum tanquàm læsæ majestatis divinæ ultimo supplicio animadvertebatur.

Ad hanc politiæ normam Hebræorum rempublicam nunquàm non reformandam curârunt viri illi religiosi, qui hanc provinciam identidem susceperunt. Quare si non adeò constans ejus successio in historiâ populi appareat, in causâ fuisse credendum est, quòd nec judices neque principes recti semper tenaces apud illos regnârunt, ac senior quandoque populus religionis suæ exercitium negligeret, ac tandem bellis non rarò regio turbaretur. Quî enim, e. g., fieret, ut leges et judicia ordine à legislatore præscripto servarentur inter persecutiones et captivitates, quæ judicibus regnantibus malorum successione quâdam populum opprimebant? Satisne religionis ad leges servandas in populo fuisse crederetur, dùm eò usque irreligionis processerat, ut in scelera omnia et idololatriam prolaberetur? Frustra quis in eâ rerum turbatione legum tranquillum constantemque statum requirat; satisque erit ad inten-

tum, si pro vario populi in religionem studio, exactior modò, remissior aliquando ejus politiæ ratio obtinuisse videatur.

Post obitum Moysis, Josue rerum potitus constitutam à decessore reipublicæ formam in Chanaanitide statim invehere non potuit. Priùs enim sub jugum mittenda regio fuerat, deinde in tribus dividenda. Nec post eam inductam divisionem, pactamque provinciam diutiùs Josue supervixit. Sub eo duce, cui ad sapientiam ac religionis studium nihil fuit reliqui, leges et politia Hebræorum floruerunt. Antequàm is rerum status constitui potuisset, ipse Josue cum summo sacerdote et senioribus Israel rempublicam administrabant. Hinc populus universus, quemadmodùm olim in verba Moysis, ita post ejus obitum in verba Josue juravit, (Josu. 1, 10, 16, 17), ejusque imperium detrectâsse capitale fuisse scribit. Seniores populi unà cum Josue fœdus cum Gabaonitis strinxerunt (Josu. 9, 15). Ipse Josue unà cum Eleazaro summo sacerdote divisioni Chanaanitidis per selectos singularum tribuum viros factæ præerant (Josu. 14, 1, 2); ac tandem ætate jam affectâ Josue *omnem Israelem, majoresque natu, et principes, ac duces, et magistros* in concionem vocavit (Jos. 23, 2, et 24, 1); i. e. judices et magistratus ex Moysis præscripto in regione constitutos accersens, fœdus inter Dominum et Israelem innovavit.

Ordinatæ à Josue reipublicæ politia tamdiù mansit, donec Israelitæ omni jugo principatûs excusso in funestam illam anarchiam devenissent, quæ et altam divinarum legum oblivionem induxit, et variis captivitatibus, sub variis identidem populis, miserrimam gentem oppressit. Lætis tristia vicissim successerunt pro modo criminum, et resipiscentiæ, quibus Deus sive ad veniam, sive ad ultionem excitabatur. In tantâ rerum vicissitudine vix fieri posset, ut exacta quædam politiæ ratio apud Hebræos spectaretur. Injuriæ in uxorem Levitæ irrogatæ historia, quemadmodùm et belli per eamdem occasionem cum tribu Benjamin gesti, ideam ingerit populi, qui nullo quàm voluntatis singuli suæ arbitrio regerentur. Ejusdem etiam rei argumentum est historia Michæ, et Danitarum transmigratio; cujus occasione monet Scriptura, eâ ætate singulos suæ voluntatis arbitrium sectatos, ac neminem in Israele regem constitutum fuisse.

Judices à Deo pro datâ occasione identidem excitati, non ita populum moderabantur, ut despoticam sive in judiciis, sive in populum universum auctoritatem obtinerent. In eâ tantùm regionis parte quam à jugo servitutis relevaverant, principatum gerebant; cùm interim cæteri sive aliis servirent, sive suo regerentur arbitrio. Fateamur etiam oportet, totam regiminis eorum rationem latere nos, nihilque habere exploratum eorum, quæ ad judicum auctoritatem et judicandi Israelis politiam pertinerent. Major politicæ gubernationis, et constantior ratio sub Samuele animadvertitur. Judicavit vir ille populum universum 20 annis; quotannis totam discurrebat provinciam, atque tribunali in Bethel, Galgalis, et Masphat erecto, de causis cognoscebat (1 Reg. 7, 15, 16). Porrò in judiciis præscriptus à Moyse ordo tunc servabatur. Seniores, et judices populi in causis majoris momenti Samuelem convenisse leguntur (1. Reg. 8, 1, 4); Propheta in nomine Domini sententias pronuntiabat. Cùm affectæ jam ætatis fuisset, filios suos judices constituit in Bersabee; sed recti minùs tenaces juvenes adeò seniorum Israelis animum offenderunt, ut de constituendo sibi rege cogitare cœptum sit (2 Reg. 15, 2, 3, 4). Rei gestæ historia explorata est.

Tunc constituta à Moyse politia omnis eversa est. Nôrat tamen providus ille legislator, Hebræorum animos tandem in regem inclinaturos, nonnullasque etiam leges regi scripserat. Verùm, sive ille leges ad politiam constituendam frustra crederet futuras, cùm reges pro arbitrio omnia disponant, sive Deus præcepta eâ de re sua daturum sibi reservârit, quod sanè in electione Saülis ore Samuelis præstitit; sive tandem Moyses politiam à se constitutam cum auctoritate et despotico regum imperio constare posse crederet, nihil sanè in eam rem peculiare sancivit. Saül verò ad regnum evectus nihil nisi res bellicas curâsse videtur, cætera judicibus et sacerdotibus, quemadmodùm et ante regem constitutum fieri solebat, reservata sunt. Samuel quo tempore in vivis mansit, tùm à populo universo, cùm à rege ipso semper observatus est, summoque in honore habitus, tanquàm Propheta Domini, et consiliorum ipsius interpres; quæ viro auctoritas usque ad inunctum Davidem mansit.

David vix rerum potitus, pacatoque à bellis regno, nihil antiquius habuit, quàm ut per seipsum de causis populi cognosceret. Ipsâ narrante Scripturâ (ibid.) scimus, Absalomum

(1) Calmetus hic Usserii chronologiam sequitur. Juxta chronologiam Marsham, Samuel hebræam gentem rexit sexdecim tantùm annis. Vid. Dissertat. in librum Judicum.

ejus filium regnum affectantem (Reg. 14, 7) præ aulæ januis quotidiè consedisse, ubi singulos ad regis tribunal venientes alloquens, de eorum negotiis sciscitabatur, tum æqua eo postulare dicebat; *sed* addebat (2 Reg. 15, 3): *Non est, qui te audiat constitutus à rege. Quis me constituat judicem super terram, ut ad me veniant omnes qui habent negotium, et justè judicem?* Joab, adhibitâ feminâ Thecuite, veniam pro Absalomo, occisi fratris reo, à Davide postulavit; mulier autem illa aliquid se à rege pro filio suo, quem subitâ obortâ altercatione fratrem occidisse dicebat, impetratura simulans, coram illo stetit.

Salomon, patris exemplum secutus, præ foribus aulæ jus dicebat. Extat in libris sacris constructi ab ipso throni descriptio (3 Reg. 10, 18, 19); tum narratur sagacitas in judicio ferendo in notâ illâ duarum feminarum altercatione, mutuò sese de occiso alterutrius filio accusantium (Reg. 3, 16, etc.). Legimus etiam regem ipsum Gabaon se contulisse (Par. 1, 2), comitantibus principibus, centurionibus, aliisque ducibus populi adeòque et omnibus, qui juxta Moysis leges in singulis urbibus constituti fuerant. Erant apud Salomonem à consiliis seniores et sapientissimi quamplures viri, qui post ejus obitum prudens Roboamo consilium suggesserunt, quod præposterè ab ipso neglectum (3 Reg. 12, 6, etc.) est.

Diviso tribuum principatu, decem ex tribubus Jeroboami partes secutis, sicuti res omnes, ita et politiam Israelis vehementer turbari contigit. Impius ille rex tunc demùm rebus suis consulturum se ratus, si omnem religionem subverteret, nihil etiam integrum reservavit eorum, quæ Moyses constituerat. Quare traditionem et constantem veræ disciplinæ et politiæ successionem nonnisi in regno Juda deinceps scrutari oportet.

Cùm Josaphat ditionem suam reformare statuisset, non aliam sibi proposuit normam, quàm politiam à Moyse præscriptam (2 Par. 19, 5): *Constituit judices terræ in cunctis civitatibus Juda... et præcipiens judicibus: Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentiâ cuncta facite; non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. In Jerusalem quoque constituit Levitas, et sacerdotes, et principes familiarum* (duo scilicet tribunalia, alterum ex sacerdotibus, alterum ex laicis) *ut judicium, et causas Domini judicarent* (nempe sacerdotes) *ubicumque quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus. Amarias* (1) *autem*, ait, *sacerdos et pontifex vester in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* Alterius tribunalis princeps erat Zabadias, *dux in domo Juda, super opera, quæ ad regis officium pertinent;* id est, præerat Zabadias causis politicis, quæ ad rempublicam et cives pertinerent.

Eadem, quæ sub Josaphat constituta legimus tribunalia, Jeremias, sub Joakim rege Juda scribens, designat (Jerem. 26, 8, 10). Cùm enim prophetam illum sacerdotes, et pseudoprophetæ judicio damnâssent, quòd scilicet sinistra aliqua in templum prænuntiâsset oracula, populus universus in templum ad eam rem convenit. Tunc principes Judæ, certiores de omnibus facti, ex aulâ regis, ubi senatum habere consueverant, in templum se conferentes à sacerdotibus, scribis, et populis cognitam causam ad se avocârunt. Sacerdotes et Prophetæ reum mortis Jeremiam postulabant; sed principes eorum sententias abrogârunt; tum seniores populi iniquitatem prioris judicii in Prophetam lati pro concione exposuerunt, aliorum Prophetarum exempla proferentes in medium, qui in urbem, et templum impunè oracula pronuntiârunt. Ex his omnibus de auctoritate senatorum et principum aulæ argumentum capimus; tum et fabellam arguimus eorum, qui de auctoritate Sanhedrii mira venditârunt.

Eâ porrò valebant auctoritate principes Juda, ut vel à regibus timerentur, eâ potissimùm ætate, cùm politiæ rebus prostratis, eorum principum potentiæ neque resistere reges vellent, nec possent. Cùm Jeremias expugnandæ à Chaldæis urbis Jerusalem oraculum pronuntiâsset (Jerem. 33, 5), principes tradi sub Prophetam nova spargentem in vulgus, à rege postulârunt, eumque veluti reipublicæ hostem puniendum dicebant; quibus Sedecias: *Ecce in manibus vestris est*, inquit, *nec enim fas est regem vobis quidquam negare.*

Cursim etiam spectanda est hâc occasione summi sacerdotis auctoritas. Semeias, datis Babylone ad sacerdotem Sophoniam litteris, ita scribit: *Dominus dedit te sacerdotem* (2),

(1) Pontifex ille Amarias fortassis idem est ac Azarias de quo Paralip. 6, 9; et idem ac Joachaz in Judæorum Chronico designatus.

(2) Textus addit: *Pro Joiadâ sacerdote.* Quod interpretibus nonnihil negotii facescit. Nemo nescit Joiadam fuisse summum sacerdotem tempore Joæ, item Sophoniam sacerdotem non summum, sed secundum fuisse, 4 Reg. 25, 18. Notandum verò est hebraicam vocem תחת verti posse: *Sub Joiadâ sacerdote.* Porrò si,

ut sis dux in domo Domini super omnem virum arreptitium, et prophetantem, ut mittas eum in nervum, et in carcerem. Et nunc quare non increpâsti Jeremiam, qui prophetat vobis? (Jerem. 29, 26.) Et Phassur princeps domûs Domini et sacerdos, tristia in urbem prophetantem Jeremiam percutiens in carcerem simul detrusit (Jerem. 20, 2).

Facilè credimus illos *Septuaginta viros seniores* domûs Israel (Ezech. 8, 11, 16, 17), quos Ezechiel thura adolentes coram idolo per visum spectavit, sicut et alios 25 viros, quos inter templum et altare holocaustorum terga vertentes templo, et pronos orientem solem adorare vidit; facilè, inquam, credimus viros illos spectatæ dignitatis ipsissimos esse judices templi et aulæ, de quibus supra. Cùm autem viri illi clarissimi essent, atque potentissimi in totâ regione, ideò translati in captivitatem, unà cum Joachim in Scripturâ memorantur (4 Reg. 24, 15): *Transtulit Joakim in Babylonem.... et judices terræ duxit in captivitatem*, etc.

Historia judicii in Suzannam lati argumento est apertissimo, in causis cognoscendis apud Judæos leges aliquas observari in captivitate consuevisse, sicut et suos fuisse vernaculos gentis judices. Sed quænam leges illæ? quis judicum numerus, auctoritas, et ordo? Esdras in Palæstinam redux (1 Esdr. 7, 20) plenam ab Artaxerxe obtinuit auctoritatem judices in regione constituendi, de causis cognoscentes, parere reos vel ipso ultimi supplicii metu cogerent. Josephus de hâc politiâ (Antiq. lib. 11, cap. 4) post captivitatem agens, ait, aristocraticam quamdam oligarchiâ mixtam rempublicam constitutam fuisse, in quâ potissimæ essent sacerdotum partes; stetisse autem ait usque ad Asmonæos, quo primùm tempore ad monarchiam Judæi regressi sunt. Hæc omnia quadrant cum historiâ Jaddi summi sacerdotis, qui principis Judæorum auctoritate et nomine Alexandrum Magnum Jerosolymam venientem excepit (Antiq. lib. 11, cap. 1); quemadmodùm et cum litteris Arii regis Spartarum, ad Oniam summum sacerdotem, et ducem gentis Judæorum datis (1 Mach. 12, 20, et Joseph. Antiq. lib. 12, cap. 5). Extant etiam ejusdem ætatis rescripta regum Ægypti, et Syriæ pro Judæis utrique regi succedente tempore servientibus, quibus juxta suas leges vivere permissum esset, eâ tamen conditione, ut tributa regibus debita solverent. Verùm in republicâ, cujus prostratæ penitùs erant res, certam rectèque dispositam politiam quod exigamus nihil est.

Quæcumque tamen tunc temporis esset reipublicæ Judaicæ œconomia, hanc totam Antiochus Epiphanes, motâ in illos persecutione, subvertit. Afflictis tamen rebus Mathathias, ejusque filii, comparato fidelis populi exercitu, ita succurrerunt, ut certam simul reipublicæ formam redderent. Judas Machabæus in solemni populi concione ad Maspham duces populi constituit, tribunos, centuriones, quemadmodùm et præfectis super quinquaginta, et super decem (1 Mach. 3, 55). Jonathas, qui fratri Judæ in imperio successit, utrâque in se conciliatâ sacerdotali scilicet et regiâ dignitate, ita populum moderatus est, ut unà cum senatu, quin et adhibito etiam populo, de rebus deliberaret. Ita sanè colligimus ex litteris Judæorum nomine ad Romanos et Lacedæmones missis. Hebræorum tum temporis politia veram rempublicam referebat aristocratiâ et democratiâ mixtam. Eâ occasione Sanhedrin omnium ore celebratissimum cœpit.

Aristobulus, filius Joannis Hircani, regis nomine et insignibus assumptis, pristinum fermè ordinem in politiâ integrum manere passus est. Magna semper stetit senatûs auctoritas, quamvis à suffragiis ferendis populus tandem excluderetur; sed et temporis successu regum ea cura fuit, ut auctoritatem suam etiam atque etiam promoventes, senatum etiam atque etiam in arctum concluderent. Ita labentes quotidiè pristinæ politiæ res Pompeius tandem, redactâ in ditionem et in provinciam Romanorum Judæâ, penitùs dejecit. Superveniens aliquantò post Pompeium Gabinius (vide Joseph. lib. 14 Antiq. cap. 8, 9, 10, et de Bel. l. 1, c. 5), quinque tribunalia, singula in singulis florentissimis provinciæ urbibus constituit hoc ordine: Jerusalem, Gadaræ, Amath, Jericho, Sephoræ. Sua singulis hisce tribunalibus attributa in provinciâ deditio, è quâ ad assignatam sibi urbem incolæ concursum facerent.

Julius Cæsar restituto in summum sacerdotem Hircano jus supremum cognoscendi de causis ad Judaicam legem pertinentibus asseruit (Antiq. l. 14, c. 17). Herodes, privatæ adhuc auctoritatis vir, in jus coram judicibus Jerusalem accitus, acceptam ab illis injuriam post adeptum regnum ultus est. Omnes ille judices, excepto Sammeâ viro inclyto, ultimo

lapsum omninò facilem admittendo, legatur: *sub Saraiâ sacerdote*, difficultas omnis tolletur; quippe Saraias tunc temporis erat summus sacerdos, et Sophonias sacerdos secundus.

supplicio damnavit. Jus sanguinis ademptum Judæis 40 annis ante eversionem templi vel ipsi Rabbini fatentur; quin et de causis pecuniariis 150 annis antea cognosci desitum esse traditur in Gemarrâ (Selden. de Synedr. l. 2, cap. 15, art 11). Defuncto Herode, Archelaus ejus filius à regno et patriâ extorris actus, per Romanos Viennam relegatus est; tum et jus gladii omne Judæis ademptum. Legitur etiam Albinus Judææ procurator graviùs habuisse Ananum summum sacerdotem, quòd inscio procuratore senatum coegisset; idque ut sibi deinceps permitteretur Judæi, missis clam legatis, Agrippæ auctoritatem implorârunt.

In libris N. T. summus sacerdos senatui, vel concilio nunquàm non præest. Caiphas concilii princeps capitalem sententiam in Jesum pronuntiat: *Expedit ut unus moriatur homo pro populo* (Joan. 18, 13, 14). Summus sacerdos silentium indicit Apostolis in jus coram se vel concilio vocatis (Act. 4, 6, 18): datis ad principes synagogarum litteris persequendi fideles Saulo jus asseruit (Act. 9, 1, 2). Idem Saulus, è persecutore in vas electionis transformatus, coram summo sacerdote Ananiâ deductus, pontificis jussu colapho cæsus fuit. Ananum pontificem in obsidione Jerosolymitanâ belli curas in se suscepisse ex Josepho intelligimus (de Bel. l. 2). Ex hisce historiæ monumentis politiæ Judaicæ status et vices eo temporis tractu, quod inter constitutam à Moyse rempublicam et eversionem usque Jerusalem intercidit, satis colligitur.

Post eversum templum, et urbem, nulla certæ reipublicæ forma apud Hebræos uspiam fuit. Quare Rabbini mansisse Sanhedrium in Judæâ usque ad seculum post Christum quartum, nonnisi per summam impudentiam asseruerunt. Si quod etenim ejus vestigium toto illo tractu, qui inter Vespasianum et Adrianum intercessit, fortè deprehendatur, nullus certè judicialis in Judæâ cœtus Hebræis mansit, ex quo Adrianus ipse omnem populo aditum in eam regionem interdixit. Id sanè probat Seldenus, Sanhedrii in primis fautor, adductisque scriptorum exoticorum et Judæorum testimoniis ita rem demonstrat, ut extra controversiam ponat (de Syned. l. 2, cap. 7, art. 6, et in adden. pag. 729, et lib. 2, cap. 16).

Huic de politiâ Judæorum ideæ ex S. Scripturâ et Josepho conceptæ, vix ac ne vix quidem congruunt ea quæ à Rabbinis venditantur; quibus proinde falsi non levis suspicio eâ de causâ creatur. Cùm enim nullus Rabbinis alius fons illimis præter Scripturam suppetat, unde traditiones suas derivent, si quid Scripturæ absonum asseruisse convincantur, statim præjudicio damnati sunt. Si varia hebraicæ reipublicæ tempora inter se conferantur, variâsse etiam apud illos politiam, nec eam quæ à Moyse sancita est, constanti traditione ad judices et reges transîsse statim intelligemus. Moyses monarchicum fermè imperium exercuit, cui senatus 70 judicum, de quibus in Numeris legimus, accedebat. Sub judicibus varius reipublicæ status fuit; modò sine principe unusquisque suo ducebatur arbitrio, modò judicibus, modò hostibus coacti parebant. Veteres reges Juda per semetipsos jus populo dicebant, cujus rei exempla in Davide, Salomone, Jonathan filio Azariæ (4 Reg. 15, 15) suppetunt. Labente reipublicæ statu penès principes populi summa fermè auctoritas mansit. Post captivitatem usque ad Asmonæos summi sacerdotes rerum potiebantur, aristocraticum democratico mixtum imperium exercentes. Tandem sub Asmonæis regibus in monarchiam reipublicæ status recidit, donec Romanorum armis et natio, et respublica universa deleta est.

Hæc simul omnia contemplantes, consilium habuisse Moysen credimus, ut is reipublicæ status constitueretur, in quo sacerdotes unà cum principibus, sive judicibus à Deo suscitatis, nec non inferioribus aliis judicibus in singulis urbibus præpositis res gubernarentur; ita tamen ut sacerdotes, majori quippe scientiâ instructi atque minùs rebus gerendis occupati, de causis legis et religionis cognoscerent. *Non peribit lex à sacerdote,* dicebant apud Jeremiam Judæi (Jer. 18, 18). Voluit insuper ut judicum summus princeps, atque supremus judex summus sacerdos agnosceretur, ad quem arduas omnes et majoris momenti causas deferri jussit. Principem occupatum esse voluit rebus belli et pacis tractandis, politiâ legibusque asserendis; ac tandem exerto gladio legum divinarum violationem ulciscereturetiam atque etiam præcepit. Ita contemperatâ republicâ, *regale sacerdotium,* seu mixtum sacerdote et rege imperium invexit. Is autem politiæ status maximè congruebat populo, qui ex Ægypto recens egressus, sacerdotes in altissimæ dignitatis culmine constitutos nôrat. Ipsi enim apud Ægyptios leges præscribere nedùm cæteris, sed et regibus consueverunt; ipsi reges constituere, nec non semel constitutos proscribere. Sacerdotium hæreditario jure possidebatur, regnum electione. Juri dicendo sacerdotes præerant; quin è

sacerdotio ad regnum non semel aditus patuit. Si verò aliunde quàm è sacerdotum numero rex assumeretur, statim sacris erat initiandus. Parem Moyses disciplinam apud Hebræos invehere cogitabat, quanquàm ejus consilio vix quidquam deletum fuisse sequiori ævo, ex iis quæ supra animadvertimus, satis intelligitur.

Si ea tantùm quæ in S. Scripturâ traduntur de hoc argumento, scriptores prosequi voluissent, hìc finem dissertationi tandem imponeremus; cùm verò plura addere Rabbinis in mentem venerit, iisque plus nimio fidem habuerint interpretes plurimi nec infimi subsellii, eos ab errore revocandi negotium nobis capessendum duximus. Quâ in re lectores rogamus, ut non viros inspiciant, sed adducta ab illis argumenta sedulò perpendant; neque enim in hoc argumenti genere viri auctoritas quidquam, sed dictorum ratio momenti aliquid confert. Rabbinis igitur, quos recentiorum scriptorum turba magistros sequitur, visum est, prima instituti Sanhedrii cunabula in electione 70 seniorum Israel constituere. Porrò cœtum istum semper apud Hebræos mansisse ferunt, non ad eversionem urbis sub Vespasiano tantùm, sed inde usque ad Adrianum, et diù etiam ultra. Huic autem senatui despoticam tribuunt auctoritatem, tum in gentem universam ac tribus, cùm in regem, pseudoprophetas, summum sacerdotem, ac tandem in arduis quibuscumque tam civilibus quàm ecclesiasticis causis. Constabat 71 judicibus, si unà Moyses, totius senatûs princeps, recenseretur. Quibusdam tamen christianis auctoribus visum est 72 judices, sex pro singulis tribubus annumerare. Verùm doctores hebræi tantùm 70 recensent, quibus addunt totius Sanhedrii principem. Nomen *Sanhedrin* ex græco *Synedrion*, nempe senatus, seu viri simul assidentes, corrupto derivatur. Apud Macedones adlecti in senatum Patres *Synedri* appellantur (1).

Præerat Sanhedrio *Nasi*, seu princeps, cui secundus in dignitate ad dextram principis assidens, succedebat pater. Sequebantur cæteri patres in hemicyclum ad lævam principis assidentes, juxta Maimonidem, seu potiùs hinc inde ad utrumque principis latus. Locus habendi senatûs consuetus erat aula templi dicta: *Aula lapidibus strata*; cùm tamen die sabbati, seu feriatâ cogendus esset, tunc locus destinatus erat aula in antemurali sita, in ipso montis, ubi templum constitutum, ingressu. Verùm, sive iis diebus, sive die solemnitatis vel sabbatum præcedenti, sicut etiam nocte, nullus judicialis actus fieri permissus erat. Quanquàm, si ante noctem aliquid incœpissent, nocte subeunte absolvere, fas erat. Stante adhuc priori templo, nempe ante captivitatem Babylonicam nulla dies erat à Sanhedrio feriata, si festa excipiantur, quemadmodùm et sabbata, ac dies solemnitatibus præcedentes. Verùm, post Esdram, habendo senatui dies constituti sunt secunda et quinta feria. Porrò patres primo mane sub tempus matutini sacrificii cogebantur, nec nisi ad vesperam sub tempus sacrificii vespertini, scilicet sole occidente, ad propria remeabant. Judicia illa inferiora, ut concilium trium, et viginti trium, sub meridiem solvebantur.

Patres in Sanhedrium adlecti ex judicibus inferioribus, nempe ex cœtu 25 judicum eligebantur. Initiabantur autem manuum impositione, quâ potestas largiendi Spiritum sanctum conferebatur; adduntque post Moysen nunquàm commissum fuisse, ut Spiritus sanctus charum sibi Sanhedrium desereret. Adlegebantur autem ii quorum origo pura et sine crimine; frequenter è genere sacerdotum sive Levitarum; nullâ tamen lege præceptum erat, ut è tribu Levi assumerentur. Israelitæ omnes eligi poterant, quin et ii qui ex matre tantùm genus traherent ab Israelitis; filii enim jure hebraico maternam conditionem sequuntur.

Porrò judices illi in scientiâ legis scriptæ et non scriptæ consultissimi esse debuerant, nec leviter aspersi in magiâ, divinatione, variisque sortilegiorum generibus, quò de omnibus hisce æqua judicare potuissent. Nec etiam alienum erat illis studium medicinæ, astrologiæ, arithmeticæ et linguarum; ut traditione certum teneant Judæi, calluisse illos 70 idiomata, nempe quotquot in orbe nota sunt, cùm Judæi 70 tantummodò linguarum genera distinguant. Si quis deformi esset corpore; si quis eunuchus, quorum ut plurimùm animus efferatus; si quis ætate esset grandævus; si quis aleator, fœnerator, seu fœnus accipiens, hos omnes in Sanhedrium adlegere nefas. Idem jus esto in eos, qui columbas ad volatum instruerent, qui fructus septimi anni negotiationi exponerent; tandem in regem, cui in faciem resistere arduum fuisset. Sunt qui crediderint, sed temerè prorsùs vel ipsum summum sacerdotem à Sanhedrio exclusum fuisse. Legimus apud Eccle-

(1) Liv. lib. 45, c. 42: « Pronuntiatum, quod « ad statutum Macedoniæ pertinebat, senato- « res quos Synedros vocant legendos esse, « quorum consilio respublica administrare- « tur. »

siasticum, 38, 38, opifices omnes, veluti fabros lignarios, serrarios, atque figulos *super sellam judicii non sedere*. Quare judicum dotes erant divitiæ, corporis et oris venustas, ac tandem ætas provectior.

Quantas in omnibus fabellas venditârint Rabbini, frustra nos ob oculos lectorum poneremus ; e. g., ea quæ de studio magiæ et sortilegiorum jactitant, quasi scilicet judices illis instructos fuisse oporteret. Ejusdem saporis est scientia 70 linguarum, quam singulos judices calluisse volunt ; præterquàm quòd enim vix est, ut tantùm linguarum numero unius viri memoria complectatur; Josepho etiam asserente novimus, id studii genus Judæos prorsùs neglexisse (Antiq. lib. 20, cap. ult.) ; et in libro quodam Hebræorum legimus anathematis formulam in eos, qui filios suos scientiis Græcorum instruunt (vide Selden. Synedr. lib. 2, cap. 9, art. 2). Novimus etiam quo tempore bellum Romanorum in Judæos sub Vespasiano ardebat, cavisse Judæos lato decreto, ne filii Hebræorum unquàm græcum sermonem docerentur. Relatione Evangelistarum notum est, Jesum Christum captum fuisse, accusatum, et damnatum per sacerdotes Judæos, cùm nox processit, quin et die festâ, et eâ sabbatum præcedenti ; quod sanè juri Hebræorum , si Rabbinis fidem habeamus, repugnat.

Constanti judicum Sanhedrii successione à Moyse usque ad Christum natum et ultra etiam demonstrandæ, viri quidam scientiâ et eruditione præstantes, argumentis ex Scripturâ congestis sedulò laborârunt. Grotius in suis Commentariis nullam labi occasionem patitur, quam Sanhedrio ingerendo aptam reputaverit; cujus ipse Sanhedrii veritatem in primo libro de Jure belli et pacis pluribus firmare conatur, cap. 3, art. 20. Seldenus tribus illis de Synedriis voluminibus, quorum postremum ne absolveret mors intercessit, nullum sibi alium potiorem finem præscribit. Sanè post institutum Sanhedrium, uti illi quidem autumant, anno ab egressu ex Ægypto secundo, ad Josue usque constans, et non interrupta successio facilè demonstratur. Post obitum Josue censet Bonfrerius (In Josu. 1), cœtum illum virorum loco principis, quorum nullus in populo constitutus erat, stetisse. Post hæc judices commemorantur ; dein prophetarum principum Sanhedrii , successio ab Heli summo sacerdote per Samuelem et Davidem deducta, ad captivitatem usque Babylonicam excurrit. Sunt qui Saülem principem Sanhedrii, et Jonatham ejus filium, *patrem* (quæ secunda dignitas est) constituant. Non desunt, qui huic successioni asserendæ perpetuò Sanhedrii principes reges Juda fuisse arbitrentur. Rabbini Sanhedrii patres agnoscunt in cœtu *Cerethi* et *Pheleti*, qui sub Davide noti fuerunt; sicut et in illis 220 viris, qui partes Absalomi, consiliorum ipsius ignari, secuti sunt (ita auctor Tradit. Hebr. in Paralip., Petr., Damian., Lyr., Grot., etc.). In ipso Cantico canticorum Salomonis Sanhedrium explorâsse paraphrastes Chaldæus sibi visus est (vide Cantic. 7, 2). Sanctè affirmant, post divisas decem tribus à reliquis, adlectos in Sanhedrium patres ex reliquis duabus Juda, et Benjamin tantùm, quod, inquiunt illi, usquè post captivitatem Babylonicam servatum est. Grotius Sanhedrium agnoscit in senatu Jerusalem, de quo in Judith 15, 8, in judicibus à Josaphat constitutis (2 Par. 19, 8), in principibus à Joram occisis (2 Par. 21, 4), in principibus Juda, qui damnatum Jeremiam absolverunt (Jerem. 26, 10, 16), in 70 senioribus, quos Ezechiel per visum spectavit (Ezech. 8, 11). Ad eum cœtum pertinebant viri illi 69 numero, quos Nabuzardan captivos in Babyloniam duxit (4 Reg. 25, 18); ex quibus, si fides illis scriptoribus, successio judicum in captivitate mansit. Sed qui judices illi damnatæ Suzannæ (Dan. 13) rei? Eos certè in numero Sanhedrinorum haberent, si historia esset apud illos canonicæ auctoritatis. Contendunt Talmudistæ, scribas illos, qui olim in Jabes Galaad (1 Par. 2, 54) sedem habebant, Patres fuisse Sanhedrinos. Quid, eò usque confidentiæ deventum est, ut 70 viri Bethsamitæ percussi à Deo in pœnam visæ sine integumentis arcæ, ad Sanhedrium spectâsse affirmentur (1 Reg. 6, 19) ? Hæc sanè omnia miseratione digna sunt , atque sententiam , cui, meliorum defectu, patrocinium ex levioribus hisce quæritur, deserendam suadent.

Rebus judaicis in captivitate Babylonicâ planè prostratis, nihil tamen in successionem Sanhedrii gravius intentatum fuisse Hebræi asseruerunt. Baruc, inquiunt illi, ad cœtum illum ante captivitatem pertinens, in Babyloniam defectus successorem Esdram reliquit. Esdras in Chanaanitidem restitutus , impetratâ à rege Artaxerxe facultate, et veterem politiam, et ordinem judiciorum reddidit (1 Esdr. 7, 9). Sunt qui crediderint, judicum numerum usque ad 120 sub Esdrâ prorogatum fuisse, quâ de re plures Hebræorum doctores (Seld. de Syned. lib. 2, cap. 16, art. 6). Voces *principes* et *senatus*, quæ

in libris Machabæorum leguntur (2 Machab. 1, 10, et 11, 27), apertissimè Sanhedrium exprimere Grotius autumavit. Porrò cœtus iste usque ad Simonem Justum, qui principem in eo locum tenuit, sub Alexandro Magno perseveravit. Vacuam obitu Simonis dignitatem Antigonus Socæus non obtinuit tantùm, sed et novam principum seriem instituit. Antigonum enim excepit Josue filius Joazar; hunc Josue filius Perachia, quem virum Rabbini impudentissimè asserunt Christum habuisse discipulum, sociumque in Ægyptum comitâsse; scilicet vir 150 annis Jesu Christo senior, hæc præstare facilè potuit. Dein principatus ad Judam filium Tabai transivit; ex quo ad Samaiam; hinc ad Hillel, atque ordine demùm ad Rabbam Jochanam filium Zachai. Aliis tamen placet Simonem filium Hillel post patrem Sanhedrio præficere; cui Gamaliel filius successit. Porrò Gamaliel, si Rabbinis fides, ipsissimus est, quem S. Paulus præceptorem audivit. Gamaliele vitâ functo, locus factus est Simoni ejus filio, qui eodem cum Jerusalem fato intercidit. Post Simonem sequitur alter Gamaliel, filius Simonis, quid ignitatem Simoni filio Simonis II reliquit; dein ordine Judas sanctus filius Simonis, Gamaliel filius Judæ, Judas filius Gamalielis, Hillel secundus filius Judæ, Judas filius Hillel, dein alter Hillel filius Judæ (1), ac tandem Gamaliel filius Hillel, de quo sermonem esse credunt in Cod. Theod. titul. B., lib. 16, 22.

Per hos gradus Sanhedrium constanti successione à Moyse usque ad initium christianæ æræ seculum quintum deducunt. Quanquàm inter Sanhedrii patronos non satis etiam hâc in re convenit: sunt enim qui (Grot. ad 1 Par. 2, 4; Postol. de orbis Conter. lib. 4; Galatin. de Arcan. lib. 4, cap. 6) exitum hujusce senatûs constituant in cæde judicum, quâ Herodes initi à se regni gaudia funestavit (Joseph. Antiq. lib. 14, c. 8), simulque variis fortunæ vicibus factum esse credunt, ut constans illa Sanhedrii successio aliquoties interrumperetur. Sed nihil vicissitudinibus Rabbini permittunt, integrum successionis filum usque ad tempus jam designatum ita ducentes, ut in varia politiæ et reipublicæ fortunâ, idem semper mansisse Sanhedrium, loco solummodò et formâ quandoque variatum, adstruant.

Moysis enim ætate, inquiunt illi, locus habendo senatui ante fores tabernaculi testimonii destinatus erat. Post constitutas in Chanaanitide sedes, idem erat et Sanhedrii et tabernaculi Domini locus; quare priùs in Silo, dein ordine in Masphâ, Galgalis, Nobe, Gabaon, in domo Obededom, ac tandem in Jerusalem Sanhedrii patres coacti sunt. Porrò in Jerusalem, ubi tandem constitit, sedes concilio assignata est in *aulâ lapidibus stratâ*, extra quem locum capitalem sententiam dicere (quod unicè supremo huic tribunali cæteris inferioribus denegatum jus relinquebatur) nefas erat, inquiunt Talmudistæ. Hinc factum esse addunt, ut variatâ tandem Sanhedrii sede nullam patres capitalem sententiam ampliùs pronuntiârint. Contigit ea transmigratio 40 annis circiter ante postremam templi eversionem, scilicet anno Jesu Christi circiter 30. Quod sanè cum Evangelio quadrat, cùm in passione Christi Judæi apertis verbis nullum sibi esse jus hominem ultimo supplicio damnandi professi sint (Joan. 18, 31). Quamvis id etiam contendant Rabbini (ea est eorum fides et sinceritas), nimirùm in aulam rediisse eâ occasione patres, ut Christum damnarent (Tosiph. ad Gemar. Babyl. tit. *Sanhed.* c. 4). Ex aulâ igitur templi migrârunt patres Sanhedrini in Hanot, locum in monte, cui templum insidet; dein intra urbem Jerusalem, postea Jamniam, tum Jericho, atque ordine in Usam, Sepharvaim, Betsanim, Sephorim, ac tandem Tiberiadem translati sunt. Harum vicissitudinum causam assignant Rabbini, non vim aliquam seu auctoritatem quæ Sanhedrium cogeret; omnia enim eo tribunali inferiora, sed totam mali rationem criminibus atque plus nimio frequentibus Judæorum sceleribus imputandam dicunt: ac si judices et medicos ideò potissimùm destituisse urbem par esset, quòd illa eorum ope maximè indigeret.

Sed Rabbinorum fastus atque inanis jactantia tunc maximè apparet intolerabilis, cùm auctoritatem Sanhedrii in immensum exaggerant. Huic enim, si Rabbinos audias, subjicitur non universa tantùm gens, sed et reges, summi sacerdotes et prophetæ, subjiciuntur, inquam, eo servitutis genere, ut pro levibus quandoque culpis ipsi reges flagrorum supplicio damnarentur. Illud tamen commodi accedebat, quòd flagrorum illud supplicium non ita, quemadmodùm apud nos, servile apud Judæos haberetur, uti Sanhedrii patronis visum est. Si rex contra legem deliquisse quidquam convinceretur, statim coram Sanhedrio vestibus exutus flagrorum ictibus crimen expiabat. Si rex

(1) Seldenus putat de hoc Hillel sermonem esse in Epist. 25 Juliani imperatoris.

uxores ultra 18 duxisset, si equos innutrisset plures quàm quos currus ab eo possessi exigerent; si auri et argenti plus aliquid comparàsset, quàm quod in ministros impendendum esset, statim ad flagra. Genus id erat exomologesis, cui principes eâ occasione subdebantur, suosque ipsi tortores eligebant. Statim à flagris regiam dignitatem repetebant.

Sed tribunalis hujus venerabilis maximè forma spectabatur; cogebantur enim patres in aulam ita constructam, ut media extra templi claustra, media verò intra atrium contineretur: cùm autem in atrio templi assidere nefas esset, quæ aulæ pars atrio respondebat, hæc oratoribus, qui stantes perorabant, destinabatur; reliquus interim locus extra ambitum templi judicibus reservatus: quare judicibus assidere permissum.

Nunc quid in Sanhedrio juris servaretur, exponendum superest, quanquàm plura ejus rei in Commentario nostro super leges Mosaicas congessimus: en tamen aliquid memorabile; quòd de lege immorigerum in parentes filium (Deut. 21, 18, 19) puniente latum est. Porrò eam legem maximi sanè momenti ad politiam rectumque reipublicæ ordinem servandum, eâ quâ cæteras omnes odiosas leges audaciâ, mirè deformârunt Hebræi; tot enim illa limitationibus, exceptionibus, cavillis restringunt, ut ne violari quidem unquàm possit. Ita ergo sanciunt Rabbini: Si quis filius in parentes immorigerus eo de crimine unicè damnandus est, hunc oportet decimum tertium ætatis annum excessisse; eâ enim ætate minores legi illi non subjiciuntur; ita verò ætatem hanc attigisse oportet, ut paucis tantùm mensibus legis imperio parere cogantur, scilicet usque ad plenæ pubertatis annos. Parcendum censeo ab obscœnis illis indiciis recensendis, quibus pubertatem assequuntur; decori enim et verecundiæ renuntiandum esset illi, à quo scurillia ista in medium afferrentur. Puella, addunt illi, huic legi non subditur; ait enim Moyses: *Si filius*. Oportet insuper filium hunc lege puniendum, furto subripuisse patri tantùm, non cæteris; et eo consilio aliquid subripuisse ut crapularetur. Neque id tantùm, sed eâ aviditate potum cibumque deglutiisse, ut totam simul buccellam quinque denariorum pondere, et dimidium log vini (1) unico haustu absorbuerit. Si furtum in alterum quàm in patrem commisisset, nihil à legibus grave patiebatur; sicut impunè crimen committebatur, si non carnem, sed altilia vorâsset, nec vinum sed aliud quodcumque hausisset. Si verò filius in judicium adductus, ante pronuntiatam sententiam fugâ se subtraxisset, atque interim pubertatis ipsius indicia paterent, actum erat de judicio. Si ex parentibus alteruter crimen remisisset, nullum alteri permittebatur jus legis severitatem in filium implorandi; scriptum est enim: *Pater et mater apprehendent eum*. Hinc neque manci parentes, neque muti, neque tandem surdi, neque etiam cæci admittebantur; quòd scilicet nec filium apprehendere, nec accusare, nec filium indicare coram judice, nec accusare possent, quòd filii vocem nunquàm auscultâssent. Sexcenta alia hujus saporis libens prætereo, quibus sanè omnibus nihil excogitari potest absurdius, atque majestate divinâ indignius. Quid autem de tribunali, cujus tales erant judiciorum canones opinemur? Vix est ut in animum inducamus, eò potuisse homines ratione instructos, nedùm legum Mosaicarum scientiâ consultissimos, dementiæ pervenire, ut his jurisprudentiæ sanctionibus deduci sese permitterent. Quis tandem scriptores adeò nugaces, veritatis magistros habuerit unquàm?

Post hæc omnia quid de Sanhedri's credamus pronum est. Nullum sanè elusimus ex iis argumentis, quæ ad illud adstruendum afferuntur. Planè senatus ille juxta descriptam à Rabbinis formam, nunquàm in republicâ Hebræorum fuit; merum est enim Hebræorum somniantium commentum. Hinc nihil de illo satis apertum verbum in Scripturâ; nihil in Josepho. Philone, Origene, Eusebio, S. Hieronymo, viris oppidò rerum Judaicarum instructissimis. Quin et in Scripturâ atque historiâ Judæorum plura sunt planè huic fabellæ contraria. Quis unquàm, quæso, ex regibus Juda, sive Saül, sive David, Salomon, etc., ad Sanhedrium unquàm reus adductus fuit? Vel unus ejus rei actus judicialis, sive certum proferatur exemplum. Reges Juda, nemine prorsùs repugnante, summos pontifices exauctorabant; bellum pro arbitrio, nemine consulto, suscipiebant; judices constituebant, removebantque: uno verbo, reges agebant, nunquàm in negotiorum partem Sanhedrio accito; nunquàm ejus senatûs auctoritate imploratâ, de republicâ pro arbitrio disponebant; cui eorum auctoritati; alioquin immodicæ, coercendæ nunquàm Sanhedrium legimus restitisse. An fortè patres Sanhedrini tamdiù turpi otio elangueruntur, donec concessâ sibi à Rabbinis auctoritate

(1) Log mensura est continens hemisextarium.

valentes, insuetam alioquin vim exercuerunt?

Quod autem rem penè novam Sanhedrium fuisse planè demonstrat, varietas est opinionum, quibus ejus assertores, vel saltem ipsius veritatem penitùs non reprobantes, inter se committuntur. P. Petavius (de Doct. tem. l. 2, cap. 26), aliique nonnulli ex ætate Gabinii Judææ præfecti, quo auctore tribunalia in quinque Judææ urbibus constituta sunt senatum illum repetunt; Grotius, aliique (Grot. ad 1 Par. 21, 4) solutum credunt sub exordium regni Herodiani; Rabbinos cum Scripturâ conciliaturus Sigonius, aliam (de Rep. Hebr. l. 6, c. 7) sibi de Sanhedrio ideam format, quàm quæ Judæis placuerit. Tostatus neque cum Judæis, neque cum Christianis, de republicâ Judæorum scribentibus, satis convenit (in Num. 11, q. 31, 32); qui enim Moysis ætate 70 judices constituti sunt, hos putat despoticam, ne Moysi quidem subjectam, exercuisse auctoritatem, ut ab eorum sententiâ ad superiorem alium provocare negaretur; supremam auctoritatem penès sacerdotes fuisse, penès summum sacerdotem resedisse jus Sanhedrio præsidendi, addit tandem inferiores judices sive damnandis, sive absolvendis reis nihil potuisse, illud tantùm gentes, ut reum ipsum sententiæ summi sacerdotis patere cogerent; quod etiam arrisit nonnullis commentatoribus, quominùs in Rabbinorum lectione, eò magis in recentiorum opinionis suæ tenacium scriptis, exercitatis.

D. Basnagius qui paucis abhinc annis historiam Judæorum vulgavit, in Sanhedrii origine hæret ambiguus (Hist. des Juifs. l. 1, cap. 14): cùm enim primò in sententiam P. Petavii eam sub Gabinio statuentis, concessisset (lib. 5, c. 1, art. 12), mutatâ demùm sententiâ sub Judâ vel Jonathâ Machabæis constituit; quanquàm sub Jonathâ potiùs inclinet. Profectò sub Machabæis legimus senatum unà cum summo sacerdote epistolam ad Lacedæmones dantem (1 Machab. 12, 6). Vetus auctor paraphrasum chaldaicarum, pro more ætatis suæ locutus, liminaribus Sanhedrii sistentem se Booz inducit. Legimus apud Rabbinos (vide Gemar. tit. *Sanhedr.*, cap. 11), Alexandrum Januæum regem è genere Asmonæorum, cùm in senatum venisset, assidere cum cæteris, prohibente licet Simone filio Scherah è patrum numero, voluisse. Herodi etiam tunc temporis Galilææ præfecto coram eo tribunali dies dicta est. Interdictum erat etiam (Joseph. de Bel. l. 1, c. 6), Josepho teste, ne reges quidquam inconsulto senatu moverent. Vox *Synedrion*, quæ Sanhedrio æquivalet, in Evangelio nec semel quidem occurrit. Jesus Christus apud S. Matthæum 5, 2: *Qui dixerit fratri suo*, ait, *raka, reus erit concilio*, nempe Synedrio. Ejusdem cœtûs meminit S. Marcus 13, 9, et 14, 55, et 15, 1, sicut et S. Lucas idem designat modò sub nomine *seniores populi*, cap. 7, 3 et 22, 52, 66, modò *Synedrii* (Act. 4, 15, et 5, 21), quod etiam postremum recurrit Joann. 11, 47. Tandem S. Hilarius agnoscit senatum quemdam ex 70 patribus, quibus et versam ex hebræo in græcum Scripturam tribuit, et depositum sensûs, spiritûs et doctrinæ Mosaicæ committit. Hisce rationibus deducti Sanhedrium sub exitum reipublicæ admittere cogimur; ne verò ejus originem ante captivitatem Babylonicam prævertamus, tum alia multa, cùm maximè silentium scriptorum suadent.

His etiam planè demonstratum arbitror, vetustam illam Sanhedrii originem, qualem Rabbini commenti sunt inter cæteras rabbinicas fabellas referri oportere; sicut et dubiæ sunt fidei ea fermè omnia quæ de prærogativis et jurisprudentiâ ejusdem tribunalis venditârunt. Tandem illud constituendum est, politiam Hebræorum varias subiisse pro temporum varietate vices, atque agitatissimæ, si alia uspiam, reipublicæ tolerâsse fortunam. Sub Machabæis autem cœptum Sanhedrium, vires suas in dies sub regibus Asmonæis explicavit, ex imbecillioribus crepundiis in tantam adolescens auctoritatem, ut vel ipsis regibus metum incuteret. Tandem gloriæ suæ pondere fatiscere coactum est; suæ enim dignitati timentes principes, nullam ejus deprimendi occasionem prætermittebant. Eo consilio Romani singulare ad id usque tribunal in quinque diviserunt; stantemque adhuc post tot ruinas, vel emergentem iterùm senatum Jerosolymitanum singularibus prærogativis expoliatum eò redegerunt, ut jure gladii adempto, de legalibus tantùm cognoscere et citra mortem tantummodò punire reos permitteretur. Ita sanè diù ante ultimam eversionem, ejus excidio prælusum est; eodem etenim fato cum urbe, templo et Judæorum dispersione, Sanhedrium quoque obvolutum penitùs interiit. Hinc post illum memorabilem gentis Judaicæ casum, nullibi locorum auditum est tribunal sive senatus, qui despoticam plenamque auctoritatem super gentem universam exerceret: quare frustra Sanhedrii vestigia exquiruntur in cœtibus quibusdam ex reliquiis Judæorum collectis, qui precariò acceptæ au-

ctoritatis umbram exercebant. Hæc visa sunt majoris momenti et fidei, quæ de Sanhedrio Judaico, omnium ore celebratissimo, referrentur.

DE SUPPLICIIS

QUORUM IN SACRA SCRIPTURA MENTIO,

Dissertatio.

Quæ lectorem faciat in hâc nostrâ dissertatione attentum, non una est argumenti novitas. Religionem etenim defendimus contra detortas pravo consilio Judæorum interpretationes; tum et lucem afferimus iis suppliciorum generibus, quibus Jesus Christus, et inclyti quidam veteris Testamenti viri martyrium consummârunt.

Plura quidem fuerant suppliciorum genera tùm apud Hebræos veteres, cùm apud omnes in universum paganos, quorum quidem usus sive rarior modò, sive prorsùs non obtinet. Solebat enim in crimina animadverti carceribus, vinculis, cruce, lapidibus, gladio, flagellis, igne, equuleo, fragminibùs testarum, ollis succensis, rotis, aliisque hujus generis sexcentis. Non rarò etiam animalium pedibus sontes proculcabantur, sub spinis quandoque atque molis triticeis conficiebantur; ne quid impræsentiarum memorem exilia, exterminia et excommunicationes Hebræis peculiares.

Si Judæorum doctoribus major esset fides et auctoritas, ab eorum quidem de vetustis Judæorum suppliciis sententiâ recedendum non duceremus. Fusè illi de hoc argumenti genere disseruerunt, latiùs singula diducentes crimina, quæ singulis suppliciorum generibus juxta legis præscriptum, expiarentur, minimè interim silentio prementes quâ singulâ ratione et apparatu infligerentur. Verùm quidquid ab illis asseritur suspiciosum est adeò, ut mirari prorsùs subeat viros alioquin eruditos non defuisse, qui illorum commentis fucum sibi fieri permiserint (vide Casaub. Exerc. in Baron. Selden. de Syned. l. 2, c. 13. Schikard. jus Reg., etc.).

Quanquàm autem in hoc argumenti genere errores minimi esse momenti videntur, non deessent tamen religionis christianæ obtrectatores, invidiam de illis in nostros creantes, nisi validâ refutatione eorum cavillationes præoccuparentur. Neque Judæi pariter occasionem sibi oblatam omitterent, ut objectas à nobis de Jesu Christo in crucem acto prophetias eluderent, obtendentes crucis supplicium neque Patres suos usu recepisse unquàm, nec nôsse. Opponerent insuper nullam habere se in vernaculo sermone vocem, quæ sive crucem, sive spirantem adhuc hominem cruci suffixum exprimeret. Si quis autem, adderent, apud nostros crucis fuerit usus, hujus tantùm erat defunctis reorum corporibus suspendendis, non autem ut viventes cruciarentur. Quis, rogo, in animum sibi potuisset inducere, prophetarum oraculo Messiam ad supplicium destinari à Judæis; ad supplicium, inquam, Judæis ignotum, et nunquàm apud ipsos usu receptum? Quis, quæso, crediderit unquàm, Dei Filium novum et extraordinarium supplicii genus selegisse, aliud planè ab eo quo sontes perimebantur, cùm juxta psalmum in passione suâ ipse *cum iniquis deputatus* esse voluerit (Luc. 22, 37)?

Vana hæc sunt, fateor, Judæorum blateramenta; quidni enim Messias sibi novum et extraordinarium supplicii genus à Judæis comparare potuerit? Ut prophetarum fides constet, sat esset profectò, si paratum Jesu Christo supplicium crucis dixerimus à romanis judicibus; quanquàm ejus executio Judæis imputaretur, quippe qui mortis sententiam à Pilato etiam invito extorserint. Ita planè omnia constarent.

Nihil tamen nobis in hâc re Judæis concedendum, quanquàm possemus impunè. Quare illud edicimus, Jesum Christum eo mortis genere obiisse, quod antea Scripturæ oraculo prædictum fuerat: obtinuisse autem sustinemus apud Judæos, quemadmodùm et apud alias gentes, ut sontes vivi agerentur in crucem. Quando autem cætera in hanc rem nobis

deessent, unum sufficeret ps. 21. 17, oraculum : *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumaverunt omnia ossa mea;* hæc, inquam, apud æquas, et omnibus præjudiciis vacuas mentes sufficerent. Psalmus enim apertissimè de Messiâ loquitur, ipsis fatentibus Judæis, nec sanè sententiam recenter adjectam fuisse totius antiquitatis consensus qui integram recitat, quemadmodùm et legitur in nostris Bibliis græcis et latinis, demonstrat. Paucorum seculorum fraus est, quâ Judæi recentiores, uno alterove exemplari corrupto, atque alterâ pro alterâ litteræ substitutâ textum corruperunt, ut sit sensus : *Velut leo pedes meos, et manus meas, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Manet tamen prior legendi ratio in quibusdam vetustis hebraicis Bibliis (1), quorum sanè auctoritas veterum Judæorum consensu munita, tum sententiam nostram mirè confirmat, tum fraudes adversariorum confundit.

Neque oraculo minùs aperto Zacharias loquitur, cùm spectaturos Judæos prædicit in supremâ judicii die virum illum, quem clavis confixerunt (Zach. 12, 10. Vide et Joan. 19, 37. Apoc. 1, 7) : *Aspicient ad me, quem confixerunt.* Eò spectans David rogat (ps. 118, 130. Septuag. *catheloson*) : *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* Tandem Jesus Christus in Evangelio, et S. Paulus in Epistolis absolutam vitæ christianæ rationem exhibent sub ideâ crucifixionis, quasi scilicet rei apud eas gentes exploratissimæ. Quis, peto, Christi verba percepisset, suadentis : *Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus* (Matth. 10, 38) : tum : *Si quis vult venire post me, tollat crucem suam, et sequatur me* (Matth. 16, 22. Vide et Marc. 8, 3, 4. Luc. 9, 23, et 14, 27), si nullus erat crucis apud Judæos usus? An ænigmata loquebatur, Apostolis (Matth. 16, 21, et 20, 19 et 26) prænuntians, ire se Jerosolymam, ubi flagella sibi et crux imminerent? Quid Apostolus ad Judæos, monens : *Qui sunt Jesu Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (Galat. 5, 24), tum et malos Christianos suggillans : *Rursùm crucifigentes sibi metipsis Filium Dei* (Hebr. 6, 6); ac tandem de se professus : *Mihi mundus,* ait, *crucifixus est, et ego mundo?* Hæc sanè omnia per tropos usurpata verba rem apud Hebræos, quemadmodùm et apud alias gentes, notissimam planè demonstrant.

Usus crucifigendi apud Judæos. — Esse operæ pretium ducimus morem suspendendi in crucem homines, adhuc vivos, apud Judæos obtinuisse deductis ex eorum historiis argumentis ostendere. Cultores Phegor (Num. 25, 4), rex Hai (Josue 8, 29), posteri Saül Gabaonitis permissi (2 Reg. 21, 9), pueri, de quibus Jeremias, in crucem à Chaldæis sublati (Jerem. Lament. 5, 1, 5), omnes in cruce vitam absolverunt. Narrat Josephus, Alexandrum regem Judæorum 800 viros optimates perduellionis reos, in crucem sustulisse, ante cruces verò uxores, et filios eorum jussisse trucidari (Antiq. l. 13, cap. 22), quo supplicium miseris è cruce spectantibus augeretur.

Alio in loco, nempe in Commentariis in Genesim (Gen. 40, 13, 19) ex vulgatâ sententiâ, et textu Septuaginta ac Vulgatæ ostendimus, pistorem Pharaonis priùs capite truncatum, deinde in crucem sublatum avibus escam præbuisse : *Auferet caput tuum, ac suspendet te in cruce, et lacerabunt volucres carnem tuam.* Si tamen originalis textus sedulò excutiatur, simulque cum aliis textibus similia ferentibus comparetur, dubitatio suboritur in contrarium, nec peritissimi desunt interpretes (Jun. Pisc. Grot. in Gen. 40, 13, 19, et Gloss.), contendentes pistorem illum, spirantem adhuc, in crucem actum fuisse, in quâ tamdiù defunctum corpus mansisse, quamdiù ab avibus discerperetur. Hæc littera textûs : Joseph ad pincernam Pharaonis ait : *Tres adhuc dies sunt, post quos Pharao levabit caput tuum, et restituet te in gradum pristinum.* Ad pistorem autem conversus, somnium ita explicat : *Pharao levabit caput tuum super te, ac suspendet te in cruce, ubi lacerabunt volucres carnes tuas.* Utrique igitur prænuntiat futurum, ut rex *eorum caput levet;* sed huic pristinum honorem, alteri verò imminentem mortem denuntiat; quare phrasis illa, *levare caput,* non est porrò capite minuere, cùm et de pincernâ nullo planè supplicio perimendo usurpetur. Nec est cur satis esse discriminis suspicemur, quòd alteri dictum sit : *Levabit caput tuum;* huic verò : *Levabit caput super te;* si enim postremum hoc supplicium capitale designat, par erit alterius phrasis sensus, cùm voces illæ adjectæ, *super te,* merum exhibeant pleonasmum; quemadmodùm in sermone vernaculo si quis diceret :

(1) Rabbi Hayim testatur se in plurimis exemplaribus accuratis legisse כארו. In bibliothecâ Ienensi reperitur antiquum manuscriptum quod eamdem dat lectionem. Vid. Michaelis Gerardus et Calovius ad psalm. hebr. 22, 17. In textibus Arabico, Syriaco et Ethiopico legitur pariter : *Foderunt.* (Drach, loc. cit.)

Abscindet caput tuum super te, tantumdem planè significaret, ac *abscindet caput tuum.* Alius igitur phrasi sensus quærendus est.

Sæpè in Hebræo *tollere caput,* seu *tollere summam,* valet, *censum facere : Quando tuleris summam,* nempe censum facies, *filiorum Israel juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino* (Exod. 30, 12. Vide et Num. 1, 2, 49, et 4, 2, 22). Expendendum modò, an fortè Josephi verba ita explicanda sint ut cùm censum eorum qui in carcere detinentur, vel saltem præfectorum aulæ, Pharao instituerit, tunc et pincernam libertati, et pistorem debito supplicio tradiderit. Nihil hâc interpretatione pronius, quâ sanè omnis utriusque vaticinii repugnantia tollitur. Porrò præfectus carceris summa erat dignitas apud Ægyptios, Hebræos (3 Reg. 22, 27, et 2 Par. 18, 26), et Romanos. Putiphar herus Josephi hanc obtinebat sub Pharaone (Gen. 39, 21, et 40, 4). Jonathas scriba, vel Sopher sub Sedecià rege Juda (Jerem. 37, 14). Apud Romanos carceris præfectus, qui Commentariensis appellabatur, de reis sibi commissis respondebat, eorum numerum apud se habebat exactum, eosque singulis mensibus, cum ætate et crimine, de quo accusabantur, judici repræsentabat (1). Parem credimus obtinuisse apud Ægyptios consuetudinem : quare die natali suo celebri, Pharao, postulato reorum catalogo, tum et criminum accusatione inspectâ, tempore carceris supputato, eorum *caput tulit,* nempe censum instituit, quâ simul occasione pincernam libertati, pistorem supplicio tradidit.

Nostræ huic interpretationi lux affulget exemplo phrasis non absimilis ex libro Regum deductæ, Joachim rex Juda, in captivitatem à Nabuchodonosore deductus, et Babylonem translatus, durum subire carcerem coactus est. Sed vitâ functo Nabuchodonosore, Evilmerodach rerum potitus nihil antiquius habuit, quàm ut regem sibi amicissimum è carcere eductum apud optimates suos honoratissimo loco haberet. Textus ad litteram habet (Reg. 25, 27) : *Sublevavit Evilmerodach caput Joachim regis Juda, et de carcere eduxit,* i. e., è censu captivorum, qui in custodiâ præfecti carcerum detinebantur, educens libertati restituit. Pari usus est indulgentiâ Pharao erga pincernam ; pistorem verò à consortio quidem cæterorum vinctorum revocavit, sed ut supplicio perimeret; quare *levavit caput* ipsius, nempe è censu cæterorum subduxit, ut ad supplicium raperetur. Potest etiam originalis textus ita reddi, quasi scilicet Pharao virum à consortio viventium removerit. Ita miserum hunc hominem inter eos habere possumus, qui crucis supplicium viventes subierunt.

Plura etiam alia suppetunt exempla tùm in Scripturâ, cùm apud profanos auctores. Aman, ejusque filii in easdem cruces acti fuerunt, quas Mardochæo et Judæis paraverant (Esther 7, 9, 10). Artaxerxes præcepit eos omnes Chanaanitidis præfectos, qui operam suam in constructione templi Jerosolymitani negâssent, in crucem ex trabe ab eorum ædibus desumptâ, agi (Esdr. 6, 11). Judæi quamplures, referente Philone, in Flac., crucis supplicio Alexandriæ perempti leguntur. Alexander Magnus 2000 Tyrios eodem supplicii genere absumpsit (Diod. Sic. l. 18 et Q. Curt.), eodemque passim in reos animadversum apud Persas (vide Lips. de Crucel. 1, c. 11), Romanos, Ægyptios, et Africanos; Africani autem morem à Phœniciis, unde et genus, derivaverant, eumdemque in plectendis sontibus observabant præ cæteris gentibus frequentiùs. Scitum est enim solemne fuisse apud illos vel ipsos leones in crucem levare, quo eorum aspectu et miseratione leones coram adducti cicurarentur. Omnes autem per orbem gentes, quibus crucis supplicium familiare erat, nonnisi viventes suspendere noverant : quid igitur Hebræi soli inter omnes defunctorum tantùm corpora crucifixerint cùm maximè gens esset sævitiâ, ac effundendi sanguinis aviditate nulli secundâ ?

Nec tamen negare ausim commissum fuisse aliquando, ut necati antea sontes deinde in crucem tollerentur. Ita Chananæi reges à Josue debellati, ejus jussu interfecti, in patibulum deinde seu in palum sublati sunt (1). Sicarii Isboseth manibus pedibusque truncati in crucem, jubente Davide, juxta piscinam Hesebon acti sunt (2 Reg. 4, 12). Caput et manum Nicanoris viri impii, qui eamdem manum in templum Domini levaverat, levari jusserunt Machabæi (1 Mac. 7, 47) in palum è regione Jerusalem erectum. Antiochi Epiphanis satellites collo et uberibus matrum filios, circum-

(1) L. *de his,* ff. de Custod. reor.: « Nisi intra « trigesimum diem semper Commentariensis « ingesserit numerum personarum, varietatem « delictorum, clausorum ordinem, ætatemque « vinctorum, officium viginti aurum librarum « ærario nostro jubemus inferre. »

(1) *Josu.* 10, 26 : Percussitque Josue et interfecit eos atque suspendit super quinque stipites, fueruntque suspensi usque ad vesperum.

cisione ab ipsis mulieribus initiatos, suspendentes, præcipites deinde è mœnibus miseras egerunt (2 Mach. 1, 64, et 6, 10). Julius Cæsar, cùm in piratarum manus incidisset, impavidus victoribus insultans, jactabat quasi per ludum sese (Suet. in Jul. c. 74), libertati, si sors daretur, restitutum classe illos persecuturum, captosque acturum in crucem. Nec promissis defuit; pretio etenim ab eâ captivitate liberatus, comparatâ classe atque in piratas invectus, prælio victos capitali supplicio damnavit : quanquàm humanitatis ab ipsis præstitæ memor voluit, ut ignominiæ et cruciatui ejus supplicii parceretur : quare contra receptam apud Romanos consuetudinem, neci tradi priùs quàm in patibulo suspenderentur, imperavit. Tarquinius Priscus contrario planè consilio quos violentas manus sibimet intulisse compererat, eorum cadavera palo suspensa in escam bestiarum relinqui voluit (Plin. l. 36, c. 15), ratus ejus rei ignominiam ab infando scelere populum revocaturam. Ptolemæo rege Ægypti paria Cleomenes passus est (Plutarch. in Cleom.).

Rabbinorum narratione traditum est (Halac. Sanhedr. c. 15) post confectos lapidatione reos, frigida eorum cadavera manibus alligata in elato patibulo suspendi ad vesperam usque consuevisse; demùm deposita, inquiunt, ante solis occasum sepulturæ tradebantur, juxta præscriptum legis (Deut. 21, 23) : *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, et adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eodem die sepelietur. Quia maledictus à Deo est, qui pendet in ligno.* Ita planè servatum est in rege Hai, quinque regibus Chananæis (Josue 8, 29, et 10, 26, 27), ac tandem in Jesu Christo, geminisque latronibus, ante noctem ineuntem sepulturæ traditis (Joan. 19, 31).

Accidit interdùm, cùm maximè specialis quædam criminis ratio postularet, ut horrori ingerendo plurium dierum, quin et mensium spatio suspensa in patibulo cadavera relinquerentur, quod factum legimus à Gabaonitis cum filiis Saül in supplicium sublatis (2 Reg. 21, 8, 9); eòdemque spectâsse credimus Sapientem (Prov. 30, 17) in illo : *Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ.* Veteres etiam, si quando aliquem ad supplicium deposcebant, clamitare soliti erant : *Ad corvos.* Et Horatius l. 1, Epist. ad Curt.

Non hominem occidi. Non pasces in cruce corvos.

In hunc sensum Joseph ad pistorem Pharaonis locutum supra adduximus : *Suspendet te in cruce, et lacerabunt volucres carnes tuas.* Interdùm appositis militibus à furtivâ corporum rapinâ miseri illius hominis in patibulo suspensi, necessarii arcebantur (Herod. l. 2, c. 121). Nota est historia matronæ Ephesinæ (vide Petron. Satyr.), regi Lysimacho crucem minitanti Theodorus Cyrenus respondit, eo certè minarum genere terreri aulicos potuisse; sibi verò perinde esse humi ne an aeri expositus computresceret (Valer. Max. l. 6, cap. 2, extern. 3).

Nomen crucis sive vernaculo, sive latino sermone nonnisi peculiare supplicii genus designat; quod variam licet diversamque figuram obtineat, semper tamen in superiore suî parte, vel in mediâ, vel saltem parùm infra verticem, ab altero transverso ligno decussatur, quâ in re supplicium illud à cæteris aliis satis distinguitur. Sed græcum σταυρός non semper pro eodem usurpatur; non rarò enim stipitem, palum, terminum designat, sicut etiam hebræa vox (1), quæ cruci respondet, adhuc magis in incertum vagatur, cùm lignum, sive arborem tantùm exprimat. Quare crucem obtinuisse apud Hebræos, qualem nos solemus, nullo satis certo argumento demonstraretur; quanquàm nostræ crucis figuram, quemadmodùm et supplicium novisse illos vix dubitem. Si enim vetera quælibet monumenta in marmoribus et nummis sculpta consulantur, quid porrò illa nisi vulgarem crucem exhibent? Lucianus diem dicit litteræ T eo nomine, quòd figurâ suâ crucis ideam tyrannis suffecerit (Lucian. in Judicio vocal.); veteresque Patres passim Jesu Christi crucem litteræ T comparant. Nulla est igitur eâ de re ambigendi ratio.

Narrant Rabbini nunquàm apud illos commissum fuisse, ut sontes apud arborem virentem, radicibus adhuc et ramis instructam suspenderentur : quippe quòd solemne esset apud illos patibulum unà cum corpore defuncti sepulturæ tradere (vide Halac. Sanhedr. c. 15); quanquàm, inquiunt, id servabatur, ut patibulum non quidem cum corpore, sed in carcere, ubi olim reus detentus fuerat, sepeliretur. Sed hæc Rabbinorum esse commenta exemplo Jesu Christi, et duorum latronum discimus, quorum in eodem supplicii loco cruces sepultæ sunt. Si quæ autem ratio suppetebat, cur homines apud arbores virentes non suspenderentur, ea potissimùm fuisse credi-

(1) *Es*, lignum, arbor.

tur, quòd arbores illas, et fructus inde provenientes, pollutos crederent.

Interdùm funibus cruci alligabantur, interdùm clavis: Jesus Christus ac duo latrones clavis suffixi sunt; funibus verò alligatum ferunt S. Andream; quò scilicet supplicii cruciatus prorogaretur (1). De numero clavorum Jesu Christi quæstio est anceps; recepta magis, et probata opinio quatuor numerat. Solebat crux erigi antequàm patientes in eam elevarentur, quod maximè probant phrases ab auctoribus græcis et latinis usurpatæ huic supplicio designando (vide Lips. l. de Cruce, c. 7). Dicebant enim *elevare hominem in crucem, currere ad crucem, suspendere cruce, ascendere in crucem*. Galba candidam crucem cæteris eminentiorem erigi præcepit suspendendo homini, qui civitatis Romanæ privilegio munitum esse se clamitabat (Sueton. in Galb.). Bassus Judæum Eleazarum in obsidione Machæruntis captum, veluti si ad crucem statim damnatus esset, erectam ante se crucem aspicere coegit (Joseph. lib. 7 de Bell. cap. 25). Ita planè et cum Jesu Christo servatum, ut scilicet erectæ jam cruci suspenderetur. Nonnus (Nonn. de Chr. pac.), et S. Gregorius Nazianzenus (Nazianz. de Chr. Par.), quin et probata magis sententia tenent. Si quæ sunt exempla reorum palo sive cruci jacenti vinctorum, uti de SS. Pionio, et Metrodoro Smyrnæ (Acta S. Pionii) memoriæ proditum est, hoc cum iis quidem servari potuit, qui ad ignem parabantur, atque palis alligandi erant humilioribus cruce, quæ scilicet unà cum patientis corpore alligato erigi non potuisset, nisi summo discrimine ut corporis concussione et pondere fatiscere vincula, ipsumque adeò corpus à patibulo revulsum præceps ruere cogeretur.

Supplicium laquei. — Laquei supplicium priscis Hebræis planè cognitum, aliter sanè apud Rabbinos descriptum est (vide, si libet, Selden. de Sinedr. l. 2, c. 13), quàm nos eo nomine designemus. Sunt qui de illo dictum interpretentur, quoties in lege supplicium in reos decernitur, nullo tamen certo ejus genere indicato. Infligendi autem supplicii hanc tradunt rationem : patientis corpus usque ad genua in fimo demergebatur, ac deinde obvolutum collo lineum tamdiù in diversa trahebatur, donec fauces miseri præcluderet. Sed traditionis neque ex Scripturâ neque ex Josepho notæ suspecta nobis est fides. Legimus etiam post devictum ab Achabo rege Israel Benadad regem Syriæ, miserum illum regem in extremas angustias redactum ita quosdam affatos : *Ecce audivimus, quòd reges domûs Israel clementes sint ; ponamus itaque saccos in lumbis nostris, et funiculos in capitibus nostris, et egrediamur ad regem Israel: forsitan salvabit animas nostras* (3 Reg. 20, 30, 31). Quid, rogo, funes illi in capitibus, sive in collo, nisi indicia sive promeriti ab ipsis supplicii, sive in signum præstitæ victori servitutis et captivitatis? Achitophel, indignus proditor, ejusque exempla secutus Judas Iscarioth, se ipsos suspend ntes laqueo sibi vitam præcideruut (2 Reg. 17, 23. Matth. 27, 5. Act. 1, 18). Principes Israel *manu suspensos* fuisse apud Jeremiam legimus (Lament. 5, 12), sive quòd antea capite fuissent truncati, sive quòd illud supplicii genus excogitatum fuisset, quò diutiùs cruciarentur: quemadmodùm et cum martyribus christianis servatum interdùm novimus, ut scilicet manu suspensi, immanique pondere pedibus alligato in aere penduli torquerentur. Hæc nobis dicenda suppetunt de variâ ratione crucifigendi, vel suspendendi.

Cùm de homine damnando ageretur, summâ id cautione factum est, juxta Rabbinorum doctrinam ; namque post auditos testes et discussam causam, judicium in alterum mane differebatur. Interim judices in ædes quisque suas sese recipientes, parco victu potuque, et abstemii prorsùs reficiebantur. Secundùm hæc bini et bini seorsùm coeuntes, secundis curis rem totam in examen revocabant. Mane autem alterius diei judicium adhuc revocari, integrum erat, ita tamen ut qui reum in pervigilio crimine damnaverat, absolvere quidem posset ; qui verò de illo absolvendo egerat, mutare sententiam non posset. Si autem prior damnationis sententia confirmaretur, tunc capitali judicio pronuntiato, circa solis occasum reus ad supplicium trahebatur. Feralem pompam præcedebat adequitans præco, elatâ voce edicens: Vir iste tali, vel tali crimine reus damnatur ; si quis aliqua pro illo habet, accedat. Si fortè aliquis compareret, statim dato signo à præcone reus reducebatur. Gemini è prætorio judices miserum ad supplicium deductum semper comitabantur, ut si quid haberet ipse reus pro se, sedulò audirent dijudicarentque. Reducere autem reum quinquies permissum erat.

Hæc judaicæ pietatis descriptio in Misna

(1) Abdias l. 3 Hist. Apost.: « Proconsul « mandavit quæstionariis, ut ligatis manibus, « et pedibus non clavis affixus, suspenderetur, « quò diutino cruciatu deficeret. »

facta bellè quidem rem explicat, nisi veritate, et sinceritate careret. Ad libitum enim et de industriâ excogitatum commentum videtur, cujus ne vestigium quidem apparet sive in sacrâ Scripturâ, sive apud priscos Judæos. Contraria quinetiam omnia in Talmud leguntur. Ductus ad supplicium miser sacramento se à crimine purgat, testes accusationem retractant; judices nihilominùs in sententiâ permanentes clamitant: Pereant falsi testes; judex autem nunquàm semel latam sententiam retractat (vide Basnag. Hist. des Juifs t. 3, l. 5, c. 1, art. 17).

Æquissimi istì, si libet, judices, adeò à sanguine abhorrentes, ad furorem usque accusationes amant, ut quæstio sit anceps apud illos, an liceat litigantes inter se partes conciliare; quâ in re Rabbi Eliezer censet, id quidem sine crimine fieri non posse; qui verò, inquit, huic discordantium conciliatori bona apprecatur, hic blasphemiæ execrabilis reus est; judicium enim vel montes ipsos penetrare par est. Hæc mitissimorum judicum sunt placita.

Carcer. — Carcer apud Hebræos, quemadmodùm et apud cæteras gentes omnes, non semper in pœnam criminis, sed in custodiam eorum quibus criminis invidia creata esset adhibebatur. Joseph indagandi veritatem eorum, quæ de Jacob patre suo ac Benjamin fratre dicebantur, cupidus, cæteris quidem remissis fratribus, Simeonem in custodiâ retinuit (Gen. 43, 19). Vir blasphemus ad Moysen deductus, et alius violatæ sabbati religionis reus (Levit. 24, 12; Num. 15, 30), in carcere tamdiù detenti sunt, quamdiù de genere supplicii illis inferendi Dominus consuleretur. Ne Jeremias, et S. Joannes Baptista liberiùs ad populum loqui perseverarent, carceris cautione provisum est (Jerem. 32, 2, 8; Matth. 1, 43). Michæas propheta infaustum expeditionis in Rabbath exitum regi Achab prædicens, in carcere detentus vaticinii sui eventum opperiri jussus est (3 Reg. 22, 27, et 2 Paralip. 18, 26).

Non minùs etiam frequenter carcer loco pœnæ dabatur, nec mitis sanè, nec honestè, cùm potissimùm carceri gravius aliud jungeretur, Josephus per summam injuriam ab herâ accusatus, et carcerem et catenas sustinuit (1). Eadem passi sunt ambo illi præfecti in aulâ regis Ægypti (Gen. 40, 3). Samson sævius aliquid ab hostibus toleravit, cùm et luminibus orbatus, et carcere inclusus, molam torquere coactus est (Judic. 16, 21). Reges in bello capti plerumque vinculis onerati in foveam projiciebantur; paria Osee rex Israel à Salmanazare expertus est (4 Reg. 17, 4, 6); Joachaz rex Juda à Necao rege Ægypti (4 Reg. 23, 33), Manasses rex Juda à rege Babylonis (2 Paralip. 33, 11, 12). Quid Sedecias à Nabuchodonosore? oculis orbatus durum subire in vinculis carcerem per totam vitam coactus est; quo tamen vitâ functo, Joachin et libertatem et regnum ab Evilmerodachio recepit (4 Reg. 25, 27, 29, et Jerem. 52, 31, 33, et 52, 11, et 29, 7). David virtutem Abner à Joab proditione interfecti, celebraturus, in ejus funere canebat (2 Reg. 3, 33, 27): *Nequaquàm ut mori solent ignavi mortuus est Abner. Manus tuæ ligatæ non sunt, et pedes tui non sunt compedibus aggravati.* Tandem Artaxerxes in edicto pro restitutione templi Jerosolymitani lato, capitale supplicium sive carcerem minitatur iis, qui regiis sanctionibus temerario ausu contradicerent (1 Esdr. 7, 26).

Solebant plerumque crimine aliquo damnati vel captivi catenarum pondere premi, et in nervo (1) interdùm et manubiæ, et ferrea collaria addebantur. Accedebat arctus panis, et brevior aqua: *Sustentate eum,* ait Achab de Michæâ, *pane tribulationis, et aquâ angustiæ, donec revertar in pace* (3 Reg. 22, 27). Varia autem distingui possunt carcerum genera, alia custodiendis captivis destinata, alia plectendis reis arcta et obscura (Isa. 24, 22, et 42, 7). Jeremias tria carcerum loca, quæ ille ex alio in alium translatus obivit, non obscurè significat. Primò enim *in atrio carceris* detentus, in loco nempe publico, et amicorum visitationibus pervio (Jerem. 32, 2, 12), cujusmodi apud Romanos carcer, *libera custodia* appellatus est. Eo in loco detentus propheta instrumentum empti agri à patruo Hananeele coram multis testibus firmavit. Deinde in *custodiam carceris,* nempe in locum arctiorem translatus (Jerem. 27, 4, 14, 20), brevi tamen jubente Sedeciâ eductus, in atrium carceris restitutus est. Sed cùm etiam atque etiam excidium Jerosolymæ minitari non desisteret, graviùs id ferentes principes in cisternam ante atrium carceris positam demiserunt. Arentior quidem erat lo-

(1) *Gen.* 39, 20; et *Ps.* 104, 18: Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus.

(1) *Eccli.* 6, 25, et 21, 22; *Levit.* 26, 13; *Jerem.* 27, 2: Fac tibi vincula et catenas, et pones eas in collo tuo. Et 40, 4: Solvi te hodiè de catenis, quæ sunt in manibus tuis. *Act.* 12, 7: Ceciderunt catenæ de manibus ejus.

cus, quod ad aquas attinet, sed luto et graveolentiâ minimè (1) tolerandus.

Vincula detentorum in carcere. — Varia obtinuisse genera vinculorum, compedum et catenarum pro captivis sontibus, cæterisque in carcere detentis, res est exploratissima; sæpè jugo quodam collo imposito premebantur, constabat autem jugum geminis asseribus longis latisque, quibus per disposita foramina collum insertum constringebatur; numellam id genus machinæ appellabant Romani (2). Jussus est à Domino Jeremias vincula sibi et juga (Jerem. 27, 21, *Mosothuumothoth*) inducere, sicut et alia id generis mittere per legatos, ab ipsis principibus Jerosolymam missos, ad reges Edom, Moab, Ammon, Tyri et Sidonis. Voluit autem Deus eorum futuram captivitatem sub rege Nabuchodonosor facto ipso designare. Cùm verò Ananias pseudopropheta jugum illud ligneum collo Jeremiæ circumpositum confregisset, statim propheta Dei verbis prænuntiavit, pro jugo ligneo ferreum se impositurum cervicibus omnium gentium, quas Deus ipse Nabuchodonosori esset (3) subjecturus.

Ad hæc fortè vincula seu juga, cervicibus noxiorum imposita, spectâsse creditur propheta (4) : *Dominus dedit te ut sis dux super omnem virum arreptitium, et prophetantem, ut mittas eum in nervum, et in carcerem.* Vox in textu originali aliquid habet similitudinis cum eâ quæ Achitophelis suspendio sibi vitam præcidentis factum exprimit (2 Reg. 17, 23 : *Vajtechenak*). Sunt qui designari credant aliud supplicii genus, Orientalibus quondàm familiare, quo scilicet noxius *scaphis* quibusdam, vel arculis simul junctis ita totus constringebatur, ut simul per dispositos forulos caput, manus pedesque prodirent (Plutarch. in Artaxerxe; Zonar. tom. 1 Annal., Gallon. de Cruciat. Martyr. c. 1). Ita verò miser arctatus, mellis et lactis copiam sorbere cogebatur, tum et ejus facies ad solem conversa melle liniebatur, quo scilicet et muscarum examina in suî injuriam alliciens impeditis manibus immotus tædium sustinere cogeretur, et lacte ac melle pastus venter lassaretur, excrementisque corrupta caro vermibus ebulliret, quibus ab illâ usque penetrantibus universum tandem corpus depasceretur. Verùm nullus dubito, Jeremiam sive prophetam illum, cujus ipse verba refert, vincula potiùs quædam, quibus noxii in carcere premerentur, designâsse.

Præter juga collum eorum, qui detinebantur in carcere, torquentia, familiares erant etiam discruciandis pedibus compedes (Job 13, 27, et 33, 11; Proverb. 7, 22 : *Sad* (et) *heches*. Compedes autem machinas fuisse credo sæpè in historiis martyrum recurrentes (Euseb. l. 6, cap. 32 Histor., et l. 8, cap. 11, 12, 14; Niceph. l. 7, cap. 9), quibus divaricata crura, in forulis datâ majori, vel minori proportione distantibus inserta, distinebantur (Prudent. Hymn. 4) :

> Lignoque plantas inserit
> Divaricatis cruribus.

Utitur sæpè Scriptura hâc phrasi *dimittere in nervum* (2 Paralipomen. 17, 10; Isai. 20, 2, et 29, 27), pro in carcerem detrudere, sive compedibus stringere; et apud prophetam sermo est de manicis ferreis, quibus constringendos reges et principes gentium Dominus edicit (1). Hùc etiam spectare poterunt annuli illi, sive circuli pedes Manassis regis Juda stringentes, cùm Babylonem captivus transferretur (2 Paralip. 33, 11, *Bachochim*).

Tandem mentio occurrit manubriarum, sive vinculorum, quibus manus stringebantur. Hisce manubiis, sive catenis manus alligantibus Jeremias oppressus relevatus est agente Nabuzardano (Jerem. 40, 1, 4, *Nazikkim*). Deus daturum se pollicetur in potestatem Cyri Ægyptios et Æthiopes, qui devinctis catenâ manibus, ejus regis triumphum sequerentur. Ex ære plerumque conflatos annulos illos et catenas, quibus colla manusque vinctorum constringebantur, docet solemnis illa Scripturæ phrasis, *onerari ære* (*Nicheschthim*. Vide 2 Reg. 3, 34; Judic. 6, 21, et 4 Reg. 25, 7; et 2 Paralip. 33, et 26, 6, 11, et 52, 1, etc.), quæ tantumdem valet ac apud nostrates, tum et apud Latinos illud ferro onerari, manibus nempe pedibusque catenis vinciri.

Supplicium tympani. — Inter supplicia veteris Testamenti martyribus excruciandis inventa, auctor Epistolæ ad Hebræos tympanum recenset (Hebr. 11, 35). Quid autem eo nomine significetur, variant interpretes. Auctor Vulgatæ

(1) *Jerem.* 38, 6. Vide etiam Zacch. 9, 11.

(2) Nonnius : « Numella est machinæ ligneæ « genus ad noxios discruciandos olim parari « solitum, quo et collum et pedes ipsorum im- « mittebant antiqui. »

(3) *Jerem.* 28, 10. Vide etiam Levit. 26, 13; Ezech. 34, 27, Ps. 2, 3, ubi sermo est de jugis et vinculis captivorum.

(4) *Jerem.* 29, 26.

(1) *Psal.* 149, 8 : Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis.

græcum illud ἐτυμπανίσθησαν reddit *distenti sunt*, unde conjecturam derivârunt viri quidam non imperiti de equuleo locum interpretandi (D. Th., Cajet., Hammond. in Ep. ad Hebr. Hier. Mag. lib. de Equul. cap. 10, etc.). Porrò equuleus supplicii genus est tam apud Latinos olim notum, quàm hodiè eruditis incognitum. Græci, quibus in explicatione, vocum suarum plus aliquid quàm Latinis deferendum videtur, alio planè sensu vocem interpretati sunt. Alii enim capite plexos reddunt, alii deglubitos, alii fuste cæsos, alii tandem de quocumque necis genere dictum interpretantur (Camerar. Gastal. Grot. Gataker. etc.). Nec sanè negari potest, eo quandoque sensu vocem græcam usurpari; sed Apostolum singula suppliciorum genera recensentem, vocem supplicium in genere sonantem usurpare voluisse quis credat?

S. Joannes Chrysostomus (in eum locum), et post illum Theophylactus, OEcumenius, recentioresque nonnulli spectatum malunt ab Apostolo S. Joannem Baptistam, et Jacobum Apostolum, quos ambos capite plexos scimus. Addi potest Eusebii auctoritas reddentis, uti quidem credimus, verbum illud τυμπανίζεσθαι capite plectere, quemadmodùm in ejus Historiâ martyrum Lugdunensium legere est (Hist. Eccles. l. 5, cap. 1). In mandatis dederat imperator, eos quidem qui fidei nuntium remitterent, libertatem obtinere; quemadmodùm et jussionibus Cæsareis pervicaces τυμπανίζεσθαι. Quare judex si quos cives romanos fidei Jesu Christi inhærentes deprehenderet, illos damnabat capitali supplicio, cæteros verò bestiis tradebat. Sed ibi potiùs vocem illam usurpâsse Eusebium credimus ultimo supplicio utcumque, non certo aliquo supplicii generi designando: eorum enim quos τυμπανίζεσθαι imperator præceperat, alii quidem capitali supplicio, alii bestiis expositi perimebantur.

Manifestius aliquid in eam rem reperisse nobis videmur apud Casaubonum in notis ad Athenæum (Athen. l. 5 Dipmnosophist. et Ephorion. Chalcidien). Ephorion Chalcidiensis narrat, consuevisse interdùm Romanos quinque minarum præmium destinare iis, qui τυμπάνισμον se toleraturos offerrent; eâ scilicet conditione, ut illis eo supplicio sublatis, hæredibus cederet merces. Accidit non rarò, inquit idem auctor, ut inter se plures eâ de re contenderent, quisque pro se certantes, ut capitis sui dispendio præmium reportarent. Erat igitur tympanismi supplicium ipsissimum, quod apud nos capitale dicitur, quemadmodùm Eustathius post laudatum eumdem Athenæi locum animadvertit (vide et Favorini Lexic. et notas Gothofredi Jungermanii in libel. Magii de Equul.). An tamen illud ἀποτυμπανίσθεναι explicari potiùs debuerit de ultimo supplicio utcumque, quæ deinde generalis vox ex subsequentibus verbis ad capitale supplicium determinetur æquis lectoribus dijudicandum relinquimus.

Quòd verò Apostolus præ oculis habuerit supplicium S. Joannis Baptistæ, et S. Jacobi, quemadmodùm S. Joanni Chrysostomo aliisque interpretibus est visum, nobis quidem minùs probatur quàm sententia Theodoreti, et interpretum ferè omnium, Machabæos martyres spectatos ab Apostolo autumantium. Persuasum enim ex contextu sermonis habemus nonnisi ad SS. veteris Testamenti Apostolum allusisse.

Hesychius, Suidas, OEcumenius vocem de quâ agimus, reddere malunt, detractâ pelle occidere; quâ in re nullam habent interpretationis suæ conjecturam, nisi hanc tantummodò, quia scilicet de omnibus æquè suppliciis vox illa usurpata, potuit aliquando etiam peculiare hoc significare. Fatemur quidem, historiam illam Machabæorum, quam præ oculis habuisse Apostolus creditur, dùm hæc scriberet, de cute capitis uni ex adolescentibus detractâ jussu Antiochi exponi, quod sanè scriptoribus illis hanc mentem indit; sed quænam conjecturæ istæ? quàm futiles!

Firmior videtur sententia vocem illam referens ad virgarum seu bacillorum supplicium; τύμπανον enim unde verbum τυμπανίζειν, musicum est instrumentum extenso corio tectum, quod bacillis pulsatur. Aristophanis scholiastes supplicium tympani appellari tradit bacillos, quibus noxii judicis sententiâ cædeuntur (Scholiast. in Plut. Aristoph.).

S. Martyr Eleazarus, cujus potissimùm spectâsse supplicium Apostolus creditur, bacillis confectus est. Ita enim textus (2 Mac. 6, 19): *Confestim ad supplicium* (ad litteram *ad tympanum*) *trahebatur. Sed cùm plagis perimeretur, ingemuit et dixit: Domine, qui habes sanctam scientiam, manifestè tu scis, quia cùm à morte possem liberari, duros corporis sustineo labores*, nempe ictus virgarum, seu bacillorum. Ex collatione textûs apostolici cum superiori statim intelligimus, hanc historiam ab Apostolo spectatam fuisse. *Alii distenti sunt* (ad litteram *etympanisthesan*) *non suspicientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem*. Josephus,

qui Machabæorum historiam exornavit, virgis cæsum Eleazarum describit (de Mach. 6, 19); quanquàm illud etiam addit, nimirùm candentibus ferreis laminis adductum atque ignitis fœtidisque liquoribus per nares transmissis confectum. Sed de eo mortis genere nihil legimus in libris canonicis Machabæorum; neque ad Josephi scripta, recentiora illa sanè, spectare unquàm auctor Epistolæ ad Hebræos potuit.

Neque unus Eleazarus virgas ac flagella sustinuit, cùm parem etiam supplicii pœnam subiisse septem fratres Machabæos legamus (2 Mach. 7, 1): namque *flagris et taureis cruciati* martyrium obierunt. Quare nullus est ambigendi locus, Apostolum virgarum seu bacillorum supplicium tympani nomine designàsse. In hanc sententiam conveniunt peritissimi interpretes Erasmus, Drusius, Jacobus Capellius, Piscator, Beza, Estius, aliique nonnulli.

Hoc supplicii genus nostrâ etiam ætate obtinet apud Turcas (vide Joan. Montalban. Renat. Turric. P. Eug. Roger. Terræ Sanctæ lib. 2, capit. 17, pag. 326), qui noxios prono in terram corpore sternentes, pedes bacillo, quem *palkala* appellant, alligatos milites detinentes in altum sustinet. Tunc instructo baculo pedum plantæ cæduntur, sicut et humeri, ac dorsum plerumque ad centum ictus. Quibus mille infliguntur, ii sanè rarò vitam prorogant. Judex interim corollæ cujusdam turcicæ calculis ictus numerat, pro quibus singulis sibi à noxio solvi jubet monetam, quam nos *piastra* vocamus. Romanorum moribus in eo supplicio inferendo ita receptum erat, teste Suetonio in Tiberio, cap. 60: *Exploratorem viæ stratum humi penè ad necem verberavit.* Non satis à vero abludentes suspicaremur, tribunum illum romanum hoc supplicii genere animadvertere statuisse in Apostolum Paulum Jerosolymæ captum. Narrat enim S. Lucas Act. 12, 25, jussisse tribunum virum illum ad quæstionem virgarum vinculis alligatum extendi. Qui etiam mos, virgis scilicet vel bacillis in noxios animadvertendi, hodiè usque Persis est familiaris.

Flagrorum supplicium. — Flagrorum pœna non multùm sanè ab eâ, de quâ verba fecimus utcumque, abludit. Moyses præcepit Deut. 25, 2, ut si quis dignum aliquid eo supplicio commisisset, *judices prosternerent, et corum se facerent verberari. Pro mensurâ peccati* addit, *et plagarum modus, ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœdè laceratus, ante oculos tuos abeat frater tuus.* Quanquàm ante locus æquè referri potest ad virgarum et bacillorum supplicium, vulgò tamen de flagris interpretantur, quod sanè supplicium familiariùs obtinuisse tum et fuisse minùs omnium illiberale doctores Judæi testantur. Errores usque ad 160 numerant eo piamine purgandos (vide Selden. de Synedr. l. 2, c. 13; Schikard. de Jure reg. cap. 2, theore. 7; Grot. ad Deut. 25); quin ea omnia crimina, quibus nulla capitalis pœna in lege decernitur, si alioqui pœnâ aliquâ punienda sint, nonnisi flagellis deleri, nec iis 39 criminibus exceptis, in quæ Deus segregatione sive excommunicatione animadvertendum decernit. Ea etenim sententia doctoribus istis arrisit, ut cùm nullum certum supplicii genus pro hisce criminibus in lege statutum legatur, non sit sanè, cur gravius aliquid quàm flagella exposcant, juxta illud odiosa dùm fieri possit miseratione lenienda sunt.

Cur autem noxius judiciali sententiâ ad flagra damnaretur, statim à tortoribus exutus vestibus, imò etiam iis discissis, si fortè opus fuisset, usque ad ilia nudus patens dorsum taureis quadrifidis quem etiam morem Romani in eo supplicii genere inferendo secuti sunt (Act. 16, 22) præbebat (vide Maimon. Halac. Sanhed. cap. 17). Porrò flagra illa adeò erant producta, ut vel ad pectus pertingerent, quanquàm nec desunt qui affirment, sexies deorsùm, ter inde pectus cædi alternatim consuevisse. Alligabatur verò reus strictis vinculo brachiis ad columnam adeò sanè humilem, ut prono dorso flagra excipere à tortore in supposito lapide ad terga stante cogeretur. Aderant tres judices, quorum alter clamabat (Deut. 28, 58): *Nisi custodieris et feceris verba legis hujus, augebit Dominus plagas tuas et plagas seminis tui.* Secundus judex ictus numerabat, postremus ad officium tortores provocabat. Eo piamine placari Deus credebatur, si tamen noxius crimen suum fateri, atque pœnitudine tangi voluisset. Qui enim in crimine pervicaces mansissent, et post flagella ter repetita in maximis criminibus, quater verò in levioribus iterùm rediissent ad vomitum, in carcerem adeò arctum detrudebantur, ut humanam altitudinem non excederet, ubi nec cubandi locus esset. Addebantur jejunia breviori pane, et aquâ tolerata: cùm verò noxius confici jam videretur, hordei mensurâ vitam deinceps tolerare usque ad mortem cogebatur.

Sunt qui contendant (vide Aben Ezra Drusi

Selden. l. c.) nunquàm fuisse commissum, ut plus minùsve quàm triginta novem ictus infligerentur, qui ut legis præscripto servirctur, ad criminis et arbitrii judicum normam temperabantur; Schikardus tamen demonstrâsse sibi videtur (de Sacer. reg. c. 2; Ibcor. 7, ex Maimon.), in vulgaribus quidem criminibus numerum 39 ictuum aliquando expletum non fuisse, superatum verò nunquàm, spectato semper sontis robore, tum et criminis gravitate; cùm verò multiplicari crimina contigisset, sive in reum sæpiùs fuisset animadversum (eodem, vel alio eâdem pœnâ plectendo commisso crimine), tunc vulgarem numerum excedere vel saltem sæpiùs iterare liberum fuisse contendit.

S. Paulus de se tradit, quinquies variis datis occasionibus vulgarem istum ictuum numerum à Judæis subiisse (1). Disertè etiam ibidem distinguit duo illa supplicia, virgarum et flagrorum; bis enim subjectum se flagris, ter verò virgis prodit. Virgæ tenuiores erant, quàm bacilli (vide Gallon. de Cruciat. martyr. cap. 4) virgis synagogæ omnes per romanum imperium (utpote romanis familiaribus) utebantur; cùm interim flagra pro veteri more synagogæ per Judæam retinuissent (Basnag. Histoire des Juifs, liv. 5, chap. 17).

Virgarum plura sunt in Scripturâ genera; virga est ferrea apud Prophetam (Psalm. 2, 9): *Reges eos in virgâ ferreâ.* Israelitis rogantibus, ut imposito à patre tributorum jugo relevarentur, respondit Roboamus (3 Reg. 12, 11): *Pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* Hebræum *akrabim* sonat quidem scorpiones, positumque est pro flagris, cuspidibus, et spinis armatis instar scorpionis ferientibus. Vulgò Rabbini (Sarchi Kimchi Levi ben Gerson, Carpzovius, etc.), locum explicant de rubis, vel virgis spinosis, nodisque asperatis. Paraphrastes Chaldæus vertit *maragnin,* quod ipsissimum esse græcum *maragna* creditur; sonat autem taurea (vide Hesych. et Polluc. et Boch. de Anim. sacr. tom. 2, l. 4, c. 2 et 29). Genus autem istud supplicii plures martyres tolerâsse legimus; describitur autem à S. Isidoro (Etymol. l. 6, cap. ult.): *Si nodosa vel aculeata virga sit, scorpio rectissimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infligitur.*

Solebant rei ad flagra, seu virgas damnati in dorso cædi: *Virga in dorso ejus, qui indiget corde* (Prov. 10, 13, et 26, 3), ait Salomon, et Propheta de flagellis Messiæ locutus, ait psalm. 128, 3): *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Josephus supplicium narrans S. senis Eleazari refert, nudatum vestibus, atque in flagra paratum, ex utroque latere virgarum ictibus cæsum fuisse, clamantibus interim tortoribus, ut regis jussionibus morigerum se præberet. Hiscebat caro, patebant viscera. Non rarò utroque latere rei cædebantur: *De servo pessimo latus sanguinare* necesse est, ait auctor Eccli. 42, 6. Interdùm virgis cædebatur: *In virgâ percutient maxillam judicis Israel,* ait Michæas 4, 14. Hunc morem facilè spectavit Jeremias; quo enim in loco Vulgata legit: *Mittamus lignum in panem ejus* (Jerem. 11, 19), hebræus reddi potest: *Mittamus lignum in maxillam ejus.* Porrò illa prophetarum oracula tunc impleta scimus, cùm Jesu Christi caput militari licentiâ arundine, quam ipse in manibus tenebat, cædebatur: *Percutiebant caput ejus arundine* (Marc. 11, 19).

Cæterùm flagrorum apud Hebræos supplicium haud illiberale habitum fuisse docent Rabbini, ut ne probro quidem cuiquam verti, tanquàm ignominiosum posset. Nemo cujuscumque generis Israelita si quid animadversione dignum commisisset, à flagris eximebatur, non summus sacerdos, non rex, quos ad flagra damnare magno Sanhedrio tanquàm supremo omnium tribunali, fas erat. Ita quidem Rabbini, quibus docti quidam interpretes adstipulantur; illud etiam animadvertentes, flagri supplicium apud Orientales ingenuum præ cæteris haberi. Nec sanè apud Mahometanos nostrâ etiam ætate mos desiit, ut flagris non mancipia tantùm, sed liberi etiam homines subdantur. Tradunt insuper, in moribus positum fuisse olim apud reges Persarum, ut leviora quæque errata ab optimatibus regiæ mensæ assidentibus commissa flagris expiarentur; quod ab illis tanquàm peculiare aliquod à rege acceptum beneficium magnâ gratiarum significatione excipiebatur (Possidon. apud Athen. l. 4, cap. 13. Vide et Stobæum ser. 12, ex Nicolao). Summi quidam viri apud Græcos memorantur, qui post subjecta flagellis terga amplissima quæque patriæ suæ munera honoris gratiâ sibi demandata gesserunt. Lichas, filius Archesilai, flagra lictoris manu excepit in pœnam veteris disciplinæ in bello aliquantò immutatæ, quanquàm strenui eâ occasione ducis partes omnes explêsset. Secundùm hæc legationem egit apud Argos (Thucydid. l. 5). Addunt, reges, si fortè flagrorum disciplinæ

(1) 2 *Cor.* 21, 24: Quinquies quadragenas unâ minùs accepi.

sese submisissent, id quidem pœnitudinis spiritu voluisse, ipsos sibi virum selegisse, cui terga in flagra submitterent. Ita planè de Henrico II, rege Angliæ, memoriæ proditum legimus, flagra scilicet spontè subiisse, neci S. Thomæ Cantuariensis expiandæ.

Verùm neque Rabbinorum auctoritas, neque recitata hucusque exempla tanta sunt, ut supplicium illud liberale apud Judæos fuisse nobis persuadeant; nec facilè credimus committi unquàm potuisse, ut rex et summus sacerdos Sanhedrii sententiâ flagellarentur. Scitum est enim, reges Juda et Israel uni Deo subjectos se novisse, cui uni gestorum suorum rationem reddendam fatebantur; quare David post cædem Uriæ, et commissum cum Bersabeâ crimen, conversus ad Deum dicebat : *Tibi soli peccavi* (Psalm. 50, 5). Neque exempla suppetunt ulla exerciti à judicibus populi juris in reges, sive in summum sacerdotem; cùm alioquin sexcenta occurrant supremæ horum principum auctoritatis, tum et in summis criminibus impunitatis. Si reges Persarum olim summos aulæ præfectos flagrorum supplicio pares habuerunt, quid hæc ad reges Israel, et summum Domini sacerdotem sententiâ Sanhedrii damnandos? Porrò reges Persarum subjectis sibi populis æquè omnibus mancipii jure utebantur. Par usurpabant jus in suos reges Judæorum, quemadmodùm ex historiâ gentis intelligimus; quare vix est ut nobis persuadeamus, tantam fuisse judicibus inferioribus auctoritatem, ut reges illos tanquàm vulgares è populo cæderent. Credant hæc qui Rabbinorum sententiis et studio delectantur. Sed hæc omnia ad flagra tantùm illa referenda sunt, quæ legalibus quibusdam criminibus expiandis in synagogis imponebantur, non ad publicum à judicibus inflictum pro delictis supplicium.

Planè Jesus Christus imminentia sibi et discipulis suis mala prænuntians, aliam nobis de flagris ideam ingerit; illud enim ignominiâ, et dolore plenum supplicium nunquàm non exaggerat, ac de passione suâ locutus potissimo semper loco flagella commemorat (Matth. 20, 19; Marc. 10, 34; Luc. 18, 32). Nec S. Paulus supplicium illud omittit, cùm mala recenset pro Christo tolerata (2 Corinth. 11, 24); et Philo satis ejus ignominiam insinuat, cùm fœdissimè habitos à Flacco Judæos Alexandrinos describit (in Flacc. et de Spec. Leg.) : Flagris, inquit, cæsi sunt, quod supplicii genus ingenuo homini par morti reputatur. Cùm Antonius cæsum Antigonum regem Judæorum, palo dein alligatum capite detruncâsset, rem egisse impotenti homine dignam habitus est; quippe quòd supplicio hominem subdidisset, nunquàm in reges Romanis moribus usurpato (Dio, l. 49).

In superioribus jam observavimus doctores Judæos (vide Joseph. de Bell. Jud. l. 1, cap. 13) flagellis omnia ea crimina subjecisse, quæ exterminii pœnâ in lege damnantur : quâ in re quædam nobis animadvertenda sunt. Tria exterminii genera distinguenda; primum ex Rabbinorum doctrinâ ipsissimum est flagrorum supplicium. Judicum sententiâ latum in eos, qui crimina inferiùs recensenda commisissent; alterum pœna est occulta à Deo immissa in eos, quos criminibus alioqui exterminio dignis reos, judices tamen damnare non possent; tertium tandem ipsa est communicatio.

Poena exterminii. — Quæ exterminio plectenda subjiciebantur crimina, 36 recensita sunt; quorum 15 priora in Levitici cap. 18 (vide Seld. l. 2, c. 7, de Synedr. Vet. Hebr.), ubi et de coitu incesto sermo, enumerantur, cætera verò hic damus. Sunt igitur, 1° magos consulere (Levit. 20, 6). 2° Extra castra vel tabernaculum sacris operari (Levit. 17, 4). 3° Victimas in limine tabernaculi non sistere (Levit. 17, 9). 4° Oleum sanctum (Exod. 30, 33) vel saltem thymiama (Exod. 30, 33) profanis usibus parare. 5° Oleum chrismatis effundere. 6° Diem sabbati feriatam ab operibus non agere (Exod. 31, 14). 7° Pollutum à sacris commedendis non abstinere (Levit. 7, 20). 8° In templum ingredi pollutos (Num. 19, 13). 9° Adipem degustare (Levit. 7, 25). 10° Sicut et sanguinem (ibid. 27, et 17, 10). 11° Triduo ab oblato sacrificio ejus reliquias in cibum assumere (Levit. 19, 6). 12° Victimarum carnem extra locum sacrificii degustare (Levit. 1, 18). 13° Fermentato pane festo Paschatis perseverante uti (Exod. 12, 15). 14° Jejunium expiationis solemnis negligere (Levit. 22, 29); 15° Eamdemque diem feriatam non agere (Levit. 23, 30.) 16° Festum Paschatis non observare (Num. 19, 13). 17° Circumcisione non initiari (Gen. 17, 14). 18° Blasphemia (Num. 15, 30, 31). 19° Idololatria (ibid.). 20° Filios offerre Moloc (Levit. 18, 21). In hæc omnia exterminii supplicium decretum est.

Quæ jam sedit nonnullis interpretibus, sententiam de cæcâ et districtâ animadversione Dei in sontes exterminio damnatos, alibi in examen revocavimus, videlicet in Exod. 22,

15. Agendum est modò de supplicio judicum sententiâ decreto in eos, qui eorumdem criminum rei accusabantur. Ne quid autem Rabbinorum sententias moremur, illud sanè constituendum arbitramur, gravitate criminum eo supplicio plectendorum, tum et pronâ ac litterali textûs interpretatione inspectâ, nihilò cum illis mitius actum fuisse, quàm ut capitali aliquo supplicio exterminarentur.

Namque sabbati violationem, blasphemiam, oblationem filiorum in sacrificium Moloc, etc., crimina fuisse capitalia lato in lege edicto dubitaverit nemo. Hæc autem exterminio simul in lege damnari compertum est, quod argumento est apertissimo, exterminii pœnam cum supplicio capitali omninò confundi. Anne facilè nobis persuaserimus, adulterii commissi, coitûs cum feminâ menstruatâ, consultorum magorum crimine reos, quemadmodùm et filium in patrem immorigerum capite damnari; eos ad flagra verò tantùm, *qui per superbiam aliquid commiserint*; *quoniam adversùs Dominum rebelles fuerint, verbum Domini contempserint, et præceptum Domini irritum fecerint* (Num. 15, 31)? Constat enim nullam in eos aliam quàm exterminii pœnam in lege præscribi : *Idcircò delebitur, et portabit iniquitatem suam.* Tantusne verborum strepitus, tantus minarum terror damnando ad flagra homini, nempe ad supplicium mitissimum, atque omnium honestissimum totius impenditur? Cùm sanè Scriptura sive excidium Chananæorum describit (Deut. 12, 29), sive familiæ Jeroboami, in pœnam inducti in Israelem criminis (3 Reg. 14, 10), dispersionem, sive deletam memoriam impiorum, ut nuspiàm, quâ latè patet terrarum orbis, vestigium superesset (Psalm. 33, 17, et 36, 9, 28, etc.); sive divinam in gentes impias ultionem, quam Altisssimus juramento decreverat (Ezech. 25, 7; Jerem. 48, 2); sive tandem divortium, quo Deus populum pervicacem, beneficiorum parùm memorem et infidelem, à suo demùm consortio præcidit (Isai. 50; 1 Jer. 3, 8): dùm, inquam, hæc omnia Scriptura prosequitur, iisdem semper phrasibus, quibus in damnando ad excidium hominem, utitur. Divortium, exitium, abolitio, eversio, mors, æquè omnia hisce Scripturæ phrasibus exprimuntur : *Exterminabitur de medio Israel.*

De excommunicatione et censuris. — Facilis ego quidem concesserim, non omnia æquè exterminii pœnâ interdicta crimina capitali supplicio damnata fuisse. Quidquid autem reclament Rabbini, obtinuisse tamen apud veteres Hebræos excommunicationis pœnam ne ambigimus quidem. Esdras è cœtu populi prohibuit eos, qui ductas alienigenas feminas remittere pervicaciter recusârunt (1 Esdr. 10, 8), scriptor quidam Caraita apud Seldenum (de Synedr.) tradit, ejus pœnæ infligendæ morem exinde obtinuisse, cùm jure animadvertendi in reos Hebræi sub infidelium regno mulctati sunt. Basnagius in eâ est sententiâ, Sanhedrium à Machabæis constitutum, jus sibi in cognoscendis causis ecclesiasticis, reisque puniendis vindicâsse. Tunc enim mixtos cum paganis Judæos ne pravâ contagione vitiari unquàm contingeret eâ quâ valebant auctoritate frequentiùs sibi utendum Sanhedrini Patres censuerunt. Erat igitur aliquis excommunicationis usus etiam ante Machabæorum ætatem. Quæ si vera sint, non inaniter suspicamur aliquam planè obtinuisse infligendi anathematis disciplinam apud veteres Hebræos; cùm enim iisdem ac Esdras legibus uterentur, eodem etiam legis remedio frequentibus legum transgressionibus mederi illos par erat. Eadem obtinere semper lex creditur, si nulla obtendi possit contra illam prævalens consuetudo.

Obtinuisse etiam excommunicationem Jesu Christi ætate ex eo potissimùm deducimus, quòd ipse Jesus pellendos à Synagogâ Apostolos, flagrisque damnandos prædicit (Matth. 10, 17; Joan. 9, 22, et 16, 11; Luc. 6, 22). Essenii, ait Josephus, si quem in crimine deprehenderint, statim à cœtu segregant; expulsum autem infelici letho interiisse contigit (de Bell. l. 2, c. 12). Cùm enim votorum, et sacramentorum religione à capiendo ab exteris cibo deterreantur, nec quidquam cùm suis retinere commercii possint, herbis victitare belluino more coguntur, quoadusque corrupto corpore, fluentibusque membris dissolvantur. Accidit verò quandoque, ut Essenii rei miseratione commoti, in cœtum iterùm ejectos recipiant; rati satis esse supplicii, si ad id malorum redactos se noxii reminiscantur.

Sed Rabbinorum de excommunicatione sententia altera planè est ab eâ, quæ de Esseniis fertur. Si enim doctores illos audiamus, excommunicati obtento priùs jure omni mulctantur, eò scilicet quò tanquàm ejusdem cœtûs, et communionis membra fruebantur (vide Selden. lib. 1, c. 7, de Synedr.). Pœna est autem sive in sacris, sive in communibus, sive in utrisque versans, jure humano imposita, sive puniendo vero, sive tantùm in spe-

ciem crimine, spe semper relictâ, ut in pristinum excommunicatus restituatur.

Duplex erat hujus pœnæ genus apud Hebræos : alteram majorem, alteram minorem excommunicationem appellabant. Prima à cœtu hominum Ecclesiam constituentium segregabat : altera à parte tantùm ejusdem cœtûs, ab eâ scilicet, quæ Synagogam constituebat, ut propiùs illi assidere, quàm per quatuor cubitos, cæteris omnibus, exceptis uxore et filiis, nefas haberetur. Nefas etiam excommunicatum in decem viros rebus agendis destinatos, seligere ; membrum enim habebatur inutile, quocum nihil poterat haberi commune, non cibus, non potus.

Excommunicationis causæ 24 assignantur. 1. De viro docto, vel magistro post ejus obitum minùs honorificè loqui. — 2. Justitiæ publicum administrum indignis verbis habere. — 3. Ingenuum hominem mancipium appellare. — 4. In jure dicendo erratum aliquod committere. — 5. Temnere præceptum doctrinæ Scribarum, sive legis. — 6. Judicum sententiæ non acquiescere. — 7. Tenere apud se noxium aliquod, veluti rabidum aliquem canem. — 8. Agrum pagano vendere non repensato damno, quod alteri ex eâ re provenisset. — 9. In Israelitam coram gentili testimonium dicere, quo scilicet Israelita cogatur ad mulctam præter Israelis consuetudinem solvendam. — 10. Sacerdos immolans, non segregatâ priùs debitâ cæteris sacerdotibus portione. — 11. Festam diem inferioris ordinis in captivitate violare, obtinente etiam violandi consuetudine. — 12. Si quis paschales ferias post meridiem præcedentis diei non iniverit. — 13. Dei nomen elatâ voce, sive hyperbolicè, sive incautè, sive jurejurando pronuntiare. — 14. Occasionem profanandi divini nominis populo præbere.—15. Sanctas dapes extra locum sanctum ut comedat, populo auctorem esse.— 16. Servare et supputare menses annosque extra terram sanctam, aliter ac in illâ olim soleret.— 17. Lapidem offendiculi cæco opponere. — 18. Populum ab observatione alicujus præcepti deterrere.— 19. Sacrificia offerre post permissam oblationem animalis à bestiâ capti, vel dilaniati. — 20. Sacrificia mactare ante captum experimentum gladii sui coram viro perito. — 21. Rebus necessariis addiscendis non omnem mentis intentionem contulisse. — 22. Cum feminâ repudiatâ coire, et ansam præbere scissi ante conjugii judiciali sententiâ redintegrandi. — 23. Sapiens, in quem invidia fuerit creata. — 24. Excommunicationis sententiâ aliquem immeritò inussisse.

Excommunicationem præcedit censura (Basnag. Hist. des Juifs. l. 5, chap. 18) quâ secretò primum noxius corripitur ; si pervicaciùs in crimine hæserit, continuò *domus judicii*, nempe cœtus judicum altè intonat, ut tandem resipiscat. Tum per quatuor sabbata censura in publicum edicitur, nomine et crimine rei proclamato, quo scilicet ad saniora consilia publicæ ignominiæ horrore revocetur. Tandem immorigeri, et refractarii excommunicatione plectuntur. Morem hunc spectâsse Jesum Christum, cùm post monitum privatim et seorsùm fratrem, corripi jubet coram testibus, ac deinde ad Ecclesiam rem totam referre; si tandem frustra hæc omnia fieri contingunt, tunc, ait Jesus, habeatur *tanquàm ethnicus, et publicanus*.

Excommunicationis sententia hâc vel simili formulâ pronuntiabatur : Iste sit in separatione, sive in *excommunicatione*, vel sit separatus. Ferebatur autem sive in vigiliâ, sive in somno ; nec à judicibus tantùm, sive à cœtu, quin etiam, à singulis, privatisque personis, dummodò quædam suppeteret ex causis supra deductis, reusque prævîâ admonitione ad mentem non fuerit revocatus. Cæterùm domui judicii, sive consessui justitiæ solemnis excommunicationis sententia reservari solebat.

Privatus privatum aliquem excommunicabat, quin etiam, quod mirari subit, ipse in se eamdem proferre poterat sententiam. Ita in Actis (Act. 23, 12) ; et apud Esdram (Esdr. 10, 29) legimus, viros quosdam excommunicationis se religione obligâsse, alii ut legem Dei servarent, alii verò ut Paulum quâcumque demùm ratione sive vivum sive mortuum apprehenderent. Nec bruta ipsa ab excommunicatione exempta : cùm vel in ipsos canes valere illam præclari Hebræorum doctores singulari doctrinâ edocerent.

Excommunicatio somno correptum hominem afficiens, tunc potissimùm contrahebatur, cùm homo per quietem, sive judicem, sive privatum aliquem juridicam in se excommunicationis sententiam proferre videre sibi videbatur. Tunc enim somnium ita habebant, quasi si veri rem habuisset; potuit enim, dicebant, Deus, sive aliquis ex Dei administris, eo jubente, veram excommunicationis pronuntiâsse sententiam ; quare iisdem se pœnis subjectos credebant, quas excommunicatione invigilantes latâ subiissent. Ita si minor lata fuisset excommunicatio, nec intra mensem solveretur, ad alterius

mensis spatium continuò prorogabatur; quo exacto, si solvi se à vinculo negligerent, altera continuò succedebat major excommunicatio interdicto penitùs cum cæteris omnibus commercio. Tunc addiscendæ scientiæ, sive docendæ incumbere, conductori aliquid locare, vel conductum jam in conductione relinquere nefas; tandem ad eas angustias adducebatur, in quas olim apud veteres Romanos illi, quibus ignis, et aqua interdicta erant. Cibum à certis tantùm hominibus, paucis illis et raris, capere concessum, quia et ii, quibus commercium aliquod cum excommunicato esset, iisdem et illi pœnis, vel eâdem excommunicatione juxta sententiam judicum obvolvebantur. Interdùm in eo excommunicationis genere, quod *Cherem* appellabant, de quo infra, bona omnia noxii fisco addicta, in usus sacros convertebantur. Si fato occumbere interim excommunicatum contigisset, funera illius lugere nefas, locusque sepulturæ sive insigni aliquo lapide, sive lapidum acervo, pro judicum arbitrio, notabatur.

Sunt qui tria excommunicationis genera tribus istis nominibus designata distinguant (vide Bartolocc. Bibl. Rabb. 1, 3, pag. 414 : *Nidui, Cherem, Schammata*. Primum minoris excommunicationis nomen erat, alterum majoris, tertium maximæ, quam et mortis pœna, et absolutionis omnis aditus præclusus, uti quidem ferunt, consequebatur. Excommunicatio *Nidui* 30 dierum spatio finitur; *Cherem* aggravat priorem; homine à Synagogâ, et omni civili consortio interdicto. Tandem *Schammata* 400 buccinarum clangore promulgatur, spemque omnem regressûs in Synagogam præcludit.

Seldeni tamen sententia tria ista nomina unam eamdemque pœnam non rarò significant, neque si vera fateri voluerimus, ultra duo excommunicationum genera apud Hebræos obtinuisse compertum est; quanquàm enim voces segregationis, excommunicationis et anathematis in libris legis occurrunt, non ita tamen de singulis constituendum est, quasi scilicet peculiarem judicii rationem singula inferant, sive ante legem, sive post legem juxta Moysis præscriptum servatam.

Totum excommunicationis ritum, et jus deducunt Rabbini ex maledicto, quod Debora, et Barac in Meroz (virum fuisse credunt, Israelitis opem ferre recusantem) (vide Judic. 5, 23) pronuntiârunt. *Maledicite Meroz, dixit angelus Domini, maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini in adjutorium fortissimorum ejus.* Nihil hîc, si Hebræos audiamus (Gemar. Babyl. ad tit. Moed Katon cap. 3), omissum, quod ad excommunicationem pertineat. 1° Maledicta in excommunicatos. 2° Assidentes propiùs quàm per quatuor cubitorum spatium maledictis devoventur. 3° Crimen in publicum edicitur, illud nempe, quòd Meroz in auxilium Domini non venisset. 4° Buccinarum clangore sententia edicitur, quasi scilicet Barac maledictum pronuntians 400 buccinis insonuisset.

Fateri tamen oportet, excommunicationem, qualem descripsimus, multò posteriorem esse Barac ætate, ut ejus epocha vix longiùs protrahenda quàm tempus captivitatis videatur. Altum est enim de illâ silentium sub priori templo, et ante Samaritanos, nonnisi post translatas decem tribus in Judæam traductos. Prima ejus vestigia sub Esdrâ tantùm et Nehemiâ (vide 1 Esdr. 10, 8, et 3 Esdr. 2, 9, et Antiq. l. 11, cap. 5, et 2 Esdr. 10, 29, et 13, 25, 28) apparent.

Quod ad excommunicationis absolutionem spectat, quicumque sententiam in alium pronuntiaverant, illis integrum erat resipiscentem et non obscura pœnitudinis suæ argumenta exhibentem absolvere. Eodem sæpè tempore anathema infligebatur, inflictumque simul remittebatur. Si fortè præsentem quis damnâsset, præsentem etiam restituere jubebatur. Quicumque privati sententiam subierat, dummodò non propter traductum discipulum viri sapientis, ipse ad arbitrium, tribus viris selectis, sive uno ex judicibus publicis adhibito, absolutionem sibi poterat expostulare. Suâ ipse sententiâ damnatus expedire se non poterat, nisi si fortè sapientem aliquem haberet præceptorem, vel scientiâ aliquâ ipse emineret, sed decem selectos è medio populi viros adire tenebatur. Excommunicatus per quietem, eâ quam supra attigimus ratione, non planâ quidem absolutionis formulâ expediebatur. Decem enim quærendi illi erant viri in legis et Talmudis scientiâ doctissimi, qui si fortè in loco deessent, intra ambitum quatuor milliarium indagandi erant; eorumque defectum, si nuspiàm extarent, supplebant totidem viri Pentateuchum saltem legere docti; sin minùs decem viri ejus doctrinæ occurrerent, quicumque tandem essent, decem alii, vel ad minùs in summâ penuriâ tres adsciscendi.

Qui injuriæ alteri illatæ pœnâ excommunicationem subiisset, ille neque absolutionis be-

neficium à læso impetrare, neque ab ullo quocumque cœtu, ipso læso non assentiente, quamdiù idem in vivis erat, potestatem habebat. Eo defuncto, integrum erat excommunicato sive à tribus selectis viris, sive à principe Sanhedrii absolutionem postulare; quemadmodùm et eidem principi Sanhedrii jus datum in virum ab ignoto aliquo excommunicatione inustum.

Plura sunt in absolutione servanda, levia prorsùs et futilia quæ molestè satis referrentur; sed et majora nos retulisse pœnitet, quàm quæ æquus lector patiatur : commenta sunt enim, non disciplinæ usu olim receptæ historia.

Festa celebrare excommunicato integrum erat, quemadmodùm jus illi sive ingrediendi in templum sive in cæteras Religionis cæremonias, ut neque à conviviis in templo occasione solemnis alicujus festi celebratis, excluderetur. Additur tamen in Talmud, excommunicatos à sinistro latere in templum ingredi, à dextro egredi consuevisse, cùm cæteri contraria omnia servarent.

Tota Rabbinorum jurisprudentia, quanta quanta est, nihilò apud nos majorem fidem obtinet, quàm illa merentur, quæ retulimus. Nihil non in eâ incertum, nihil vetustati et pristinis Hebræorum moribus satis consonum. Cavillosa plura et levia, raris quibusdam veris historiis admixta, quibus accedunt nova aliqua, post Sanhedrium constitutum, invecta.

Supplicium gladii. — De hoc supplicii genere, utpote frequentissimo, nihil est cur in præsentiarum dicamus. Caput ense, sive securi præcidebatur, securis quàm gladius apud Romanos (vide Gallon. de Cruc. martyr. cap. ult.) nobilior. Apud Hebræos tamen nullum servatum discrimen novimus. Insigne hujus supplicii exemplum præbent 70 filii Gedeonis jussu Abimelechi super eumdem lapidem obtruncati (Jud. 9, 11) et totidem filii Achab, quorum præcisa Samariæ capita canistris imposita ad Jehu transmissa sunt (4 Reg. 10, 7).

Supplicium ignis. — Ante latam Hebræis legem ignis supplicium apud eas gentes obtinuisse ex eo deducimus, quòd Judas nurum suam prægnantem intelligens, voluit tanquàm in adulterio deprehensam igne damnare. Quid autem in eo inferendo supplicio potissimùm servaretur, ignotum : Rabbini ita rem tradunt. In fimo ad genua usque sepultus noxius, circumvolutâ lineâ aliquâ longiori fasciâ adeò jugulum stringebatur, ut per diducti oris canale liquatum plumbum ad viscera transmissum ignem lethumque inferret. Sed in ipsis libris suis historiam Rabbini narrant, quâ ipsi per se mendacii convincuntur. Eleazarus refert de filiâ quâdam sacerdotis, quæ in pœnam commissi incesti igne damnata, congestis circùm arborum ramis miserè combusta est, juxta legis sanctionem (Levit. 21, 9). Verùm quid opus est Rabbinos consuluisse, cùm aperta suppetant Scripturæ exempla, tum et certæ ex eâ deductæ conjecturæ, quibus ignis supplicium idem fuisse apud Hebræos, quod apud gentes alias demonstretur.

Judæi idololatræ filios suos in sacrificium Moloch offerentes, intra brachia numinis torrendos tradebant, vel saltem in ulnis numinis miseras illas victimas reponentes, inde verò in subjectum ignem decidere permittebant. Daniel ejusque socii in succensam fornacem jussu Nabuchodonosoris injecti sunt (Daniel. 3, 6); et Abraham ex eodem supplicio prodigiosè liberatum narrant (Gen. 11, 31, et 2 Esdr. 9, 7). Quicumque cum matre, vel filiâ incestas nuptias contraxerit, illa unà cum conjuge ignis supplicio Mosaicâ lege damnatur (Levit. 20, 14) : quod sanè ideam ingerit ignis, non quidem interiora depascentis, sed ultricibus flammis criminosos adurentis. Septem fratres Machabæi post flagra, post linguæ abscissionem, post capitis pellem detractam, tum et abscissis manuum pedumque extremitatibus, tandem in ollis, et sartaginibus succensis martyrium consummârunt (2 Machab. 7, 3, etc.). Fusiùs singula illorum tormenta Josephus describens (de Machab. c. 9) narrat, priori quidem ex fratribus post flagella rotam quamdam paratam, cui à carnificibus impositum, miserè toto corpore confractum fuisse. Sextum non absimile supplicium exercuit, à quo deinde depositus, ignis tormentum toleravit, candentibus laminis dorso applicatis, quibus viam sibi ad intestina adurenda aperientibus, vitæ tandem compages resolutæ sunt. Nec tamen tyranni furor deferbuit, cùm et post obitum in ollam succensam injiceretur. Septimus ultrò se in ardentem sartaginem conjiciens interiit.

Hæc Scriptura, et Josephus de suppliciis strenuissimorum martyrum; ex quo discruciandi miseros ignis supplicio plures artes intelligimus. Quanquàm cùm omnis illius tragœdiæ unicus esset auctor Antiochus Epiphanes,

ejusque satellites, non est sanè cur invictum ex eâ argumentum pro Hebræorum moribus deducatur. Non ita tamen facilè nobis persuaderemus, Judæos in rebus in medio positis, à cæteris aliarum gentium usibus recessisse, ut sub iisdem vocibus, puniendi nempe noxios ignis supplicio, aliud apud illos intelligeretur, quàm cæteræ per orbem nationes designarent. Consuevisse Chaldæos criminosos quosdam in succensâ sartagine torrere Jeremias insinuat cap. 29, v. 22 : *Ponat te Dominus sicut Sedeciam, et sicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne, eò quòd mœchati sunt in uxores amicorum suorum.*

Neque viva tantùm hominum corpora cremabantur, sed cadavera etiam interdùm, quod factum cum sexto fratre Machabæorum in ollam succensam post obitum injectum supra legimus. Sunt qui in pyrâ crematum Achan post lapidationem (Josue 7, 25) tradiderint. Ossa pseudoprophetarum à Josiâ super aram sacrilegam combusta sunt (4 Reg. 23, 2, et 2 Par. 34, 8). Auctor Ecclesiastici hæc habet c. 7, v. 22 : *Vindicta carnis impii ignis, et vermis,* quibus verbis præ oculis habere potuit noxiorum è supplicio deposita cadavera, quæ sub dio relicta vermium erant vel ignis pabulum. Tradunt enim perpetuum servari ignem consuevisse in valle *Hinnon* ad Jerusalem, quo cadavera, ne fortè contagione aerem corrumperent, absumerentur. Ad hunc Ecclesiastici locum spectans Jesus Christus, Infernum sub *gehennæ* nomine signans, testatur, nec vermem impiorum interiturum unquàm, nec ignem extinguendum (Marc. 9, 43, 45, 47). Nulla erat miserabilior atque fœdior pœna apud Judæos, quàm ut corpora inhumata omnibus cœli terræque injuriis exposita relinquerentur. Quemadmodùm enim nihil erat domesticorum fidei magis commendatum, quàm ut mortuorum corpora funere, et sepulturâ curarent, ita fœdius nihil habebatur, quàm ut projecta sub dio cadavera avibus, et bestiis in ludibrium traderentur. Quare inter cætera quibus Deus animadversum se in populum pervicacem minitatur, miserrimum hoc addit, relicturum scilicet eorum cadavera omnibus cœli vicissitudinibus exposita (Deuteron. 32, 24). Josephus perhibet, honore sepulturæ eos tantùm privari, qui sibi manus violentas intulissent (de Bell. l. 3, c. 14). Quin et illa totâ die bestiarum injuriis exposita, noctu verò sepulturæ mandabantur. Jeremias eò malorum deventurum regem Joakim filium Josiæ prædicit (Jerem. 22, 19), ut defunctum ejus corpus *sepulturâ asini* sepeliretur, i. e., projiceretur in agrum tanquàm morticinum aliquod. Animadversione tamen dignum est, Moysis lege pœnam illam nunquàm decerni, ut sepulturæ honore neque privari illos jubeat, qui crucis supplicio sublati sunt; eos enim ultra diem in supplicio vetat relinqui, nisi peculiaris alioqui ratio aliter cum aliquo agendum suadeat. Quin nec ullâ in lege excipitur causa; quare hujus legis exceptio ab aliis potiùs adjecta, quàm à Moyse assignata censenda est.

Lapidatio. — Hebræorum doctores, ingenio semper suo indulgentes, fabellis venditandis in hoc argumenti genere sicut in alio quocumque incumbunt (vide Selden. de Synedr.). Lapidibus enim hominem premere, tantumdem apud illos, ac apud cæteras gentes omnes non sonat. Damnatus igitur ad lapides (ita rem tradunt Judæi) in saxi cujusdam, altitudine duorum hominum eminentis, crepidine statuebatur, unde à duobus testibus præceps agebatur in saxa. Si post lapsum adhuc superstes spiraret, lapidibus à reliquo populo conficiebatur. Porrò hoc supplicii genere 18 crimina plectebantur, quæ scilicet in lege capitali supplicio subjecta sunt, nihil tamen de genere mortis adjecto. Infame erat, si quod aliud unquàm apud eas gentes, quo vel bovem plecti homicidio reum Moyses in lege præcipit (Exod. 21, 29, 32). Eodem etiam Moyse referente, lapidatione confectus est vir blasphemus (Levit. 24, 14), sicut et alter, qui ligna die sabbati colligebat (Num. 15, 32, 25). Naboth vir justus parem supplicii pœnam Jezabele mandante toleravit (3 Reg. 21, 15); parem ad urnam tributorum præpositus sub Salomone (2 Paralip. 10, 18).

Ex hisce omnibus exemplis frustra argumenta quæreremus Rabbinorum fidei adstruendæ, cùm maximè contraria omnia demonstrent. Moyses, jussus à Deo, cavet, ne quis unquàm ad montem Sinai accedere audeat; animadverti in contumaces jubens vel lapidibus ab universo populo jactis, vel sagittis; cavet autem *ne manus tangat eos* (Exod. 19, 13), nec quispiam removere illum ab eo loco præsumat. Nihil autem eorum, quæ à Rabbinis produntur, apparet sive apud Josephum, sive apud Philonem. Lapidibus Jesum Christum conficere vel in ipso templo Judæi tentârunt (Joan 8, 59); confectus est Stephanus in loco extra urbem Jerusalem (Act. 7, 57); penè tandem confectus S. Paulus in urbe Lystra (2 Cor. 11, 25 : Act.

14, 18). Feminam adulterii ream, sibi à Judæis adductam, lapidatione ab eo primùm plecti Jesus præcepit, qui nullâ criminis conscientiâ tangeretur (Joan. 7, 8). Quænam, rogo, hic de noxiis è saxo in præceps actis, ex Judæorum sententiâ, mentio?

Exemplis viri blasphemi, tum et violati sabbati rei, sicuti et Achan et S. Stephani, instruimur, huic inferendo supplicio locum extra urbem designari. Moyses (Deut. 18, 6) ita cum illo agendum præcipit, qui populum ad idololatriam induxisset; id autem vulgò extendendum creditur ad noxios universos, ut scilicet extra urbem rapti ultimo supplicio perimerentur.

Ita etiam cum Jesu Christo servatum novimus, qui extra urbem Jerusalem crucem toleravit. Non tamen hanc generalem regulam usque adeò obtinuisse crediderim, in lapidatione, maximè judicio, quod Hebræi appellant *zeli*, ne expectatâ quidem judicum sententiâ, decretâ.

Præcipites è saxo acti. — E saxo, sive è turri præcipites acti quidam in Scripturâ memorantur, quamvis non illud fuisse vulgare, et consuetum Hebræorum supplicium tribunalibus familiare persuasum habemus. Amasias rex Juda eo genere mortis 1,000 Idumæos in bello captos peremit (2 Paralipom. 25, 12); quod idem factum, ut scilicet è saxo Horeb præceps ageretur, subiisse creditur rex ejusdem nominis in prælio cum Madianitis à Gedeone commisso captus (Judic. 7, 25). Jezabel è mœnibus Israel præceps acta est mandante Jehu (4 Reg. 9, 33). E crepidine montis sui eamdem inferre necem Jesu Christo Judæi Nazareni tentârunt (Luc. 4, 29). S. Jacobus Justus ex editissimo templi loco in vallem subjectam dejectus est. Zacharias filius Baruch, in ipso templi centro à Zelotis occisus, deinde in voraginem ad radices templi patentem proturbatus est (de Bell. l. 5, c. 1). Sed hæc extraordinaria sunt pœnarum exempla, neque legis, neque certi alicujus tribunalis auctoritate fulta.

Novum aliquid supplicii genus nuspiàm in veteri Testamento occurrens, legitur Matth. 18, 6, quo nempe fontes ampliori aliquo ad collum saxo alligato in mare projicerentur, in quem Evangelii locum scribentes Grotius et D. Clericus autumant nunquàm obtinuisse apud Hebræos, ut eo supplicio, quod familiare apud Syros censent, sontes perimerent. Profectò vel inusitatum fuit Hebræis, vel nonnisi post regnum Syrorum in Judæâ notum.

Supplicium serræ. — Insueti supplicii, serræ nempe, exemplum simul et argumentum ipse in se propheta Isaias exhibet. Apostolus de SS. veteris Testamenti agens, qui virtute suâ, et infracto animi robore mortem ipsam et tormenta vicerunt, inter cætera serram tolerâsse illos memorat: *Secti sunt* (Hebr. 11, 37); quod ab illo de Isaiâ eo supplicii genere peremptò à Manasse dictum traditione apud Judæos æquè ac Christianos recepta certum est. Id autem subiisse prophetam narrant, quòd vidisse se Dominum throno assidentem professus est (Isai. 6, 1). Tostatus in dubium revocare eam traditionem nititur, quòd scilicet propheta in exordio libri sui cæteris memoratis regibus sub quibus oracula fudit, nihil habeat de Manasse. Sed hæc contra receptam traditionem infirmiora sunt; potuit enim propheta morte occubuisse vix inito à Manasse regno, cùm scilicet nulla adhuc fudisset sub eo oracula.

Nec Judæi veteresque Patres in eo tantùm conveniunt, ut serrâ dissectum prophetam illum tradant, sed et instrumentum illud ligneum fuisse, non ferreum, unanimi consensu perhibent. Ita planè memoriæ proditum reliquerunt S. Justinus Martyr (in Dial. cum Tryph. pag. 349 edit. Taris. an. 1636. Hieron. in Isai. l. 15, ad fin.), S. Hieronymus, auctor Carminis in Marcionem lib. 3, ac tandem totius Ecclesiæ nostræ ætatis consensus, cui temerè prorsùs refragaremur. Hunc porrò martyrem si in duas partes dissectum sicâ aliquâ ferreâ crederemus, quemadmodùm et cum aliis martyribus tyrannorum jussu factum constat (vide Baron. in not. ad Martyrol. Rom. jul. 6, Gallon de Cruciat. MM. c. ult.), ut scilicet transverso corpore secarentur, res esset prona et creditu facilis; cùm autem senis corpus sicâ ligneâ à summo capite ad imum usque ventrem, sive ab imo ventre usque ad caput (vide Zenon. Veron. Serm. 28 de Isai.) discissum narrent, rem tradunt rationi prorsùs repugnantem. Qui enim fieri potuerit, ut ossa ferreæ prorsùs duritatis, quæ vix ferro cedant, sicæ ligneæ pervia fuerint? Ecquis, rogo, serram ligneam fabricavit unquàm? Cui usui? scindendo ne lapidi, marmori, ossibus? Quare ita afferenda est huic traditioni fides, quâ dissectus propheta sicâ ligneâ tenetur, ut simul cum ratione concilietur.

Septuaginta, et S. Hieronymus sicarum no-

mine machinas quasdam non rarò designant ad usum excutiendi tritici olim fabricatas. Constabant autem immanibus quibusdam trabibus, ferreis cuspidibus sive lapidibus instructis, quæ super manipulos trahebantur, vel saltem vehicula erant ferro armata, in eumdem usum. Ita enim Virgilius (1) :

Tardaque Eleusinæ matris volventia plaustra
Tribulaque traheæque.

Ita etiam Isaias 41, 15 : *Posui te quasi plaustrum novum, habens rostra serrantia.* Et 28, 27 : *Non in serris triturabitur gith.* Porrò gith triticum est imbecillius, minùs ferens harum machinarum pondera. Paria legimus 2 Reg. 12, 31, quod maximè nostrum intentum convincit. Post relatam à Davide insignem de Ammonitis victoriam, occupatamque Rabbath ejusdem regionis metropolim, victoriâ suâ rex impotenter usus, *populum adducens serravit,* et circumegit *super eos ferrata carpenta.* Ita ferè legunt etiam Septuaginta : *Et populum, qui erat in eâ, eduxit et posuit in serrâ, et in tribulis ferreis, et in securibus ferreis.* Originalis textus sine controversiâ eadem instrumenta exprimit. S. Hieronymus similem textum 1 Par. 20, 3, reddit : *Tribulos, et trahas, et ferrata carpenta.*

Non abs re igitur credimus serras illas, quibus confectos veteris Testamenti quosdam justos viros Apostolus testatur, ipsissimas esse machinas hucusque descriptas. Neque alias designâsse serras credimus Judæos, et Patres ; cùm enim de Isaiâ ligneâ serrâ perempto testatum reliquerunt, aliam planè quàm vulgarem serram concipere nos jubent.

At enim vox græca *epristhesa* ad litteram sonat vulgari serrâ discindi ; quare nonnisi metaphorico sensu expressum in textu Apostoli alterius supplicii genus videretur ; neque enim nisi per metaphoram secti dicerentur ii, qui sub tribulis et trabis conteruntur. Sed hisce reponimus, potuisse Apostolum græco verbo uti, eodem planè sensu ac Septuaginta ; quare sicut Interpretes illi eâ voce contritos viros sub trahis expresserunt ; ita planè et S. Paulus in eumdem sensum vocem usurpavit. Porrò *sectum esse* idem sonat Apostolo, ac ipsissimum verbum apud Vulgatam et Septuaginta, apud quos si metaphorico et minùs prono sensu acceptum dicatur, idem et de Apostolo non injuriâ sentire possumus. Scindat igitur vulgaris serra, diffindat lapides et ligna ; altera verò, de quâ agimus, serra conterat, conculcet, comminuat ; quid inde? De utrâque usurpatum est verbum *secare.* Ad hæc ostendimus in superioribus, illud supplicii genus non ignotum Hebræis fuisse ; quare nihil est, quod nostræ interpretationi adversetur. Dicere etiam ausim nunquàm fieri potuisse, ut res aliter se habuerit, alioquin universam traditionem abjiciamus oportet.

Si de serrâ ferreâ ageretur, aliter quidem à nobis disserendum fuisset ; illud enim supplicii genus notum antiquis satis constat. De Thracibus ita Valerius Maximus l. 9, cap. 2, exemp. 4, Extern. : « Neque vivos homines « medios secare, neque parentes liberorum « vesci corporibus nefas fuit. » Idem etiam assignatum supplicium certis quibusdam criminibus puniendis lege duodecim tabularum insinuatur ; quanquàm rarò adeò contingeret, ait Aulus Gellius, ut executioni mandaretur, quod neque nostrâ neque priscorum seculorum memoriâ factum unquàm noverimus (Aul. Gell. l. 12 Noct. Attic. c. 2). Scitum est tamen, auctore Suetonio in Caio, imperatorem Caium Caligulam viros quandoque non vulgares caveis quibusdam ferreis detinuisse, veluti animalia quadrupeda ; interdùm etiam ejusdem generis homines *medios serrâ dissecuisse.* Hùc etiam spectatum à Daniele crediderim cap. 13, 55, cùm impiorum illorum senum alterum allocutus : *Angelus Dei acceptâ sententiâ ab eo scindet te medium.* Malus ille servus, de quo Matth. 24, 51, medius abscissus est, et inter hypocritas ejectus. Sabacus Ægypti rex per quietem admonitus est, ut sacerdotes omnes Ægypti medios præcideret, ait Herodotus lib. 6. Mulier quædam apud Aristophanem præstò se esse dicit ut media scindatur : nec aliò facilè spectant phrases illæ Scripturæ : *Concidere in frusta* (vide 1 Reg. 15, 31, 33 ; Exod. 19, 24, et 2 Reg. 6, 8), quæ pro *occidere* usurpantur.

Sub spinis, sive animalium pedibus conterere. — Quam Gedeon de civibus Socot exigit, ultio ejusdem esse videtur rationis, ac illata à Davide in Ammonitas, et in Isaiam à Manasse. Cùm enim Gedeon victor à Madianitis regrederetur, ejusdem urbis optimates captos, sub tribulis et spinis deserti contrivit ; nempe super tribulos et spinas, quas super miseros illos homines instravit, trabes sive lapideas trahas induxit (Judic. 8, 16). Ita planè Romanis mo-

(1) Georgic. 1. Servius in hunc locum : « Tribula genus vehiculi, omni ex parte dentatum, unde teruntur frumenta, quo maximè in Africâ utebantur. Trahcæ, vehicula « sine rotis. »

ribus receptum, cùm noxios *sub crate necabant;* noxium enim crate operientes, immanes dein lapides superinducebant. Familiare erat supplicium apud Romanos (1), nec ignotum Carthaginiensibus (2), sicut et priscis Germanis. Solemne enim erat postremis hisce gentibus, ut *ignavos, et imbelles, ex corpore infames cœno ac plaude, injectâ insuper crate mergerent.*

Porrò ad unum aliquod ex suppliciis hucusque descriptis referenda sunt ea, quæ Moabitæ prælio victi, à Davide tolerârunt (2 Reg. 8, 2): *Percussit Moab, et mensus est eos funiculo, coæquans terræ; mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum, et unum ad vivificandum.* Sed quale istud genus mortis in Moabitas decretum? Conjecturis agendum est, silente Scripturâ; sed cùm in terram prostratos legamus, facilem ducimus conjecturam simili in illos supplicio animadversum fuisse, ac olim in Ammonitas; vel saltem pedibus bestiarum fuisse proculcatos; quod satis priscis moribus erat familiare. Ita conculcari jussit pedibus elephantium Alexandrinos Judæos Ptolomæus Phiscon rex Ægypti (vide Josephum l. 2 contra Appion. in lat.); sicut et paria in desertores, et rebelles reipublicæ tam cives, quàm externos intulit Amilcar, insignis copiarum Carthaginiensium imperator (vide Porphyr. de Abstin. l. 2, pag. 227). Eò spectans Michæas propheta 4, 13 : *Dominus*, ait, *congregavit eos quasi fœnum areæ. Surge, et tritura, filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, et ungulas tuas ponam æreas, et comminues populos multos,* etc. Cùm exercitus Alexandri regis Judæorum in loco iniquo et petroso in insidias Arabum incidisset, jussu Obedæ regis ejusdem gentis, totus pedibus camelorum proculcatus est (Antiq. l. 15, cap. 21).

In cinerem dejicere. — In 2 Mach. 13, 5, aliud supplicii genus legimus, quo scilicet noxii in cinerem deturbarentur. Turres erant editæ, ad hoc instructæ, ut aggestum cinerem vel pulverem continerent, in quem noxii præcipites acti suffocabantur. Porrò hoc supplicii genus Hebræis inauditum, cæteris finitimis gentibus familiare erat. Antiochus Eupator (3) ex editâ 50 cubitorum turri in subjectum cinerem dejici jussit proditorem Menelaum. Alia ejus generis exempla è profanis scriptoribus deducta congessimus in nostro Commentario in Machabæos. Primus ejus supplicii auctor Darius *Ochus* asseritur (Valer. Max. l. 9, c. 2, de Crudelit. exter. art. 6). Sunt qui mendosè *Ochum* pro Dario Hystaspis positum asseverent. Neque ego quidem alium quàm Darium Hystaspis intelligo, quem et Valerius Maximus *Ochum* appellat; et eo etiam nomine designatur Esth. 1, 1, quo in loco Darius Hystaspis Assuerus, vel Achasvero (idem est ac Ochos), nuncupatur. Darius igitur ille post adeptum conjuratione regnum, cùm sacramenti arctissimi religione se obstrinxisset, ne conjurationis socios ullo unquàm violentæ mortis genere, non veneno, non ferro, non fame perimeret; vereretur autem, ne quid simile in sese attentari pravo illo exemplo contingeret, datæ fidei eludendæ consilio, novum istud supplicii genus invexit. Parari enim jussit voraginem quamdam cinere aggesto oppletam; tum miseros constituit super trabem ad utrumque voraginis latus pertingentem, quo scilicet in somnum largiori cibo potuque ingesto resoluti, in subjectum cinerem decidentes suffocarentur.

Noxios decalvare. — Judæi, gens comata, solemne habent, ne unquàm, nisi in summis ærumnis, vel in publico privatoque luctu eamdem comam deponant. Vetitum etiam illis ducunt nonnulli, ne in funeribus lugendis calvitium inducant, quod ex pravâ legis interpretatione inferre sibi videntur. Ita enim in lege Deut. 14, 1 : *Nec facies calvitium super mortuo,* quod de Adonide, sive Osiride ita per contemptum appellato intelligendum esse alibi demonstravimus. Sed in lugendis funeribus comam deposuisse Judæos nullus dubito. Deponere etiam cogebantur noxii, cùm scilicet probrosâ hâc et servili notâ afficiendi censerentur. Ita à Nehemiâ factum cum Judæis, qui Philisthæas Azotitas mulieres duxerant (2 Esdr. 13, 25) : *Objuravi eos, et maledixi, et cæcidi ex eis viros, et decalvavi eos.* Quanto autem probro nota illa duceretur, id, si alibi uspiàm, in ultione intelligimus à Davide exactâ in Ammonitas reos dimidiatæ barbæ atque detonsæ comæ legatorum ejusdem regis. Ille enim bellum statim huic genti indixit, devictosque habuit iniquissimè. Deus calvitium se in præceps, inde in cinerem dejici jussit sacrilegum.

(1) Tit. Liv. l. 4 : « Ad vociferationem eorum, quos sub crate necari jusserat concursu « facto. »

(2) Plaut. in Pænulo, scen. *Ain tu*, etc. —Aug. : « Quid agit, aut orat, expedi.—M. : Sub « cratim ut jubeas sese supponi atque eo lapi- « des imponi multos, ut sese neces. »

(3) 2 *Mach.* 13, 5 : Erat in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggestum undique habens cineris; hæc prospectum habebat

inducturum minitatur in filias Sion (Isai. 3, 17), quo scilicet nimium illarum fastum, et vestium affectatam pompam ulcisceretur. Judæi in libro, quem de *Generatione*, seu *Vitâ Jesu Christi*, impudentissimis calumniis infertum obtruserunt, venditant eâ ignominiæ notâ à patribus suis olim servatorem nostrum traductum fuisse oblito insuper nescio quo liquore vertice, ne scilicet comam unquàm reparari contingeret. Tandem illud nobis silentio premendum non est, eamdem ignominiæ notam apud cæteras etiam gentes obtinuisse. Ita cum SS. Martyribus aliquando servatum; qui pariter interdùm dimidio tantùm rasi per contemptum producebantur. Gloriosos illos fidei assertores affatus S. Cyprianus : « Semi« tonsi capitis, ait, conspectus horrescit; sed « cùm sit viri caput Christus, qualecumque « illud caput deceat necesse est, quod ob Do« mini nomen insigne est. » (Epist. 77 ad Nemesiam). Piis S. Præsulis officiis viri illi sanctissimi gratificati, responderunt, ipsum plenis christianâ charitate epistolis suis id effecisse, ut *semitonsi capitis capillaturam adæquaret*.

Suine erant hebræis carnifices? — Ut dissertationem hanc nostram omnibus absolvamus numeris, brevi agendum est de justitiæ administris apud Hebræos. Carnificum munus tanquàm illiberale, et ignominiosum, nunquàm, quantùm scio in veteri Testamento notatur. Viri quos *Soterim* appellabant (Vide Comment. in Deut. 1, 15), quique judicibus dabantur administri, carnificum loco apud interpretes benè multos habentur. Assistunt enim tribunalibus, flagris, et bacillis armati; quemadmodùm et de lictoribus romanos magistratus comitantibus, quo puniendis noxiis ubique præstò essent, memoriæ proditum legimus.

Sed munus illud *Soterim* adeò non vile nec illiberale apud Hebræos habebatur, ut potiùs in eorum ordine recenseri honorificum ducerent. Sæpè qui illud explerent ex levitarum familiâ petiti sunt; edicenda illis dabantur edicta principum, et magistratuum, eorumque urgebant executionem; nomine et auctoritate principis dabant mandata, atque ut parerent pœnæ terrore cogebant.

Aliquando apud Hebræos potissimùm exequendæ judicum sententiæ munus testibus ipsis committebatur. Cautum est in lege, virum sive feminam Israelem ad idololatriam incitantem extra urbis portas raptari, quem deinde *manus testium prima interficiet, et manus reliqui populi extrema mittetur* (Deut. 17, 5, 6). Ita servatum novimus cum S. Stephano, cujus accusatores, positis apud Saulum, qui deinde Paulus, vestibus, paratos se injiciendis in virum sanctum lapidibus præbuerunt (Act. 7, 57). Jesus Christus accusatores feminæ adulteræ affatus, primum inter eos lapidem injicere in feminam jubet, qui nullius commissi criminis haberet conscientiam (Joan. 8, 7). Idem factum scimus in sumendo de blasphemo, atque de sabbati violatore supplicio (Levit. 24, 14; Num. 15, 35, 36); idem et in Achan, et Naboth, quos populus universus lapidibus confecit (Josue 7, 25, et 4 Reg. 21, 23). Si quis datâ operâ homicidium perpetrâsset, hunc necessariis viri defuncti permissum eorum arbitrio occidendum, Moyses tradit (Num. 25, 19; Deut. 19, 12). Si vir uxorem tanquàm ante nuptias corruptam per injuriam accusâsset, in hunc ipsis seniorum urbis manibus animadvertendum idem legislator edicit (Deut. 22, 18). In his sanè vestigium nullum probri apparet, nihil etiam quod ingenuum et liberalem hominem non deceat.

In supplicio ignis inferendo, juxta Rabbinos, ipsi suis manibus testes lineam fasciam collo noxii circumvolutam trahebant, quò scilicet per diductum os liquatum plumbum in ventrem transmitteretur. Noxio etiam jugulando funem nemo stringebat alius nisi testis. Sub Josue militibus commissum fuisse creditur, ut quinque reges Chananæos detruncarent, tum et in patibulo suspenderent (Josue 10, 26). Samuel alienum non duxit, si manus ipse violentas injiceret in Agag regem Amalecitarum, cui Saül antea pepercerat (1 Reg. 15, 33). Ipse Saül deterreri suos virorum dignitate intelligens ne gravius aliquid in sacerdotes Domini auderent, Doeg Idumæum in illos incitavit (1 Reg. 22, 18). Infames illos Isbosethi parricidas occidi à suis, atque in patibulo suspendi David præcepit (2 Reg. 4, 12); quam etiam mortis pœnam inferri ab illis voluit in eum, qui de nece Saülis nuntium attulerat (2 Reg. 1, 15). Gabaonitæ non alio quidem administro usi sunt, dùm posteros Saül coram Domino in crucem agerent, acceptam ab eo principe injuriam insigni injuriâ rependentes (2 Reg. 21, 9). Banaias filius Joiadæ à rege Salomone jussus, remoturus Joabum ab asylo altaris, abstractumque ex regis præcepto gladio confossurus venit (3 Reg. 2, 18). Sub regibus Juda et Israel militibus plerumque commissum, ut capitales sententias executioni mandarent. Mathathias vir

ille fortissimus Machabæorum pater, apprehensum suâ manu virum Judæum in sacra idolorum irruentem transfodit (1 Machab. 2, 24, 25). S. Joannes Baptista carnificem expertus est regis Herodis spiculatorem (Marc. 6, 27). Tandem Jesu Christo in crucem agendo romani milites manum admoverunt (Matth. 27, 27). Zelotæ, referente Josepho in postremâ urbis Jerosolymitanæ obsidione detentos in carcere Antipam et Sophnam, viros regali sanguine natos, capitali supplicio damnârunt, muneris executionem Joanni, viro inter suos primario (Joseph l. 4 de Bell. cap. 5 latin. et 11 græc.), unà cum aliis decem committentes.

Neque lictorum munus infame apud Romanos unquàm habitum est : quanquàm et alligare reum, et cædere noxios, detruncare, atque in patibulo suspendere capitali supplicio damnatus, ad illos pertineret. Hinc solemnis illa formula : *I, lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici suspendito* (vide Gell. l. 22, c. 3). Apud Mahometanos nostrâ etiam ætate nulli sunt lictores, sed eorum vicibus funguntur milites, sive judicum famuli, qui præ aulæ foribus assistentes vix pronuntiatam à judice sententiam mandant executioni (vide P. Roger Terre-Sainte l. 2, c. 17, pag. 325). Non rara suppetunt etiam exequendæ justitiæ militibus commissæ in historiâ romanâ exempla (1) quanquàm apud illos nec lictores deerant, neque carnifices. De Claudio imperatore narrat Suetonius in Claud. c. 34 : « Cùm et « spectare antiqui moris supplicium Tiburi « concupisset, et deligatis ad palum noxiis « carnifex deesset, accitum ab urbe vesperam « usque opperiri perseveravit. »

(1) Suet. in Calig. cap. 26 : « Flagellavit, ve- « ste detractâ subjectâque militum pedibus, « quò firmè verberaturis insisterent. » Idem c. 37 : « Miles decollandi artifex quibuscumque « è custodiâ capita amputabat. »

DE CONNUBIIS HEBRÆORUM

Dissertatio.

De connubiis tractatio adeò latè porrigitur, ut unicâ dissertatione totam complecti nunquàm possemus. Quare nec ut jurisconsulti tanquàm civile aliquod pactum, nec ut theologi tanquàm morale aliquod sive religionis opus Dei nominis invocatione sacrum respiciemus ; at de solis nuptialibus ritibus disserendum erit nobis in præsentiâ, tum et de pactis sponsalitiis, in quæ omnia priscos recentesque mores quantùm sat est, ut commentario in Canticum canticorum serviant, percurremus.

Præcocissima erant apud Hebræos connubia : virorum ætas à Rabbinis præscribitur 18 annorum (Leo Moden. Cærem. Jud. cap. 3), quam ætatem si quis cœlebs exegerit, ille criminis reus est, præceptum illud Dei ad primos homines transgressus : *Crescite et multiplicamini* (Gen. 1, 28). Liberum tamen cuique ætatem illam prævenire. Quod ad puellas attinet, citissimè quidem sponsalibus obligabantur ; nuptiæ verò tamdiù dilatæ quamdiù pubertatis, quam vocabant, ætatem, nempe duodecim annorum et unius quoque diei (Selden. Uxor. Hebr. l. 2, cap. 3), non absolvissent. Hinc phrases illæ in Scripturâ familiares : *Uxor pubertatis meæ* (1), quibus priores in adolescentiâ nuptiæ designantur, et illud : *Dux pubertatis* (2), quod de sponso usurpatum est.

Facilè hinc intelligimus, cur virginitas opprobrio esset Israelitis, ut insignis præ omnibus probri loco ducerent Hebræi, si domum patris sui inædificatam reliquisse, neque eorum nomen in Israel suscitâsse sibi exprobraretur. Hinc luctus filiæ Jephte, virginitatem suam non secùs ac funus lugentis (Judic. 11, 37) ; diem enim suam virgo claudebat, nullo patri hærede relicto. Hinc etiam Dei adversùs Israelitas minæ apud Isaiam (3), futurum nempe prædicit, cùm rari adeò in Israele viri occurrerent, ut septem feminæ uni singulari viro elocarentur, contra receptum apud omnes gentes morem, nihil ab illo postulantes : *Panem*

(1) *Joel.* 1, 8 : Super virum pubertatis tuæ. Et *Malac.* 2, 14 : Uxorem pubertatis tuæ.

(2) *Proverb.* 2, 17 : Reliquit ducem pubertatis suæ.

(3) *Isai.* 4, 1 : Vide et *Jerem.* 31, 12 : Mulier circumdabit virum.

nostrum comedemus et vestimentis nostris operiemur, tantummodò invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum : ac si diceret, id tantùm volumus, ut uxores tuæ appellemur, et virginitatis à nobis opprobrium avertatur. Dilecta in Canticis cap. 8, 1, ita charum sibi virum affatur : *Quis mihi det, ut inveniam te foris et deosculer te, et ducam in domum matris meæ, et jam me nemo despiciat?* i. e., quando, rogo, continget, ut ego uxor et mater facta, duplex à me sterilitatis et cœlibatûs opprobrium depellam? id enim designat sponsi in maternam sponsæ domum introductio.

Cùm verò mulieres et maximè puellæ in claustris domûs suæ ab omni externo commercio prohibitæ detinerentur; plerumque alicujus puellæ connubia petebantur antequàm conjuges mox futuri se mutuò cognoscerent. Puella ante conjugium *alma* appellabatur, i. e., latens; et cùm Scriptura grande aliquod malum (2 Mach. 3, 19, et 3 Mach.), vel novum quid totum ciens urbis populum exprimit, ipsas è claustris puellas accurrisse dicit : *Filia patris abscondita* (in domo nempe patris) *est vigilia et sollicitudo ejus aufert somnum : ne forte in adolescentiâ suâ adulta efficiatur, et cum viro commorata odibilis fiat*, ait Eccli. 42, 9. Et in Cantico 8, 8 : *Soror nostra pervula, et uberâ non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?* i. e., quando nuptiæ ipsius postulandæ, sive quando coram dilecto suo producenda; quemadmodùm producta est Rebecca coram Eliezer Isaaci pronubo, nùm in eas nuptias consentiret, interroganda : *Si murus est*, addit Canticum, *ædificemus super eam propugnacula argentea ; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis*, i. e., vestibus splendidissimis, atque muliebri cultu ejus decorem elegantiamque promoveamus.

Hemor pater Sichem, et ipse per se Sichem nuptias Dinæ filiæ à Jacob parente postulârunt (Gen. 34, 4), et Samson visæ à se mulieris in Thamnata, genere Philistinorum, specie captus, ejus nuptias optare se patri suo significavit. His auditis, parentes et ipse Samson ejus puellæ parentes eâ de re rogârunt, pactaque nuptialia sancita sunt. Nuptiæ tamen diù prorogatæ; cùm enim Samson ad sponsam sese conferret, leonis à se extincti, cùm primò Thamnatam iret, cadaver solutum jam offendit, et in nudâ ossium compage apes insedisse. Hoc exemplo doctrina Judæorum confirmatur, pacta nimirùm sponsalia diutiùs connubium præcedere, nimirùm sex mensium vel toto anni spatio (Leo Moden. Cæremon. Judæor. cap. 3). Id tamen non usquè adeò receptum, è Tobiæ junioris historiâ (Tob. 7, 14, 15) docemur; quippe qui statim à postulatis nuptiis matrimonium inivit. Tradunt Rabbini, quibus tamen asserentibus vix credimus (Maimon. Halach. Ischoth. cap. 3), integrum non fuisse parentibus, si fortè ab aliquo filiarum nuptiæ postularentur, recusare, modò puella certam pubertatis ætatem, duodecim nempe annorum et unius diei, exegisset. Contrarium planè à Scripturâ insinuatum credimus, in quâ semper filiæ in parentum potestate permittuntur, et pro arbitrio ipsorum nemine repugnante, elocantur. Idem observare licet in connubio Rebeccæ, et Saræ uxoris Tobiæ junioris, quæ sanè puellæ legitimam ætatem attigerant : licet etiam spectare in Thamar nuru Juda, quæ sine socceri assensu connubio jungi interdicebatur.

Pacta sponsalia sive scripto sive traditâ à sponso argenteâ aliquâ monetâ puellæ, vel saltem cohabitatione et conjugali commercio firmabantur (Selden. lib. 2, cap. 2 Uxoris Hebraicæ). Hæc instrumenti formula : Tali feriâ, tali die mensis N. Anno tali à creatione mundi, juxta supputationem, quâ nos utimur, etc. : « Quo tempore talis, filius talis, dixit tali « puellæ, filiæ talis : Sis mihi sponsa, juxta « institutionem Mosis, et Israelitarum, et dabo « tibi dotem virginitatis tuæ, argentum scili- « cet 200 zuzoram, quæ summa competens « est tibi ex ipsâ lege. Et assensum præbuit « talis (puella), ut ejus jam esset sponsa. Ideò- « que sponsæ huic suæ promisit dotem scripto « ei constituere diebus eorum nuptialibus. In- « superque dixit : In me suscipio, atque in hæ- « redes meos posterosque, præstare, quod in « hoc libello sponsalitio continetur, etiam ex « pallio, quod in humeris meis, idque sive vi- « vam sive moriar. Quin et suscepit in se talis « (sponsus) præstandi quod in libello hoc spon- « salitio continetur onus, juxta ea, quæ ex « more attinent ad alios ejusmodi Israelitidum « libellos sponsalitios, etc. Testes N. N. N. » Pacta verò traditione monetæ et sine scripto firmata coram testibus agebantur; illis enim adhibitis vir puellæ monetam tradens profitebatur : *Ecce tu mihi ex hoc sponsa sis.* Oppignerationes per coitum, lege quidem permitti docent RR. (Deut. 24, 1); à patribus verò interdici, quod matrimonium clandestinorum incommoda et licentiæ ansam præstarent (vide Selden. cap. 1).

Conciliatis semel sponsalibus, mutuò virum

inter et mulierem familiaritas, ad id usque interdicta (Leo Moden. c. 3), non tamen licentia, permittebatur. Si quid deinde vitii sponsa cum alio quàm cum sponso contraxisset, adulterii rea censebatur (Selden. lib. 2 Uxoris Heb., cap. 1). Sunt qui oppigneratam tantùm S. Josepho B. V. Mariam Jesu Christo fœtam credant; quæ si fortè criminis, cujus ex tumore ventris suspicionem mysterium ignaris præbebat, rea deprehensa fuisset, potuisset à viro continuò non remitti tantùm, dato repudii libello, sed et de adulterio punienda magistratibus deferri. Esto enim mutua inter sponsos familiaritas permitteretur, non ea tamen, quæ conjugibus post celebratas reapsè nuptias, data facultas. Ita enim Patrum edicto cautum habebatur, arctioribus conclusa finibus legis in eâ re juxta illorum interpretationem licentia; è re publicâ enim visum est, eâ inhibitione publicæ honestati et morum integritati consulere. Si quis fortè hujus præcepti reus damnaretur, flagrorum animadversionem subibat.

Receptum erat apud Hebræos, ut sponsus soluto pretio sponsam emeret, quâ de re conveniebat inter partes, sicut etiam de cæteris nuptiarum conditionibus: de dote à viro solvendâ, de muneribus etiam parentibus, et fratribus sponsæ tradendis, antequàm pacta sponsalia rata haberentur. Vadem horum omnium exhibemus historiam Jacob. Conventum est primò inter ipsum et Labanum septenni de famulatu, quo ipse Jacob pro emendo sibi Rachelis conjugio serviret; totidemque insuper serviit pro eâdem Rachele, cùm priores nuptiæ cum Liâ pro Rachele fraude Labani conciliatæ fuissent (Gen. 29, 26). Queruntur autem ambæ conjuges de Jacob, quòd debitam sibi dotem parens usurpâsset (Gen. 31, 15); quarum in eâ re querelæ sive Labanum injustitiæ accusant, sive minoris in filias indulgentiæ; neque enim tanquàm aliena rapientem restitutionis reum peragunt. Saül filiam suam Davidi vendidit centum præputiis Philistinorum (1 Reg. 18, 25.) Sichem filius Hemor Dinæ nuptias postulans hæc ad fratres puellæ dicebat: *Inveniam gratiam coram vobis, et quæcumque statueritis, dabo. Augete dotem et munera postulate, et libenter tradam quod petitis: tantùm date mihi puellam hanc uxorem* (Gen. 34, 11, 12). Quindecim nummis argenti hordeique mensurâ cum dimidiâ, Osee conjugem emit (Osee 3, 2). Nec tamen propterea abstinebat pater, quin pro modo conditionis suæ munera daret filiæ, sumptui in cultum puellarem et solemnem in domum sponsi traductionem sufficiendo. Moribus receptum erat, ut munera illa 50 zuzim non excederent. Porrò zuzim moneta erat vilissima, unico argenteo denario juxta RR. respondens, i. e. (Misna tit. Hetuboth cap. 6, vide Selden. lib. 2 Uxoris Hebr. c. 10), quartæ sicli argentei parti, sive 8 solidis circiter monetæ nostratis (Selden. Uxor. Heb. lib. 2).

Hæc formula instrumenti nuptialis apud Hebræos (Maimon. Halac Jebom. Vechaliza cap. 4, apud Selden. lib. 2, cap. 10 Uxor Hebr.): « Die N. mensis N. anno juxta calculum nobis « in usu, etc. Ad fluvium N. N. filius N. dixit « N. filiæ N. virgini: Sponsa sis mihi in uxo- « rem, juxta institutum Mosis et Israelitarum. « Et ego, Deo volente, colam, honorabo, sus- « tentabo, cibabo, alamque, et vestiam te « juxta morem maritorum judæorum, qui ho- « norant, sustentant, cibant, alunt vestiunt- « que uxores suas, ut decet. Do etiam tibi, ut « virginitatis tuæ dotem, argentum CC. zuro- « rum zuzos argenti (1), qui tibi ex lege com- « petunt; præstiturus etiam tibi alimenta tua, « et vestimenta tua, et quæ tibi sufficiant, et « concubitum tecum juxta morem universæ « terræ. Assensum item præbuit illa N. ut esset « illi N. in uxorem. Voluit etiam et adjecit ille « illi in principalis dotis incrementum summam « N. Et bona quæ attulit ipsa sponsa, æsti- « mantur summa N. Totum autem sponso huic « acceptum, in ejus possessionem transit, et « illius fit potestatis, atque ut creditum ex « ejusce fide pendet. Et sic nobis dixit sponsus « ille N.: In me recipio præstare, in me recipio « præstationem totius ipsius, dotis etiam et « bonorum quæ secum ipsa sponsa attulerit, « aut post modicum sibi acquisierit; item et « dotis incrementi conditionumque qualium- « cumque ad dotem attinentium: nec in me « solùm, sed etiam in hæredes meos, qui mihi « successerint, et in omnem substantiam meam « pretiosiorem, possessionesque meas quales- « cumque sub cœlo, quæ sive nunc mihi sunt, « sive in posterum fuerint, idque, sive res « fuerint mobiles, sive immobiles; quæ uni- « versa pignori sunt atque hypothecæ doti jam « dictæ toti, ac rebus quas secum attulit, seu « postmodùm acquisierit sponsa, et incre- « mento dotis; ut exinde hæc præstentur, sive « dùm superstes fuero, sive postquàm sim « mortuus. Quod et de pallio super humeris

(1) Summam conficiunt 50 siclorum argenti, seu 81 librarum monetæ nostratis.

« meis dictum volo. Quin et obligatio omnium « rerum, quæ suprascribuntur, memoranturque implenda, non quà probatio suppetat « deficiatve, seu pro libelli formulæ vi, sed « juxta vim et effectum omnium libellorum « dotalium, qui in usu apud Israelitas, et secundùm id quod receperunt et ordinârunt « Rabbini nostri piæ memoriæ. Et signavimus « libellum, seu syngrapham hanc dotalem tempore supra memorato. Resque tota fit manifesta, rata ac firma. »

Cùm inter partes de nuptiis contrahendis convenisset, certa in eam rem dies decreta. Quartam feriam vel sextam pro puellâ, quintam pro viduâ solent Judæi recentiores (Leo Moden. cæremon. Judæor. c. 3). Præcedenti ad eam rem die, sponsa ad balnea se confert, indeque strepentibus circumvariis culinariis instrumentis, quibus de nuptiis vicinus quisque moneatur, solemni pompâ deducitur. Collatis simul quæ Seldenus, Buxtorfius, et Leo Modena in eam rem scripserunt, cùm non satis illi inter se convenerint, suspicor non eumdem ubique apud Judæos morem obtinuisse, sed pro variâ regione in pluribus variari. Quâ die celebrandum est matrimonium, sponsa mundo omni muliebri ornanda, solemni pompâ et inter puellarum nuptialium cantilenas in ædem ad eam rem destinatam deducitur. Deus ipse, si fides RR. (Rabb. in Talmud. Vide Buxtorf. loc. cit.) in se alienum non censuit si suis ipse veluti manibus Evam comeret, mox ad nuptias Adami producendam. Quare ornata Dei ministerio sponsa, atque splendidissimis vestibus fulgens sponso coram astitit. Ludebant interim angeli omnium instrumentorum concentu, primis illis nuptiis plaudentes; cùm interim Deus triumphalem umbellam sub quâ nuptiæ contrahendæ, sufficeret. Bella rudioris crassiorisque populi commenta!

Cæremonia nuptialis plerumque in atrio, horto, vel agro, sub dio semper celebratur (Buxtorf. ibidem); aliquando tamen aula velamentis ornata in eam rem instruitur, ait Leo Modena cap. 3. Deducendis autem sponsis nec instrumenta musica desunt, nec triumphale velum quatuor adolescentulis sustentatum. Nigrum flammeum vultui sponsæ obducitur, quo in memoriam reducitur velum Rebeccæ, quo sibi faciem velavit, cùm procedentem obviam sponsum suum Isaacum prospexit (Gen. 24): eodem velo obnubitur sponsus, in memoriam, uti ferunt, eversionis templi Jerosolymitani. Dein utriusque conjugis capiti imponitur *Taled*, quadratum nempe velum, totidem floccis ad quatuor angulos ornatum; hoc autem ejus rei gratiâ præstitum docent RR. quod Ruth ad Booz dixerit: *Extende pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es;* et Ezechiel. 16, 8, ubi Deus de Israelitis, quos veluti sponsam exhibet, loquitur: *Transivi per te, et vidi te, et expandi amictum meum super te, et operui ignominiam tuam; et juravi tibi et ingressus sum pactum meum, et facta es mihi.*

Tunc Rabbinus loci præfectus, sive cantor Synagogæ, vel saltem propinquior consanguineus, craterem seu vas plenum vino assumens, pronuntiatâ priùs in hæc verba benedictione: *Benedictus sis, Deus, qui creâsti marem et feminam, et matrimonium injunxisti*, etc. Sponso priùs, deinde sponsæ degustandum populum propinat. Secundum hæc, sponsus annulum digito sponsæ coram testibus, Rabbinis plerumque, inserit, hæc simul verba pronuntians: *Ecce mihi sponsa sis ex hoc annulo, secundùm institutum Moysis et Israel.* E solido auro paratum annulum, nullo adjecto gemmæ ornamento, Buxtorfius describit, docens simul, sponsum universo cœtui aureum esse illum et justi valoris approbare. Excipit deinde lectio instrumenti nuptialis, quod sponsus puellæ consanguineis servandum tradit. Iterùm post hæc vinum sive in vitro sive in fragilis materiæ vase aliquo post decantatas sex benedictiones, (septem cum priori, de quâ supra, apprecandæ sunt) iterùm novis conjugibus propinatur, quod restat, in signum lætitiæ effuso. Abreptum autem vas sponsus vi quâdam in murum sive in terram elidit, cujus confracti symbolum templi Jerosolymitani desolationem exprimit. Solet alicubi cinere ejus rei gratiâ sponsi caput inspergi. Justiorem alii moralemque interpretationem ejus cæremoniæ promunt, nimirùm ut symbolum aliquod mortis ejus festi lætitiam diluat, câque veluti imagine fragilem labilemque naturam suam in vitro expressam homines intueantur. Eò pariter spectare dicunt atra illa velamina, quibus utriusque sponsi caput obnubitur (Confer Buxtorf. et Leon. Moden. loc. cit.). Velamina illa linea, et omnibus phrygiis ornamentis, gemmis auro argentoque ornata, Seldenus post RR. præscribit (Selden. Uxor. Hebr. l. 2, c. 5).

Idem Seldenus nonnulla, non abs re prorsùs, hic referenda, in hæc omnia observat: 1° Post contracta sponsalia, et obsignatum maritale instrumentum, integrum esse sponso sponsam in ædes deducere, atque nuptias maturare. Id

tamen non sine exceptione quâdam viris permissum. 2° Si puella duodecim ætatis annum unâ die nondùm excessisset, cautum sponso ne è domo patris educeret, neve matrimonium consummaret, nisi patre et puellâ simul annuentibus; et quando etiam utrique assensum suum præbuissent, integrum erat puellæ anni dilationem petere, quo pariter jure eadem puella jam puber censebatur, quippe cui uno anno matrimonium differre integrum manebat. Quanquàm si pacta sponsalia integro anno post filiæ pubertatem celebrarentur, tunc ad unum tantùm mensem dilatio permissa. Fas etiam sponsæ ad implendas nuptias sponsum cogere; qui vicissim eodem jure ac sponsa, in differendo nempe matrimonio, censebatur. Si ultra concessum tempus nuptiæ protraherentur, alere suis impensis sponsam usque ad nuptias vir in pœnam tenebatur. Hæc disertè quidem nunquàm in Scripturâ; quæ tamen certum aliquod tempus, intra quod sponsalia definienda essent, non obscurè designat, narrans, Jacob post impletum certum tempus nuptias Rachelis à Labano exegisse (Gen. 39, 24) : *Da mihi uxorem meam, quia jam tempus impletum est, ut ingrediar ad illam.*

Festis diebus et Sabbato, à sponsalibus et connubiis ineundis apud Judæos feriatum; sunt etiam qui privilegium diei festi ad præcedentem Sabbato diem et subsequentem (Selden. ibid. l. 2), prorogent : quod testimonio Leonis Modena repugnat, ex cujus fide selectam ad eam rem sextam feriam supra retulimus. Nulla tamen Sabbati religio morabatur nuptialia illa festa, septem dierum ad minus spatio celebrata; quemadmodùm exemplis Liæ (Genes. 29, 17), Saræ junioris Tobiæ sponsæ (Tob. 13, 23), et Samsonis (Judic. 14, 15), docemur. Ad eam nuptialem pompam vir sanctè adeò adigebatur, ut plures licet feminas eâdem die duxisset, nihil de septem illis diebus demere permitteretur, inquiunt Rabbini.

Annulum sponsalitium, quo sibi sponsus puellam oppignerabat, vetustissimam esse et ad rem conjugii pertinentem cæremoniam plures autumârunt, ejusque ritûs vetustas ex altissimis repetita fontibus deducitur. Seldenus tamen recentiorem esse ex eo demonstrat, quòd ejus mentio in ritualibus quidem libris Hebræorum frequens, nuspiam tamen in Talmud occurrat; neque de annulis connubialibus quidquam in Scripturâ; laudat etiam opus Leonis Modena de cæremoniis judaicis, in quo desiisse jam annulos in connubiis Hebræorum disertis verbis asseritur. Editio itala habet plerùmque eum morem neglectum; sed versio Gallica D. Simonis impositum digito sponsæ à sponso coram duobus testibus annulum legit. Addit Seldenus, præscriptam in ritualibus eam cæremoniam loco veteris alterius jam abrogatæ, tradendi nempe sponsæ argenteâ aliquâ vel aureâ monetâ arrhas sponsalitias. Hinc ait virum illum, qui toti cæremoniæ præest, nostrâ etiam ætate, testes rogare consuevisse, num ille, quem monstrat, annulus nummum argenteum valeat; quibus affirmantibus, quærit item, num Sponsalia præcesserint, iisdemque annuentibus, statim sponsæ digito annulus inseritur. Porrò quæ de annulis nuptialibus S. Annæ, S. Joachim, S. Virginis Mariæ, S. Joseph feruntur, ad fabellas non immeritò rejicias. In cæremoniâ nuptiali Tobiæ junioris, Raguel sponsæ parens apprehensam filiæ suæ manum intra Tobiæ manus reposuit, addens (Tob. 7, 15) : *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob vobiscum sit, et ipse conjungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis.*

Coronæ nuptialis vetustior ritus, cui petita è Scripturâ exempla non desunt. Docent Judæi (Selden. Uxor. Hebr. l. 2, c. 15, ex Gemar. et aliis) coronas olim in cæremoniâ nuptiali utrumque conjugem gestâsse; sponsus quidem auream vel argenteam, vel rosis seu myrto, vel olivæ ramo contextam; sponsa verò auream, vel argenteam. Utriusque formæ coronas Mater deorum, turritas nempe referebat. Ejus rei usum interdictum fuisse aiunt post Jerosolymæ à Romanis eversionem. De coronâ sponsæ nihil in Scripturâ, nisi fortè eò spectare credatur illud Cant. 4, 8 : *Veni de Libano, veni, coronaberis.* Sed nihil de coronâ in Hebræo. De sponsi verò coronâ hæc apud Isaiam 61, 10 : *Gaudens gaudebo in Domino, qui induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me quasi sponsum decoratum coronâ, et quasi sponsam ornatam monilibus suis.* sponsa in Cantic. 3, 11 : *Videte, filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius.* Tandem auctor 3 Macchab. describit adolescentes sponsos catenarum ponderi pro coronis nuptialibus colla subdentes.

Solent nostræ ætatis Judæi super duorum conjugum, et maximè sponsæ, caput frumentum plenis manibus spargere, illum interim apprecantes : *Crescite et multiplicamini.* Adduntur alicubi nonnullæ argenteæ monetæ, quæ pauperibus colligendæ permittuntur. Olim verò in moribus positum fuisse tradunt Rab-

binorum nonnulli, ut utrique conjugi terrâ refertæ cistæ, in quibus satum antea hordeum jam germinaret, traderentur, additâ simul precatione illâ, crescerent nempe illi et augerentur, veluti frumentum illud quod cæterorum frumentorum præcocissimum est. Non abludit cæremonia illa ab hortis Adonidis, quo nomine vimineæ quædam sive argenteæ ad viminearum modum contextæ cistæ, in quibus satæ quædam herbæ (Theocrit. Idyll. 15), germinantes jam designabantur. Solebant plerùmque in festis Adonidis deferri, velut indicium quoddam cæremoniæ nuptialis. Manè tamen alterius diei ejusdem numinis funus lugebatur.

Illud etiam apud Hebræos singulare obtinebat, cùm primùm sponsus ad umbellam, sub quâ pacta nuptialia celebranda, pervenisset, sponsa à feminis deducta ter circum sponsum gyraret, juxta illud Jeremiæ 31, 22 : *Femina circumdabit virum.* Dein verò sponsus sponsam manibus tenens, semel tantùm circa umbellam ducebat (Buxtor. Synag. Jud. c. 28). Ridenda hæc quidem, nec sanè minùs ineptè Jeremiæ locus ad pompam nuptialem accommodatur; id enim tantùm insinuat Propheta, futurum ut post solutam captivitatem, felicia adeò laberentur tempora, atque civium numerus adeò floresceret, ut nulla femina de quærendo sibi viro atque gignendis filiis sollicitudine aliquâ teneretur.

Adjectum sponso paranymphum, quem Jesus Christus *amicum sponsi* (Joan. 3, 29) appellat, ex Evangelio intelligimus. Juvenum etiam nobilis comitatus selectus in obsequium illius solemni nuptiarum die. Nec simili pompâ sponsa destituebatur. Porrò nuptiarum socii spectantur in historiâ Samsonis (Judic. 14, 11), et in Cantico Canticorum (Cant. 5, 1 et 8, 13), amicæ sponsæ non semel etiam in eodem Canticorum libro parent (Cant. 1, 4, et 2, 7, et 3, 5, 11, et 5, 8, 16, et 8, 4), sicut et in Ps. 44, 8, 14, 15. Docent Rabbini, obtinuisse jam, ut in Judæâ, non verò in Galilæâ, duo paranymphi, sponso nempe et sponsæ singuli singulis assignati, ab eorum lateribus nunquàm, neque cùm ambo cubarent in lecto, abscederent, omnis nimirùm doli inter utrumque conjugem circa lineum pannum sanguine tinctum, et virginitatis indicia de quibus Moyses (Deut. 22, 15), præcavendi gratiâ. Hæc non ægrè minùs crederentur, quàm præstarentur impudenter (1). Maluerim potiùs, quod etiam ex Cantici Canticorum lectione non obscurè insinuatur, novos conjuges toto septimanæ nuptialis spatio nunquàm nisi furtim et obscuræ noctis favore, sive dubio adhuc diluculi albore convenisse, quod etiam in prolegomeno ad eum librum fusiùs à nobis demonstratum est. Porrò Rabbinorum commentum illud confusâ solùm de circumspectione ejus populi erga feminas ideâ satis superque arguitur. Nihil tale sive ex lectione Cantici, sive in nuptiis Jacob cum Liâ, junioris Tobiæ cum Sarâ, Samsonis, etc., occurrit.

In solemnitate nuptiarum puellæ semper novæ nuptæ comites adstabant, neque mixtim pueri puellæque confusi unquàm spectabantur. In Cantico Salomonis semper puellæ cum Sponsâ tripudiant, sive ante claustrum illius agunt excubias. Et cùm summo mane sponsus surgens abscedit, nunquàm puellis nuptialibus, ut sedulò obsequiis dilectæ suæ invigilent, donec ipsa è lectulo surgat, non commendat (Cant. 2, 7, et 3, 5 et 5, 8). Sponsus ipse furtim sese amicis subducit, quò sponsam noctu conveniat (Cant. 5, 1,) : rogatur autem ab illâ ut submissè loquatur, auscultari enim à pueris nuptialibus observarique animadvertit (Cant. 8, 13). Nuspiam hic sponsæ paranymphus, neque etiam sponsi, qui ab ejus latere ne cubantis quidem recedat. Paranymphi munus habebatur ut nuptias sponsi loco curaret. Cùm enim sponsus rerum gerendarum multitudine occuparetur, nec per se omnia præstare posset, ejus vicibus et secundus ab illo fungebatur paranymphus. *Qui habet sponsam, sponsus est :* (ait S. Joannes de Christo); *amicus autem sponsi, qui stat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi* (Joan. 3, 29.) Porrò vir sanctus paranymphum se Jesu Christi præstabat. Apud Græcos præ foribus nuptialis cubiculi paranymphus vigilabat (Jul. Pollux), convivium atque nuptialem omnem pompam curans. Sunt qui credant *architriclinum* illum apud S. Joannem ipsum fuisse inter sponsi amicos, cui tota convivii instruendi, præstandique ne quid deesset, cura commissa. Id maximè spectatur in convivio in Canâ, cui Jesus Christus, ejusque Mater affuerunt (Joan. 2, 9). S. Gaudentius Brixianus, tract. 9 ex Veterum traditione receptum dicit, hunc convivii præfectum è Sacerdotum numero selectum, « qui morem di-

(1) August. lib. 14, cap. 10, de Civit. Dei: Remotum ab arbitris cubile conquirit, omnesque famulos atque ipsos etiam paranymphos, et quoscumque ingredi quælibet necessitudo permiserat, ante mittit foras, quàm vel blandiri conjux conjugi incipiat.

« sciplinæ legitimæ gubernaret, curamque pu-
« doris ageret conjugalis; simul et conviviorum
« apparatum, ministros atque ordinem dispen-
« saret. »

Idem vicissim et à puellis nuptialibus cum sponsâ præstitum. Honoris gratiâ deducebant, muliebri cultu ornabant, aderant custodes, et totius festi atque ludorum consortes : non enim moribus ejus regionis permittebatur, ut mixtim cum juvenibus puellæ eidem mensæ accumberent. Ad easdem puellas etiam attinebat epithalamium sive cantilenam sponsæ congruam cantare, ipsâ sponsalitiæ solemnitatis nocte, quâ scilicet fausta novis nuptis apprecacarentur. Hinc Psal. 44 in quo epithalamium instruitur, hanc præ se fert inscriptionem : *Canticum gaudii pro dilecto.* Porrò duo erant epithalamii carminis genera (Scholiast. in Theocrit. Idyll. 18), *matutinum* nempe et *vespertinum.* Illud excitandis à somno, hoc consopiendis conjugibus. Sponsus facilè puellas nuptiales rogat, ne matutinum epithalamium cantent, illis verbis : *Ne evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Vespertini meminit Pindarus Pyth. Od. 3, utriusque Theocritus Idyll. 18.

Cùm sponsus conjugem in suas ædes reduceret, quòd plerùmque totâ septimanâ nuptiarum in domo sponsæ actâ differebatur, amicæ sponsæ illam comitabantur, omnibus interim festivis cantilenis resonantibus. Ad eam pompam nocturnum potissimùm tempus destinatum; ex quo intelligimus, cur virgines illæ, quæ in occursum conjugum festinabant, cùm fortè post datam somno brevem aliquam quietem ad strepitum venientis sponsi evigilantes, quæ lampades suas habebant instructas, à sponsis deductæ sint : quæ verò emendo sibi oleo diverterant, pompâ jam procedente et in domum sponsâ receptâ, à convivio nuptiali exclusæ sint (Matt. 25, 1, etc.).

Similis cæremoniæ descriptio in libris Machabæorum (1 Mach. 9, 39, et Joseph. lib. 13, cap. 1 Antiq.) legitur. Cùm filii Jamri solemnes nuptias in Medabâ urbe transjordanâ celebrâssent, quòd ex illis quidam filiam principis Chananæi duxissset, et sponsa in ædes viri solemni pompâ deduceretur, instrepentibus circum omnibus, quà musicorum instrumentorum, quà armorum fragore, supervenientes in nuptialem illum comitatum Machabæi, omnes dissipârunt. Facilè autem credimus, Jesum Christum illâ decem virginum parabolâ ad eas potiùs spectâsse virgines, quæ venienti in ædes viri sponsæ occurrerunt, non verò ad eas, quæ totâ septimanâ nuptiali sponsam illam comitatæ sunt. Cæterùm illud etiam animadvertendum est, occasione hujus pompæ nuptialis filiorum Jamri et Samsonis, qui Philisthæam conjugem duxit, illos Hebræorum in nuptiis mores apud finitimas etiam gentes obtinuisse ; nec satis abludit orientalis nostræ ætatis consuetudo, quemadmodùm in eâ re, sic etiam in aliis pluribus, de quibus Scriptura.

Observatum est in superioribus, consuevisse Judæos ante cæremonias nuptiales et deductos utrosque conjuges sub nuptiali umbellâ, et syngrapham maritalem signare, et de cæteris omnibus, sicut etiam de dote solvendâ, convenire. Spectavimus etiam post factam ejus syngraphæ lectionem, et post datum puellæ annulum, Scripturam illam parentum sponsæ manibus traditam. Alia tamen cæremonia in nuptiis Tobiæ servata. Raguel enim post præstitum connubio assensum, continuò manus puellæ suæ Sponsi manibus jungit, collatâque benedictione, connubium absolutum est. Post hæc omnia, scripta syngrapha maritalis, quam adscriptione suâ testes firmârunt. Nihil tale apud Judæos recentiores, ejus regionis incolas, quanquàm apud illos nuptiæ junioris Tobiæ et cæremoniæ ejusdem conjugii tanquàm exemplar felicissimi et optimè instituti connubii habeantur.

Singulæ gaudii significationes, quibus totius nuptialis cæremoniæ pompa eo septimanæ spatio plaudebatur, recenseri vix possent. Illud sanè constat, nihil oblectamentorum prætermissum à Judæis, nisi quod lege interdiceretur. Ænigma à Samsone adolescentibus nuptialibus propositum, tùm et illi singulare est (Judic. 14, 12), cùm genium illius populi de acumine ingenii præsumentis demonstrat ; ex quo pariter intelligimus junctas convivis cæterisque corporis blandimentis etiam ingenii delicias. Inambulationes in hortis et vineis observe in Cantico Canticorum (Cant. 7, 12, et 2, 11, 12) : *Manè surgamus ad vineas ;* venationes (Cant. 2, 15) : *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas :* comessationes (Cant. 5, 1) : *Comedite, amici, et inebriamini, charissimi.* Mutuis se munusculis in hortis provocabunt sponsi (Cant. 5, 1) : *Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis; comedi favum cum melle meo. Bibi vinum meum cum lacte meo.* Et alibi introductam se narrat sponsa in cellaria

dilecti sui, ubi vina et fructus servabantur (Cant. 2, 45). Porrò è mente excutienda sunt ea, quibus de magnificentiâ nostri temporis occupamur, præjudicia, et è magnarum urbium superbiâ excedendum, quo de innocentibus illis oblectamentis judicium feratur. Sponsus clam nocte intempestâ sponsam convenit, et summo mane recedit; sponsa vicissim in tenebris errabunda dilectum quærit, incidit sæpè in milites urbis custodes, qui ei insultant; non rarò filias Jerusalem offendit. Earum vicissitudinum blanda narratio, et eventus pars erat oblectamentorum, quibus tota septimana nuptialis agebatur. Quod tamen hebdomadæ spatium nullâ adeò sive lege, sive consuetudine definiebatur, quin parentum arbitrio prorogari non posset. Raguel ad duas septimanas nuptias filiæ cum juniori Tobiâ produxit (Tob. 8, 23); quanquàm pro viduæ nuptiis qualis Sara habebatur, tres tantùm dies præscriptæ à Rabbinis leges assignent.

Tradit Buxtorfius Synag. cap. 18, post celebratam sub umbellâ cæremoniam nuptialem, totum necessariorum comitatum unà cum sponsis in domum sese recipere, ac mensam continuò instrui. Tum sponsus quantâ potest venustate prolixam satis benedictionem hebraicam cantat, eâque demùm absolutâ, primò cocta pullastra, et crudum ovum mensæ apponitur. Hujus pullastræ parte aliquâ modicâ sponsa donatur à sponso, statimque veluti dato signo cæteri convivæ omnes in reliquam illam dapem sese immittunt, disjiciunt, lacerantque, ac sibi invicem illam diripientes effusèque ridentes, ovum mutuò in ora projiciunt. Post convivium, inter omnes dignissimus manu sponsum apprehendit; ejusdem vicissim manum secundus tenet, illius tertius, omnesque simul consertis inter se manibus, choream instruunt in rotundum. Surgunt pariter feminæ ad saltandum, seorsùm tamen à viris, honestissimâ manum sponsæ tenente. Porrò hujus choreæ genus vetustissimâ traditione apud Judæos obtinet; *Choream præcepti* appellant, quòd Dei præcepto pro conjugali festo injunctam ferant.

Deductio sponsæ in thalamum, Rabbinorum judicio (Maimon id. Halach ischoth; etscultham aruch, et alii apud Selden. Uxor. Hebr. l. 2, c. 13), ipsum est ultimum conjugii complementum; neque enim absolvitur sine benedictione, cæterisve ante illam cæremoniis. Porrò ante solemnem illam deductionem puella nomen *Ischa gemurah*, nempe sponsæ perfectæ non obtinet; eâ verò accedente, etiamsi consummari matrimonium, occurrente aliquo impedimento, non contigerit, uti si fortè puella menstruis laboraverit, quo tempore ad illam accedere viro capitale erat (Levit. 20, 18), nihilò tamen seciùs conjux habebatur. Si quid igitur simile contigerit, deductio mera est cæremonia; quæ deinde post receptam ab eâdem feminâ vasuetudinem iteratur. Ante deductionem illam benedictio in hæc verba coram decem viris maturâ ætate, non mancipiis, recitatur.

« Benedictus sis, Domine Deus noster, Rex « mundi, qui universa creâsti in universo in « gloriam tuam. Benedictus sis, Domine Deus « noster, Rex mundi, Creator hominis. Bene- « dictus sit Dominus Deus noster, qui creavit « hominem ad similitudinem suam et ad si- « militudinem imaginis archetypi sui, et præ- « paravit ei ex seipso structuram seu ædificium « usque in seculum. Benedictus sis, Domine « Deus noster, Creator hominis. Gaudendo gau- « debit, et exultabit sterilis, colligendo liberos « suos in sinum suum in lætitiâ. Benedictus « sis, Domine Deus noster, qui lætari facis « Sion in liberis suis; lætando lætari fac hoc « per amatum, juxta lætitiam à te donatam « creaturæ tuæ in horto Eden ab antiquo. « Benedictus sis, Domine Deus noster, qui « lætari facis sponsum et sponsam. Benedi- « ctus sis, Domine Deus noster, Rex mundi, qui « creavit gaudium et lætitiam sponso et spon- « sæ, exultationem, cantum, hilaritatem, jubi- « lationem, amorem, fraternitatem, pacem et « amicitiam. Confestim, Domine Deus noster, « audiatur in urbibus Judææ, et in plateis « Jerusalem vox gaudii et lætitiæ, vox sponsi « et sponsæ, vox affectûs mutui sponsorum « ex thalamo suo, et pueri è choro modulatio- « nis suæ, Benedictus sis, Domine Deus noster, « qui lætari facis sponsum cum sponsâ. » (Vide Talmud. ad tit. Cetuboth. Vide et Selden. Uxor. Hebr. lib. 2, cap. 12.)

Eas benedictiones summoperè observant Rabbini, quippè quas ab Esdrâ derivatas credunt (Maimon Halach Kiriath Schemai, cap. 1, § 7). Sed recentiores suspicamur. Porrò verba illa: *Confestim, Domine Deus noster, audiatur in urbibus Judææ et in plateis Jerusalem vox gaudii et lætitiæ, vox sponsi et sponsæ,* satis designant recentiorem esse formulam eversione Jerusalem et Judæorum omnium dispersione. Vetustiores planè benedictionum formulas exhibet Scriptura, in eâ quâ fratres Rebeccæ sorori imprecati sunt, cùm ad sponsum Isaacum iret: *Soror nostra es, crescas in mille millia, et*

possideat semen tuum portas inimicorum suorum (Gen. 24). Cùm Ruth Booz nupsit, omnes qui ante fores urbis fortè aderant, ita novæ nuptæ (Ruth. 4, 11) faustè acclamârunt : *Faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur in domum tuam, sicut Rachel et Lia, quæ ædificaverunt domum Israel* (perpetuâ nempe filiorum serie), *ut sit exemplum virtutis in Ephratâ* (œconomiæ nempe maritalisque virtutis) *et habeat celebre nomen in Bethleem, fiatque domus tua sicut Phares, quem Thamar peperit Judæ, de semine quod tibi dederit Dominus de hâc puellâ*, etc.

DE MULIERE HEBRÆA

ET DE CONNUBIIS APUD JUDÆOS RECENTIORES (1).

I. In Thalmude matrimonium habetur ut officium lege præscriptum et in hoc versiculo Genesis inclusum : *Procreate et multiplicamini.* Qui præceptum negligit procreationis et multiplicationis, homicidium admittit, et in causâ est cur Deus Israel derelinquat. Ætas optima est circa tredecim annos, bona ætas circa duodeviginti.

« Qui viginti annis natus uxorem ducere « non vult, vi justitiæ ad hoc cogendus est. »

Minor severitas adhibetur erga illos qui studio legis incumbunt. Cohabitatio præscribitur donec pueri ad minimùm duo nati fuerint; postea manet ad libitum; minutissima addit Thalmud, quæ nobis referre non licet, de intimo conjugum commercio; juxta hunc codicem, stimulus omnis una est ex illis abominationibus quæ diluvium super terram adduxerunt; quidquid verò ad familiam minuendam tendit, homicidio assimilatur. Viro ducere licet tot uxores quot potest nutrire; æquum est tamen uxores quatuor tantùm ducere ut cuique per mensem saltem debitum reddatur.

« In locis ubi consuetudo viget unius tan- « tùm ducendæ uxoris, præter suam non licet « aliam ducere uxorem. Rabbi Gerson anathe- « ma profert adversùs illum qui, uxorem ha- « bens, aliam adhuc ducit, præter casum le- « virati, et sponsæ. »

Ille Rabbi Gerson natus Metis in Galliâ, cognomine *lumen exilii*, statutorum illustris auctor, defunctus anno 1070, primus est qui Judæis Occidentis polygamiam expressè prohibuerit; illius autem statuta non universè admissa fuerunt, ipsumque tempus prohibitionis sub anathematis pœnâ desiit ex anno 1330 vulgaris æræ. Lex igitur civilis tantùm Judæis polygamiam prohibet, haud secùs ac divortium, etsi nonnunquàm Thalmudicâ lege præscribatur, videlicet cùm improbam agendi rationem præ se fert uxor, vel cùm sterilis per decem annos perstat, etc.

II. Præcipit Thalmud ut non ducatur mulier aliquod vitium habens :

« Qui mendosam uxorem ducit difformes « habebit liberos. »

De mente perindè ac de corpore hoc intelligendum est. Invitâ hâc interdictione, apud Judæos et præsertim in divitibus familiis pecunia præcipuum est incitamentum illorum connubiorum. Sæpissimè patrantur illæ transactiones per quosdam mediatores (1) nomine Schadchanim notos, è voce chaldaicâ שידוך *rami intertexti.* Cùm verò mediatori debita merces pro ratâ parte dotium exsolvatur, illorum curatorum interest variarum urbium et regionum familias locupletissimas conjungere. Ita divites familiæ septentrionalis Galliæ conjugia ineunt nonnunquàm cum australi regione, sæpissimè cum Germaniâ, rarò in aliis regionibus; familiæ Galliæ meridionalis cum familiis Italiæ septentrionalis, et confinibus Asiæ et Africæ affinitatem jungunt. Cùm inter ipsos tantùm uxores quærant, Judæi coguntur procul et foras inquirere congruas affinitates; in his conjugiis attamen ex improviso factis, et supputatis, sæpè reperitur domestica felicitas; quod quidem eximiæ mulierum judæarum agendi rationi assignandum est; virtutem in illarum mentibus à teneris defigit religio puritana,

(1) Auctore D. Munck, in Bibliis Cahen, t. 5, p. 49. Brevis hujus notitiæ redactorem judæum esse meminerint lectores, precamur.

(1) Apud Græcos, proxenetæ.

ab omni intemperantiâ abhorrens, quæ adulterium flagitium infame existimat, imò scelerum gravissimum, quod nullus prætextus, amoris impetus nullus obtegere potest : facinus minimè ignoscendum aut excusandum, et cui semper imminent fulmina Dei usque ad quartam generationem castigantis iniquitates. Vis religiosa suum etiam sortita est effectum. Timendum igitur ne religiosi cultûs progrediens imminutio quæ cultum nunc exoticum et à moribus Europæis discrepantem prosequitur, tandem puritatem hanc immutet, haud secùs ac illam cogitationis et actionis castitatem quâ Judæorum familiæ diù floruerunt.

III. Sponsalium status vulgò conjugii statum antecedit. Conveniunt parentes et de conditionibus contendunt. Cùm pacta statuta sunt, paratur contractus quem scripto tradit regionis scriba. Semper repromittitur retractationis pœna casu disjunctionis, et vulgò pollicentur parentes novos conjuges per aliquod tempus in domo patriâ alendos; sponso nomen *Hatan* (חתן) et sponsæ nomen *Calah* (כלה) indicitur. Sponsalia nonnullos menses imò annos aliquando durant. Hæc mixta conditio, cùm nimiusculùm protenditur, maximam familiaritatem permittit juvenibus, et non rara incommoda gignit. Mos est sponsos et etiam illorum parentes mutuò sibi munera largiri.

IV. Conjugium propriè dictum nominatur נישואין, *possessionis sumptio*, et factum quo probatur, *Kidouschim* (קדושים) nominatur, vel *sancta;* jam diximus matrimonium esse in Judæo codice factum merè civile. Tres sunt modi uxoris acquirendæ: 1° emptione; 2° cohabitatione; 3° contractu. Pecuniam (*paratæ* æquivalentem) vir dare debet, cum muliere cohabitare coram testibus, et hæc verba sacra proferre : *Hoc mihi nunc dicaris;* vel hanc formulam inscribit papyri fragmento quod puellæ dat coram testibus, sicque fit illius uxor. Vox hebraica quam melioris defectu verbo *dicari* traducimus factum propriè significat quo res à communi dominio retrahitur ut unico possessori tribuatur. Mulieris verò consensus et duorum saltem testium semper est præhabendus : « Suâ tantùm voluntate mulier dicatur, coacta « non dicatur. » Usus invaluit dicendi hæc verba sacra sub umbellâ fimbriatâ; hoc præcipuum est factum post quod divortio tantùm duo sponsi disjungi possunt. Deinde ad domum nuptæ divertitur, et hic proferuntur, vulgò canendo, benedictiones septem cæremoniæ congruentes : hoc est quod rituale nominat *sponsorum benedictiones.* Illas infra dabimus.

Ex præcedentibus dictis videre est actum civilem, qualis fit coram ministro publico (le maire), præcipuum constituere factum et utramque partem adstringere juxta codicem antiquum Thalmudis. Non obligatoriæ sunt aliæ cæremoniæ, sed non ideò inutiles. Semper utile est benedictionem cœli in factum vitæ socialis gravissimum invocare.

Hymenæi celebrationem comitantur lætitiæ significationes processionibus, epulis, choreis, cæremoniis præsertim constantes, quæ etiam reperiuntur in festis nuptialibus veterum recentiumque Græcorum, quorum imitationes esse videntur festa Judæorum. Ast nobis sufficit usus narrare antiqui Consistorii Metensis, adhuc fermè cunctos subsistentes. Diebus octo ante diem condictum ad conjugium, in domo quisque paternâ sponsus et sponsa includuntur, nec possunt exire, probabiliter ad firmandam, hâc separatione, conjunctionis cupiditatem, et præsertim ad repellendum effectus *aspectûs funesti* (עין הרע), maleficia instantia illis qui felicitate modò fruituri sunt. Sociæ puellam invisunt, ut secessûs tædium pellant, et simul cum illâ variis ludis indulgent, scilicet inter alios ludo dicto *astragalorum.* Singulari similitudine ludus ille in idiomate teutonico Judæorum Messinorum sub nomine *strolgues* indicatur, apertè derivato è græcâ denominatione (*astragalion*). Sponsa sic primùm introducitur à suâ matre aliisque matronis in aquæ vivæ balneum, quo mundari debet omnis nupta mulier ad finem utriusque periodici reditûs; quamdiù durat hicce status, et ante illam ablutionem, non solùm à lecto nuptiali exulat sponsus, sed uxorem tangere ne digito quidem illi fas est, in verbi severo litteralique sensu. Per hanc detentionis hebdomadem festi fiunt apparatus; parentes designant paranymphos, scilicet qui debent sponsos comitari, viros sponso, et mulieres sponsæ; appetuntur hice honores et in familiis occasiones discordiæ sæpè fiunt. Pridiè solemnis diei sub vesperum invitatorum agmen musicâ antecessum in luce tædarum divertitur ad puellæ domum, et super pelvi argenteâ sponsi futuri munera illi defert; hæc est vespera *sablonoth* (סבלנות), munerum; epulis in domo conjugis utriusque paratis terminatur. Puella vinculo cingitur argenteo quod sponsus nocte posteræ diei solvere debebit. Posterâ die

ante preces matutinas ad domum sponsi divertitur agmen; hìc ingentia ex argento vasa apparent plena tritici quod fœcunditatem significat. Quisque ex illo tritico manipulum sumit: cur hoc fiat mox videbimus. Organis præeuntibus, comitatus agmine, duos inter paranymphos incedens ducitur sponsus in synagogæ peristylum; eodem cum apparatu hùc sponsa adducitur et juxta sponsum sedet; uterque velo obtegitur, nec loqui nec etiam sese aspicere debent; si inter illos separatio quædam animadvertitur, conjugium non patrandum esse præsumitur; quod præsentium maligna dicta provocat. Hoc temporis puncto, assistentes injiciunt in conjuges tritici manipulos et clamant, *prou ourvou* (פרו ורבו), *multiplicamini et crescite;* dein puella domum suam reducitur, dùm in synagogâ perstat sponsus. Hæc dies omnibus lætabunda gravis est et sat lugubris heroidi festi: suis enim funebribus vestimentis induitur et quâdam mitrâ tegitur altissimâ paleolis vittisque aureis effulgente, unde nomen *chopele klenke,* derivatum è Gallico *chapeau à clinquant,* et perinde ac sponsus arcto jejunio adstringitur. Circa decimam vel undecimam horam, solemniter ducitur in cubiculum synagogæ confine. Illam invadunt matronæ, crines dolenti radunt inclementer, vel replicant illos ita ut à nemine videri possint; Judæa enim mulier post initum matrimonium alieno crines ostendere non debet. Ad avocandum ab hoc facto tristitiæ signum, illic adest scriba qui altâ voce legit et inscribit numerosa munera juvenibus conjugibus data ab amicis et parentibus ad gradum usque remotissimum. Vix ad parentes rediit sponsa, cùm ultimò occupatur et in aulam synagogæ ducitur sub umbellâ solemni de quo supra facta est mentio. Item de sponso. Inter eundum ante illos moduli huic cæremoniæ dicati exprimuntur, et scripti rhythmo tam elegiaco, tam flebili, ut indicare planè possint mox supplicio plectendos. Umbellâ protectus verba sacra sponsus profert: *Mihi hoc dicaris,* et ex tunc sponsi conjuges sunt. Auferitur umbella, sponsus in altum jacit lagenam vini plenam, quæ frangitur humi; hoc præscribitur in magnis lætitiis ad illas parumper temperandas parvo incommodo, cùm illis pleniùs indulgere non liceat, ex quo cecidit Jerusalem. Finitâ cæremoniâ, agmina duo miscentur, conjugesque reducuntur domum uxoris. Novi conjuges jentaculum sumunt, et coram illis pronuntiantur septem benedictiones; choreis, epulis, ludis variis reliqua dies datur. Sub vesperum clam effugiunt conjuges ad thalamum. Ubi consummatum est matrimonium, vir citò secubare debet, ne impura facta sit uxor. Hanc de hâc circumstantiâ mater vel cognata certiorem facit. Dies septem sequentes lætitiæ adhuc dicantur, fiunt prandia ad quæ multi invitantur. Nonnunquàm impensæ satis graves sunt, ut dotis partem absumant; stipulationum expressarum in contractu nuptiali necessitatem imponunt; hæc erant patrum nostrorum gaudia quorum memoria in corde senum viget adhuc; superstitiosa verò dogmata, idiomata, traditiones, mores, omnia evanescunt et lentâ luctatione moriuntur, sicut quæcumque diù exstiterunt; cum natione Gallicâ coalescentes posteri nostri, Judæorum patrum obliviscentur, haud aliter ac Normannorum è memoriâ excidère homines septentrionis quorum posteri sunt.

DE MULIERIBUS PROHIBITIS.

Duo genera prohibitionum conjugalium Thalmud distinguit; aliæ dicuntur *legales,* id est, in lege Moysis inclusæ, aliæ dicuntur *magistrales,* vel Rabbinicæ, quæ ex Rabbinorum decretis constant. En illas, et alias.

1° *Prohibitiones legales* — 1° Mater; 2° uxor patris; 3° uxor fratris patris; pater et avunculus eodem patre orti; 4° soror, sive paterna, sive materna; 5° filia; 6° neptis; 7° filia et neptis suæ uxoris; 8° mater et ava suæ uxoris; 9° soror patris vel matris, soror eodem patre vel eâdem matre orta; 10° uxor sui filii; 11° uxor sui fratris, sive paterni, sive materni; 12° soror suæ uxoris (uxore vivente).

2° *Prohibitiones Rabbinicæ.* — 1° Linea ascendens materna; 2° mater patris suæ matris; altiùs prohibitio non ascendit; 3° mater sui patris et omnis majorum series; 4° mater patris sui patris; 5° uxor patris sui patris et omnis majorum series sui patris; ita ut, inquit Thalmud, prohibeatur uxor Jacobi patriarchæ; 6° uxor patris suæ matris, altiùs non ascendit; 7° uxor fratris sui patris, patris et avunculi eâdem matre ortorum; 8° uxor fratris matris, matris et avunculi ortorum vel eodem patre, vel eâdem matre; 9° suæ proneptides sine intermissione; 10° suæ proneptides suâ uxore ortæ; 11° suæ mulieris avæ omni gradu; 12° uxor filii sui filii sine intermissione, ita ut nullam Judæam puellam uxorem ducere Jacob posset; 13° uxor filii suæ filiæ. Hic stat prohibitio.

Permittuntur: 1° filia uxoris sui patris; 2° filia avunculi, sive paterni, sive materni; 3° neptis; 4° uxor fratris avi paterni; 5° uxor sui leviri. Conjugia pacta cum mulieribus *legaliter* prohibitis jure nulla sunt; et cum mulieribus *Rabbinicè* prohibitis devortium necessarium est.

VII. Consuetudo viguit non celebrandi conjugia die Veneris, in fine mensis, nec feriato die. Dies maximè virgini propitius est Mercurii dies et viduæ Jovis dies initio mensis. Hæc sunt consilia et non præscriptiones, præter quod ad dies feriatos spectat.

VIII. Sponsum et sponsam hilarare officium est, necnon saltare coram eis, sponsamque pulchram ac sapientem dicere, licet pulchra non sit.

BENEDICTIONES NUPTIALES.

« 1 A. Benedictus sit Æternus, Deus noster, « rex orbis universi qui fructum vineæ crea« vit.

« 2. Benedictus sit Æternus, Deus noster, « rex orbis universi, qui nos præceptis suis « sanctificavit, qui nobis mandavit quod spe« ctat ad consanguineas prohibitiones, qui spon« sas nobis interdixit, et nobis permisit illas « quas duximus per *houpa* (umbellam) et *ki*« *douschine* (consecrationem). Benedictus sis, « Æterne, qui populum tuum sanctificas per « *houpa* et *kidouschine*. »

Degustant sponsus ac sponsa vinum quod eis in poculo Rabbi porrigit; deinde sponsus dicit ad sponsam : « Mihi diceris hoc annulo se« cundùm legem Moysis et Israel. »

Post contractûs lectionem, aliquis precem n° 1 iterat.

SEPTEM BENEDICTIONES.

« 1 B. Benedictus sit Æternus, Deus no« ster, rex orbis universi, qui omnia creavit « propter gloriam suam.

« 2. Benedictus sit Æternus, Deus noster, « rex orbis universi, qui hominem effinxit.

« 3. Benedictus sit Æternus, Deus noster, « rex orbis universi, qui hominem ad imagi« nem suam effinxit, imaginem, similitudi« nem sui typi, et illi ex ipsâ ipsius carne « ædem struxit in generis perennitatem. Be« nedictus sit Æternus, qui hominem effinxit.

« 4. Lætifica, ô lætifica mulierem sterilem, « et illi gaudium largiaris liberis ipsius eam « circumcingendo cum lætitiâ. Benedictus sit « Æternus, qui lætificat Tsione (Sion) cum « filiis suis.

« 5. Lætifica, lætificabis amicos dilectos, « sicut initio lætificâsti creaturam tuam in « horto Eden. Benedictus sit Æternus, qui « lætificat *Hatan* (novum conjugem) cum *Ca*« *lah* (novâ uxore).

« 6. Benedictus sit Æternus, Deus noster, « qui creavit lætitiam et hilaritatem, *Hatan*, et « *Calah*, gaudium et clamores exultationis, sa« tisfactionem et familiaritatem, amorem et « fraternitatem, pacem et concordiam; mox, « Æterne, Deus noster, audiantur in urbibus « Juda et in viis Jerusalem, sonus lætitiæ et « hilaritatis, vox *Hatan*, et *Calah*, resonantia « ludorum *Hatan* sub suis *houpa*, et juvenum « in suis festis et cantibus. Benedictus sit « Æternus, qui lætificat *Hatan* cum *Calah*. »

Cunctas benedictiones præcedentes pronuntiant invitati à parentibus, in spatio variorum actuum quibus constat conjugii cæremonia. Consistorii Parisiensis decretum has preces recitari prohibet ab alio ac Rabbi vel uno ex ministris. Ab initio orationis 1 B. incipiunt benedictiones septem quæ inter prandendum canuntur.

« 7. Repelle dolorem et iram, tunc mutus « audietur canens; deduc nos per semitas « justitiæ, accipe benedictionem filiorum *Jes*« *chouroune* (Israel). Permittentibus ducibus « nostris, magistris et præceptoribus, bene« dicamus Deo nostro in cujus domo invenitur « lætitia, et ex cujus bonis comedimus. »

Convivæ respondent :

« Benedictus sit Deus noster in cujus domo « lætitia invenitur, ex cujus bonis comedimus, « et cujus bonitate vivimus. »

Qui recitat cœnæ benedictionem repetit : « Benedictus sit Deus noster in domo cujus « lætitia invenitur, ex bonis cujus comedimus, « et cujus bonitate vivimus. »

Sequuntur preces quæ post cœnam recitantantur, quasque in Judæorum rituali reperire est.

DE DIVORTIIS

Dissertatio.

Quæcumque gentes connubia jure tantùm politico spectantes perinde habuerunt ac meram et simplicem pactionem, inter virum et mulierem initam, quâ corporum et bonorum communione mutuò consociarentur ; illæ sanè omnes, quemadmodùm mutuo consensu constare illa, ita divortium, quod connubii societatem abrumpit, mutuo partium recedentium consensu, sive prioris assensûs revocatione ab utrâque simul, vel ab unâ tantùm ex partibus factâ, induci posse autumârunt. Ex hoc autem apud eas gentes illud consequebatur, ut divortium tanquàm naturali jure singulis permissum, licitum sibi quâcumque demùm ex causâ ducerent; quo semel facto utrique parti nova inire connubia, novisque legibus alterum sibi conjugem adsciscere integrum erat. Eò tandem licentiæ venerunt, ut alteri ab altero recedere, illo etiam invito et renuente, fas esse dicerent, quod sanè citra æquitatis dispendium nunquàm fieri potuisse constat ; nisi eâ tacitâ lege pacta connubialia sancirentur, ut sive uni tantùm ex contrahentibus, sive utrique pro arbitrio recedere facultas esset.

Verùm, si religionis etiam partes in iis connubiis spectentur, quæ sanè religio juxta Dei consilium vinculo quodam indissolubili in unam divini humanique juris societatem conjuges jungit (1), tunc prorsùs, quod matrimonium ritè contractum dissolvat, nihil est, atque divortii libertatem, qualis apud paganos obtinebat, tanquàm sancitæ à creatore legis violationem habendam esse constat.

Cùm verò legislatori tolerare divortium, ut imbecilliori populo indulgeret, visum sit, tum et Christus dimittendi, conjugem, limitatam tamen et ad certas causas atque rationes, facultatem permiserit, operæ pretium duximus in unam sermonis seriem ea omnia redigere, quæ de hoc argumento collegimus, veriti ne suis locis singula distribuentes, lectorem haberemus nimis distractum, quominùs totius rei seriem teneret.

Eo quidem temporis spatio, quod Mosaicam legem præcedit, rara suppetunt exempla divortii. Abraham famulam suam Agar conjugem inferioris ordinis, intolerabili mulieris fastu provocatus repudiavit, solâ sibi reservatâ Sarâ, sterili quidem, sed morigerâ conjuge, (Gen. 21, 14). Onkelos, et Jerosolymitanus paraphrastes(1) quos rabbinorum turba secuta est, totam murmuris Aaronis et Mariæ in Moysen (vide Num, 12, 1) causam tribuunt repudio, ab eodem Moyse dicto filiæ regis Æthiopiæ (Tharbim appellant), de quo conjugio Josephus (Antiq. l. 2, c. 5) ; alii rejectam ab eo Sephoram malunt. Nos tamen neutram credimus, neque in exemplum divortii venisse unquàm Moysen in animum inducere possumus ; quamvis enim Sephoram ad parentem Jethro remisisset (Exod. 4, 26), id tamen ad tempus factum est, atque veniens in castra Jethro uxorem ad virum non reduxit tantùm (Exod. 1, 8, 6), sed recedens apud illum reliquit. Fateamur tamen oportet ante legem divortia tùm apud alios cùm apud Hebræos obtinuisse, cùm Jesus Christus permissa fuisse à Moyse divortia affirmaverit, quòd Judæi obfirmato essent in illâ animo (Matth. 19, 8), eorumque inhibitione mala pejora timeret.

Seriùs planè legislator legem de divortiis tulit ; non enim priùs rogâsse legimus, quàm cùm paulò ante obitum orationem in Deuteronomio relatam ad populum haberet (Deut. 24, 1, 4). En illam : *Si acceperit homo uxorem, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter*

(1) « Matrimonium est maris et feminæ « conjunctio, individuam vitæ consuetudinem « continens, divini humanique juris commu- « nicatio. » L. 1 de Rit. nupt., et can. 1, caus. 27, q. 2.

(1) Falsò hìc accensent Onkelos ac paraphrastem hierosolymitanum. Hic error tribuendus est falsæ bibliorum Londinensium interpretationi, in quibus verbum chaldaicum רחיק, vertitur *repudiare*, dùm germanus sensus est, *separare se quoad thorum*, non autem *divortio*, ut videre licet in versu sequenti textûs chaldaici דאתפרש מתשמיש דעדים, id est, *eò quòd abstinuisset ab usu thori. Repudiare* rectè redditur verbo chaldaico פטר, vel תרך. (Drach. Bibl. de Vence, edit. 1828-1829.)

aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo suâ. Cùmque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque libellum repudii... vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, et abominabilis facta coram Domino.

Quid sit autem illud : *Propter aliquam fœditatem*, hebr. ad litteram : *Propter aliquam nuditatem ; verbum nuditatis*, seu *verecundiæ*, inter veteres, sicut etiam recentiores interpretes ambigitur. Nuditatis nomine in sacrâ Scripturâ plerùmque fœdum aliquid et pudori contrarium designatur : *Turpitudinem matris tuæ non discooperies*, ait Moyses Levit. 18, 6, etc. *Prohibe pedem tuum à nuditate*, ait Jeremias, cap. 2, v. 25; et alius propheta (Nahum 3, 5) : *Ostendam gentibus nuditatem tuam.* Septuaginta dictum exponunt de turpi aliquo actu. Tertullianus legit (cont. Marc. l. 4) : *Impudicum negotium;* in quem etiam sensum inclinantes optimi quique commentatores, eâ tantùm ratione divortia permitti Judæis autumant, si adulterium, vel aliquid impudicum commissum fuisse, non levi quodam rumore et conjecturâ tantùm aliquâ, sed certis argumentis constaret; pro solâ enim suspicione fidei in conjugio violatæ, aquas zelotypiæ destinatas legimus.

Veterum Israelitarum mores huic interpretationi planè congruunt ; nulla enim aperta et explorata divortii exempla sub lege suppetunt. Docent insuper Judæi, Davidem ipsum, cùm permissum decem et octo uxorum numerum implêsset, ac vellet Abisag decimam nonam ducere (Rab. Schamau; Bend Abba in Gemar. Babyl. ad tit. Sanhed. c. 2) ut id præstare, sive saltem unâ ex prioribus uxoribus repudiatâ, puellam ejus loco substituere permitteretur, nunquàm impetrare potuisse; quare inter concubinas vel uxores inferioris ordinis illam recipere coactus est. Sed ne rabbinicis commentis immoremur, illud constat, Davidem, violatas publico incestu ab Absalone uxores suas ne abjecisse quidem, intra aulam perpetuò clausas eas detinere contentum (2 Reg. 20, 3). Ut uxorem, cui olim ab ineunte adolescentiâ fidem addiximus, perpetuam tori sociam habeamus, Salomon etiam atque etiam hortatur (Prov. 5, 18, 19, 25); sed adulterio ream uxorem penès se detinuisse stolidi esse atque impii viri crimen profitetur ; quo scilicet dicto hanc unam causam dimittendi uxorem designare videtur. Malachias eo nomine Abrahamum laudat, quòd uxorem suam Saram, quamvis sterilem, sustinuerit ; Judæos verò in divortia pronos ita verbis castigat (Malach. 2, 15) : *Non respiciam ultra ad sacrificium... et dixisti : Quam ob causam ? Quia Dominus testificatus est inter te, et uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti ; et hæc particeps tua, et uxor fœderis tui.* Et Michæas (Mich. 2, 9) : *Mulieres populi mei ejecistis de domo deliciarum suarum, à parvulis earum tulistis laudem meam in perpetuum.* Tandem Moyses mentem hâc in re suam satis prodit, cùm uxorem antea dimissam, et alteri deinde viro nuptam, ad priorem restitui torum post obitum secundi illius conjugis vetat, eò quòd, ait, *polluta est, et abominabilis facta est coram Domino,* easdemque repudiatas feminas eodem cum prostitutis et vitiatis sensu haberi jubet à sacerdotibus, injungens ut ab iis simul omnibus abstineant (Levit. 21 , 7, 14). Quid etiam frequentius prophetis, quàm sub ideâ divortii, veras ejus causas, nempe perfidiam, idololatriam et crimina Israelitarum prosequantur (Ezech. 44, 22)? Tetricum hoc feminæ à maritali toro avulsæ spectrum ita sub oculis Salomon exhibet (Vide Isa. 50, 1, etc., 54, 4, et Jer. 3, 8) : *Ut eruatis à muliere alienâ et ab extraneâ, quæ mollit sermones suos, et relinquit ducem pubertatis suæ, et pacti Dei sui oblita est; inclinata est enim ad mortem domus ejus, et ad inferos* (seu ad sepulcrum) *semita ipsius ; omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur.*

Rabbini in divortium alioqui indulgentissimi, id tamen apud sapientissimos et religiosissimos gentis suæ viros nunquàm usu receptum fuisse, omni legis privilegio renuntiantes, ultrò fatentur : si quando autem, addunt, à quodam ex illis factum constat, id nonnisi summo consilio et cautione admissum est; maximè si de uxore primâ omnium in torum admissâ, in Scripturâ, *uxore pubertatis,* dimittendâ ageretur. Quicumque priorem uxorem dimittit, ille ex ipso altari lacrymas crimine suo exprimit, ait Rabbi Eliezer. Laudatur etiam in eam rem vetus parænia Rabbi Ben Sira : *Abrode os quod tibi projectum est ;* nempe tene uxorem quæ tibi primò contigit : Varro de hoc argumento : *Uxoris vitium,* ait, *tollas opus est, aut feras. Qui tollit vitium, uxorem commodiusculam sibi præstat ; qui fert, se meliorem facit.*

Quod tandem apertissimè demonstrat rariora fuisse apud veteres Hebræos divortia, illud est, nimirùm leges apud Moysen dari nonnullas, quibus diversa prorsùs consuetudo inculcatur. Ita lege injunctum est, ut si quis vir in

uxorem suam sinistri aliquid intentans, virginem ad nuptias non venisse accusaverit, feminæ illius necessarii ejus causam in judicio defendant, quibus agentibus si fortè mulier absolvatur, vir ejus ante cæsus, injustæ accusationis insuper pœnam luat 100 siclis ejusdem feminæ patri solvendis (Prov. 2. 17, 18; Deut. 22, 23, etc.), tum et omni in posterum facultate uxorem illam repudiandi privetur. Porrò si divortium ad manus fuisset, cur invisam feminam vir continuò non dimitteret? Paria de iis conjicio, quibus fides uxoris suæ non leviter suspecta est; hanc enim amaricantium aquarum experimento probare tantùm in lege (Num. 5, 14) datum est, ex quo illud mihi deducendum esse videtur, nullam fuisse viris dimittendi uxores suspectas potestatem. Jubet tandem legislator, virum qui ex binis simul ductis uxoribus præ alterâ alteram diligat, jure tamen hæreditatis minùs dilectæ uxoris filium non fraudare, ut alterum ex dilectâ genitum, sed natu minorem, præponat (Deut. 21, 15, 16, 17): cur invisam illam feminam cum natis vir non dimisisset, si divortium pronum erat? Jus etiam divortii perpetuò negatum ei, qui violatam à se feminam ducere judicis sententiâ damnatus fuerat (Deut. 22, 29); quasi scilicet post inustam eam feminæ notam, quòd illam dimittere permitteretur nihil esset.

Ferunt, labentibus jam reipublicæ hebreæ annis, paulò scilicet ante Christi adventum (Selden. Uxor Heb. l. 3, cap. 18 et 20), in immensum jam auctis criminibus, atque divortii malo per universam latè Judæam prorogato, acrem inter hebræos doctores agitatam fuisse controversiam de sensu verborum Moysis, quibus divortii causæ assignantur, *propter aliquam fœditatem.* Quâ in re scholæ *Hillel et Sammaiæ* (doctores erant celebratissimi paulò ante Jesu Christi ætatem, scriptis Josephi Antiq. l. 14, c. 16, et l. 15, c. 1 et 15, et S. Hieronymi (1) noti) partes inter se contrarias tuebantur. Sammaias enim in magno Sanhedrio secundus à principe, in eâ erat sententiâ, ut divortio inducendo obscœnum aliquid et impudicum, cujus pars repudiata culparetur, intercessisse deberet.

Verùm Hillel insignis alter Rabbinus, qui Sammaiam habuerat discipulum, scholæ florentissimæ moderator, quæcumque prætenderetur, causam ad divortium satis haberi contendebat, e. g., si carnes plus nimiò uxor decoxisset, si alterâ muliere plus delectaretur, vir poterat prioribus relictis ad optatas nuptias transire. In quam sententiam ita distrahebat textum legis quasi particula aliqua disjunctiva intercederet, ut esset sensus, *propter aliquid, seu propter fœditatem.* Ejus doctoris sententia, malè licet textui cohærens, ut vis litteræ illata ultrò appareat, suos tamen patronos nec raros nacta est. Akiba, cujus sententia in Misnâ refertur, suo illam suffragio non fulsit tantùm, sed mirè provehens sufficere ad divortium autumavit, si viro uxor non usquequàque placeret; huic doctori ita legitur textus : *Si acceperit homo uxorem, et non invenerit* (uxor) *gratiam coram oculis ejus, seu invenerit* (vir) *in eâ aliquam fœditatem,* etc. Duabus igitur de causis divortium permittebatur; si uxor marito minùs placeret, et si turpe aliquid admisisset.

Tantorum doctorum nomine et auctoritate invalescens opinio, cui etiam illud commodi accedebat, ut concupiscentiæ frena laxaret, brevi super aliam obtinuit, ut mores Judæorum olim, et nostrâ etiam ætate vulgaris Rabbinorum sententia ad eam conformarentur.

Quanquàm Salvatoris ætate res pendere adhuc in lance, Sammaiæ opinione nondùm penitùs abjectâ, videtur. Pharisæi enim ad Christum venientes interrogârunt : *Si licet homini dimittere uxorem suam quâcumque ex causâ* (Matth. 19, 3). Sed non diù post, nempe Josephi et Philonis ætate, res adeò ad licentiam inclinavit, ut divortium quâcumque demùm ex causâ induci posse ne ambigerent quidem. In hunc sensum legis verba Philo interpretatus (De special. Legib. ad præc. 6, 7), ait : *Si mulier quâcumque ex causâ repudiata.* Et Josephus (Antiq. l. 4, c. 8) paria sentiens : *Qui à conjuge,* ait, *quâcumque de causâ, ut sæpè hominibus usuvenit, disjungi postulat, scripto ei securitatem faciat;* nec aliam se habuisse causam uxorem suam repudiandi, quàm quòd genio suo minùs congrueret, in Vitâ suâ profitetur.

Judæis nostræ ætatis idem probatur. Feminam, morigeram licet et modestam, repudiare, ait Leo Modena (Rit. hebraici pag. 4, cap. 9), viris integrum est, si fortè tædio aliquo illius teneantur. Sed jus illud tot clausulis et conditionibus obvolverunt Rabbini, ut divortii causâ in longum protractâ, partibus interim inter se compositis, vix absolvatur unquàm.

(1) In Isai cap. 8 : « Sammai et Hillel non « multò priùs quàm Dominus nasceretur, orti « sunt in Judæâ. »

Traditione receptum tenent Judæi, milites omnes in bellum profecturos repudii libellum uxoribus suis misisse, datâ illis facultate, ut elapso triennio, si fortè in hostium potestatem captivi venissent, alias sibi nuptias procurarent. In hunc sensum interpretantur Rabbini illud 1 Reg. 17, 18 : *Fratres tuos visitabis, et cum quibus ordinati sunt disces*, hebr. *et pignus eorum tolles*, id est, ut ipsi quidem exponunt, libellos divortii. Eas pariter litteras datas comminiscuntur uxori ab Uriâ, quibus, si fortè in hostium potestatem ipse venisset, eidem feminæ alias sibi nuptias conciliare ejus esset. Veteris hujus moris, dubii planè, et, ne quid gravius dicam, incerti meminit auctor Tradit. hebraic. in libros Regg. et Paralipp.

Facilè, quantùm arbitror, ex ipso legis textu, à nobis descripto, intellexisse lectores poterunt, divortii privilegium ad viros tantùm spectâsse, non ad feminas. Cùm sanè apud Orientales feminarum minùs ratio habeatur, ac solùm veluti necessarium vitæ commodum virilisque dominii portio respiciantur, in societatis jura nunquàm venire illas contingit, legesque mulieribus faventes bullæ fermè sanciuntur. Longè alius apud Græcos et Romanos mos erat, penès quos par feminis, et viris jus in divortia; quare earum exemplo Judæorum feminæ sese efferentes, eò licentiæ devenerunt ut viros suos à toro abjicere auderent. Lex planè nihil feminis eâ in re permittit, sed nihil vicissim prohibet (1); consuetudo quidem pro illis nulla erat, sed illustris alicujus feminæ exemplo facilè potuit induci.

Succurrebant rara quædam exempla feminarum, quæ viros suos dimiserant; sed hæc divortii potiùs speciem, quàm rem exhibere videbantur. Samsonis uxor contra fidem priorum sponsalium, ne expectato quidem libello repudii, ad alias nuptias transierat (Judic. 14, 20); sed Philistææ mulieris exempla nihil Judæis conferunt. Ultio quin etiam à Samsone, sicut et à Philistæis ipsis eâ de re exacta, satis demonstrat, contra patrias saltem leges visam fuisse eam mulierem commisisse ut alteri nuberet. Levitæ uxor, cujus occasione acre illud bellum in tribum Benjamin exarsit (Judic. 14, 3), dimisso viro ad patrem suum remeâsse legitur; eamque repudium dixisse viro suo sanctus Ambrosius autumâsse videtur : *Remisit claves* (Epist. 6). Recepta tamen et probata sententia tenet, feminam illam ob privatam fortè domesticamque querelam secessionem à viro ad tempus tantummodò fecisse, cujus rei exempla frequentissima inter conjuges suppetunt. A novis etiam nuptiis abstinuisse illam ex eo colligimus, quòd regredienti viro socer uxorem promptè restituit, atque in reducem idem, quod priùs, jus conjux retinuit. Michol, Davidis uxor, alteri viro, nempe Phaltiel, superstite adhuc Davide, in conjugem data legitur 1 Reg. 25, 44. Divortii id genus fuit; neque enim Saül aliam sibi auctoritatem abstrahendi filiam à viri toro usurpare poterat, quàm quæ lege divortii concessa est. Davidem ille perinde ac extorrem, perduellem et impium habebat, eamque repudii causam prætendit. Sed præstitit hæc Michol? Silet eâ de re Scriptura. Præstitit David? Minimè ille quidem : fato enim rege sublato, uxorem suam jure postliminii repetiit. Hoc igitur divortii à viro inducti exemplum difficultate non caret; totius enim rei in causâ fuisse creditur regis auctoritas invitam mulierem ad secundas nuptias cogens.

Salome igitur, Herodis Magni soror, omnium prima præscriptas mulieribus metas transgressa, liberam sibi repudiandi viri facultatem vindicavit. Namque à tori societate Costobarum Idumææ et Gazæ præfectum divortio excludens, exemplum inauditum ad id usque, ait Josephus, apud Judæos posteritati reliquit (Antiq. lib. 15, cap. 11); quòd enim uxor conjugem suum dimittat, resolutisve prioribus nuptiis, nec libello repudii accepto, novas conciliet, moribus æquè ac legibus Judæorum, addit idem Josephus, repugnat. Herodias, cujus est in Evangelio sermo (Matth. 14, 3, Marc. 6, 17), virum suum Philippum repudiaverat, quantùm ex Josepho Antiq. l. 18, cap. 7, colligimus. Ipse tandem de se Josephus in Vitâ suâ narrat, ductam post solutam captivitatem suam uxorem, divortio à se recedentem habuisse. Tres Agrippæ junioris, olim Chalcidis, deinde Traconitidis et Batanææ regis sorores, tres sibi junctos viros singulæ singulos repudiârunt. Berenices natu major, priores nuptias cum Herode, rege Chalcidis, patruo suo, conciliatas abrumpens, in tori societatem Polæmonem regem Ponti adscivit, cujus pariter viri tædio (Joseph. Antiq. l. 20, c. 5) deinde affecta est, Altera ejus soror Ma-

(1) Rabbini recentiores docent juxta Talmudim, tract. *Guittin*, passim et *Yebamot*, f° 112, v°., maritum solum potiri jure repudiandi, quod nunquàm uxori conceditur. Vid. etiam Maimonidem, tract. de Repudiatione c. 1, § 2. (Drach, loc. cit.)

riamne Archelaum priorem virum nuptiis Demetrii alabarcæ, sive principis Judæorum Alexandrinorum posthabuit (ibid.). Druzilla tandem Aziam Emezæ regem et ad circumcisionem et ad suas nuptias invitavit; sed paucis post annis adsciscere sibi alium virum, Felicem, Judææ præsidem, priori relicto, maluit (ibid.).

Hujus à feminis usurpatæ libertatis vestigia nonnulla deprehendisse nobis in Evangelio videmur, cùm scilicet Christus eam licentiam, veluti quæ facilè obtinere posset, præcepto frenandam censuit (Marc. 11, 12) : *Si uxor dimiserit virum suum, et alteri nupserit, mœchatur.* De Samaritanâ muliere, cui post ductos quinque viros virum alium non suum adhuc retinuisse Jesus Christus exprobravit, ea fuit Grotii sententia, ut post repudiatos quinque priores viros, nec tamen conjugio cum priori viro soluto, utpote quòd divortium mulieribus lege interdictum esset; quem deinde adhuc tenebat vir, tanquàm alienus haberi jure meritòque debuerat (Joan. 4, 18; Grot. ibid). Ne feminæ *virum dimittant, etsi habeant virum infidelem, et hic consentit habitare cum illis* (1 Cor. 7, 10, 13), Apostolus suadet; non suaderet autem nisi res esset alioqui feminis permissa. Memoriæ etiam traditum est de S. Theclâ, ejusdem Apostoli disciplinam secutâ, quæ post datum christianæ religioni nomen (habebantur autem Christiani tunc temporis veluti reformati Judaismi professores) facto divortio à viro recessisse (S. Epiph. hæres. 78).

Mahometani, quos plura à Judæis derivâsse constat, feminis æquè ac maribus divortium permittunt, quanquàm feminis minùs in eâ re quàm viris indulgent (vide Alcor. Azoar. 2, 4; Anton. Geufr. l. 2 Turci; Bellon. Observ. l. 3, et alios). Viri enim nullo majori negotio uxores quàm nos famulas mutant. Semel repudiatam ad tori societatem revocare bis singulis permissum, tertio negatur; licet autem et tertio, modò post divortium ad alienas nuptias non transiret. Sed novas hasce nuptias ante tres menses à divortio inivisse mulieribus nefas. Divortii causæ in judicio cognoscuntur; sunt autem plerumque sive corrupti conjugis mores, sive sterilitas mulieris.

Major adhuc in divortia apud Græcos, Romanos, barbarasque gentes licentia. Cùm enim nullâ Dei lege eorum pruritus refrenaretur, conjugii vinculum ad libitum mutuò dissolvere, atque ad alienas nuptias transire, nullâ solemni formulâ observatâ, nec divortii causâ adductâ, permissum sibi ducebant. Frequenter misso libello repudii divortium indicebatur; quandoque aliter inter partes actum est; uti dùm contrariis planè verbis, ac quibus conjugia devinxerant, illis resolvendis utebantur, e. g. : *conditione tuâ non utar;* (L. 1 de Divort.) sive : *Res tua tibi habeto* (L. 2, § 1 de Divort.). Interdùm alteruter claves alteri remittebat; ac tandem instrumentum conjugii quandoque rescissum.

Quod ad causas et divortii rationes spectat, mutuo interdùm consensu res agebatur; sæpè alterutrius voluntate tantùm, nullâ etiam prætensâ causâ. Scitum est Æmilii illud (Plut. in Æmil.), qui de repudiatâ à se Papiriâ uxore stupentibus, calceum suum ostendit, addens elegantem illum quidem et concinnum videri, ubi autem pedem læderet scire neminem.

Quanquàm autem lege duodecim Tabularum divortia Romanis permitterentur, nulla tamen ejus rei exempla ante annum 511 (1), sive 520 (2), ab urbe conditâ occurrunt. Spurius Carvilius Ruga omnium primus sterilem uxorem repudiavit. Successu temporis laxata licentiæ frena, ut, juxta Tertulliani phrasim, *repudium jam votum esset, et quasi matrimonii fructus* (adversùs Gent. capit. 6). Eò res sub imperio Augusti devenerat (3), ut lege latâ modum divortiis imponendum censens imperator ediceret, ne divortia nisi *coram septem testibus puberibus atque civibus, Romanisque* facta admitterentur (4). Verùm immodicam licet divortiorum libertatem reprehenderent honestissimi quique, atque senatorem repudiatæ uxoris, quam virginem duxerat, idque ne consultis quidem amicis, notatum à curiâ exclusissent censores (5), nihil tamen eâ severitate impetratum est : *Numquid jam ulla* (femina) *repudio erubescit, postquàm illustres quædam ac nobiles feminæ non consulum numero, sed maritorum annos suos computant? Exeunt matrimonii causâ, nubunt divortii,* ait Seneca de Benef. lib.

(1) « Divortium primum Romæ fecit Spurius « Carvilius Ruga anno 511 post urbem condi- « tam. » Aul. Gel. l. 16, capit. ult.

(2) Valer. Max. lib. 2, cap. 1 : « Repudium « inter uxorem et virum à conditâ urbe usque « ad annum 520 nullum intercessit. »

(3) Suet. in Aug. : « Divortiis modum impo- « suit. »

(4) Paul. lib. *Nullum divortium,* 9, de Divort.

(5) Valer. Max. lib. 2, capit. 4 : « L. An- « tonium senatu moverunt, quòd quam virgi- « nem in matrimonium duxerat, repudiâsset, « nullo amicorum in consilium adhibito. »

cap. 16. Nec satyrici mitiùs agunt in divortia. (Vide Juven. satyr. 16.)

Is erat rerum status apud Hebræos, Græcos et Romanos, quo potissimùm tempore Jesus Christus in terram descendens, matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexit, tum et primævæ sanctitati atque officio conjugia restituturus, supremi Creatoris id olim fuisse consilium aperuit, ut semel conciliatum matrimonium nunquàm dissolveretur; nullusque pateret divortiis aditus, nisi unâ exceptâ adulterii causâ, in quâ tamen à toro quidem secedere integrum esset, à conjugio non esset. Tunc autem par recedendi jus viro æquè ac mulieri, statuit: *Dictum est: Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis: Quicumque dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari; et qui dimissam duxerit, adulterat* (Matth. 5, 32). Et alibi consultus à Pharisæis liceretne pro libito uxorem repudiare, respondit creatorem post formatos marem et feminam (Matth. 19, 15) item pariter statuisse: *Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ; ita ut non sint duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Addit deinde eas leges, quas antea de divortio edixerat, cujus unicam semper causam permittit, nec sine designatis supra conditionibus, nempe adulterium.

Cùm tamen sermo eâ occasione Judæis tantùm à Christo fieret, ideò nulla facta est ab eo alterius causæ, quâ divortium permittitur, mentio; si scilicet ex conjugibus alteruter ad fidem transisset, altero in errore perseverante. Hujus disciplinæ regulas Apostolus Paulus præscribit (1 Cor. 7, 10, etc.): *Iis autem qui matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere; quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari* Hactenùs Apostolus mentem supremi legislatoris circa divortium explicat; omne scilicet interdici divortium unâ exceptâ adulterii causâ; tunc autem divortium quidem permitti, novas autem nuptias conciliare nefas. Addit demùm: *Cæteris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illâ, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illo, non dimittat virum..... Quòd si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.*

Hæc Apostoli et Jesu Christi verba apertissima licet videantur, in varias tamen sententias interpretes doctissimos diviserunt. Cujus rei sive in causâ fuit recepta Judæorum et paganorum, qui fidei nomen dabant, consuetudo, sive ea invaluit opinio, ut Jesu Christi dictum de Judæis tantùmmodò, non de universâ Ecclesiâ reciperetur, quasi scilicet Ecclesiæ major in eâ re permitteretur libertas; sive tandem vox *fornicationis* variis subesse sensibus censeretur. Hinc factum est, ut Ecclesiæ in eâ re mores diutiùs in incerto errârint (1).

Cùm Scripturæ stylo nomina *fornicatio et adulterium* duplicem significationem admittant (modò enim ad litteram crimen sonant obscœnum, modò allegorico sensu pro idololatriæ crimine atque creaturarum in Deum perfidiâ usurpatur), non defuerunt qui Jesu Christi verba: *Qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ,* etc. (Matth. 5, 32), sive de adulterio, crimine castitati adverso, sive de idololatriâ, aliisque criminibus, quæ adulterii nomine in Scripturâ censentur, indiscriminatim explicarent. Alii litteralem significationem prætulerunt. Ex quâ sententiarum discrepantiâ contrarii etiam mores et disciplina invecta est.

Origenes in eâ fuisse sententiâ visus est, Moysen quidem illis verbis: *Propter aliquam fœditatem,* etc., omnia mulierum crimina, sicut et errores (Orig. hom. 7 in Matth. Vide Grot. in hunc locum) significâsse; sed, addit ille, Jesus Christus angustiores nobis limites præscribit, omni præcluso ad divortium aditu, exceptâ fornicationis causâ. Demùm idem Origenes in examen revocat, an scilicet fornicationis

(1) Nec aliter res cedere poterat in opinionum concursu tot doctorum doctrinâ sanctitateque præstantium, cùm nullus ex illis credere debuerit haud sibi licitum esse interpretari Ecclesiæ oracula, et quæ ab ipso Jesu Christi ore exierant, donec sententia definitiva Ecclesiæ concilio Tridentino pronuntiaretur. Ea est tamen complexio quæstionum secundariarum quas ipsamet divortii quæstio complectitur, ut concilium sanctum inexpedita disputationique obnoxia reliquerit matrimonia quæ *mixta* nuncupantur. Annales fori gallici exemplum fluctuationis inde secutæ percelebre memorant. Anno 1757 Borach Levi, judæus ad fidem catholicam conversus, cùm vellet, uxore adhuc vivente, sed judaico cultui affixâ, in secundas nuptias convolare, scissio fuit inter ecclesiasticos judices de indissolubilitate prioris matrimonii. Verùm hodierno tempore, controversia quæ circa matrimonia *mixta* agitabatur, magnoperè progressa est plurimis posteriorum pontificum brevibus intercedentibus. Vid. Cursum theol. compl., tract. de Matrimonio.

nomine immania quæcumque crimina censeri possint, e. g., si mulier veneficii crimine, si homicidii, si filii enecati, si furti in virum teneatur; quorsùm enim tantis sceleribus inquinatam uxorem ferre maritus cogatur, qui dimittere adulteram permittitur? Me igitur auctore, inquit Origenes, verba illa Jesu Christi; *Exceptâ fornicationis causâ,* non ita accipienda sunt, ut eam solam divortii causam permittat: sed ea tantùm ut exemplum assignata est, velut si unum ex iis criminibus designaretur, quibus uxorem suam repudiare maritus, nihil inde reus, si quid uxori sinistrum contigerit, permissus est.

Quod ad nuptias post divortium contractas pertinet, Origenes quidem ab episcopis nonnullis permissas narrat; quâ in re contra Scripturæ sensum egisse illos non diffitetur; verùm, ait, peculiares aliquas præ oculis habere rationes poterant, quibus id eorum consilium excusaretur; veluti metu majoris mali, incontinentiæ, etc. Leges ab imperatoribus christianis latæ plures divortii causas præter adulterium assignant; et ipso fatente Bedâ viris quàm multis legitima fuit uxores dimittendi ratio; etiam *Dei timor,* id est, metus ne à fide et religione seducerentur (1). S. Augustini ætate, ut ipse in Retractationibus insinuat (Retract. l. 1, cap. 9), variæ erant variorum in ea Christi verba sententiæ : alii ad litteram sententiam interpretantes, alii verò fornicationis nomine ea omnia censebant, quæ supra ex Origene deduximus.

Magis tamen recepta, et rata sententia ea semper habita est, quæ Evangelii verbis litteralem meram puramque significationem attribuit. Ita Christi verba interpretantur vulgò Patres et Commentatores, addentes insuper, seculares leges, ipsasque adeò Moysis sanctiones potuisse quidem divortium aliis de causis, præter adulterium, inductum tolerare; immune verò à crimine efficere non potuisse. *Nullam aliam,* ait S. Hilarius (in Matt. cap. 4, num. 22. Vide et Chrysos. serm. 19 de Libel. repud. Theodoret. in 1 ad Cor. Clem. Alex. Strom. l. 2, ad fin.), *causam desciscendi à conjugio præscribunt, quàm quæ virum prostitutæ uxoris societate polluerat.*

Superest modò in examen revocemus, an inducto demùm divortio adulterii causâ, novas inire nuptias integrum conjugibus habeatur. Lex Mosaica,, uti facilè legentibus animadvertitur, nihil conjuges moratur; nihil etiam seculares catholicorum imperatorum leges : quemadmodùm non rara suppetunt ejus rei exempla, tùm apud Christianos primorum seculorum, cùm maximè in Ecclesiâ Græcâ adhucdùm cujus recepta est eâ de re consuetudo (Renaudot, Perpétuité de la foi, chap. 5, l. 2, chap. 7, p. 447, etc.). Porrò Ecclesiarum illarum doctrina tenet, conjugii christiani vinculum solvi nunquàm posse, quâ in re christianum à Judaico conjugio maximè distinguitur, christianum, inquam, ad primævam illam matrimonii institutionem rem totam deducens : habent tamen Christiani illi persuasum, adulterii crimine ream uxorem ita à toro posse repelli, ut alia ejus loco inducatur (1). Cophtis, Syris, cæterisque Orientalibus ea Græcorum doctrina probatur : probatur etiam Latinis nonnullis, uti Lactantio Institut. lib 6, c. 23; Tertulliano de Monogam., cujus hæc sunt verba : *Tam repudio matrimonium dirimitur, quàm morte.* Et lib. 4 cont. Marcion. : *Præter ex causâ adulterii, nec Creator disjungit, quod ipse scilicet conjunxit.* Vide et lib. 2 ad Uxor. cap. 1. Negat tamen Tertullianus facultatem alterius conjugii iis qui primum illud divortio resciderunt, Monog. 9, 10. Sed nihil prohibet Lactantius.

Narrat Origenes permitti à quibusdam epi-

(1) Beda in Marc. 5, citatus in locis collectis in conc. Aquisgran. III : « Una solummodò « carnalis causa fornicatio, una spiritualis ti- « mor Dei, ut uxor dimittatur, sicut multi re- « ligionis causâ fecisse leguntur. »

(1) Hæc opinio in eo sanè fundatur quòd Christus apud Matthæum, cap. 191, dixerit : *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur.* Verùm exceptio quæ in hoc Matthæi versiculo animadvertitur, non legitur in locis parallelis SS. Lucæ et Marci, qui sine restrictione ferunt : *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit;* unde sequitur exceptionem non divortio, sed matrimonio post divortium assignandam. Neque fortè foret abs re suspicandi exceptionem hanc à capite 5 Matthæi in cap. 19 ejusdem evangelistæ allatam fuisse, cùm ibi primùm christus dixerit : *Omnis qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari;* atque addiderit, ut in cap. 19 : *Qui dimissam duxerit adulterat.* Ex textûs utriusque similitudine accidere potuit ut confunderentur, et capiti 19 adjiceretur exceptio in capite 5 duntaxat scripta, vel quæ saltem juxta illius capitis sensum est accipienda. Quidquid id est, et licet mera sit conjectura, videtur alios, Matthæi textu, alios Lucæ Marcique locis parallelis variè impulsos, matrimonio post divortium casu adulterii determinatum veniam aut condemnationem applicuisse.

scopis novas nuptias post divortium. Concilium Eliberitanum morem illum jam receptum condemnat (conc. Eliber. cap. 8 et 9) : « Feminæ, « quæ nullâ præcedente causâ reliquerunt vi- « ros suos et alteris se copulaverunt, nec in « fine accipiant communionem. » Et : « Fide- « lis femina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, et alterum ducit, prohibeatur ne « ducat. Si autem duxerit, non priùs accipiat « communionem, quàm is quem reliquit, de « seculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare « compulerit. » Concilium Arelatense I decernit, ut junioribus conjugibus et fidelibus, qui conjugem adulterio ream dimiserunt, *consilium detur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant* (Can. 10). S. Ambrosius maritos hortatur ne permissâ sibi à legibus civilibus in divortia libertate uti velint : addit insuper eos, qui uxorem repudiârint aliâ, quàm quæ in Evangelio permittitur, causâ (in Luc. lib. 8, artic. 5. Vide etiam S Aug. de Bono conjug. numer. 7) non solùm « cœleste præce- « ptum, sed quoddam etiam opus Dei solvunt. « Paterisne, oro, liberos tuos vivente te esse « sub vitrico? aut incolumi matre degere sub « novercâ? Pone si repudiata non nubat. Et « hæc viro tibi potuit displicere, cui adultero « fidem servat? Pone si nubat, necessitatis il- « lius tuum crimen est. » Plura laudantur concilia, Gallicana potissimùm, quæ morem illum, novas scilicet contrahendi post divortium nuptias, vel significant tantùm vel probant (vide Conc. Aurelian. II, cap. 11. Vermer. cap. 5, 6, 11, 17, 20. Compend. c. 16. Hybern. S. Patric. an. 314, cap. 16).

Verùm consuetudo illa nunquàm in morem abiit, cùm omnibus retrò seculis adversas habuerit insignium ferè omnium Ecclesiarum, atque sapientissimorum antistitum sanctiones. Canones vulgò Apostolici secundas post divortium nuptias, adhuc priori conjuge superstite, damnant (can. 48). Pontifices Siricius, Innocentius, Leo, Stephanus, Zacharias (1), in suis Decretalibus eas nuptias velut adulterinas damnant. Hisce SS. pontificum Constitutionibus Ecclesia Romana firmiter inhærens, contractas post divortium nuptias ut reciperet nunquàm commisit; quam etiam disciplinam tandem Ecclesia Gallicana post seculum octavum amplexa est (2). Gregorius II pontifex in Epistolâ ad Bonifacium, episcopum Ultrajectensem (art. 2, tom. 6 Concil.), scripserat licitum esse marito, cujus uxor ne conjugale debitum solveret, ægrâ valetudine impediretur, novas inire nuptias, modò uxori ægrotanti non deesset; sed hanc ejus sanctionem sacris canonibus, ipsique Evangelio, et Apostolorum doctrinæ planè adversari Gratianus animadvertit (Grat. 32, q. 7, cap. 18, *Quod proposuisti*). Recepta tandem Ecclesiæ Latinæ sententia tenet, conjugii vinculum nunquàm, ne divortio quidem, abrumpi. In concilio Florentino requisiti à Latinis Græci, cur novas inire nuptias conjugibus divortio sejunctis permitterent, quamvis nihil æquum pro se reponere viderentur, visum est tamen citra mutuæ pacis dispendium saniora illis suadere. In concilio Tridentino canon propositus fuit, quo eodem simul anathemate obvolvebantur tùm ii qui conjugii vinculum per divortium dissolvi, cùm ii qui novas post divortium iniri posse nuptias crederent.

Verùm huic decreto restitisse legatos Venetorum in Historiâ ejusdem concilii legimus (Fra Paolo Hist. conc. Trid. sess. 8, can. 7), receptam in insulis reipublicæ Venetiarum subjectis, Cypro, Cretâ, Corcyrâ, Zacyntho, Cephaleniâ, Græcis frequentissimis contrariam consuetudinem afferentes; iniquum autem esse dicebant, omnes eas gentes inauditas, et ne ad concilium quidem appellatas damnare. Quare Patres etiam atque etiam rogârunt, ut illius sanctionis eam inirent rationem, quæ nihil Græcos offenderet. Hisce Venetorum precibus atque rationibus acquiescendum esse Patres censuerunt, cùm maximè non Græcorum erroribus, sed Protestantium damnandis concilium illud coactum fuisse animadverterent, simulque non defuisse Patres huic Græcorum consuetudini faventes, ex Theologis nonnullis audirent. Ita ergo sancitum est : « Si quis dixerit, Eccle- « siam errare cùm docuit et docet, propter « adulterium alterius conjugum matrimonii « vinculum non posse dissolvi, et utrumque, « vel etiam innocentem, qui causam adulterio « non dedit, non posse altero conjuge vivente « aliud matrimonium contrahere, mœcharique « eum, qui, dimissâ adulterâ, aliam duxerit, « et eam, quæ, dimisso adultero, alii nupserit, « anathema sit » (can. 9). Ex quibus planè intelligimus, Ecclesiam Romanam, nec promo-

(1) Siric. Epist. ad Himer. Tarracon. Innoc. I Epist. ad Exuper. Tholos. Leo ad Prob. Stephan. II, artic. 5. Zach. Epist. 7 ad Pipin. capit. 20.

(2) Conc. Compend. an. 744, can 18. Suession. capit. 9. Forojul. an 791, can. 10. Capitular. Ludov. Pii capit. 3 de his quæ pro lege habenda sunt.

visse unquàm Græcorum et Orientalium consuetudinem, nec damnâsse.

Quanquàm satis inter omnes constat, adulterii crimen perinde esse, sive à viro, sive à feminâ committatur, tum et concessum à Christo privilegium divortii æquè utrumque sexum respicere; mos tamen in Ecclesiis varius eâ de re invaluit. Feminis aliquando in nonnullis Ecclesiis libertas in divortia, viro etiam adulterii crimine reo, interdicta fuit; et S. Basilius in Epistolâ canonicâ ad Amphilochium tradit, legem divortii contra feminas de adulterio damnatas inviolatè servari (Vide Grot. ad Matth. 5); contrariam tamen quoad feminas disciplinam invaluisse, quippe quæ viros quantumvis reos dimittere non permitterentur. Demùm rem esse ancipitem addit, an femina illa, quâcum maritus, ab uxore repudiatus, nuptias conciliat, adulterii crimine rea teneatur: tota enim hujus conjugii culpa in priorem uxorem transferenda videtur; quippe quæ inducto contra legem divortio virum ad crimen impulisset. Et si in virum mitiùs eâ occasione animadvertendum est, quid non feminæ indulgendum? Verùm, sequitur S. Basilius, si divortium à marito factum esse constet, cùm et novas ipse nuptias iniverit; neque de adulterio damnaretur, quemadmodùm et priori uxori tunc ad novas nuptias transire integrum est. Græci in canones Apostolorum scribentes, morem esse contendunt semper à Christianis servatum, ne uxor solo adulterii crimine reum virum dimittat (S. Hieron. ad Ocean. Epist. 30).

Sed contrarium invaluisse in Ecclesiâ Latinâ morem nullo negotio ostendimus. S. Justinus Martyr in Apologiâ I, ad senatum romanum, narrat, feminam ante datum Jesu Christo nomen, vitam unà cum conjuge suo libidinosè agere consuetam, vix ad fidem conversam maritum suum à crimine retrahere voluisse: cùm autem, inquit, frustra se laborare intelligeret, voluit libellum repudii mittere. Resistentibus tamen feminæ necessariis, invita in conjugio manere coacta est, nullâ licet resipiscendi spe de viro conceptâ. Accidit interim ut vir iter Alexandriam versùs susciperet, in quo cùm ille multò deterior factus esse diceretur, tandem ad litteras repudii mittendas ventum est. Exemplum S. Theclæ supra laudavimus, cui alterum necti potest de Fabiolâ, quæ post dimissum virum licentiùs in conjugio viventem, alteri nupsit (Epist. 157, nov. edit. n. 31.) Hanc autem historiam fusiùs narrans S. Hieronymus, divortium quidem feminæ facilè excusat; secundas verò nuptias tanquàm legibus Ecclesiæ repugnantes damnare cogitur; quanquàm, ait, et mulieris de legibus ecclesiasticis imperitia, et peractâ ritè ante fores ecclesiæ Lateranensis exomologesi id præstiterit, ut tantùm probo exemplo fidelibus prodesset, quantùm pravo nocuisset. Æquè igitur fuit repudii libertas penès conjugem utrumque, nec contraria quoad feminas consuetudo nisi fortè in Oriente invaluit.

Apostoli Pauli monita, uxores fideles cum viro infideli et vicissim conjugium servare suadentis, si tamen citra fidei et religionis dispendium præstari id à fideli conjuge possit; monita, inquam, illa ita accipienda sunt, ut ad conjugium ante susceptam fidem contractum respiciant; quæ enim à fideli cum infideli contrahuntur matrimonia, æquè semper Ecclesia damnavit, tum et irrita semper declaravit et nulla. Vult etiam Apostolus divortia illa tum demùm legitima haberi, si conjugi fideli discrimen aliquod fidei immineret, *Occurrit aliquando necessitatis articulus*, ait S. Augustinus (1), *ubi aut uxor dimittatur, aut Christus*. Tandem divortium illud fidelem inter et infidelem conjuges, non conjuges tantùm, sed et conjugium dissociat, ut novas inire nuptias utrique permittatur. Cùm enim matrimonio inter infideles conciliando nulla sacramenti auctoritas accedere possit, mutua partium inter se paciscentium obligatio tanta profectò non est, ut vinculum præstet insolubile (vide interpp. in Cor. 5, 12). Porrò idem jus quod nuptias infidelium conciliat, fidelem cum infideli constringit. Alia sanè est de hæresi alterutrius ex conjugibus ratio; quanquàm enim ea sufficiens causa divortio inducendo habetur, nihil tamen contra matrimonium valet.

Quæ olim stetit veteribus nonnullis sententia nuptias post divortium permittens, varia fuit apud varios. Alii enim per utriusque conjugis jus statuunt; alii viro concessum feminæ negant. Viros post datum uxori repudium aliam ducere fas est; feminæ post abjectum divortio virum suum, alterum adsciscere nefas, ait Ambrosiaster in 1 Cor. 7, 10, 11. Huic opinioni non adversatur concilium Eliberitanum, statuens, can. 9, prohibendam à conjugio feminam, quæ adulterum virum abdicavit; si contra facit, ait, à communione ad obitum usque prioris viri arceatur. Vide Cajetanum in

(1) Ambros. in Luc. l. 8, art. 2 et 8: « Ubi « est impar conjugium, lex Dei non est. »

Matth. 19, 11, et Catharinum in 1 Cor. 7, 11, ejus opinionis assertores.

Æquum utrique conjugi jus permittit S. Epiphanius hær. 39, sicut et in eamdem sententiam laudari solent constitutiones apostolicæ l. 3, c. 2; Origenes in Matth. 19, 8; Pollentius apud S. Augustinum de adulterin. Conjug. c. 6; vetus quoddam Pœnitentiale romanum; Photius Epist. 1; concilium Vermeriense can. 18.

Placuit id etiam veterum nonnullis, conjugem violati tori reum ita ab alterius innocentis congressu removendum esse, ut ne retineri quidem possit ab illo etiamsi maximè velit. Dictum in eam rem Sapientis laudabant (Prov. 18, 22): *Qui tenet adulteram, stultus est et insipiens* (1). Concilium Neocæsariense (can. 8) jubet uxorem sacerdotis, quæ post ejus initiationem conjugii fidem violavit, à viri consortio prorsùs removeri; et S. Augustinus in eo Proverbiorum textu præceptum contineri credidisse visus est (2). Verùm summi legislatoris divortium permittentis sensum Apostolus pandens ait (1 Cor. 7, 10, 11): *Præcipio uxorem à viro non discedere; quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Vulgò etiam Patres non obscuris verbis insinuant, divortium rem esse indulgentiæ, non præcepti. Quare in eo semper institisse visi sunt, ut ab eo conjuges retraherent, et tanquàm extremum desperato morbo remedium invitâ prorsùs et reluctanti manu admoveri jusserunt. Tandem dissidentes animos conjugium inter se reconciliari atque etiam hortati sunt; quippe quòd ea esset Jesu Christi doctrina et recepta in Ecclesiâ consuetudo.

Post diductas brevioribus verbis sanctiones Moysis, Jesu Christi, Apostolorum et Patrum de hoc argumento, superest ut imperiales eâ de re leges in medium afferamus. Fatendum est autem, nihil Ecclesiæ disciplinam in iis, quæ ad divortium spectant, corrupisse magis, quàm lata in eam rem imperatorum edicta. Plerùmque illa à præscriptis in Evangelio regulis deviant, ut vix, ac ne vix quidem in animum inducamus de episcoporum consilio (sine quibus nihil ejusmodi sanciebatur) edici potuisse.

Sive igitur malus rei abusus adeò invaluit, ut tolli vix posse censeretur, quare eas leges, ægrè licet assentientibus episcopis, ferri opportunum est visum; sive pro paganis inductæ (quorum erat frequens in imperio numerus); cùm interim Christianorum res augerentur, ita reformatæ sunt, quod ad politiam pertinet, ut utrisque simul genti quadrarent; relictâ interim episcopis auctoritate, simulque necessitate, ut subjectam sibi Ecclesiam juxta ecclesiasticas leges, receptasque apud Christianos traditiones moderarentur: principibus interim jus tantùm ferendi leges, quas in tribunalibus politicis judices servarent, sibi retinentibus. Nec sanè desunt exempla in Ecclesiâ græcâ post latas etiam ab imperatoribus eas leges disciplinæ, ad legislatoris divini, atque legis evangelicæ præscriptum (vide Chrysost. in Matth. Theophyl. OEcum. et cæteros). Sed eas leges recitemus.

Constantinus Magnus, anno 331, cavit, ne feminæ sub conquisitis causis viris suis repudium dicere auderent; accusantes, e. g., virum velutiebriosum, aleatorem, mulierculariumm (1). Vetitum etiam viris uxorem ad arbitrium repudiare. Nefas uxoribus divortium à viris postulare, nisi fortè homicidis, veneficis, et sepulcrorum violatoribus; nefas et viris uxorem repudiare *nisi mœcham, medicamentariam, conciliatricem.* Post annos sex idem imperator sancivit, feminam post expectatum quatuor annis virum bellis implicitum, nulloque de illo accepto nuntio ad alias nuptias transire posse. Primam Constantini sanctionem Honorius, Theodosius Junior, et Constantius, an. 421, confirmârunt. Verùm imperatores Theodosius Junior et Valentinianus III, eâ abrogatâ veterem divortii libertatem restituerunt. Hæc illi: « Imper. Theodos. et Valent. Augg. Florentio P. F. P. consensu licita matrimonia « posse contrahi, contracta nonnisi misso re- « pudio dissolvi præcipimus. Solutionem enim

(1) Prov. 18, 22: *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum; qui autem tenet adulteram, stultus est et impius.* Sententia hæc neque in hebræo neque in chaldæo, neque in variis manuscriptis latinis, neque in Complutensi, neque in Sixti Veditione, neque in nonnullis Hieronymi editionibus legitur; sed apud Septuaginta interpretes et in arabico codice integra est, dùm Syriacus primam hujusce partem refert. Atverò licet locus ille desit in hebræis codicibus, Judæi huic obtemperant. Fortè ab hellenistis intrusus est, utpote moribus eorum et consuetudini apprimè consentaneus.

(2) Retract. lib. 1, cap. 19. Idem probari S. Hieron. in Matth. creditur.

(1) Placuit Constant. August. (ad Ablavium Præf. Prætorio Pit. 16 de Repud. Cod. Theod.) mulieri non licere propter suas pravas cupiditates marito repudium mittere exquisitâ causâ velut ebrioso, aut aleatori, aut mulierculario; nec verò maritis per quascumque occasiones uxores suas dimittere.

« matrimonii difficiliorem debere esse favor « imperat liberorum. Sed in repudio culpâque « divortii perquirendâ, durum est legum ve- « terum moderamen excedere. Ideò constitu- « tionibus abrogatis, quæ nunc maritum, nunc « mulierem, matrimonio soluto, præcipiunt « pœnis gravissimis coerceri, hâc constitu- « tione repudia, culpas, culparumque coerci- « tiones ad veteres leges, responsaque pruden- « tùm revocari censemus. »

Nec diù fuit quin permissæ licentiæ malum erumperet; quare post aliquot annos, scilicet anno 449, iidem imperatores concessæ libertati frenum imponentes (l. *Consensu* 8, *cum suis* § 55, cod. de Repud.) caverunt, ne femina viro diceret repudium, nisi adulterii causâ sive homicidii, veneficii, criminis falsi, initæ alicujus in imperium conjurationis, vel saltem violati sepulcri, aut rei alicujus ab Ecclesiâ furto sublatæ reo, sicut furum receptori, plagiario, prædoni, malæ consuetudinis cum feminis prostitutis coram uxore suâ habitæ accusato. Ita pariter si uxorem suam malè exceperit, si veneficio vel ferro, vel aliâ quâcumque machinatione in vitam ipsius attentaverit. Paria de viro erga uxorem, paribusque de causis datâ proportione sancita sunt. Legitimo autem inducto semel divortio, novas inire nuptias post exactum divortii annum fas erat. Si femina illegitimo divortio à viro recessisset, tunc omni in dotem suam, et in munera ante nuptias recepta jure mulctabatur, tum et novas inire nuptias nonnisi post exactos quinque annos à divortio permissa.

Anastasius imperator, anno 497, priori sanctione Theodosii Junioris innovatâ, primam divortii libertatem asseruit, omni abrogatâ cautione, ab eodem imperatore, secundâ Constitutione inductâ. Jussit autem in divortiis mutuo partium consensu factis, feminæ post annum novas ineundi nuptias facultatem esse. Hæc divortii disciplina ab imperio Constantini Magni usque ad Justinianum.

Porrò Justinianus (ann. 528, tit. de Repud. l. 10, Novell. 22, c. 3 et 18), pristinis divortii causis novam aliam adjecit, nempe si post exactum in conjugio biennium, alteruter ex conjugibus impos deprehendatur; insuper si femina balnea cum viris frequentârit, si abortum procurârit, si priori viro superstite sibi quæsiverit alium. Edicit autem, ut quandoquidem in rebus humanis nihil sit usque adeò firmum, quin resolvi tandem possit, ita et nuptiæ suas habeant causas quibus dissolvantur: nempe, vel mutuos partium consensus, vel *per occasionem rationabilem; quæ cùm bona gratia vocatur*, vel *citra omnem causam*, vel *cum causâ rationabili*. Restringit autem ad certas quasdam causas divortii licentiam (Novell. 117 et 134); latasque omnes leges divortium permittentes vel citra omnem causam, vel mutuo partium consensu, ita abrogat, ut partium consensus tunc demùm ad divortium valere statuat, cùm alteruter ex conjugibus sive religiosæ vitæ professionem inire, sive castitatem vovere decreverit.

Justinianus imperator, Justiniani nepos (an. 556, Novell. 140), divortia *ex bonâ gratiâ*, seu mutuo partium consensu restituit; isque rerum status mansit usque ad imperatorem Leonem philosophum, annum circiter 900 Jesu Christi, nempe 340 annorum intercapedine. Ejus imperatoris jussu legibus in unum corpus, quod *Basilicon* appellatum est, redactis, Justini constitutio de divortio ex mutuo partium assensu sublata est.

Recepta Ecclesiæ græcæ nostrâ quidem ætate consuetudo civilibus hisce legibus consentit; quamvis non ita facile est definire, quonam potissimùm tempore cœperit disciplina adeò ab Evangelio et veterum orientalium Patrum doctrinâ discrepans. Licet enim nullum non moveat lapidem Arcudius (de Concor. oriental. Eccles. et occidental. l. 7, capp. 7, 8), quo Ecclesiæ suæ mores defendat, atque in causæ patrocinium veteres Patres pertrahere conetur, evincit ille quidem eorum ætate divortia frequentari, non tamen probata unquàm demonstrat, sed tolerata tantummodò in gratiam imperialium sanctionum, à quibus permittebantur. Porrò, si quis fortè post datum semel divortium ad novas nuptias transisse deprehenderetur, is planè neque à culpâ neque à crimine immunis habitus est. Sensim tamen ejus disciplinæ vigor remitti cœpit, ut tandem nihil ea divortia curarentur.

Iisdem moribus reliquæ græcæ communionis gentes, Rutheni vel Moscovitæ censentur, quorum tota admittendi divortii causa est repudii libellus ab episcopo impetratus (vide Guagnin. in Descript. Sarmant. Europ.). Solebant etiam non multos ante annos conjuges, quibus facilis ad episcopum aditus non fuisset, ambo simul in caput bivii sese conferre, ubi mantile quoddam ambo in diversa trahentes scindebant, quâ cæremoniâ scindi conjugium rati dissociabantur. Extat tamen inter canones Joannis cujusdam eorum metropolitæ, quem

prophetam appellabant, sanctio, quâ conjuges post divortium novis nuptiis impliciti à communione rejiciuntur. Æthiopes saltem laici, antequàm à Missionariis instituerentur, divortia habebant arbitraria (vide Relat. Mission. Æthiopiæ).

Leges civiles Occidentalium variant; aliæ etenim nimio rigore, aliæ nimiâ facilitate exorbitant; ac raræ sunt prorsùs, quæ temporum et occasionum vicissitudini non servierunt. Tandem Patribus Tridentinis certam quamdam omnibus romanæ Ecclesiæ mores secutis, disciplinam constituere visum; cùm interim alterius communionis homines hucusque per arbitrariam sibi viam aberrent.

Veteres Francorum populi mutuo etiam consensu inducta divortia legitima habebant; quid divortia ex justâ causâ facta? Hujus mutui divortii formulæ exstant apud Marculfum (lib. 2, form. 30), qui circa medium septimum seculum scribebat; ex hisce autem integrum fuisse conjugibus post divortium novum inire matrimonium intelligimus. « Placuit utriusque voluntate, ut se à consortio separare deberent; quòd ita unusquisque ex ipsis sive ad servitium Dei in ministerio, aut copulæ matrimonii sociare se velint, licentiam habeant, » etc.

Post receptas in regnum sub regibus Carolo Magno, et Ludovico Pio leges romanas (Capitul. Caroli et Ludov. lib. 1, cap. 43, et lib. 6, cap. 63, et lib. 7, cap. 55), vetus tamen mansit in divortiis disciplina ad normam legum ecclesiasticarum, Africanorum conciliorum, et Decretalium pontificum, quibus omnis, exceptâ adulterii causâ, ad divortium aditus præcluditur. Ita vetus Francorum libertas in divortia ab ecclesiasticis legibus repressa, nec à romanis legibus promoveri quidquam potuit.

Mancipiorum christianorum conjugia olim in Galliâ, quemadmodùm et ubique alibi, maximè non requisito dominorum consensu conciliata, eorumdem dominorum arbitrio abrogabantur. Mancipium dùm manumitteretur, feminam in captivitate ductam dimittens, alteri copulabatur, quemadmodùm par erat jus feminis, quæ imprudentes servo nupsissent (concil. Vermer. cap. 6 et 20). Quamvis autem temporis successu conjugia servorum dissolvi ecclesiasticis legibus prohiberentur (caus. 29, q. 2), usus tamen in contrarium etiam post nonum seculum invalebat.

In magnâ Britanniâ ea potissimùm loca, quæ romanis legibus et ditioni parerent, pristinas leges secuta fuisse in divortiis, etiam post receptam Jesu Christi fidem, Seldenus autumavit (Uxor Hebr. lib. 3). Laudat in eam rem veteres leges regis *Howl-dha*, divortia maritis permittentes, si fortè uxorem deprehendissent liberius aliquid cum altero viro audentem; post divortia autem jus in novas nuptias afferunt. Verùm ex litteris S. Gregorii Magni ad S. Augustinum apostolum Angliæ (Reges. l. 12, Ep. 32. Vide et Bed. Hist. Angl. lib. 2); tum et legibus regum Anglo-Saxonum intelligimus, obtinuisse ex tunc apud Britannos leges, et disciplinam Romanorum, à quâ deinceps nunquàm recessum est.

In Italiâ Theodoricus rex veterem Saxonum legem innovans (cap. 54), parem edicto imperatoris Constantini supra laudato, morem invexit. Leges Wisigotorum in Hispaniâ divortiis iniquissimæ erant (Leg. Wisig. l. 3, tit. 6, c. 1): nec rex Henricus mitior fuit, qui omnia simul, exceptâ adulterii causâ, prohibuit. Apud Burgundos nullum in divortia jus quâcumque demùm ex causâ feminis permissum; viris autem tantùm ex causis in Constitutione Constantini designatis (Leg. Burgund. c. 34).

Allemannis constitutum erat, ut in repudiandis uxoribus *coram quinque nominatis, et septem advocatis* solemniter edicerent, eam feminam repudiari, non quòd vitio aliquo aut defectu notaretur, sed quòd altera magis amaretur (Leg. Alleman. c. 53). Porrò hæ leges sexto seculo scriptæ sunt, nempe ante receptam ab illis gentibus fidem.

Synodus Hiberna II, can. 26, in potestate mariti relinquit, si post repudiatam priorem feminam adulterii causâ, ad novas nuptias transire valuerit. *Si ducat alteram, velut post mortem prioris, non vetant.*

Porrò illarum gentium prona in divortium licentia ex litteris Gregorii VII ad Lanfrancum, archiepiscopum Cantuariensem, sicut etiam ex alterâ Lanfranci ad Gotricum et Terdevraltum, regem Hiberniæ, ac tandem ex alterâ Anselmi archiepiscopi Cantuariensis, ad Muriardacum, regem ejusdem provinciæ, nota est. Vitio enim populis illis vertunt pronam sicut ad socianda, ita et dissocianda conjugia consuetudinem, nec ætate nostrâ meliores sunt Hibernorum mores, juxta ac Cambdenus animadvertit.

DE NATURA ANIMÆ,

ET EJUS POST MORTEM STATU, EX SENTENTIA VETERUM HEBRÆORUM;

Dissertatio.

Articulus I.

Inter corpus, animam et spiritum discretio.

Animæ nomen in veterum scriptis ambiguum est maximè, interdùm enim sonat rem aliquam simplicem, spiritualem, incorruptibilem, immortalem, quæ cogitat in nobis. Aliquibus verò est res quædam, subtili, tenuique, aereâ, lucidâ materiâ constans, quâ veluti corpore vestitur *spiritus*, cogitandi et ratiocinandi in nobis fons et origo. Anima, posteriori illo sensu accepta, ex veterum plurimorum sententiâ voluptatum pellectu trahitur, odoribus, dulci instrumentorum musicorum suavitate mulcetur, circa sepulcra divagans spectandam se præbet, victimarum cruore pascitur, ac tandem ex alio in alium generatione propagatur. Hæc non apud philosophos paganosque poetas tantùm, sed et apud veteres Ecclesiæ Patres legas, sicut et libris apocryphis sub ipsâ Ecclesiæ crepundiâ probatis. Tria ab illis n homine distincta : *corpus*, crassum nempe illud, materiâ compactum, et obnoxium corruptioni; *anima*, aerea, tenuis, ad luminis naturam dotemque accedens; et *spiritus* vel *mens*, spiritualis illa naturæ vis, in animâ veluti in vaginâ condita.

Resoluto corporis cum animâ per obitum nexu, illa vel supra lunam cum spiritu evolat, vel si exactæ vitæ scelera reposcant, ad inferna suppliciorum loca deturbatur. Proborum igitur animas, cùm supernas tenuerint sedes, mors altera manet; fracto enim animæ claustro, *spiritus* cum sole jungitur; *anima* verò Elysiis illis in sedibus sub lunâ subsistens, nihil sibi facit ad voluptatem reliqui, semper tamen affinem illam retinens ad cognatum corpus formam, ad pristina in terrâ studia propensionem, ad arma scilicet, equos tractandos, jura reddenda.

Patent hæc maximè in scriptis Homeri, summi illius theologiæ Græcorum coryphæi; agens enim ille (Iliad. 26) de Patrocli animâ, spectandam se per visum Achilli præbente, similem per omnia formam ac heros ille, cui olim insederat, retulisse dicit. Et Odyss. l. 5, 600, Ulysses ad inferos vidisse se dicit *Herculis idolum* (animam scilicet); *ipse verò*, addit, *apud mortales Deus oblectatur in conviviis* (spiritus videlicet). Et Dido apud Virgilium Æneid. 4 de animâ suâ post obitum canit :

Et nunc magna mei sub terras ibit imago.

Quanquàm hæc satis per se abhorrent à doctrinâ fidei in Scripturis traditâ, in ipsâ tamen Scripturarum phrasi nescio quid non dissimile translucet. Animam à spiritu sive mente utcumque distingui, sat constat, cùm anima ipsa, in Scripturis nuncupata *Nephesch* sive *Neschamah* vel etiam *Ruach* homini æquè ac brutis tribuitur. Deus aquis præcepit, ut producerent *reptile animæ viventis et volatile super terram.* Et paulò infra (Gen. 10, 20), suffecisse dicitur Deus hominibus, et cunctis animantibus terræ, et omnibus, *in quibus est anima vivens*, herbas ad vescendum. Et Genes. 9, 10, solemni se fœdere obstringit Deus cum hominibus, et *omni animâ vivente*, nempe cum animantibus omnibus : ita pariter, immissis diluvii aquis perdidit *cuncta, in quibus spiraculum vitæ est* (Gen. 7, 22. Vide et Deut. 20, 16; Josue 10, 40, etc.). Et adhuc : *Ego interficiam omnem carnem, in quâ spiritus vitæ est* (Hebraicè Ruah). Ac tandem : *Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis* (Num. 27, 16, et 16, 22). Vide pariter Eccl. 3, 1, 20, 21.

Sed spiritus (Ruah) sine addito, vel mens (Binah) vel duo illa simul, *spiritus intelligentiæ* (Job 20, 3 et 28, 8), uni tantùm homini tribuuntur. Porrò hæ loquendi phrases in eam fortè persuasionem veteres Hebræos adduxerunt, animam illam, hominibus eamdem ac brutis communem, quam in sanguine residere tradit Scriptura Levit. 17, 11, 14 : *Anima carn*

nis in sanguine est; et anima omnis carnis in sanguine est, materiâ quâdam constare, et alterius planè esse à mente, nunquàm brutis in Scripturâ tributâ, naturæ. Luculenter sanè animam sensibilem et rationalem distinguens Philo (lib. *Quòd deter. potior. insid.* pag. 170), ait vitalem illam animam ipsam esse, quâ vivimus; rationalem verò, quâ ratiocinandi facultate utimur : illam habere nos cum brutis communem, hanc peculiarem. Deus, ait, rationalem illam animam non creavit quidem, sed subjectam habet nihilominùs; quippe qui omnis rationis ipse principium sit et origo. Deteriorem illam animam, brutis etiam communem, nihil esse aliud scias, quàm sanguinem; rationalis verò particula est et portio divinæ mentis; spiritualis quædam substantia, et spiritus pariter, alterius planè ab aere moto et agitato naturæ, exemplar tandem et imago divinæ virtutis. Hæc Philo.

Insinuat alibi, animam materiâ quâdam compingi; propositâ enim sibi quæstione, cur anima videri oculis non possit (de Gigant., p. 285), reponit, non esse inde rectâ consecutione inferendum, animam nequaquàm existere; esse enim per universas mundi partes diffusas animas, in aere, in igne, in terrâ; astra etiam suis animabus cieri; angelos verò, animas, et dæmones nomine tantùm differre (ibid., pag. 286). Si verò exprimit alibi quasi angelos haberet incorporeos (idem, de Conf. ling., pag. 345, etc.), illud tantùm insinuat, non corporis cujusdam materialis claustro teneri illos, sicut hominum animas. Legit autem, quemadmodùm Septuaginta : *Videntes angeli Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* Hæc autem, ad allegoriam licet detorta explicet de corporis cum animâ conjunctione, ponit tamen ut certum, animas sive angelos per aera circumfusos, naturali quâdam in corpora propensione ita ferri, ut in unum tandem cum illis coalescant, quæ sanè habitudo non nisi in substantiâ quâdam materiali residet. Cùm tamen nihil satis expressum de corporeâ animarum naturâ habeat Philo, judicium de ejus sententiâ suspendo.

Reipsà tamen Josephus (Antiquit. l. 1, c. 4), et auctor veteris libri Henoch (cap. 4) autumârunt, angelos, ac proinde et animas, quas ejusdem naturæ constituunt, à corpore secretos non esse. Non semel anima à spiritu distinguit auctor libri Henoch : *Spiritus et animæ hominum suspirant;* et paulò infra : *Spiritus animarum hominum morte jam functorum, ad portas usque cœli suspiria eorum pertigerunt:* et c. 9 : *Gigantes, à spiritûs et carnis copulâ procreati, erunt spiritus nequam* (dæmones), *spiritu è corpore carnis suæ deflectente.* Agnoscas postremis hisce verbis sententiam in rabbinorum quorumdam scriptis (vide Bartolocc. t. 1, p. 35), et in S. Chrysostomo pariter legendam (Homil. 29 in Matth. p. 282); animas scilicet impiorum interdùm in dæmones transmutari; quæ sanè cum iis congruunt, quæ tradit Josephus de Bello l. 7, c. 25, et post ipsum S. Justinius martyr. Apolog. 2, dæmonum in hominum corpora infestationes ab ipsis quandoque effici, impiorum animabus è corpore separatis.

Tribuunt etiam rabbini animabus post relictum corporis contubernium subtile aliud corpus, quod *vas animæ* appellant. Habent enim persuasum, impiorum animas post obitum vestis cujusdam genere circumfundi, quibus inductæ tormenta perpetiantur; sicut vicissim justorum animas splendido quodam paludamento et fulgenti corpore vestiri, quo pariter felicitatem et fulgorem beatitudinis omnem capere assuescant (vide Rab. Abd. Suphurn. in Or. Haschem, p. 91). Vestigia quædam ejus opinionis deprehendimus in Apostolis (Joan. 20, 25, 26, 27). S. Thomas nunquàm se fidem addicturum Apostolis, qui spectâsse se corpus Jesu Christi affirmabant, professus est, nisi suis manibus fixuram clavorum et vulnerum in ejus pedibus, manibus, ac latere explorâsset; quasi scilicet ambigens, num imago corporis Jesu Christi vel ejus anima, quâ spiritus tanquàm veste induebatur, fucum sociis fecisset.

Animam à spiritu distinguere visus est Daniel (Dan. 2, 86), cùm ad laudes Domini invitet spiritus item et animas : *Benedicite, spiritus et animæ justorum, Domino;* neque enim ille spirituum nomine angelos, et beatos designare potest, quos antea ad eadem studia invitaverat; sicut etiam *virtutes cœlorum et spiritus Dei,* nempe ventos validos. Confer. Dan. 3, 58, 61, 65, 86. Auctor libri de Assumptione Moysis (Apud Clem. Alex. p. 6, Strom. Evod. ad Aug. Ep. 259, inter Aug.) narrat, Josue in ipso monte, ubi Moyses diem clauserat, versanti obvios factos geminos Moyses, quorum alter inter medios angelos superas cœli sedes petebat, alter in terrâ subsistens conditus est : prior Moyses erat viri anima, alter crassum ejus corpus. Sadducæi spiritus omnes et angelos negantes (Act. 23, 8), admittebant reipsà tamen rationalem quamdam animam, in ejus tantùm

immortalitatem iniquiores; residere illi quidem in homine fatebantur recogitans aliquid, hoc ipsum tamen immortale esse pariter, et spiritum negabant.

Articulus II.

Animæ immortalitas.

Immortalitatis animæ dogma constanti sanè religione tenuerunt non Hebræi tantùm, sed Chaldæi pariter, Indi, et Ægyptii, antequàm Græci quidquam de illo nôssent. Primos ejus auctores Ægyptios asserit Herodot. l. 2, c. 123, addens quosdam se nôsse apud Græcos qui ejus constituti primitùs honorem alii quidem seriùs, recentiùs alii vindicarent; nôsse se tamen eorum vel nomina indicare, ut illorum honori utcumque consulat. Quibus verbis tacitè fortè designantur Thales Milesius (Cheril. apud Laert. l. 1, p. 16), et Pherecides (Tull. Tuscul. quæs. lib. 1, cap. 16), quos Græci primos hujus dogmatis auctores arbitrantur; constat tamen receptam ab aliis doctrinam illos Græcis tradidisse.

Pausanias (Missen. cap. 4) ejus originem refert ad Chaldæos, et Indiarum magos, ex quibus derivatum dicit in Græcos, et in Platonem potissimùm. Sed vera ejus origo non nisi apud Hebræos quærenda, in Moyse scilicet cæterisque Scripturæ libris : in patriarchis ac in eorum familiâ, à Deo electâ, non traditio tantùm constans et certa dogmatis de immortalitate animæ occurrit, sed et hujus argumenta, ac veluti fundamenta rei, cui veluti ota Religionis moles incumbit. Moyses vetustissimus omnium, cujus scripta supersint, narrat, Deum post compactum hominis corpus, inspirâsse *in faciem ejus spiraculum vitæ* (Genes. 2, 7). Cùm verò de cæteris animantibus agit, nihil habet simile.

Spiraculum hoc vitæ aliud sanè habendum est, ac sensibile aliquod et materiale; constat enim Deum purum esse spiritum, nec Hebræos unquàm sive animâ Deum ipsum constare, sive corpore compactum, tenuisse. Est ergo spiritale aliquid, et mens ipsa, sive anima rationalis, tunc in hominem infusa. Hunc eumdem spiritum retrahit ab homine, cùm viventem perimit (Job. 34, 14); hoc pariter intelligendi facultate instruimur (Job. 32, 8); hoc vitâ donamur (Job. 33, 4); lampas est seu *lucerna Domini, spiraculum hominis,* juxta Proverb. 20, 27. Inde verò Platonici (Plato in Phædr. pag. 78, 81, 82, 95, et in Timæo pag. 99), et veterum alii deduxisse censendi sunt, animam hominis effluvium esse quoddam et Dei ipsius portionem, ex ejus ore spiraculum. *Divinæ particulam auræ* (Horat. lib. 2, satyr. 2). Cùm data hominibus anima tanquàm portio sit divinitatis, ait Cicero, Tusc. qq. l. 5, num. 48, nulli, præterquàm Deo, valet comparari : *Ratio nihil est aliud,* ait Seneca epist. 56, *quàm in corpus humanum pars divini Spiritûs mersa.*

Cùm Deus creandi Adam consilium agitaret: *Faciamus,* inquit, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Genes. 2, 26). Porrò nulla est corporis cum Deo similitudo, sed in animâ tantùm et ratione. Cùm pariter Deus ipse immittere diluvii aquas statueret (Gen. 6, 3) : *Non permanebit,* ait, *Spiritus meus in homine, quia caro est.* Quis autem Spiritus iste, morte hominis à Deo reductus (Psal. 103, 29), nisi Spiritus ille divinus, qui juxta illud Psalmi 77, 39, *Spiritus est vadens et non rediens?* De hoc pariter Spiritu dictum est Eccl. 12, 7 : *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, et Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

Fatemur nos quidem, eas interdùm loquendi phrases occurrere in Scripturâ, quæ brutorum et hominum naturam æquare videntur; quasi scilicet ambo hæc eodem spiritu, et divini oris spiraculo animarentur. Communia hæc vocabula *Anima, Spiritus, Spiraculum,* datas utrique huic creaturarum generi communes animas designant; hominum et brutorum interitus iisdem non rarò vocibus exprimitur : *Aufert Deus spiritum ex omni carne* (Psal. 103, 29); cibum et vitam omnibus æquè animantibus suppeditat; si faciem avertat, omnia turbantur; *Auferes spiritum eorum, et deficient.* Deus diluvii aquis immissis interfecit omnem carnem, *in quâ spiritus vitæ est* (Gen. 6, 17, et 7, 15); terris et aquis injungit, ut producant *animam viventem,* seu animantia vitâ et animâ donata (Gen. 1, 20, 21, 27); et post diluvium fœdus init *cum omni animâ vivente* (Gen. 9, 10); ac tandem animam esse in sanguine, habetur Levit. 12, 17. Quibus omnibus loquendi phrasibus insinuari videtur ambiguas esse maximè phrases illas : *Anima, Spiritûs divini Spiraculum,* nec satis aptè immortalitatem animæ probare, quippe quæ mortales brutorum animas æquè designent.

Nihil tamen est quod facesset nobis negotii vocum ista affinitas, quemadmodùm nihil facit, dùm familiari sermone solemus interdùm iisdem vocibus exprimere rationalis animæ operationes, quibus et brutorum motus ac sensilis

animæ functiones. Quis enim rectè inferat ex hâc vocum cognatione cognatas pariter esse utriusque generis animas? Dùm occasio reposcit, satis exactè definimus, quid nobis, quid brutis conveniat. Eadem pariter cautio in Scripturâ. Si populares quandoque voces usurpans, homines à brutis distinguere non satis videtur, cùm tamen res ipsa poscit, quid homines inter et bruta distet, satis luculenter exponit. Asserit peculiaria quædam de homine, quæ nunquàm de belluis affirmaret; et si quando paria de utrisque loquatur, sermo tunc est tantùm de vitâ corporis, de animâ sentiendi facultate instructâ, quam brutis æquè ac hominibus vindicant omnes. Quare in brutis anima, spiritus, spiraculum à Deo datum reductumque ad arbitrium, nihil est aliud, quàm vita corporis, in sanguine potissimùm residens. In homine verò vocibus illis interdùm designatur anima sensilis, æquè et rationalis; non rarò etiam rationalis tantùm, etc., quod ex sermonis contextu satis discernitur.

Legimus, e. g., Abrahamum senio confectum obiisse, *et congregatum esse ad populum suum* (Gen. 25, 8). Ad quem, rogo, populum? an ad Thare, Nachor et Heber? Nunquàm profectò ille. In Chaldeâ et Mesopotamiâ viri illi sepulturæ mandati, corporeab illo discreti manserunt; cùm in speluncâ, pretio ab ipso comparatâ, in Chanaanitide Abrahami cadaver jacuisse constet. Anima ergo viri sancti patrum suorum animas convenit, unà pariter cum illis resurrectionem in loco destinato opperiens.

Jacob, accepto de nece filii sui Joseph nuntio, ejulans clamabat: *Descendam ad filium meum in infernum* (Gen. 37, 12), in sepulcrum scilicet. Nunquàm sanè duo simul cadavera, suum nempe et filii, jungi posse nôrat mœstissimus pater, ratus non aliud concessum charissimo filio tumulum, quàm carnivoræ cujusdam belluæ ventrem; sed alterius vitæ, cum illo consuetudinem suspirabat.

Cùm Deus ad Moysem locutus edicit: *Pergat Aaron ad populos suos, non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israel* (Num. 20, 24); et cùm pariter ad Moysen (Deut. 32, 50): *Conscendens* (montem Nebo) *jungeris populis tuis;* hæc sanè ad litteram nunquàm exponerentur; constat enim *Hor* ubi Aaron, et *Nebo* ubi Moyses diem clauserunt, montes esse, illum, Arabiæ Petrææ, hunc Moabitidis, dissitos planè à Mesopotamiâ, Chaldæâ et Chanaanitide, ubi avita illa patrum Hebræorum sepulcra. His ergo phrasibus apertissimè instruimur, alterius vitæ, in quâ simul omnes convenirent, spem inditam Patriarchis; quâ pariter lactatus David dolorem suum in obitu filii ex Bethsabee nati solabatur (1 Reg. 12, 23): *Ego vadam ad eum, ille non revertetur ad me.*

Deus è rubo ardenti Moysem affatus, dixit (Exod. 3, 6): *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob.* Non est ille profectò Deus mortuorum, juxta ac Jesus Christus observat (Matth. 22, 32); videbant ergo, sed alterâ planè vitâ, Patriarchæ. Core, Dathan, et Abiron hiscente terrâ absorpti: *Descenderunt vivi in infernum* (Num. 16, 30, 33); quibus verbis tacitè insinuatur, quantùm sapimus, superstites adhuc raptos illos in loca suppliciorum, datâ proportione ut olim Henoc et Elias in amœnissimum locum, superstites pariter, translati sunt. Satis autem his omnibus insinuatur, receptam fuisse apud Hebræos tum de alterâ vitâ, cùm de animarum immortalitate persuasionem. Confer loca parallela sæpè in Scripturâ (1).

Jacob ad obitum decumbens, morbi tædium solabatur spe salutis et redemptionis: *Salutare tuum expectabo, Domine:* aliam planè salutem in æternitate sperabat. Cur Balaam tantis votis optabat: *Moriatur anima mea morte Justorum* (Israelitarum nempe), *et fiant novissima mea horum similia* (Num. 23, 10)? cur insuper post longa expectationum tempora visurum tandem se liberatorem Israel, quem veluti à longè venientem prospicit? cur, inquam, hæc omnia, nisi tamdiù in alterâ vitâ superstitem se futurum expectat, quamdiù spei illius tempore impleantur? Quid tandem factum est de promissionibus illis, quibus se Deus obstrinxit Abrahamo: *Ego ero merces tua magna nimis* (Gen. 15, 1)? quid, inquam, contulit Deus magnificis hisce promissionibus satis dignum, et tanto remuneratore par in hoc mundo? Sperandum ergo supererat animæ ejus Patriarchæ præmium illud, sanè post obitum in alterâ vitâ.

Aliud argumentum, intentum convincens, ex eo deducitur, quòd Hebræi mortuos ad vitam revocandos crederent; quòd per visum mortalibus apparent interdùm; quòd de futuris eventibus consulerentur mortui. De mortuis ad vitam revocatis (3 Reg. 7, 20, 23), ab Eliâ et ab Elizæo (4 Reg. 4, 34, 35, etc.), cujus

(1) Prov. 1, 12: « Deglutiamus eum sicut infernus viventem. » Et Psalm. 54, 16: « Veniat « mors super illos, et descendant in infernum « viventes. » Et Psalm. 9, 18: « Convertantur « peccatores in infernum. »

etiam postremi Prophetæ cadaver defuncto alterius corporis vitæ fuisse et saluti (4 Reg. 13, 20, 21), legas in sacrâ Scripturâ. Anna mater Samuelis, Dei esse virtutis dicit *deducere ad Inferos et reducere* (1 Reg. 2, 6). De reditu è captivitate Babylonicâ et Hebraicâ liberatione sub resurrectionis nomine et emblemate agunt Prophetæ non infrequenter (Ezechiel. 37, 1 Osee 13, 14). Porrò de resurrectione dogma ubique apud Judæos, exceptis Machabæorum ætate Sadducæis, constat inter omnes. Sicut et Jesu Christi resurrectio Judæorum quàm plurimis probabatur : ac tandem Lazarus sub ipsis, ferè dicam, omnium Israelitarum oculis rediit ad vitam ; sicut et alios ante illum nonnullos Jesus pariter suscitaverat. Frustra autem expectaretur resurrectio mortuorum, si unus esset animæ et corporis interitus.

Mortui per visum spectati non infrequenter in veteri Testamento leguntur; quorum luculentissimum est exemplum Samuel à pythonissâ excitatus (1 Reg. 28, 13, etc.) ; Jeremias pariter Judæ Machabæo spectandum se per visum obtulit (2 Mach. 15, 14). Gradientem super undas maris nocte intempestâ Jesum spectantes Apostoli phantasma judicârunt (Matth. 14, 20, 26), ac tandem Jesus ipse post resurrectionem suam sese offerens Apostolis : *Videte,* ait, *et palpate, quia spiritus carnem et ossa non habet.* Persuasum habebant rabbini, nunquàm assignatas sibi sedes obtinere animas posse, sive in Paradiso sive apud inferos, nisi priùs sepulturæ corpus mandaretur, quin et ad conditum in terrâ corpus invisendum ventitare illas frequenter, quid cum illo fieret, certiores se facturas (Bereschit Rabb. c. 22, Talmud tract. Sanhedrin. c. 4) : tenent autem, duodecim primorum à morte mensium spatio factum esse ut pythonissa animam illam Samuelis, quæ rediit ad corpus, revocaret; frustra enim eâ temporis periodo elapsâ, Samuele jam in Paradisum recepto, mulier illa laborâsset. Ad necromantiam quod attinet, cavet Moyses Levit. 19, 31, et 20, 6, 27, ne interrogentur illi, qui mortuos consulunt; quod capitale esse, tam interrogantibus, quàm ariolis illis, decernit. In his omnibus locis usus est voce *Ob* seu Oboth, quæ pariter recurrit 1 Reg. 28, 3, ad designandam pythonissam, quam Saül consulit, quæque ejus regis precibus Samuelis animam revocavit. Cautum est pariter in Deuteronomio 18, 11 (vide et Isai. 8, 19), ne quærant à *mortuis veritatem.*

Aperta sunt hæc ad demonstrandam Hebræorum persuasionem de animarum post obitum vitâ et immortalitate. Quicumque autem in Synagogâ animæ immortalitatem negarent, veluti Sadducæi, et qui pariter solvi, et in nihilum abire illas tenebant, uti Maimonides, et Kimchi (Maimon. et alii quidam, ut D. Kimch. in Ps. 1, 5, et 104, 29), veluti hæresis notâ inurebantur, utpote qui contra receptum apud gentem dogma pugnarent. Fit inde, ut ex ipsis immortalitatis animæ adversariis argumentum deducatur ad adstruendam communem Judæorum pro eâdem ipsâ immortalitate sententiam; quâ etiam in re valet impiorum hominum illud apud Ecclesiastem 3, 18, 19, 20 : *Unus interitus est hominis et jumentorum; sicut moritur homo, sic et illa moriuntur, similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius; cuncta subjacent vanitati, et omnia pergunt ad unum locum. De terrâ facta sunt, et in terram pariter revertuntur. Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursùm, et si spiritus jumentorum descendat deorsùm?* Quorum cavillationes ita vir sapiens exsufflat Eccl. 12, 7 : *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat; et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Claudit tandem sermonem (ibid. ver. 13) : *Deum time et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo, et cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sive malum illud sit.*

Articulus III.

Animarum post obitum fata.

Angelum mortis præsidem, sive invitam, sive ultrò parentem animam è corpore reducentem, veteres Hebræi agnoscebant. Quicumque præcoci et violentâ morte intèrirent, perinde habebantur, ceu victimæ divinæ ultioni; angelo mortis et exterminii destinatæ, pœnas daturæ sive criminum suorum, sive parentum, sive regum. Ita criminum suorum meritò percussi sunt à Deo *Her* et *Onan* filii Juda (Gen. 38, 7, 10); primores natu Ægyptiorum gladium senserunt angeli exterminatoris (Exod. 12, 13, 29). Israelitas murmuris reos, et copias Sennacherib (Isaiâ 37, 36, et 4 Reg. 19, 35) perdidit angelus mortis; Septuaginta in Job. 33, 23, legunt : *Si fuerint mille angeli mortiferi, unus eorum non vulneraret eum;* et Job. 36, 14 : *Morietur in tempestate anima eorum, et vita eorum vulnerata ab angelis.* Et Salomon Proverb. 17, 11 : *Semper jurgia quærit malus, angelus autem crudelis mittetur contra eum.*

In vitâ Moysis vulgatâ à D. Gualmino legimus, Samaelem principem dæmonum articulum expectâsse interitui Moysis destinatum, quò scilicet virum percutiens, secum auferret animam ; Deum verò id officii Gabrieli commisisse. Id muneris, quòd tantùm non auderet, precario à se removit Gabriel ; removit et Michael, ac Zinghiel ; sed malus angelus Samael recusatum ab omnibus in se suscepit. Accedentem his repulit Moyses, ac tandem micantis gloriæ suæ fulgore oculorum illius lucem extinxit. Tunc legislator Deum precatus est, ne angeli mortis potestati permitteretur ; ad quem voti compotem factum ipse Deus, adhibitis unà secum Michaele, Gabriele, et Zinghiele, accedens, animam impacto ori ejus osculo attraxit, juxta illud : *Moyses servus Domini mortuus est super os Domini* (1). Sed recta hujus sententiæ expositio est, Moysen juxta divinorum verborum fidem obiisse.

Doctrina est Rabbinorum (Talmud. Vide Buxtorf. Synag. Jud. c. 35, pag. 507), angelum mortis ægroti vel animam agentis capiti fulgentem quemdam gladium vibrantem adsistere. Ejus aspectu territus miser os diducit, statimque angelus tres venenatas guttas gladii sui cuspide intra apertas fauces demittit, quarum priore statim æger extinguitur, altera atro mortis colore inficitur, tertia tandem solvitur in cineres. Statim post peremptum hominem, angelus ille in primo, quod occurrerit, vase aquâ pleno venenatum gladium eluit, unde noxia qualitas aquæ communicata. Quare Judæi totam effundunt, fortè tunc in domo occurrentem, aquam, metu ne latex ille inficiatur.

Tenent pariter, animam post obitum ad viduatum corpus ventitare frequenter ; et ne errare in tenebris cogatur, septem dierum spatio incensam assiduè lampadem in conclavi detinent (Bartolocc. l. 2, p. 147. Buxtorf. loc. cit.). Illato autem in tumulum cadavere, angelus mortis monumento assidens, revocat iterùm animam in corpus momento mansuram, tamdiù scilicet, quamdiù stare semel possit. Stantem Angelus catenâ quâdam partim candente, et partim algente bis percutit : ad primum ictum ossa friantur, ad secundum dissipantur ; tertiò tandem cædens totum corpus in cinerem dissolvit. Succedentes tunc boni angeli dispersa colligunt ossa, et corpus iterùm monumento restituunt (Buxtorf. Synag. c. 35).

(1) Deut. 31, 5 : « Mortuus est Moyses jubente Domino. (Hebr.) Super os Domini. »

Sed nihil tale occurrit, sive in Scripturâ, sive in priscis Judæis. Id tantummodò apud Origenem et Theophylactum de resurrectione Lazari agentes ad Joannem 11, 43, Judæos, et paganos persuasum habuisse, animas post obitum aliquo temporis spatio, illato in sepulcrum corpori assistere ; cui falsæ prorsùs opinioni destruendæ clamavit Jesus : *Lazare, veni foras.*

Articulus IV.

Judicium Dei in animas.

Legimus Lucæ 16, 22, animam Lazari mendici transtulisse angelos in sinum Abrahami ; certumque tenent Rabbini, S. Michaelis manu justorum animas Deo præsentari (Vide Targ. in Cantic. 4, 12, et Resbith Chochmah c. 3). Refert etiam Josephus (Antiquit. l. 18, c. 2 ; et de Bello, lib. 2, c. 12), receptum esse apud Pharisæos, impiorum animas judicium sub terrâ subire, damnarique ad inferni supplicia. Agnoscunt Judæi duplex quoddam judicium, privatum post obitum, et generale post resurrectionem. Prima dies tizri, quæ caput est anni, judicio divino in homines reservatur, quanquàm tunc rationes potiùs supputat, seu in examen revocat animas ad infernum jam destinatas, veriùs quàm judicat.

Talmudistæ (Talmud. in Gemar. tract. Rosch Haschama, c. 1), juxta doctrinam Someæ, docent tres hominum classes coram judicio, destinatâ ad eam rem die, sistendas, justos, impios, et medios quosdam homines inter justos et impios. Priores illi æternâ statim vitâ donantur ; impii inferorum suppliciis addicti ; medii illi homines, sive Judæi fuerint, sive gentiles, ad inferna unà cum corpore descendent, ubi ascendentes et descendentes duodecim mensium spatio, ascendentes nempe ad corpora, et iterùm inferna loca repetentes, plorabunt. Evolutâ hâc temporis periodo, corpora absumentur, amburentur animæ, quas ventorum impetus sub pedibus usque justorum disperdet. Sed hæretici, et epicuræi, qui legem negant, et resurrectionem mortuorum ; tyranni, sub quibus terra olim tremuit, et illi omnes, qui exemplo Jeroboami, filii Nabath, populos cogent ad crimen, per secula in infernis punientur. Agnoscebant ergo Judæi, quantùm ex his intelligimus, genus quoddam purgatorii, quâ de re infra fusiùs. Modò Scripturæ et veteris Instrumenti testimoniis constituendus est locus quem Paradisum vocant, et Infernum.

Articulus V.

Paradisi felicitas.

Nihil satis luculentum apud Moysem de vitâ æternâ ac futuri statûs felicitate, justorum præmio destinatâ; insinuat tamen hæc omnia non obscurè nec infrequenter. Deus ad Moysem ait, Exod. 33, 20 : *Non videbit me homo, et vivet,* quasi scilicet post obitum tantùm Dei visione homo sit fruiturus. Deus Levit. 18, 5, pollicetur : *Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo vivet in eis.* Et Deut. 30, 15, 19: *Considera quòd hodiè proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum* (si nempe Dei legibus parueris), *et è contrario mortem et malum* (si deteriora exempla sequeris). Profectò nec ea, quæ in corpore est, vita satis æquum est pro meritis justorum, morigeros se divinis jussionibus exhibentium, præmium; neque satis respondet pœna mortis sceleri eorum, qui legem Dei prævertere ausi sunt. Experientiâ pariter habemus compertum, viros illos, qui justissimi habentur in hâc vitâ, non continuò et felicissimos esse, et diuturniùs agere in terris, sicut vicissim impiis quandoque omnia velificantur; optima nempe corporis habitudo, vita diuturnior. Manent ergo in alterâ vitâ æterna præmia et supplicia.

Abigail Davidem effata ait (1 Reg. 25, 29) : *Erit anima domini mei custodita, quasi in fasciculo viventium, apud Dominum Deum tuum. Porrò inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu et fasciculo fundæ.* Quid *fasciculus viventium,* nisi justorum in alterâ vitâ felicitas? Quid animæ *rotatio,* nisi impiorum in Inferno supplicia?

Frequentissimè in psalmis et prophetis sub figurarum emblematibus constituta viris probis felicitas in alterâ vitâ designatur; veluti cùm justorum animæ potandæ dicuntur torrente voluptatis. Hùc pertinet fons vitæ, quo inebriantur; instructissimum illud convivium, cui assident commensales; terra viventium, quam incolent; regnum cœlorum, ad quod invitantur; corona gloriæ, quâ redimiuntur; nitor ille et fulgor majestatis, quo vestientur (Dan. 13, 3; Sap. 3, 7).

Martyres sub altare Dei exhibet S. Joannes, Apoc. 6, 6; animas Moysis et sanctorum sub throno Dei collocant Rabbini (Vide Vindeo de vitâ functorum Statu sect. 7); in sinu Abraham constituit Jesus Christus (Luc. 16, 23). Samuel Saüli per visum sese offerens, objurgat (1 Reg. 28, 15) : *Quare inquietâsti me?* Jesus Christus ad latronem illum probum (Luc. 23, 43) : *Hodiè mecum eris in Paradiso.* Ipse pariter Jesus comparat regnum cœlorum convivio (Matt. 8, 11; Luc. 13, 28), cui nec fatuæ virgines, nec impii, nec veste nuptiali destituti assidere permissi sunt : sed rejecti illi in tenebras exteriores projiciuntur, ubi est fletus, desperatio, conscientiæ angores, et stridor dentium. Agit alibi de vitæ hujus felicitate, tanquàm de regno, in quo primas tenent amici et fidissimi quique ministri (Matth. 20, 21). His omnibus satis instruimur, eamdem fuisse Hebræorum olim, quæ et nostri temporis, persuasionem, de futuræ vitæ felicitate, quam magnificis verborum emblematibus exprimebant.

Quanquàm justorum in alterâ vitâ locus destinatus planè est, et dissitus maximè ab impiorum carcere : *Inter nos et vos,* ait, *chaos magnum firmatum est* (Luc. 16, 26); cruciat tamen, et maximè cruciat impios sub eorum velut oculis exposita justorum felicitas et gloria (Sap. 5, 3) : *Hi sunt,* ita illi inter se reputant, *quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore : ecce quomodò computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est..... Talia dixerunt in Inferno hi qui peccaverunt.* Impius ille dives Lazari mendici felicitatem oculatus testis spectavit (Luc. 16, 23, etc.), rogavitque Abrahamum, ut in mundum mittere Lazarum dignaretur, quò fratres suos moneret, ne quid committerent, ut ad æterna hæc supplicia damnarentur. Auctor quarti Esdræ (4 Esdr. 4, 36, etc.) narrat, justorum animas clamare ad Dominum *in promptuariis suis* in hæc verba : *Usquequò spero sic? et quando veniet fructus areæ mercedis nostræ? Et respondit ad ea Jeremiel archangelus, et dixit : Quando impletus fuerit numerus seminum in vobis.* Quæ sanè plurimùm quadrant cum illo Apocalypsis 6, 10, ubi martyrum animæ sub altare positæ clamant ad Dominum : *Usquequò non vindicas sanguinem nostrum?* quibus responsum est, sustinerent adhuc modicum, quoad usque fratrum et conservorum suorum numerus impleretur, qui omnes vitam suam pro Domino essent daturi.

Articulus VI.

Infernorum supplicia.

Inferni locus designatur in Scripturâ sub nominibus tenebrarum (Ps. 87, 13, 14, et 1 Reg. 2, 9), perditionis, corruptionis, terræ

oblivionis, silentii (Psal. 94, 17, et 15, 17, 3, in Hebræo), profunditatis, procellæ, abyssi, putei (Psal. 68, 16), umbræ mortis (Psal. 88, 7, 8, Job. 10, 22), locis horroris et confusionis. Moyses in Israelitas adversùs Dominum refractarios invectus, ait (Deut. 33, 22): *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad Inferni novissima; devorabitque terram cum germine suo, montium fundamenta comburet.* Habemus hîc constitutum ignem subterraneum Inferni, locum perditionis imo in terræ fundo sub ipsis montium fundamentis, sub aquarum abysso. Hebræi etenim terram et montes aquis imponunt; aquis autem inferiorem collocant Infernum. In imo hoc carcere torti gigantes ejulant (Job 25, 5): *Gigantes gemunt sub aquis.* In hunc locum impii veluti morticinia in loca quædam immunda projiciuntur (Psal. 49, 15, et 141, 7). Idem pariter locus horroris, incognitus, impervius obtutibus hominum, oculis Dei nudus est et apertus (Job 26, 6; Prov. 15, 11).

Hæc de pœnis Inferni, Isaias 66, 24: *Cadavera virorum, qui prævaricati sunt me: vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis universæ carni.* Jesus Christus Matthæi 9, 44, inferno accommodat hunc Prophetæ locum. Mulieris prostitutæ vias deducere ad Inferos ait (Prov. 2, 18, et 9, 18) Salomon, ad *sedes* nempe *Rephaim*, veterum scilicet gigantum, qui vias suas ante diluvium corrumpentes, nominis sui terroris universum concusserunt. *Vir, qui erraverit à viâ doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur* (Prov. 21, 16). Ibi positos gigantes nulla manet egrediendi spes. Psalmista Psal. 78, 11: *Aut medici suscitabunt* (Hebr. aut Rephaim seu gigantes, resurgent) *et confitebuntur?* Isaias 26, 14: *Morientes non vivant, gigantes non resurgant; propterea visitâsti, et contrivisti eos, et perdidisti omnem memoriam eorum.* Et de Israelitis agens, futurum denuntiat, ut à Deo in vitam lucidi roris imbre demisso revocentur; sicut vicissim in eorum adversarios deturbabit Deus *terram gigantum* (Hebr. Rephaim), sub terrâ nempe gigantes claudens, in tenebricoso quodam carcere (Isa. 26, 19). Vide etiam Ezechielis 31, 15: *Operui eum in abysso;* et Jeremias Thren. 3, 52: *Venatione cœperunt me quasi avem inimici mei gratis. Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me. Inundaverunt aquæ super caput meum; dixi: Perii. Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo.*

Congruunt postrema hæc Prophetæ verba cum Psalmistâ Psal. 68, 16, Deum rogante, ne unquàm permittat, ut in abyssum deturbetur, nec Inferni fauces super se claudantur. Nec incongruè eò pariter referretur insomnium Eri, de quo Plato de Rep. lib. 10. Vir erat Armenius, qui in prælio tanquàm mortuus relictus, integer et incorruptus biduò post in ædes suas relatus est; et cùm evolutis 12 diebus pyræ tanquàm defunctus imponendus esset, ad vitam reversus, quæcumque in alterâ vitâ spectaverat in frequenti auditorum coronâ narrare aggressus est. Referebat autem, se unà cum confertâ mortuorum turbâ, coram judicibus stetisse; ad judicum autem illorum imperium justos cœli alta tenuisse, ad dexteram sedentes; impios verò rejectos ad sinistram, quos operimentum quoddam ad usque terræ profundissima demissum tegebat. Addebat se, cùm suo ordine judicandus accessisset, audivisse à judicibus, oportere ut annuntiandis iis, quæ viderat, regrederetur in terram. Quibus oneratus jussionibus sedulò exinde omnia spectavit, quò certiores de illis faceret viventes; animadvertisse autem, animas, quæ in cœlum ascenderant, quæque sub terram rejectæ fuerant, per eosdem veluti canales unde iverant, regredi deinde singulas; fulgentes quidem et puras animas, quæ è cœli plagis venirent; sordescentes verò, quæ ex Inferis ascenderent. Ut autem veniebant, statim se conferebant in amplissimum quoddam pratum, quasi à labore fessæ solatium quoddam captaturæ; ibi verò, quæcumque in terrâ consuetudine quâdam fuerant conjunctæ, amplexu et propriorum eventuum narratione prioris amicitiæ vinculum magis magisque stringebant.

Mulctabantur eo privilegio animæ scelestissimorum virorum, tyrannorum et hominum humano generi perniciosissimorum; cùm enim illæ ad ostium, aditum tentaturæ, accederent, terrâ renitente, ingentique mugitu reboante, repellebantur. Aderant non longè viri quidam terribiles, ignem ejaculantes ex oculis, qui regredi eò, unde exierant, nolentes reluctantesque cogebant. Hæc Armenius ille, consona referens tum præjudiciis, quibus ipse tenebatur, tum gentis suæ de statu animarum post obitum persuasioni.

In hanc ferè sententiam docent Rabbini, defunctorum animas ire et redire ad Inferna, patentibus illis duodecim priorum mensium ab obitu spatio tenebricosi illius carceris foribus; quanquàm scelestissimorum animæ ita in suppliciis tenentur, ut ne momento quidem vacent à pœnâ. Liber Henoch narrat, S. Mi-

chaelem à Deo jusssum, Semiaz aliosque perduelles angelos comprehendisse, onerâsse catenis, ad imum terræ fundum reptâsse, ubi 70 generationum spatio torquebuntur; quibus evolutis, sistentur ad judicium, ac deturbabuntur præcipites in chaos ignis æterni, nigro quodam in loco detenti, catenis onerati, æternis cruciatibus addicti. Tandem gemina fermè animadvertas in Apocalypsi 20, 3. Angelus è cœlo descendit clavem tenens abyssi, dæmonem arripit, veterem illum colubrum alligat, in abyssum deturbat, ostium super ipsum claudit, munitque sigillo, ut aditum omnem interdicat.

Sed veteris Testamenti documenta, ex occasione illius somnii intermissa, iterùm resumamus. Isaias 14, 9, etc., de rege Babylonis ait : *Infernus subter conturbatus est in occursu adventûs tui, suscitabit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis, omnes principes nationum. Universi respondebunt et dicent tibi : Et tu vulneratus es sicut et nos, et nostrî similis effectus es. Detracta est ad Inferos superbia tua, concidit cadaver tuum; subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. Quomodò cecidisti de cœlo, Lucifer, qui manè oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes. Ad Infernum detraheris in profundum laci. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient : Numquid iste est vir, qui conturbavit terram, qui concussit regna?* Spectare licet in hoc Prophetæ loco reges et principes in Inferno dignitatis suæ insignia quædam retinentes, et veluti solatium aliquod capientes de consuetudine cæterorum, quibuscum morum aliqua erat illis affinitas.

Ezechiel 31, 15, etc., ad regem Ægypti loquens, veluti consolaturus revocat in memoriam, Assyrium olim tanquàm cedrum Libani procerum, insignem, viriditate suâ spectabilem, quòd tumidi cordis fastu superbierit, potentissimum nationum Deum fastosum illum subjecisse, à quo dejectus et in frusta concideretur ; quo pariter infortunio implicarentur cæteræ circumplantatæ arbores; ad imum terræ dejectæ *inter medios filiorum hominum*, qui in tumulum descenderunt : *In die quando Assur descendit ad inferos* (ait Dominus) *induxi luctum, operui eum abysso* (ne scilicet egrediatur), *et prohibui flumina ejus, et coercui aquas multas. Contristatus est super eum Libanus, et omnia ligna agri concussa sunt. A sonitu ruinæ ejus commovi gentes, cùm deducerem eum ad infernum* (ad sepulcrum). *Et consolata sunt in terrâ infima omnia ligna voluptatis egregia* (hebr. ligna Eden, arboris bonorum deliciosissimorum), *atque præclara in Libano, universa, quæ irrigabantur aquis; nam et ipsi cum eo descendent in Infernum ad interfectos gladio, et brachium uniuscujusque sedebit sub umbraculo ejus in medio nationum. Cui assimilatus es, inclyte atque sublimis inter ligna voluptatis* (ligna Eden)? *Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam; in medio incircumcisorum dormieris, cum eis, qui interfecti sunt gladio: ipse est Pharao, et omnis multitudo ejus.*

Comparat hîc Propheta Assyrium cedro Libani, et cæteros ante ipsum reges in Infernis detentos, arboribus horti Eden, nempe terrestris Paradisi. Prosequitur in c. 32, 19, de rege Ægypti, qui unà cum suis ad imum terræ fundum descendit. *Descende, et dormi cum incircumcisis. In medio interfectorum gladio cadent. Gladius datus est, attraxerunt eam, et omnes populos ejus. Ibi Assur et omnis multitudo ejus, in circuitu illius sepulcra ejus: omnes interfecti, et qui ceciderunt gladio. Quorum data sunt sepulcra in novissimis laci; et facta est multitudo ejus per gyrum sepulcri ejus : universi interfecti cadentesque gladio, qui dederant quondam formidinem in terrâ viventium. Ibi Ælam, Mosoch et Thubal.... Et non dormient cum fortibus, cadentibusque, et incircumcisis, qui descenderunt ad Infernum cum armis suis; et posuerunt gladios suos sub capitibus suis. Ibi Idumæa, et reges ejus et omnes duces ejus. Ibi principes aquilonis omnes, et universi venatores, qui deducti sunt cum interfectis, qui dormierunt incircumcisi cum interfectis gladio. Vidit eos Pharao, et consolatus est super universâ multitudine suâ, quæ interfecta est gladio.*

Animadvertisse juvat, nullam hîc fieri de Israelitis mentionem, expressis tantùm incircumcisis, tyrannis, et sævissimis quibusque principibus, hominum exitio datis. Sedulò etiam distinguunt Rabbini inter Israelitas cæterosque populos, Israeliticî generis neminem à futuri seculi felicitate excludendum autumantes (1). Vide Ezech. 26, 19, 20, ubi de Tyro, tanquàm de homine quodam agens, deducendum illum in abyssum minitatur, diluvii aquis oppressum; ac tandem in Infernum raptandum, in imo terræ fundo ad *populum sempiternum*.

Nec ab istis abludunt, quæ legimus apud Jo-

(1) Ita tamen hæc Rabbinorum deliria cum Scripturæ phrasibus vulgaribus convenire credimus, ut nihil tamen habeant magis, quàm expressam è Scripturis doctrinam, repugnans,

Sephum (de Bello lib. 2, c. 12, et Antiquit. lib. 18, c. 2). Essenii, ait ille, immortalitatem animarum defendunt, docentes illas vix è corporis laqueo solutas, ovantes ad cœlum veluti longâ servitute liberatas sese conferre. Justorum animæ trans Oceanum translatæ in locum quietis et deliciarum plenissimum, ubi nihil incommodi, anni vices nullæ. Impiorum verò extorres aguntur in loca injuriis aeris exposita, ubi æterna manent tormenta. Quâ in re eadem fermè sedit Esseniis ac poetis nostratibus, cùm scilicet Tartari et Plutonis regna describunt, sententia. Idem Josephus de Pharisæis testatur, habere illos persuasum, animas immortales post decessum deliciis in alterâ vitâ frui, facilemque habere in alia corpora regressum. Hæc de probis, improbas verò animas tenent æternis pœnis addici.

Ab aliorum Judæorum dogmate quoad pœnas impiorum ac justorum præmia non recedens Philo (de Congressu quærendæ eruditionis causâ), æquè tamen dissidet à paganorum et Esseniorum pariter sententiâ, quod attinet ad Infernum. Quæcumque enim feruntur de Tantalis, Sysiphis, Ixionibus, cæterisque ejus saporis apud poetas, ad fabellas amandat, certum constituens, Infernum nihil esse aliud quàm impuram et vitiis fœdissimam vitam. Hæc ille quidem allegoricè. Cæterùm asserendum nobis de auctore isto credimus, nihil satis exactum scripsisse illum, sive de loco, ubi impiorum animæ torquentur, sive de suppliciorum genere. Quin et hæc omnia tormenta intra illum tantùm temporis articulum definire videtur, quo impiorum animæ divortium faciunt à corpore, amarum illis oppidò momentum, et ingentium malorum complexum.

Constat inter omnes, apertissima legi in novo Testamento de Paradiso et Inferno, gloriâ justorum et impiorum suppliciis, beatitudine æternoque igne, utramque paginam implentia testimonia. Postremâ illâ judicii die hanc proferet Jesus Christus adversùs impios sententiam (Matth. 25, 41) : *Discedite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Justos verò hisce consolabitur : *Venite, benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* S. Joannes in Apocalypsi (Apocal. 2, 11, et 20, 6, 24, et 21, 8) Infernum designat nomine *abyssi, perditionis, et mortis secundæ.* S. Judas hæc scribit v. 6 de angelis, qui non servaverunt suum principatum : *In judicium magni diei vinculis æternis sub caligine* (Deus) *reservavit. Sicut Sodoma et Gomorrha, et finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, et abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnas sustinentes. Similiter et hi, qui carnem quidem maculant.* Frustra in re certâ testimonia cogerentur.

Articulus VII.

Metempsychosis.

Ut de metempsychosi tractemus, et argumenti connexio petit, et sententiæ in eam rem Pharisæorum et Rabbinorum complurium exposcunt. Docebant Pharisæi, justorum animabus post factum è priori corpore divortium, pronum dari in alia quæcumque corpora aditum (Joseph. Antiquit. l. 18, c. 2. Et de Bello l. 2, c. 12). Tradit etiam Philo, *de Somniis,* animas ex aere in corpora illabentes, post solutum corporis vinculum, aerem repetere; ex illis verò aliquas invisam semper habere materiam, nihilque magis metuere, quàm ut iterùm ad corpora redigantur, aliàs autem aversâ planè ab illis indole, insitâ naturæ propensione, corpora iterùm reposcere.

Quicumque inter Judæos favent metempsychosi, sive, ut appellant, animarum circumvolutioni, laudant in eam rem illud Jobi 33, 29 : *Hæc omnia operatur Deus, tribus vicibus per singulos* (homines); quod illi explicant de triplici revolutione, seu triplici regressu animarum ad corpora. Alii verò dictum exponunt de triplici animâ, quam hominum singulis assignant. Verus tamen et genuinus loci sensus est, Deum semel, bis et tertiò, i. e., frequenter, hominem à discrimine liberare.

Pro metempsychosi etiam afferunt locum Isaiæ 22, 14, ex paraphraste chaldæo : *Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini,* Chaldæus habet : *Usque ad secundam mortem;* nempe, ut Judæi exponunt, ad secundi usque corporis, ejusdem animæ contubernii, interitum; quo secundo in corpore anima commissa priori vitâ scelera eluet. Reipsâ tamen sermo ibi est de morte æternâ, quam nomine secundæ mortis S. Joannes semel, iterùm et tertiò in Apocalypsi designat (Apoc. 2, 11, et 20, 6, 24, et 21, 8). Afferunt tandem auctoritatem libri Zohar (Zohar, Parras Haje Sara), vetustissimi et magni inter illos momenti, non obscurè metempsychosi faventis.

Nihil tamen habent Judæi vetustius Josepho, et Philone, quorum testimonia adduximus. Constat etiam ex Evangelio, opinionem illam Jesu Christi ætate plurimùm apud Ju-

dæos invaluisse; quærens enim Christus ab Apostolis, quis ipse qualisque à Judæis reputaretur, respondentes audivit (Matth. 16, 14) : *Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam; alii verò Jeremiam, aut unum ex prophetis.* Et Herodes Tetrarcha (Matth. 6, 14, 15, 16), auditâ prodigiorum Jesu Christi famâ, venit in suspicionem, num Joannes Baptista, quem ipse obtruncaverat, rediisset ad vitam. Obtinebat maximè dogma illud in Oriente, et apud Ægyptios potissimùm, qui constanti semper fide huic se inhæsisse jactitabant, Herodot. l. 2, c. 123 (1). Obtinebat pariter et apud philosophos, sive platonicos, sive pythagoricos, nec ab aliis facilè, quàm à paganis, receperunt Judæi.

Nihil enim satis ad illud conducens occurrit in Scripturâ; loca enim omnia, ubi sermo est de transmigratione spiritûs ex uno in alterum hominem, explicanda sunt de Spiritu sancto, ab uno in alterum derivato, e. g., à Moyse in Josue, à Josue in Othonielem, ab Eliâ in Elizæum; cùm scilicet Deus decessoris spiritum in successorem transfundit. Afferunt etiam in hanc rem sanctionem illam legis, quæ Israelitis mandat, ut viduam fratris sine liberis decedentis superstes frater ducat, quò defuncto illi proles suscitetur. Sed quid hæc ad metempsychosim? Nec sanè magis congruit, quod afferunt ex Gen. 3, 19 : *Pulvis es, et in pulverem reverteris;* quasi scilicet apertissima hæc sint pro regressu animæ ad secundam vitam, resoluto per mortem priori illo ac terreno corpore. Reipsà tamen textus ille exprimit necessitatem mortis, homini post crimen impositam.

Cabalistæ, potissimi dogmatis hujus assertores apud Hebræos, levissima plura et minuta ad eam rem afferunt, quorum numerus et sedulitatem nostram vincit, et futiliora sunt quàm ut juvet in rem præsentem singula expendere; cùm maximè ea tantùm afferre studeamus, quæ apud veteres Hebræos sancta erant in hoc argumentum, ut locis quibusdam Scripturæ lux affundatur. En igitur potissimum dogmatis de transmigratione fundamentum (Menass. Ben Israel de Resurrect. mortuor. l. 2, c. 18). Ne ulla maneat animas causatio, quasi scilicet in malè affecta corpora demissæ omnia servare Dei præcepta vix ac ne vix quidem valuerint, quippe quarum aliis obtigerit corpus melancholiæ humore nimis tetrum, aliis biliosum, aliis ad iracundiam pronum, aliis ad voluptatem factum; his igitur omnibus tollendis causationibus Deus optimus, per alia et alia corpora animas illas traducet, ut si fortè contigerit, quòd supplicia damnentur, nullam prætendere possint pro se cautionem. Ita commodum est cuique eum perfectionis gradum, quem in priori corpore attingere non poterat, assequi in secundo, atque ita tandem ad alterius vitæ felicitatem sibi destinatam pervenire.

Tertiò autem hanc animarum transmigrationem repeti autumant ab illo Jobi (1), quod à nobis supra laudatum, altero tamen explicari sensu demonstravimus. Ad rationes cæteras supra deductas quod attinet, nihil sanè illæ minùs, quàm metempsychosis necessitatem evincunt. Nullam nos quidem justam prætendere possumus causationem, si ab officio defuerimus, neque impositum nobis perfectionis pensum solverimus. Nihil impossibile exigit Deus, nec nisi pro meritis supplicia decernit.

(1) Herodotus (lib. 2, cap. 123) metempsychosis doctrinam Ægyptiis evidentissimè attribuit... Τοῦ σώματος δὲ καταφθίνοντος, ἐς ἄλλο ξῶον ἀεὶ γινόμενον ἐνδύεται, κ. τ. λ. Auctor *Investigationum philosophicarum de Ægyptiis et Sinis* (de Paw) Herodotum erravisse contendit, et in errorem etiam induxisse Clementem Alexandrinum, Diogenem Laertium, et Philostratum (tomo 2, p. 169); sed, juxta morem, auctoritates non citat sufficientes ad probandum hunc errorem Herodoti..... In adnotatione dicit : « Servius Virgilii commentator Ægyptiis singularem opinionem etiam attribuit, apertè autem falsam, » et sine dubio loquitur de iis quæ animadvertit Servius in suo commentario Æneidos (lib. 3, v. 68), scilicet Ægyptios tentavisse defunctorum corpora servare diù, ut anima illis subdita maneret, et in alia corpora transire tam citò nequiret. Hunc locum verò Servii dignum esse credo in quo attentio defigatur, cùm clavem ille locus contineat contradictionum quæ inter veteres auctores existunt de metempsychosi apud Ægyptios. Difficile erat intelligere cur corporum conservatio tam magni momenti esse visa sit populo in metempsychosim credenti. Juxta Servium hæc ipsa fides Ægyptiis dedisset ideam condiendorum corporum, ut defenderetur anima à transmigratione quæ juxta vulgarem opinionem post totam corporis dissolutionem tantùm fiebat, quod omninò verbis Herodoti congruit: Τοῦ σώματος καταφθίνοντος. Cæterùm animarum humanarum transmigratio in corpora aliorum animalium in multis monumentis ægyptiacis effingitur.

(1) Ex omnibus Jobi textibus nullus fortè animæ veram destinationem stabilit evidentiùs versiculis 25 et 26 capitis 19 : *Scio enim quòd redemptor meus vivit et in novissimo die de terrâ surrecturus sum, et rursùm circumdabor pelle meâ, et in carne meâ videbo Deum meum.* Quantùmvis torqueatur sensus horum verborum, inde firmissima emerget fides immortalitatis, nec quidquam superest Hebræos calumniantibus, nisi ut libri Jobi denegent authentiam quæ suo loco adstructur.

Mirari autem subit, quomodò Judæi in eam persuasionem venire potuerint, animam Joannis Baptistæ in Jesum Christum migrâsse, cùm Joannes Jesu Christo vixerit coævus, Baptismo illum tinxerit, suoque testimonio commendaverit. Sed certum tenent Rabbini, ad tres usque animas homini assignari, ac fieri utique posse, ut unam habenti animam altera deinde superveniat (vide R. Isaac Loriens. de Revol. anim. cap. 5); altera, inquam, sive ante actæ vitæ scelera expiatura, sive novum perfectionis gradum adeptura, sive officium suum majori curâ impletura. Tunc secunda illa anima veluti spiritualis pater habetur illius, quem animat; quo sensu censent Rabbini sanctis viris filios esse posse in alterâ vitâ. Commodum itaque fuit animæ Joannis Baptistæ, ut post obitum in corpus Jesu transmigraret; atque nimis credulis ea persuasio induci potuit, Joannem Baptistam iterùm ad vitam rediisse, et miraculis coruscâsse.

Neque in homines tantùm migrare animas putabant; pronus illis erat in bruta et in res etiam inanimatas transitus; asserit enim Rabbinus quidam nôsse se virum quemdam maledicum, cujus anima in arentem quemdam torrentem missa fuerit, seque illic eam versantem agnovisse. Hanc ille fabellam, quanquàm alioqui supra fidem, credulis discipulis persuasit. Tenebat insuper, virorum animas ad mulierum corpora interdùm migrare, quanquàm tunc steriles animæ illæ manerent, nec perficerentur: unde, inquiunt, factum est, ut Deus nonnisi rarò postremam hanc revolutionem permittat. Sunt tandem quæ transformentur in leones, in angues, in asinum, singulæ juxta pravam illam, quam fovent, indolem (vide Jechel Male apud Gaulmin. not. ad vitam Moysis).

Hanc animarum revolutionem ad allegoriam detorquere visus est Philo (de Legib. special.), ita commentus: «Quicumque rationis disciplinâ « non imbuitur, ille in bruti naturam transmu- « tatur, quanquàm alioqui nihil illi de pristinâ « hominis figurâ decedit.» Constat tamen veteres æquè et recentiores metempsychosim reipsà tenuisse; quam pariter in locis supra laudatis Philo non obscurè præfert, quanquàm ipse non meminit nisi de revolutione animarum in corpora humana, quæ omnium est communissima. Utramque verò tenebant veteres, nec ad tempora, sive ad certam revolutionum periodum definiebant (Ovid. Metamorph. lib. 15):

Omnia mutantur, nihil interit. Errat, et illinc
Huc venit; hinc illuc, et quos libet occupat artus
Spiritus, èque feris humana in corpora transit
Inque feras noster; nec tempore deperit ullo.

Articulus VIII.

Purgatorium.

Modò quid Judæi de Purgatorio sentirent, investigandum. Profectò nôsse illos aliquid de Purgatorio, toto anno ab obitu hominis perseverante, ex iis quæ supra deduximus, satis arbitror constare. Eâ temporis periodo integrum est animabus ex infernis ad terram ascendere, corpus suum invisuris, loca, et homines, quibuscum peculiarem habuerant consuetudinem. Toto hoc temporis spatio pro animarum requie preces offerebant Judæi, solaminis aliquid illis, quietis, et à criminibus expiationis se allaturos sperantes.

Veterum Judæorum in eam rem sententiam luculentè satis exprimitur 2 Mach. 12, 40, 43. Cùm milites quidam hebræi in certamine necati inter legenda spolia invenirentur celata ferre sub vestibus idolothyta quædam, è manubiis templi Jamniæ, quod crimen erat contra legis sanctionem apertissimum (1): *Omnibus manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse..... Atque ita ad preces conversi, rogaverunt, ut id, quod factum erat, delictum oblivioni traderet.... At Judas factâ collatione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium.* Habebant ergo persuasum, in locum quemdam illos amandatos esse, ubi levaminis aliquid precibus et sacrificiis sentirent, et non in loco detineri, unde egressus omnis præcluditur. Tenebant illi, locum, ubi *prævaricatores Israel*, nempe qui libertatem à pœnis sperare poterant, torquerentur, ipsissimum esse infernum, locum illum destinatum suppliciis æternis impiorum, atheorum et scelestissimorum, quos nulla maneret spes reditûs et libertatis; discrimen tamen esse inter hos et priores illos rebantur. Primò ad pœnam quod attinet, minoribus suppliciis prævaricatores illos torqueri; secundò breviori tempore; constituta enim in prævaricatores Israel pœna ad certam diem determinata erat, quin et levabantur plurimùm precibus et oblationibus viventium; impiis æterna omnia.

Fabellas etiam in libris suis narrant, quibus dogma de Purgatorio longè latèque apud illos vulgatum haberi demonstratur (vide Cod. Chagigeah, et Israel pag. 170, col. 2; Bartoloc.

(1) Deut. 7, 25, 26: Nec inferes quidquam ex idolo in domum tuam.

l. 2, p. 152). R. Elizæus, filius Abiæ, superstes adhuc semel in Paradisum introductus, ingratum aliquid spectavit; quare minùs lætus pedem inde retulit. Docuit ille duo rerum principia, bonum nempe, et malum, in hæresim degenerans : nomen pariter immutavit in *Elizæum Acher*, id est, *Elizæum in alium transmutatum*. Discipulum suum R. Meir hortatorem habuit, ut tandem resipisceret, quod et in exitu vitæ executioni mandavit. Cùm autem de viri illius salute post obitum plures dubii versarentur, fidem suam obligavit Meir, post obitum emissurum se è præceptoris tumulo fumum Purgatorii, cui ille addictus esset, indicium; quem pariter fumum statim imperio suo cessaturum edixit Johanan Rabbinus, in signum educti hominis è Purgatorio, utroque fidem suam liberante, salus Elizæi certa constitit omnibus.

Narrant pariter (R. Tanchun. Paras. Toledoth Noab.), R. Akibam per cœmeterium transeuntem, in hominem diù antea defunctum incidisse; qui ingentem pondere lignorum sarcinam in humeris deferens, præcipiti cursu rapiebatur. Interrogatus à Rabbino, quis esset, num alicujus indigeret opis, respondit, se quidem damnatum esse ad lanium, et carbonarium exercendum; dùm viveret, telonarium egisse, non sine pauperum extorsione, atque ingentium aliorum criminum maleficio. Raptim hæc dicebat, rogans, ne diutiùs retineretur, moram omnem pœnarum suarum prorogationem esse causatus; si quid autem vellet sibi gratum præstare, curaret ut uxorem suam, quam fœtam reliquerat, conveniret, et si fortè natum ex eâ filium intelligeret, feminam rogaret, ut filium ipsum ad offerendas pro patre preces instrueret in hanc formulam : *Benedicite Dominum, et sit ille benedictus*. Filium Akiba nactus circumcisione initiavit, docuitque Deum rogare; duxit ad synagogam, et vix puer ille precem in illa verba concepit : *Benedicite Dominum, et sit ille benedictus in secula seculorum*, pater è Purgatorii flammis liberatus, per visum sese offerens Akibæ, de præstito sibi pietatis officio grates Rabbino egit quàm maximas.

Sabbati dies gratiarum est et indulgentiæ animabus Purgatorii, si Judæos audias; omnes enim pœnæ eâ die suspenduntur. Cui dogmati fidem recusanti alicui, Rabbinus ad sensum demonstravit, nullum eâ die fumum è tumulo patris sui efferri ostendens. Indulgentiæ est pariter dies solemni expiationi sacra; cùm enim precibus multas horas impendant Judæi, plurima exerceant pœnitentiæ opera, plurimùm id pariter solaminis afferri miseris illis opinantur. Rationes etiam eâ die singularum animarum supputat Deus. Persuasum est autem Judæis, animas illas in loco expiationis non nisi duodecim mensium spatio perseverare; duodecim, inquam, mensium, non anni, quòd scilicet annus tredecim interdùm mensibus, sicut intercalaribus accidit, constet.

Est autem Purgatorium, dicunt illi, *in gehennâ superiori*, quam etiam appellant sinum Abrahæ, thesaurum viventium, hortum Eden. Infernus est autem in *gehennâ inferiori;* in duos enim gradus distinguunt Infernum (V. Vindeo de vitâ functor. Statu sect. 8). Tenent pariter, Israelitas omnes partem habere in futuro seculo (Judæi in Talmud frequenter), nempe in beatitudine, quò statim post obitum, vel saltem post expiata in Purgatorio crimina reciperentur. Hanc falsam illorum persuasionem reprobâsse credunt interpretes nonnulli Jesum Christum in illo Matth. 12, 32 : *Qui dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, nec in futuro*, sicut et in altero Matthæi 3, 9, ubi futurum protestatur Jesus, ut nihil illis prosit quòd filii sint Abrahæ, quò à meritis in alterâ vitâ pœnis eximantur.

Articulus IX.

Sententiæ paganorum cum Hebræis consonantes.

Antequàm extrema manus huic dissertationi imponatur, animadvertere operæ pretium duco, quanta sit sententiarum affinitas inter veteres Hebræos, et priscos è gentilibus poetas atque philosophos. De immortalitatis animarum dogmate communis erat persuasio, non apud Chaldæos tantùm, Ægyptios, Hebræos, Indos, atque Orientales cæteros, sed apud Latinos pariter et barbaros, ut tanquàm communis generis humani persuasio jure meritòque possit haberi : *Cùm de animarum æternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium. Utar hâc persuasione publicâ*, ait Seneca Epist. 2, cap. 1. Reputârunt illi animam, tanquàm portionem quamdam et dimanationem sive favillam divinæ substantiæ (ita Plato in Phædone; Philo de mundi Opif.; Cic. de Somn. Scipion.; Virgil., Ovid., Horat.); autumârunt virorum mortem ab Apolline induci, mulierum à Dianâ (Homer. Iliad. et Odyss. plus semel). Quæ sanè congruunt cum persuasione He-

bræorum de angelo mortis. Tenuerunt, certa manere in alterâ vitâ, sive præmia, sive supplicia. Quæ Esseniis de Paradiso et Inferno stetit sententia, congruit cum opinione Ægyptiorum (Diodor. Sicul. l. 1), quam sibi adoptârunt Homerus (Odyss. lib. 19 et 24) et Græci.

Gigantes aquarum pondere oppressi, audacissimi moliminis pœnas luentes (Job 26, 5) ipsis fermè coloribus apud profanos (Virgil. Æneid. 6; Hesiod. Theogon.) ac apud sacros scriptores pinguntur.

Hic genus antiquum terræ, Titania pubes,
Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.

Judicium apud Inferos Minois et Rhadamanti (vide Tertull. Apolog. cap. 47; Lact. Justit. lib. 1, cap. 20; vide Homer., Platon., Virgil.) respondet Dei in mortuos judicio. Metempsychosis sententia, longè latèque in Oriente et Græciâ pervagata, communis erat pariter, et ejusdem fermè systematis apud Pharisæos, ætate Josephi. Mercurius animas deducens post obitum ad inferos, expressus est ad imitationem dogmatis judaici de angelo Michaele ad judicium Dei animas sistente. Purgatorium Judaicum occurrit et jam in scriptis non Barbarorum tantùm, sed et Græcorum et Latinorum, sive in opinione metempsychosis, quâ animæ ex alio in aliud corpus expiandæ traducuntur, sive cum animabus multa toleranda docent, ut tandem ad insulas Fortunatas et Elysios campos perveniant.

AN VETERES LEGISLATORES

Et philosophi è Scripturâ leges suas et moralem scientiam hauserint,

Dissertatio.

Rectam in scriptis polemicis lancem tenere, et in æstu disputationis in adversam veritati partem tantùm non abripi, arduum est pariter et infrequens. Certæ ætatis opinio fuit, id omnibus viribus enitens, ut demonstraret veteres philosophos plura et optima quæque tum in legibus, cùm in scriptis suis è sacris Judæorum libris expressisse. Accidit etiam non infrequenter, ut variatis temporum circumstantiis contraria probarentur, nihilque intactum relinqueretur, quò intelligerent homines nihil nôsse de Scripturis philosophos; quippe qui mentem haberent et spiritum, non secùs ac reliqui omnes ethnici, errorum tenebris obvolutum; atque in incertum spiritus vagarentur, ut si quid inter eorum libros et mosaicos propheticosque congruere deprehenderetur, id unicè casui, et scintillæ naturalis luminis, omnibus æquè mortalibus à Deo concessi, tribuendum fuisset. Eo tandem, quo versamur, seculo, scriptores quidam id sibi, in aliam extremitatem abrepti, probandum susceperunt (Marsham Canon ægyptiac. et Spencer. de Legibus Hebræorum ritual.), Moysen ipsum leges suas et cæremonias Ægyptiis debuisse; quippe qui in Ægypto institutus, quæ ibi didicerat optima (erat enim juxta sanctum Stephanum (Act. 7, 22), eruditus omni sapientiâ Ægyptiorum) in succum suum transtulerit. Postremam hanc opinionem refutandam suscepimus in Prolegomeno ad Exodum. Modò aliorum opiniones in examen revocandæ sunt.

Ex quo Judæi Ægypti solum deseruerunt, usque ad extremam regni Juda et Israelis ætatem, in suâ semper regione se continentes, colendis agris et terræ ubertati, quæ lacte et melle manabat, promovendæ laboribus suis occupati, tum et curas suas omnes, nutriendis parvulis filiis, meditationi et exercitationi legis intentas habentes; discreti semper ab externarum gentium consortio; mari, quantùm commodis suis sat esset propinqui, sed quantùm corruptioni morum ex aliorum commercio avertendæ satis remoti; cùm neque connubia, neque religionem haberent cum idololatris gentibus communem, singularem tandem vitæ tenorem sectati, quo et odio erant et contemptui cæteris per orbem gentibus; his, inquam, omnibus perpetuo inter se charitatis fœdere ita conjungebantur, ut simul nihil haberent cum cæteris omnibus commer-

cii. Hanc de populo suo ideam subjicit Josephus (Joseph lib. 1 contra Appion pag. 1038), eamdemque de illis profani quique scriptores habebant. Tacit Hist. lib. 5 : « Instituta si-
« nistra, fœdâ pravitate valuêre... apud ipsos
« fides obstinata ; adversùs omnes alios hostile
« odium... Judæorum mos absurdus sordidus-
« que. »

Post restitutam è captivitate gentem, minùs et claritate nominis et potentiâ valuerunt; vicissim tamen plus studii positum, tum in colendis veteribus cæremoniis, cùm pariter à commercio exterorum sese continendis. Cùm tamen frequentibus populi transmigrationibus et exiliis factum esset, ut per universam terrarum orbis faciem longè latèque plures è Judæis disperderentur, nullaque esset in toto oriente, Ægypto, Africâ, insulis Mediterranei, Græciæ, et Italiæ regio judæis habitatoribus vacua; Hebræi, gens licet omnibus contempta, singulari vitæ genere et politiâ admirationem in se omnium gentium, quas inter versabantur, converterunt. Tum omnium versa studia inquirendæ eorum origini, historiis et legibus. Tandem sub Ptolemæo Philadelpho, rege Ægypti, versio legis ex hebræo in græcum suscepta est; ex quo deinde veluti traditi in manus libri philosophorum studia exercuerunt. Nihil tamen certi eâ de re affirmandum suscipimus; neque enim extra omnem dubitationis aleam positum est hunc Ægypti regem, vel bibliothecæ ipsius curatorem eam Pentateuchi versionem procurâsse; quidquid enim asseverent Aristæas, Philo, Josephus de versione à Septuaginta adornatâ, facilè tamen contingere potuisse credimus, ut Judæus aliquis spontè illam susceperit. Tradit Philo de vitâ Moysis Judæos insulæ Pharii solemnem ejus rei memoriam singulis recurrentibus annis celebrâsse : cùm interim alii Judæi solemne ad diem 8 thebet jejunium indixissent, quod etiam nostræ ætatis calendaria notant. Addunt Judæi, eo profanatæ legis horrore, tridui tenebras orbis universi faciem obduxisse. Vide Joseph, Scal. in Calend., Jul. in Can., Isagog. lib. 1. Vide et Selden. de Jure nat. et gent. lib. 3, cap. 3 ; Judæos vetus Testamentum in græcum transtulisse Judæis cæteris invitis, Ligfootus autumavit.

Tunc philosophi, quibus opportunè accidit, ut vernacula eorum lingua, græca scilicet, per totum ferè orientem post constitutum imperium Alexandri Magni cæterorumque post ipsum, vulgaretur, iter aggressi sunt, quo extra patriam suam viros doctos, unde aliquid discerent convenirent. Ægyptus jam inde à pluribus seculis inter primores sapientiæ laude florentes nationes princeps habebatur. Eò proinde frequentiùs ventum est. Ipsi pariter Hebræi, externorum morum discendorum avidi, itinera eâ de re et peregrinationes suscipere non recusârunt; quod exemplo discimus Jesu filii Sirach, auctoris Ecclesiastici, qui plures se regiones excurrisse perhibens, idem cæteris præstandi auctor est (Eccli. 34, 12 ; et 16, 25 ; et 39, 5).

Eo temporis intervallo, quod inter solutam captivitatem et Jesu Christi adventum continetur, fama est paganos philosophos è sacris Scripturis in rem suam derivâsse optima quæque moralia præcepta, quæ in eorum scriptis admiramur ; tum et grandia, quæ de Deo ipsi sentire et gemina cum Moyse loqui visi sunt. Ex his fontibus Pythagoras, Plato, aliique plures optimam absolutissimæ reipublicæ suæ politiam derivârunt; ex his Solon majorem legum suarum partem. Pythagoras, qui longè latèque discurrisse fertur, Jeremiam in Ægypto, ut fama est, vidit (August. lib. 2 de Doctr. christ. c. 28; et lib. 8 de Civit. cap. 11), Ezechielem in Chaldæâ (quidam apud Clem. Alexand. lib. 1 Strom.). Illum autem non Judæos tantum nôsse, sed et ex eorum legibus plures in suam philosophiam transtulisse, Hermippus apud Josephum est auctor (lib. 1 cont. Appion. pag. 1046). Idem pariter Josephus observat (idem ibid. lib. 2, pag. 1079), Platonem ad Moysi imitationem injunxisse, ut patriarum legum tabulas assiduè cives manibus versarent.

Clemens Alexandrinus (Clemens Alexand. Admonitione ad gentes pag. 46), paganos allocutus, asserit, leges Platonis aliorumque legislatorum, Hebræis pro saniori earum parte deberi; unde etiam optima quæque et beatam illam eloquii ubertatem hauserint (idem ibid. pag. 47, 48). Plura ejus rei exempla satis conformem utrinque exprimendi rationem testantia in medium adducit. S. Justinus martyr (Justin. Apolog. pag. 15, edit. paris. an. 1636) persuasum habet veteres illos paganos philosophos non tanquàm primos præstantissimarum veritatum, quæ in eorum scriptis demiramur, auctores habendos ; vix enim hæc homini in mentem venire poterant; sed omnia ad Scripturas divinas, quæ illi in rem suam traduxerint, referenda. Singula autem propiùs dispiciens, demonstrat Orpheum, Homerum, Solonem, Pythagoram, Platonem, aliosque plu-

res, cùm per Ægyptum peregrinarentur, in libros mosaicos incidisse, quorum lectione plurimùm in cognitione divinæ naturæ profecerint. Contendit etiam alibi (Justin. 2 Apol. pag. 81, 82), philosophos omnes græcos, quæ de animæ immortalitate, et quæ de pœnis impiorum scripserunt, non aliunde quàm ex scriptis propheticis repetiisse; additque eam, quæ inter Platonem et Moysen, simul utriusque scriptis collatis, apparet, discrepantiam Platoni tribuendam, qui mosaicorum scriptorum sensum minùs rectè fuerit assecutus (Justin. 2 Apolog. pag. 93). « Si quid ergo, ait, com« mune nos inter et vos in doctrinâ fuerit, « non illud nostri ex vestris, sed vos ex nostris « accepistis. »

Hanc inter Platonem cum Moyse cæterisque Judæorum prophetis consonantiam Celsus pariter agnoscens (vide Origen. lib. 6 contra Celsum), Judæos è Platone didicisse concludit. Sed ejus calumnias refutaturus Origenes, demonstrat, è Moyse potiùs cæterisque prophetis, utpote Platone vetustioribus, philosophi illius doctrinam derivandam fuisse. Aliud in speciem quidem plausibilius Celsus addebat: « Cui bono, inquiens, auctores Judæos consula« mus, cùm eadem apud Platonem concinniùs « apertiùsque exprimantur? » Cui reponit Origenes, sacros quidem auctores plus curarum posuisse, ut prodessent, quàm ut lectores delectarent; quare stylo usos fuisse ad multitudinis captum accommodo; cùm interim pagani nonnisi viris doctis scribentes, angustos studiis suis atque utilitati exinde hominibus obventuræ fines constituerint. Factum inde, ut parciùs plerùmque philosophorum scripta legerentur; sicut frequentissimè vicissim sacrorum scriptorum lucubrationes, quæ multitudinis captui quadrarent. His causis propagationem Evangelii deberi, cùm interim Plato neglectus maneret, et solitarius.

Tertullianus (Tertullian. Apolog. edit. Rigalt. pag. 19, 39, 41.), post constitutam legum mosaicarum cæterarumque Scripturarum vetustatem, tandem addit: « Sciatis ipsas le« ges quoque vestras, quæ videntur ad inno« centiam pergere, de divinâ lege, ut anti« quiore, formam mutuatas. » Subdit deinde: « Quis poetarum, quis sophistarum, qui non « de prophetarum fonte potaverint? Inde « igitur et philosophi sitim ingenii sui riga« verunt. » Sed, ait idem Tertullianus, tantâ earum luce perstricti, in medio licet luminis versantes, totam earum elegantiam pulchritudinemque intueri non potuerunt; cæci pariter et præsumptuosi, earum veritatem suis præjudiciis conformare volentes, corruperunt, opiniones suas et ambages divinis certisque sacrorum oraculorum veritatibus intermiscentes: *Nec mirum, si vetus instrumentum ingenia philosophorum interverterunt.*

Dæmones, ait alibi (idem Apologet. p. 21, et 42), de industriâ in scripta poetarum quædam è Scripturis divinis verba fabellis admixta induxerunt; eodemque spiritu erroris factum est, ut in philosophorum scripta, quædam à religione nostrâ non aliena irreperent; quò scilicet insidiæ in veritatem pararentur, cùm tempore à divinâ Providentiâ constituto in mundo manifestari contingeret. Semel enim falsis hisce ideis et fabellis poetarum animi hominum occupati, quid inter veritatem et mendacium intercederet discriminis, mente distinguere vix poterant. Perniciosum planè artificium, quod tamen in eos tantùm valuit, qui errori pervicaciùs inhærentes deponere illum recusârunt. Ita factum est, ut *omnia adversùs veritatem de ipsâ veritate construerentur.* Veritas fabellis delibuta, vim omnem juvandi amittit. Mendacio enim fides omnis detrahitur, et Apostolis ad destruendos paganorum errores, atque superstitiones laborantibus, unà simul factum est, ut eodem veluti fato veritates, arcto quodam cum illis vinculo conjunctæ interciderent; *ut quis ideò non putet Christianis credendum, quia nec poetis nec philosophis.*

Hæc à Tertulliano fusiùs disputata exprimit pariter S. Justinus martyr in secundâ Apologiâ; habet enim persuasum mali cujusdam genii artificio factum esse, ut poetis quædam exciderent vera, ad Jesum Christum pertinentia, atque in eorum operibus plurima deprehenderentur ex Jesu Christi gestis, sed fabularum quodam gustu tradita, et paganorum numinibus applicata. Doli enim artifex spiritus ille, probè noscens lata de Jesu Christo oracula, præoccupandas in illum mentes hominum ratus, omnia fabellis et rebus supra fidem prodigiosis infercit, quò scilicet, cùm in mundum venire Redemptorem contingeret, homines fabellis fictisque prodigiis assueti, minùs essent recipiendis veritatibus, quæ in Evangelio referendæ erant, comparati; atque difficultate et arduitate examinis distinguendi vera à falsis absterriti, omnia æquè quà vera, quà falsa, utpote quæ omnia fabulosa sibi viderentur, rejicerent.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus adversùs Ju-

lianum scribens lib. 1 disertè asserit veteres philosophos, per universam maximè Græciam celebratos, cùm longâ ætate essent Moyse posteriores, plura ex ejus libris in succum suum, quamvis non felici semper successu, convertisse. Cùm enim hebetiori essent ingenii acumine, quàm ut legislatoris hebraici genuinum sensum pervaderent, falsa quædam, vel minùs saltem perfecta de naturâ divinâ supposuerunt. Addit pariter, ex iis philosophis aliquos prophetis Judæorum recentiores, id sibi suscepisse, ut plura ex illis divinis auctoribus exscriberent. « Ecquis enim, ait, in « animum sibi potuisset inducere, philosophos « illos, qui longas adeò peregrinationes, et « maximè in Ægyptum, discendi gratiâ susceperunt, illud neglexisse, quod magis et « eorum vota, et ardens inquirendæ veritatis « studium expleret? Quæ tandem apparet « inter illos, cùm maximè de generalibus re- « rum notionibus agitur, consonantia, ea sanè « argumentum est apertissimum, omnes pa- « riter ex eodem fonte potâsse; cùm in rebus « cæteris, in quibus singuli ingenium suum « sectati sunt, nunquàm inter se non com- « mittantur. » Excutienda deinde suscipit eorum dogmata de creatione, naturâ, et attributis divinis, de Verbo, Spiritu sancto, et animâ mundi.

Theodoretus in suo opere adversùs Græcos sive gentiles, historicorum testimonio (1) probat, veteres philosophos, ut Pherecidem, Pythagoram, Thaletem, Solonem, Platonem peragrâsse Ægyptum, Siciliam et Italiam, nullamque fuisse sive gentem sive locum adeò remotum, à moribus abhorrentem propriis, diversis licet servientem regibus, quò illi sese conferre inquirendæ veritatis gratiâ renuerint; ut ubicumque nôssent sapientes aliquos viros versari, eò statim advolarent: ex quo factum, ut non Ægyptiorum tantùm, sed etiam Hebræorum doctrinâ profecerint adeò ut Pythagoras alienum sibi non duceret, si circumcisione, quam Ægyptii ex Judæis receperant, sese initiandum præberet. Laudat in eam rem testimonium Porphyrii philosophi, christiani nominis osoris, qui è Delphico quodam oraculo probat, demonstrandi itineris ad deos deducentis (Theodoret. ex Porphyr. loc. cit. pag. 472) auctores fuisse Chaldæos, Ægyptios, Phœnices, Lydos et Hebræos; eam verò doctrinam, quam è barbaris tenebant, exscripsisse tantùm Græcos, quin et corrupisse quandoque. Ex prophetis igitur Judæorum, ipsius oraculi testimonio, prima veritatis et veræ philosophiæ origo repetenda est. Si quos verò populos alios, nempe Chaldæos, Ægyptios, et Phœnices Apollinis oraculum Hebræis jungit, operæ pretium est animadvertere, ait Theodoretus, veritatis cognitiones in eas gentes nonnisi à Judæis devenisse. Debent enim doctrinam suam Phœnices commercio cum finitimis judæis, debent Chaldæi Judæis in suâ regione captivis. Quibus enim prodigiis Deus Danieli ejusque sociis favit, illis pariter insinuata pluribus Chaldæorum veritas. Ipse pariter Cyrus in verâ religione institutorem habuit Danielem, virum in aulâ suâ principem. A Cyro verò subacti Lydi, legem pariter et veram religionem acceperunt. Contubernium tandem veterum Hebræorum in Ægypto gentibus illis profuit, quò discerent eorum de naturâ divinâ cæterisque ad religionem pertinentibus dogmata.

Idem fusiùs demonstrat Eusebius toto libro undecimo Præparationis evangelicæ; probans (item lib. 12 et 13), Platonem potissima philosophiæ et theologiæ suæ dogmata è sacris libris derivâsse. Nititur etiam demonstrare, sententias ejus philosophi plures cum Scripturâ convenire, longo ordine recensens ea quæ à Platone de Verbi divinitate scripta sunt, de ideis, de summo bono, virtute, animæ immortalitate, creatione mundi, resurrectione, Deique judicio, etc. Si autem, addit ille, Græci Platonem ducem secuti sunt, ipse verò Hebræos, tota est Græcorum philosophia ex Hebræis repetenda. Eamdem collationem prosequitur toto libro duodecimo, et parte decimi tertii, ubi testimonium Aristobuli laudat ingenuè fatentis Platonem leges et disciplinam, sive cæremonias et mores Hebræorum expressisse. Tradit insuper, ante Alexandrum Magnum et Persarum imperium vulgatam fuisse græcam Pentateuchi versionem, quæ cùm minùs exacta, nec numeris omnibus absoluta deprehenderetur, alteram Demetrio Phalereo instante, sub rege Ptolemæo Philadelpho susceptam fuisse. « Priori illâ versione, ait, Pytha- « goras, Plato, Socrates, aliique plures ante « Philadelphum in scientiâ divinitatis, provi- « dentiæ, et creationis mundi profecerunt. » Laudat deinde Eusebius testimonium S. Clementis Alexandrini, non semel nec obscurè perhibentis (vide Clement. Alexand. Strom.

(1) Laudat Porphyrium Christianorum acerrimum adversarium, Numenium Pythagoricum, Plutarchum, aliosque plures.

lib. 1, pag. 299, 342, etc.; et lib. 5, pag. 559, etc., et 592, etc. Ita lib. 6, et Exhortat. ad gentes), veteres philosophos, et potissimùm Pythagoram ac Platonem optima quæque sua, quemadmodùm ex plurium sententiarum collatione demonstrat, lectioni mosaicorum et propheticorum librorum debere.

Gemina legas non semel apud S. Ambrosium (Ambros. in Psalm. 118, serm. 2, num. 5 et 13; et de Fugâ seculi cap. 8, num 47; de Bono mortis, cap. 10, n. 45; et cap. 11, n. 51 de Noe et Arcâ c. 8), qui affirmandum sibi ducit, Pythagoram et Platonem, cùm in Ægypto versarentur, plura ditandis operibus suis è sacris libris decerpsisse. Insinuat etiam eam inter primas Platonis curas veniendi in Ægyptum fuisse, ut scilicet res gestas Moysis, ejusque legem et oracula Prophetarum disceret (idem in Psal. 118, num. 4): « Eruditionis gratiâ « in Ægyptum profectus, ut Mosis gesta, le- « gis oracula, Prophetarum dicta cognosce- « ret. » Exciderat aliquando S. Augustino (lib. 2, cap. 28 de Doct. christ. et lib. 8, cap. 11 de Civit.), Platonem, cùm in Ægyptum venisset, Jeremiam nôsse, vel saltem ejus scripta legisse; sed rem paulò attentiùs excutiens, palinodiam cecinit (Retract. lib. 2, cap. 4, num. 1), cùm Jeremias ante Platonem fato cessisse, nec sacræ Scripturæ græcis litteris, nisi post obitum ejus philosophi, traditæ fuerint. Quare, ait, cur sacras Scripturas græcè legeret, nihil erat: facilè tamen potuit, addit, hebræo interprete legendis hebraicis libris uti, quemadmodùm et ægyptio legendis ægyptiis usus est: quin et id consilii secutum demonstrant ea quæ de creatione mundi paria apud ipsum et Moysen leguntur: sicut et quæ Plato verbis ipsis mosaicis de numine locutus est (Exod. 3, 14): *Ego sum qui sum; sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* Addit verò alibi (August. de Doct. christ. cap. 28, num. 43): « Multò credibilius est, istos potiùs « de litteris nostris habuisse, quæcumque « bona et vera dixerunt, quàm de Platonis « Dominum Jesum Christum, quod dementis- « simum est credere. »

Hæc habent majoris momenti argumenta quicumque eâ tenentur persuasione, veteres Græcorum philosophos saniorem philosophiæ suæ partem è sacris litteris Hebræorum hausisse. Sed cùm de re aliquâ gestâ quæstio agitatur, nihilque divinitùs revelatum, sive ad Religionem saltem obliquè spectans in eâ re habetur; unicè spectandæ sunt rationes, quibus id sibi asserendum Patres censuerunt. Porrò rationes illæ ad duo potissimùm capita reducendæ sunt; primum philosophos plura nôsse, quæ in sacris libris leguntur; secundum, eorum plures iter in Ægyptum habuisse, ubi frequentissimos Judæos versari contigit. Hisce tamen omnibus tria reponenda: 1° Neque philosophos, nec alios quosque scriptores coævos unquàm fassos, se vel Judæos præceptores audisse, vel libros eorum legisse. 2° Quæ inter utrosque scriptores apparet sententiarum convenientia, unde potissimum ejus sententiæ argumentum petitur, intentum minùs illa quidem quàm pro receptâ opinione probat; potuit enim ex alterâ, quàm quæ constituitur, causâ originem trahere. 3° Philosophos, de quibus modò, cùm ante versionem græcam sacrorum librorum floruissent, eorum librorum lectione nihil profecisse poterant. Non tamen negaverim, aliâ viâ, traditione nempe, potuisse earum veritatum notionem ad illos descendere; sed de facto ipso, quod certum alii statuunt, dubitationem movemus.

Si verò auctoritas auctoritati opponenda, minori quidem scriptorum numero adversa sententia fulcietur; sed majores illi vicissim et solidiores rationes. Demetrius Phalereus, Aristæas, Aristobulus, et Josephus plus favent sententiæ neganti, aliquid è sacris libris philosophis innotuisse, quàm affirmanti. Origenes, Tertullianus, sanctus Augustinus, quos posterior ista opinio inter suos vindicat, adversam strenuè propugnant. Tandem Lactantius demonstrandum sibi, nec levibus et facilè revincendis rationibus suscepit divinas Scripturas prorsùs philosophos latuisse. Sed planiùs eâ de re agendum.

Philo Judæus (Philo lib. 1 de Vitâ Mos. pag. 657, 958), ægrè adeò sibi persuadebat, philosophos è sacris Scripturis aliquid deduxisse, ut luculenter asserat, ante versionem græcam cum Ptolemæo Philadelpho gentiles nihil de sacris Judæorum libris nôsse. Cui scriptoris assertioni eò major in eâ re fides adhibenda est, quò in studio Platonis excultior erat, ut de illo obtineret: *Sive Philo platonizat, sive Plato philonizat* (Hieron. in Catalog. Scriptorum Ecclesiast.). Qui tandem inter sententias Platonis et Moysis consensus statuitur in iis quæ ad creationem mundi pertinent, ille sanè impetrare ab eodem scriptore non potuit, ut crederet Platonem Moysen exprimere intendisse; vulgatum enim esse ait, Platonem suam

illam sententiam ab Hesiodo deduxisse. Verùm, addit Philo (Philo lib. Quòd mundus sit incorruptus pag. 840 : 941), « Longè antiquior Mo-
« ses legifer docuit Judæos, mundum esse
« genitum et incorruptibilem, quod scriptum
« reliquit in sacris voluminibus. »

Aristæas, ex quo Aristobulus, Philo, Josephus, cæterique post illos Patres hauserunt omnia quæ de versione sacrorum librorum ex Hebræo in Græcum sub Ptolemæo Philadelpho litteris mandârunt, Aristæas, inquam (Aristæa de Septuaginta Interp.), nunquàm in mentem sibi induxerat philosophos Mosaicorum scriptorum aliquid adoptâsse, quanquàm alioqui assereret, ante Ptolemæum versionem aliam, minùs quidem probatam, portionis saltem Scripturarum obtinuisse. Namque Demetrium Phalereum loquentem inducit, Hebræorum scilicet libros eò plus regias sibi curas et thesauros mereri debuisse, quò leges contineant sanctitate et divinitate cæteris omnibus præstantiores. Hujus verò doctrinæ, ait, si nulla unquàm mentio occurrit apud scriptores, poetas et historicos cæteros, id in causâ fuit, teste Hecatæo Abderitâ, quòd puritate et sublimitate suâ nimis extollerentur. Ex quo verò adornatæ jam versionis lectio facta est coram rege, admirari se dixit idem rex Demetrium allocutus, opus illud, verè divinum, philosophos omnes et poetas fugisse. Cui Demetrius legis illius sanctitatem et divinitatem nunquàm violari profanorum ore debuisse, respondit; unde scriptores quosdam aliquid ex illis in sua scripta traducere satagentes, divinæ ultioni pœnas dare coactos ab incœpto destitisse.

Adjecit Demetrius Theopompum, quòd talia auderet, è statu mentis subitò decidisse, nec nisi post mensem suî compotem factum. Cùm autem lucido aliquo intervallo eo temporis spatio uteretur, rogaretque interim Deum, ut causam inflicti sibi morbi tandem aperiret, per quietem certior factus est id in suum caput ultionis provocâsse, quòd secreta et digna silentio pandere ausus fuisset. Quarè ab incœpto statim desistens, sanitati mentique actutùm restitutus est. Ita pariter, addidit Demetrius, referentes audivi, Theodectum poetam tragicum volentem in sua carmina aliquid de libris Mosaicis traducere, statim luminibus captum temeritatis suæ luisse pœnas, nec nisi precariam sanitatem recepisse.

Non ego quidem pro historiâ Aristææ et relatis ab eo exemplis vadem me exhiberem, neque enim me fugit quid contra ejus historiæ veritatem scripserint sapientissimi plures viri, uti Valesius, cardinalis Bonb. Josephus Scaliger, Hody, Vandale, aliique plures, ad fabellam quantam quantam illum amandantes. Nec sanè facili negotio objecta ab illis in eam historiam plura diluerentur; e. g., quod Aristæas Græcum se, paganum, et præfectum in aulâ regis Ptolemæi Philadelphi jactitaverit, cùm interim nunquàm se non Judæum quà in verbis, quà in stylo hebraismis redundanti demonstret: testatur insuper, Demetrium Phalereum bibliothecam regis curâsse, cùm testimonio Hermippi apud Diogenem Laertium constet, Demetrium, quòd partibus Ptolemæi Soteris adversùs Philadelphum favisset, in exilium actum aspidis morsu sibi necem conscivisse, Philadelpho regnum ineunte. Ad hæc, Demetrium, Græcorum suâ ætate eloquentissimum, barbaro quodam eloquio disserentem inducit Aristæas, et indigna viri ingenio, eloquentiâ, et eloquii puritate effutientem. Laudat etiam Demetrius apud eumdem Aristæam testimonium Hecatæi, tanquàm auctoris vetusti, cùm alioqui suppar esset ætate. Eptastadium commemorat, quod tamen post Philadelphi regnum constructum est. Meminit pariter victoriæ regis Ægypti ex Antigono, tanquàm eo tempore relatæ, quo Septuaginta Alexandriam venerant, cùm factum illud ad regnum alterius Ptolemæi pluribus post Philadelphum annis pertineat. Litteræ ad Eleazarum sacerdotem summum, sicut vicissim Eleazari ad regem, Demetrii pariter sermones eumdem simplicissimum stylum referunt. Plura etiam in rem præsentem observari potuissent, quibus fabellæ suspicio promoveretur. Quod autem nostrum intentum maximè evincit, illud est, nimirùm scriptorem illum Judæum planè, et quidem vetustissimum, quippe cujus scripta nôrint Philo et Josephus, ne quid dicamus de Aristobulo et Alexandro Polyhistore, quorum est dubia auctoritas, auctorem, inquam, illum nunquàm sibi persuasisse, profanos auctores sacris Judæorum Scripturis aliquid debere. Quæ de antiquâ græcâ Scripturæ versione ante Ptolemæum Philadelphum ine orum libro asseruntur, infra in examen revocabimus.

Porrò hoc scriptoris testimonium, negantis paganos aliquid de Scripturis divinis nôsse, cò pluris faciendum est, quòd Josephus (Antiq. lib. 12, cap. 3), Clemens Alexandrinus (Strom. lib. 1), Eusebius (Præp. lib. 11) aliique plures post ipsum, et adoptandum sibi illum et

non sine elogio referendum duxerunt. Origenes non concedit quidem Celso (cont. Cel. lib. 6), Platonem aliquid è scriptis Mosaicis expressisse; sed illud tantummodò sibi demonstrandum suscipit, Moysem et Prophetas multò esse philosopho illo vetustiores, ut nonnisi per summam impudentiam assereretur, scriptores Hebræos Platonem ætate se planè inferiorem imitatos fuisse; idemque Origenes in suo Commentario in Canticum Canticorum, (Apud Hier. tom. 2, pag. 812 nov. edit.) quem S. Hieronymus è Græco in Latinum transtulit, hæc habet : « Nunc Moysis nomen auditur, « quod priùs Judææ tantùm claudebatur an- « gustiis. Neque etiam Græcorum quispiam « meminit ejus, neque in ullâ gentilium litte- « rarum historiâ de illo seu cæteris scriptum « aliquid invenimus. » Novit pariter Josephus Græcorum historicorum eâ de re silentium (adv. Appion. lib. 1, pag. 1051), cujus rei hanc sibi rationem censuit reddendam, nimirùm nunquàm illos nostros libros legisse; additque Demetrium Phalereum, veterem Philonem, et Eupolemum, de illis aliquid, sed minùs exactè et sincerè tradidisse; quòd scilicet neque illorum historias consuluissent, neque ad res ejusdem gentis animum applicâssent.

Tertullianus, cujus supra mentem expressimus (De Anim. pag. 305, 306), aperto licet testimonio asseruisset, Prophetas et philosophos aliquid unde discerent et opera ornarent sua, è Scripturis sanctis quæsivisse; alibi tamen eam loquendi rationem usurpat, ut priorem illam sententiam num satis ipse probaverit, incertum relinquat. Quemadmodùm, ait, per obscuræ noctis opaca atque per oppansas cœlo nubes furtivus aliquis lucis radius transpirat; sicut mille fluctibus agitata navis, atque insano tempestatis furore jactata, *prospero* interdùm *errore* in portum insperato depellitur; ita pariter paganis auctoribus radius subinde quidam affulget, qui cæcâ nocte agentibus, cæcâ quâdam, ut ita dicam, felicitate vera nonnulla demonstrat : sed et naturâ pleraque suggeruntur quasi de publico sensu. Non inde tamen jure infertur, eos qui talia loquuntur, Prophetas Judæorum consuluisse; « plus enim diversitatis invenias inter philoso- « phos quàm societatis, cum et in ipsâ societate « diversitas eorum deprehendatur. » Addit pariter : « Vera quoque et consonantia Prophetis « aut aliunde commendant, aut aliorsùm su- « bornant cum maximâ injuriâ veritatis, quam « efficiunt aut adjuvari falsis, aut patrocinari. »

S. Augustinus quanquàm alioqui sententiarum affinitatem inter Platonem et Scripturam admiraretur, nec semel significaverit non alienum esse se ab eâ opinione, potuisse à philosophis quædam è libris sacris decerpi; non ita tamen patronum se ejus sententiæ constituit, quin contrariam etiam quandoque demonstrandam suscipiat. Philosophi hujus mundi, ait ipse, (Serm. 141. de Verb. Joan. t. 5, pag. 682, 683, nov. edit.) æternam et immutabilem veritatem prospexerunt quidem, sed iter ad illam deducens penitùs ignorârunt. Creatorem per creaturas detexêre, et in cognitionem auctoris mundi ex eodem mundo venerunt; sed *veritatem in iniquitate detinent.* Non illius Deus sive lege sive revelatione manifestatus est; sed *invisibilia ejus per ea quæ facta sunt, intellecta conspexerunt.* Nihil igitur ad philosophorum illorum doctrinam sive lex, sive Scripturæ Judæorum, quas, ipso eodem S. doctore fatente, Græcorum litteris eorum ætate nondùm traditas fuisse constat (De Civit. lib. 8, cap. 11).

Potuisse Platonem, cæterosque dogmata sua è scriptis præcedentium philosophorum et poetarum derivare, idem S. D. alibi (ibid. lib. 8, cap. 12) agnoscit. Nec abs re quidem suspicaremur, Platonem plura, quæ in scriptis suis expressit, è scholâ Socratis didicisse; Socrates verò, cùm in Ægyptum venisset, viros doctos, et sacerdotes ejus gentis consuluerat. Anaxagoræ, et Euripidi eadem sedebat opinio de creatione mundi ac Ægyptiis, nec multùm ab illâ Aristophanes abhorruit (in Avibus.). Quis autem dixit unquam scriptores illos sacra Hebræorum scripta suffuratos ? Anaxagoras Socrate vetustior erat; Euripides, et Plato eumdem Socratem audierunt; ad eamdem ætatem Aristophanes pertinebat. Non erat igitur cur Plato ex urbe Athenarum digrederetur, quò dogmata illa in scriptis suis expressa disceret; dogmata, inquam, illa, quæ nonnisi è Scripturâ repetere illum potuisse adversæ sententiæ assertores contendunt. Omni ætate, et apud omnes æquè gentes veteres quædam traditiones obtinuerunt de naturâ Dei, de creatione mundi, et diluvio, quæ nulla rerum vicissitudo è mentibus hominum excutere valuit; sed traditiones illæ majori fide apud barbaros servatæ sunt, quàm apud Græcos, quemadmodùm ab Augustino observatum est. (August. lib. 18, cap. 37 de Civit.)

Confusam earum rerum variis scriptorum opinionibus notionem Lactantius (Lactant. de

Origine erroris lib. 2, cap. 11), scitè admodùm explicans, non negat ille quidem plura esse quà in verbis, quà in rebus inter poetas, et philosophos cum Scripturis affinia; sed hæc omnia aliunde repetenda esse demonstrat, quàm ut è sacris libris suffurati pagani crederentur. Profectò illi nullas litteras veritatis attigerant; sed semina quædam veritatis è fabellis, et priscis populorum traditionibus, quæ in scriptis suis deinde sererent, sedulò collegerunt : « Quæ Prophetarum vaticinio tradita « in sacrario Dei continebantur, ea de fabulis, « et obscurâ opinione collecta, et depravata, « ut veritas à vulgo solet..... carminibus suis « comprehenderunt. »

Mirari se alibi significat (De verâ Sap. lib. 4, cap. 2), Pythagoram, et Platonem, qui discendi gratiâ Ægyptum, Chaldæam, et Persidem decurrerunt, quò varios eorum populorum mores et religionem spectarent, ut in Judæam venirent, ubi sitim suam discendi extinguere maximè potuissent, ne cogitâsse quidem : « sed adversos esse, inquit ille, arbitror « divinâ providentiâ, ne scire possent veritatem, quia nondùm fas erat alienigenis hominibus religionem Dei veri, justitiamque « notescere. » Tanta enim hominibus reserare, supremi erat hominum institutoris, qui venturus expectabatur. Quæcumque igitur spectetur sententiarum affinitas inter philosophos, et sacros auctores, nunquàm tamen certum ex eâ deduci potuisse arbitror argumentum, quo plagii reos philosophos illos accusemus. Poterant utrique ex uno eodemque fonte hausisse : Deus veritatum omnium auctor est, et origo. Scripserint licet sacri auctores peculiari quodam Spiritu afflati, non eo tamen prohibebantur, quin plura noscerent, sive studio, sive experientiâ, sive meditatione, sive sensuum conscientiâ. Lumen naturale æquè omnibus hominibus affulget; et summus omnium præceptor, quicumque ejus verbis intimam cordis aurem præbent, omnes docet. Quæ mortales circumstant, hæc intentos auditores docent omnes. Inter ea quæ in philosophorum lectione animum percellunt, num gestorum narratio aliqua, rerum circumstantiæ, nomina, adscriptiones temporum, et singulares quædam loquendi rationes nonnisi è sacris libris derivandæ occurrerunt unquàm ? Profectò exceptis generalibus quibusdam notionibus de naturâ Dei, de lege naturali, de officiis, imbecillitate, atque magnitudine hominis, quo affinitas illa spectetur nihil erit. His autem omnibus detegendis solâ meditatione, naturali lumine admoto, opus est.

Nulla vel ferè nulla in Religione veritas occurrit, quæ sectam aliquam philosophorum in sui patrocinium non vindicaverit, juxta ac Lactantius animadvertit (Lactant. de divino præmio lib. 7, cap. 7) : « Nam particulatim « veritas ab his tota comprehensa est. » Sed quemadmodùm idem scriptor adjecit : « Totam veritatem, et omne Religionis arcanum « philosophi attigerunt; sed aliis refellentibus, « defendere id, quod invenerant, nequiverunt; « quia singulis ratio non quadravit. » Profectò si omnes à Scripturis decerpta tradidissent, cur inter se discreparent, nihil esset. Religionis systema unico jungitur contextu in sacrâ Scripturâ, parùm sibi constat apud philosophos.

Super est modò in examen revocemus, num ante Ptolemæi Philadelphi regnum, vetus quædam obtineret græca, sive omnium sive partis tantùm Scripturarum versio, ab eâ prorsùs diversa, quæ hodiè nomine Septuaginta vulgata est. Eam sententiam tenuisse fictum illum Aristæam in superioribus animadvertimus; loquentem enim inducit Demetrium Phalereum, quasi scilicet audivisset, Theopompum quemdam decerpere quædam voluisse è versione jam inde adornatâ, quamvis minùs exactâ neque omnibus numeris absolutâ, statimque è statu mentis emotum pœnas luisse. Rem quidem neque assertò narrat Aristæas, neque documentis probat; sed aliorum relatione audita scribit. Plus aliquid addit Aristobulus (Aristobulus apud Clement. Alex. Strom. lib. 1), disertissimis verbis asserens, ante Demetrium Phalereum, qui et ante imperium Persarum, et regnum Alexandri Magni, adornatam fuisse Græcam sacrorum librorum versionem; quâ Græcis litteris traderetur historia exeuntis ex Ægypto populi, cùm et omnium, quæ à Deo pro Hebræis edita sunt, prodigiorum, legis Mosaicæ, et traditæ in potestatem populi Chanaanitidis, quibus verbis non obscurè significantur libri omnes Moysis, et Josue, ac Judices.

Verùm minor est etiam hujus scriptoris quam Aristææ fides. Si quæ fuerat Græca potissimorum Scripturæ librorum versio, Platoni, cæterisque philosophis non incognita; cur tantis verbis Demetrius necessitatem et arduitatem novæ hujus versionis exaggerat ? Ut quid procurandæ novæ eorumdem librorum versioni regi Ægypti thesauri impenderentur ? Si

enim ad unam summam redigantur quæ per eam occasionem profusa ab Aristæâ narrantur, profectò non minor constabit quàm ultra 1200 talentorum, nempe 3,225,600 librarum, pro singulis talentis Ægyptiis 2,688 libris computatis : intolerabilis eâ ætate etiam pro rege Ægypti profusio. Adde versionem Græcam sacrorum librorum ante Cyri et Persarum regnum nulli bonò futuram ; neque enim sive Judæorum ultra Euphratem sive in Ægypto versantium usui fuisset; neutri enim græcam linguam callebant ; græcum enim eloquium in illis regionibus non nisi post Alexandrum, et imperii Persarum eversionem obtinuit. At enim valebat pro Græcis sub Cyro in Asiâ Minori degentibus ? Esto, sed quibusnam argumentis laboratum esse pro illis demonstretur ? Quin et Græci illi si quando in suam linguam translatos sacros libros habuisset, nunquàm sanè quærendos illos in Ægypto suscepissent; neque eâ ignoratione rerum Judaicarum tenerentur, ut ne nominis quidem illorum in suis operibus meminerint. Fabulam planè sapiunt ea quæ de ultione divinâ in Theopompum, et Theodectum, quædam de sacris libris exscribere in suis operibus tentantes, ab Aristæâ referuntur. Est igitur dubitandi locus, num philosophi Ptolemæo Philadelpho vetustiores de lege Dei divinisque Scripturis aliquid noverint; vel si quid audierant, id sanè leve admodùm et confusum potiùs ex relatione et consuetudine cum Hebræis, quàm ex lectione eorum librorum deductum creditur. Hæc, quantùm sapimus, probabilissima de quæstione hâc ambiguâ dicenda suppetebant.

DE GIGANTIBUS

Dissertatio.

Og solus remanserat de stirpe gigantum.
(*Deuteron.* 3, 2.)

In totâ antiquitate maximè celebres gigantes habentur, quippe quibus testimonium ferunt poetæ, historici, et quà sacri, quà profani scriptores, omnium denique seculorum traditio, cum vetustissimis regionum monumentis, unâ omnes voce prædicantes viros, qui immani corporis et virium habitu, tum et cœptorum audaciâ longè latèque sui nominis terrorem intulerunt. Ut autem insitam habent homines in res novas propensionem, magnis majora libuit adjicere, non poetis tantùm, sed et historicis non rarò adeò rem per se miram exaggerantibus, ut justos rei limites præscribere, et vera à falsis secernere, operis sit non exigui. Nec minùs est laborandum, si quis velit ad fidem inducere suspicacia quædam ingenia, quibus errandi timor satis est causæ, ut credulitatem suam erga res insuetas et à nostris penitùs abhorrentes suspendant.

Operis ergo nostri in præsentiâ erit, ut gigantes reipsâ extitisse demonstremus, simul etiam ejus veritatis adversarios refutantes. Verùm antequàm manus operi admoveatur, certus quæstionis status determinandus est. 1° Gigantum nomine non viros tantùm intelligimus, qui procerioris corporis staturâ cæteros regionis suæ viros non digiti solùm vel etiam semipedis aut pedis mensurâ superant, plures enim in mundo ejus generis occurrunt; sed viros designari arbitramur, nostræ ætatis homines pedibus nonnullis, vel etiam duplo, triplo, quadruplo justam staturam quinque pedum et semis excedentes. 2° Neque id nobis quærendum, an plurium seculorum successu contigerit aliquando, ut naturæ quodam nisu gigantes prodierint : quemadmodùm interdùm monstra et pumiliones spectantur, quorum singuli successione carent. Sed illud discutimus, an vetustissimâ ætate ante diluvium, et diù etiam post, satis frequentes homines occurrerint justâ hominum nostræ ætatis staturâ multò superiores ; qui in certo quodam regionis tractu certisque familiis frequentiùs, quàm alibi prodierint, ut certum genus et peculiaris gigantum regio possit assignari.

Inter eos, qui gigantes extitisse negant, non satis convenit. Asserit Josephus lib. 1 Antiq: c. 4, angelos plures ad filias hominum acces-

sisse, eorumque commercio natos viros impotentis audaciæ, qui viribus valentes nihil sanctum habebant, eaque aggressi sunt, quæ de Titanibus poetæ comminiscuntur. Gigantum ergo nomine designari credit Josephus viros audaciâ impotentes. « Aliquis fortè putat, ait « Philo de Gigantibus, p. 292, quæ poetæ de « gigantibus fabulantur, hìc legislatorem sub- « indicare, cùm hæc immensùm distent à fa- « bulis.... Nullam de gigantibus affert fabulam, « sed illud te docere vult, eos venari voluptates « corporis, et harum usumfructum, quærendo « undecumque singularum materiam. » Ipse idem Philo de turri Babelicâ à gigantibus ædificatâ agens, tradit paganos cùm hæc legerent reclamâsse : « Ecce sacri, quos vocatis, libri « fabulas continent, quales aliis referentibus « irridere soletis. » Simillimo enim ausu gigantes ædificationem turris aggressi narrantur, quo de gigantibus Pelion Olympo et Ossæ superimponentibus ad cœlum obsidione tentandum fabulosa vetustas commenta est. Universam hanc historiam Philo ad allegoriam referendam contendit, autumans, sub allegoriæ hujus ambagibus hominis impii adversùs Deum audaciam, et proterviam exhiberi. Nulli erant ergo huic auctori sive ante, sive post diluvium gigantes.

Persuasum pariter fuerat Origeni, gigantum nomine non viros corpore immanes designari, sed scelestissimos quosque, impios, atheos, et hujus farinæ homines, quibus nulla de Deo, hominibus, et justitiâ, est cura. Malunt alii cum Eusebio Cæsariensi Præpar. l. 5, c. 4 et 5, gigantes apud Moysem ipsissimos esse dæmones, quorum adversùs Deum pugna in gigantum et Titanum adversùs deos fabella describeretur. Exequemur inferiùs veteris illius opinionis originem, quæ gigantes è dæmone parente accersit, quin et ipsas gigantum animas in censum malorum spirituum refert. Quam tamen opinionem cave ne cum alterâ gigantes prorsùs subducente confundas; illa enim à communi omnium sententiâ in eo tantùm recedit, quòd de gigantibus illis in libro Henoch legit, ad patres dæmones cum filiabus hominum ante diluvium commixtos esse referendos; cùm interim contraria gigantibus opinio librum illum penitùs ad fabellas rejiciat.

S. Chrysostomus in Gen. hom. 22, tenet, gigantum nomen exprimere in Scripturâ viros corporis robore et staturâ immanes; quorum in censum hom. 30 in Gen., refert Nemrodum, virum, ut habent Septuaginta, gigantem. Profectò hebræum *Gibbor*, quem gigantem reddunt, sonat ad litteram virum fortem, et impotentem.

S. Cyrillus Alexandrinus ad imperatorem Julianum respondens, lib. 9, insinuare videtur, gigantes monstris similes viros esse, quos quidem proceritate corporis et robore reliquos vulgò homines superare potuisse credit; sed multùm concedere gigantibus illis, poetarum carminibus celebratis, quos ferunt ex ipso maris sinu insulam manu avulsam contra cœlum ejaculatos. Sunt igitur, ait, Scripturæ stylo gigantes viri fortes et audaces, ore terribiles, et monstro simillimi, quos vindicis numinis ira effudit, atque malè affecta parentùm phantasia formavit. Non inviti credimus, has Patrum interpretationes expressisse necessitatem nominis gigantum, ne fortè nominis similitudine cogerentur in Scripturâ viros agnoscere eâdem corporis immanitate, quâ apud profanos poetas gigantes.

Gigantes apud Stoicos in eodem ordine cum centauris aliisque monstris, errantis phantasiæ ludibrio efformatis, habentur. « Centauri, gi- « gantes, et quidquid aliud falsâ cogitatione « formatum, habere aliquam imaginem cœpit, « quamvis non habeat substantiam, » ait Seneca Ep. 85. Totam illam de gigantum adversùs deos expeditione fabellam ad allegoriam detorquens Cicero de Senect. significari tantùm credit passionum adversùs rationem et naturam certamen. De gigantibus hæc Macrobius Saturn. lib. 1, cap. 20 : « Gigantes quid aliud « fuisse credendum est, quàm hominum quam- « dam impiam gentem, deos negantem, et « ideò existimatam deos pellere cœlesti sede « voluisse? »

Scriptores quidam rerum naturalium cùm in animum inducere non possent, natos unquàm in rerum naturâ viros, quales describunt gigantes, suspicati sunt, ea omnia, quæ de gigantibus in cœlum arma inferentibus narrantur, de ventorum quodam spiritu, quo terræ viscera concutiuntur, exponenda fuisse. Vim enim inferunt venti, ut è terræ carcere liberati per apertum aera exspatientur, cujus libertatis amore mirum est quanto impetu montes disjiciant; excitant non rarò ignes, lapides longè ejaculantur, specie quasi in cœlum protrudant. Tunc Jupiter, i. e., cœlum et aer, fulgura in illos et imbres demittit, quibus pacantur omnia, ventorum impetus comprimitur, subterranei ignes extinguuntur, vel saltem ita coercentur, ut exteriùs non prodeant. Hinc nata fabella,

Jovem dejecisse gigantes, quos sub montibus Ætnâ et Vesuvio, veluti grandi pondere, quo se relevari quandoque nituntur, oppressos deti net. Ex eo gigantum nisu intimæ illæ terræ succussiones, et ignes, quos dato temporum intervallo evomunt montes. Nihil hîc non physicum et naturæ legibus consonum.

Nec figura ipsa gigantum apud poetas suâ caret allegoriâ. Ita de illâ Ovidius Fast. l. 5, v. 15:

Mille manus illis dedit, et pro cruribus angues.

Manus robur designant, angues inconstantiam, et anguium spiræ dolum ac tortuosam hominum nequitiam (vid. Macrob. loc. cit.).

Plus aliquid vident alii philosophi, defendentes, non tantùm gigantes nunquàm in rerum naturâ spectatos fuisse, sed nec spectari unquàm tam immani corporis staturâ viros potuisse. Certam enim rebus quibusque staturam præscripsit naturæ auctor, quam prætergredi nunquàm eadem natura permittitur. Nihil in universo extra legem et mensuram, cujus harmoniam gradus aliquis si rebus addatur detrahaturque, corrumpit. Certa in astris motus mensura, sua etiam in aere, in aquâ, nec incerta pariter in terrâ, quæ si præscriptas sibi leges prætergrediatur, statim actum est de animantibus, de plantis, de arboribus. Hominis statura æquè respondet gradui, sive motui frigoris et caloris, quo terra tenetur. Plantæ quibus alitur, aer quo refrigeratur, animantia quibus utitur, homini creantur, ejusque, ut ita dicam, naturæ ex æquo respondent. Si corporis ille staturâ crescerct decrescceretque, tota illa harmonia dissolveretur, atque tota corrumperetur universi elegantia. Nullibi ergo uspiam fuerunt gigantes, vel si quos fortè extitisse dixerimus, aliam statuamus, quàm nunc sit, mundi naturam oportet, alium assignemus terræ locum in universo, aliam indolem aeri, aliam elementis, astris et plantis.

Quæ nunc est natura nunquàm satis enitetetur, ut gigantem ederet. Quis autem credat aliam fuisse olim, ac modò est, naturam? nec sanè adeò dissimilis fuisse unquàm potuit, quantùm debuisset, ut gigantem efformaret. Nunquàm ergo gigantes produxit.

Veteres illi, qui vulgari majorem staturam primis illis hominibus concesserunt, multùm tamen absunt ab immani illâ proceritate, quæ de gigantibus prædicatur. Habent enim persuasum, hominis staturam, ut longiùs non ultra septem altitudinis pedes (1), quos Herculi assignant, assurgere potuisse: « Licet plerique « definiant, nullum posse excedere longitudi- « nem pedum septem, quòd intra mensuram « istam Hercules fuerit » (Salmas. in Solin. p. 3, edit 1686). Hanc mensuram si quis subinde viri excesserunt, uti Orestes, vir septem cubitis, sive decem altitudinis pedibus non impar, et Pusio ac Secundillâ, quos ultra decem pedum staturam immanes Roma sub Augusto spectavit, exceptiones sunt hæc regulæ communis, et monstrosi quidam naturæ fœtus, ex quibus nihil inferas pro reliquis.

Si naturæ senescentis vitio homines imbecilliores essent, quâ staturâ, quâ viribus, quàm olim fuerint, statueremus etiam oporteret, naturam in eo consistentiæ statu jam inde à pluribus seculis mansisse; cùm jam inde à tribus annorum chiliadibus factum sit, ut staturæ hominum nihil addatur decerpaturque. Quare nunquàm per nos admitteretur veterum illud: *Cuncto mortalium generi minorem in dies mensuram fieri propemodùm observatur* (Plin. lib. 7, cap. 16). Multùm ætate suâ decrevisse hominum staturam præ veteribus hominibus, Homerus deplorat (Iliad. 7).

Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero,

ait Juvenal. sat. 15. Ejus rei causam refert Plinius ibid. ad ignem illum, quo tandem mundus in cinerem favillasque redigetur, paulatim absumentem radicalem humorem, vitam hominum alentem. Factum inde, ait, « raros « (esse filios) patribus proceriores, consu- « mente ubertatem seminum exustione, in « cujus vices nunc vergit ævum. »

In eamdem sententiam concedens auctor quarti Esdræ scribit cap. 5, v. 51: *Interroga quæ parit, et dicet tibi. Dices enim ei: Quare quos peperisti, nunc non sunt similes his, qui ante te, sed minores staturâ? et dicet tibi et ipsa: Alii sunt, qui in juventute virtutis nati sunt; et alii qui sub tempore senectutis* (naturæ), *deficiente matrice, nati sunt. Considera ergo et tu, quoniam minori staturâ estis præ his, qui ante vos.* Lucretius philosophus Epicureus ita mentem suam hâc de re prodit lib. 2.

Jamque adeò fracta est ætas, effetaque tellus;
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Secla, deditque ferarum ingentia corpora partu.

Repugnare quidem ista sententiæ gigantibus adversæ planè videntur; sed bonam causam non bonis argumentis tuentur. Si enim

(1) Solin. Polyhist. cap. 2. Vide et Varron. apud Gell. lib. 3, cap. 10: *Varro modum esse dixit summum adolescendi humani corporis, septem pedes.*

naturæ senescentis ægritudo tanta erat jam inde à Moysis, nempe 2,500 annis post orbem conditum, vel ab Homeri saltem ætate, nempe mille solidis ante Jesum Christum annis, ut nullis adhuc gigantibus sufficeret, quò deinde pervenisset evolutis adhuc 5,718 annis, quot ab eâ ætate ad nos usque fluxerunt? Ad pygmæos profectò redactos jam homines spectaremus.

Addunt (1), nonnisi monstra habendos fuisse homines, quos justæ nunc staturæ existimamus, siquidem procera corporis habitudo speciosior esset, et naturæ hominum magis conformis, tunc enim omnes gigantes nati fuissent. Nunc verò contraria omnia; homines enim vulgò ejusdem erant olim et modò staturæ; ac gigantes tanquàm omnium ætatum monstra perinde habiti sunt. Statuendum est igitur, quemadmodùm monstra rara sunt, et extraordinaria, ita pariter et gigantes vel nunquàm paruisse, vel si rari interdùm prodierunt, errori id naturæ præscriptas sibi leges nonnunquàm transgressæ, vel saltem virtutis suæ specimen dare volentis conatui deputandum.

Quinam ergo gigantes Scripturæ? Homines reputat Philo terrenos, voluptuosos, terræ filios, atheos, Dei adversarios acerrimos. Homines vitæ turpitudine et morum deformitate monstrosos censet S. Cyrillus Alexandrinus lib. 9 cont. Julian. et lib. Glaphyr. 2, in Gen. Homines ad longissimam ætatem vitam prorogantes Diodorus (2).

Franciscus Georgius (3) habet quidem persuasum, vires illos staturæ proceritate supra cæteros assurrexisse; sed æquè censet, fœtus illos habendos non humani alicujus conjugii ex feminâ et mare, sed dæmoniaci, ex dæmone nempe cum feminâ. Quis enim credat, ait ille, homines naturæ leges staturæ proceritate adeò transcendentes naturâ agente in mundum venisse? Superat opus illud naturæ vires; quare post devictum à Jesu dæmonem, redactumque in ordinem, ne potestate suâ deinceps abuteretur, nuspiam in mundo gigantes visi sunt, quòd scilicet dæmoni libera ampliùs non esset, uti priùs, facultas cum feminis coeundi.

Stephanus Gobar apud Photium cod. 232, pag. 898, rem tractat problematicè; perduelles angeli, cùm in terram descendissent, inito cum feminis connubio, gigantes genuerunt. E gigantibus cum brutis coeuntibus nata hominum monstra, et sexûs utriusque dæmones. Seu potiùs angeli illi perduellionis rei, qui nec carne constarent, nec ossibus, cùm ad filias hominum per se accedere non possent, impiorum hominum ad illas corrumpendas ministerio usi sunt; vel tandem nec ipsi per se, nec alterius ministerio illas tentârunt.

Severi Sulpitii sententia (Hist. lib. 2), his verbis exprimitur: « Ex angelorum et mulierum coitu gigantes editi esse dicuntur; cùm diversæ inter se naturæ conjunctio monstra gigneret. » Porrò, si inter monstra rejiciendi sunt gigantes, nunquàm satis frequentes fuisse oportet; rara sunt enim, utpote præter consuetas naturæ leges, monstra.

P. Boulducus, capuccinus, in suo opere de Ecclesiâ ante legem lib. 1, cap. 2, 8, 9, et lib. 3, cap. 2, defendit, Nephilim, Raphaim, Zuzim, Enacim, Emim, Zomzomim, quæ varia habentur gigantum sævissimorum et immanissimorum hominum nomina, nihil tale utique designare; quin potiùs *virtute, sanctitate, animi magnitudine, constantiâ, ac bonis operibus gigantes*. Nomen *Nephilim*, sonans eos qui cadunt, qui se prosternunt, inditum censet viris quibusdam piis, quòd assidui essent in preces. *Enacim* vel torquem ferentes, equitum erat, institutus ab Abrahamo, quo tempore in Hebron morabatur, ordo: constabat autem viris per omnia singularibus, staturâ, divitiis, magnificentiâ.

Addit, gigantum nomen esse honoris, datum viris illis justis ante et post diluvium. Porrò viri erant illi apud omnes spectatissimi, quos Moabitæ honoris gratiâ appellabant *Emim*, i. e., reverendos; Ammonitæ *Zomzomim*, sapientes; Chananæi *Raphaim*, restauratores; Syri *Zuzim*, illustres. Addit proinde, elogium illud Nemrodo datum à sacrâ Scripturâ, probri loco ab interpretibus præposterè acceptum fuisse: *Venator robustus coram Domino;* signare hæc virum spectatæ pietatis ac sanctitatis. Docet tandem Boulducus, veteribus gigantibus sua fuisse in locis, quæ in sedem sibi constituerant, pietatis asceteria. Hæc viri commenta refutavit anonymus in opere, quod nunquàm videre mihi contigit, inscripto: *De Nephilinis, gigantibus vulgò dictis, exercitatio contra Jacobum Boulduc.*

Sententiæ illorum, qui gigantes negant, op-

(1) Vide Tostat. in cap. 11 Deut. q. 2; Boulduc. Eccles. ante legem lib. 1, cap. 7, 8.

(2) In Catenâ. Quidam apud Theodoretum quæst. 48 in Gen.

(3) Tom. 1 Problemat. 74, 75, apud Sixt. Senens. Biblioth. sacr. lib. 5, annot. 51.

ponunt veterem populorum traditionem, tenentem fuisse olim populos multò quàm vulgari hominum nostræ ætatis staturâ proceriores, quorum ossa et olim et nunc etiam in dies inventa, rei experimentum futura, demonstrant. Sed vicissim ea populorum præventio et gigantum illa ossa ridentur ab adversariis. Poetis obstetricantibus nati sunt gigantes, quos fabula nutriit, populorum credulitas fovit. Quæ gigantum ossa creduntur, ossa sunt reipsà sive ceti, sive elephantis, sive fossilia in terrâ naturali igne concreta. Hæc sanè opponit P. Kircherius, acerrimus, si quis alius, gigantum adversarius. Validissima sunt hæc pro sententiâ gigantibus adversâ argumenta; modò pro illis quædam.

Apud Moysem et sacros post illum auctores mentio inducitur non obscura de gigantibus, robore, cœptis, proceritate, expeditionibus, numero, et apud inferos supplicio notissimis. Frequentissimi erant ante diluvium, sicut et quo tempore turris Babelica construebatur: familiæ tandem quædam ad ipsam Moysis, Josue, imò et Davidis ætatem pervenerunt. Proferuntur ejus veritatis asserta, vetera, et certissima monumenta, non quidem ex poetis, ac sublestæ fidei auctoribus, sed ex Moyse vetustissimo illo scriptore, cujus genuina citant volumina. Ferunt ejus rei testimonium scriptores sacri, vetus et constans populorum traditio, unde poetæ historias illas de gigantibus derivârunt, quas commentis suis et fabellis in majus exaggerârunt.

Cùm cœpissent homines, ait Moyses Genes. 6, 2, 3, 4, *multiplicari super terram, videntes filii Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. Dixitque Deus: Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est; eruntque dies illius centum viginti annorum* (i. e., intra hoc annorum spatium perdendis hominibus diluvium immittam). *Gigantes* (hebr. *Nephilim*) *erant super terram in diebus illis; postquàm enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti* (*Gibborim*) *sunt potentes à seculo, viri famosi.* Noti ergo erant *Nephilim,* i. e., gigantes, in mundo, antequàm filii Dei, nempe è genere Seth viri, cum filiabus hominum, è genere nempe Cain, jungerent connubia. Vetus est traditio apud rabbinos, ac plures christianos scriptores recepta, Adam inter gigantes principem locum obtinuisse. Docent enim Hebræi, Deum semel inito consilio hominem formandi, ingentem terræ massam, quæ vix intrà totius mundi ambitum contineretur, sibi constituisse; quæ sanè terræ moles si extenderetur, ad firmamentum usque eminuisset. Cùm Deus hanc terram in hominem effinxisset, simulacro spiritum vitæ indidit; actutùm Adam in pedes sese erexit; angeli ad insuetum monstrum pavescentes clamârunt: Domine Deus universi, sunt ergo geminæ in mundo potestates? Tunc Deus capiti novi hominis manu suâ impositâ, ita immanem gigantem compressit, ut ad staturam mille cubitorum tantùm juxta aliquos, vel 900, ut fert aliorum sententia, vel saltem ducentorum aut trecentorum, quin et centum cubitorum juxta nonnullos, redigeret. Nec sanè minor exigebatur hominis statura, ut decerperet fructum arboris scientiæ boni et mali, cujus spectatissima erat et monstro similis proceritas.

Hæc de giganteâ Adami staturâ sententia arrisisse pariter videtur S. Hieronymo, vertente illud Josue 14, 15. *Hebron vocabatur Cariath Arbe; Adam maximus ibi inter Enacim situs est;* sed verti aliter potest Hebræus: *Hebron ante vocabatur Cariath Arbe; vir iste maximus inter Enacim;* i. e., Arbe princeps est gigantum ejus regionis. Idem S. Hieronymus in Quæstionibus hebraicis in Genesim, et in Locis hebraicis, v. *Arboy,* hanc opinionem confirmat. Tandem in epitaphio Paulæ tradit, urbem *Cariath Arbe,* sive *urbem Quatuor,* nomen suum debere quatuor viris, Adam, Abraham, Isaac et Jacob: tum asserit Adamum ibi conditum esse, juxta libri Josue et receptæ apud Hebræos traditionis auctoritatem. Gemina sentiunt christiani quidam scriptores apud Bar-Cepha, et Joannes Lucidus.

Vetustiores diluvio homines justam hominum staturam plus nimio plerùmque excedebant. Diluvii ætate superstitem fuisse tenent rabbini Og regem Basan, de quo legimus Deuter. 3, 11: *Solus Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum.* In arcæ scalas, extra tamen, vel super ejus tectum, neque enim una est eâ de re rabbinorum sententia, sese recipiens rex ille aliorum interitum tutò spectabat, cibum interim sibi sufficiente per expressum foramen Noemo, cujus servitiis toto vitæ tempore sese mancipaturum Og spoponderat. Porrò Og immanem corpore virum cùm semel Abraham non verbis tantùm, sed factis etiam acrioribus castigâsset, dentium unus ex ore viri excussus est, qui unus vel cubilibus nonnullis juxta quosdam, vel sellis juxta alios, materiam abundè sufficit.

Cùm Og copias suas adversùs Israelitas duceret, animadvertens hostilem exercitum spatio duarum leucarum extendi, montem æquè grandem in caput suum levavit, quo in hostium capita excusso, omnes uno ictu opprimeret. Accurrit promptè Deus, cujus operâ immissus vermiculus opportunè adeò montem, quo loco capiti gigantis respondebat, perfodit, ut super scapulas viri recidens, amplioris collaris speciem exhiberet. Tentavit ille è collo saxeum lorum reducere, sed ampliores viri dentes altè sese in montem insinuantes firmum retinebant. Opportunitatem nactus Moyses accurrit statim armatus asciâ decem cubitorum; decem etiam cubitos altè saltavit, vir ipse duodecim cubitis procerus, quibus tamen omnibus adjumentis nihil aliud valuit efficere, quàm ut talos adversarii pertingens mortis ictum infligeret. Hæc rabbini, qui illud Deut. 3, 2 : *Monstratur lectus ejus* (Og): *novem cubitos habet longitudinis, et quatuor latitudinis*, de cunis infantis exponunt. Ludibria hæc errantis phantasiæ non moramur; sed monstrari illis receptam apud Hebræos traditionem quis neget?

Nomen *Nephilim* (1), quod redditur *gigantes*, sonare potest ad litteram, cadentes, in alium irruentes, impetum facientes, veluti aves in prædam sese immittentes; item, qui alios evertunt, dejiciunt; vel tandem homines violentos, impotentes, audaces. Israelitæ post explioratam terram promissionis ad suos in desertum Cades restituti dixerunt (Num. 13, 34): *Vidimus monstra quædam filiorum Henach de genere giganteo* (hebraicè *Nephilim*), *quibus comparati, quasi locustæ videbamur*. En planè non obscurum testimonium de gigantibus, non raris illis, sed in gentem, et populum coalescentibus : *Omnis populus quem aspeximus*, legit Hebræus, *viri mensurarum sunt*.

Nomen *Nephilim* post Moysem nuspiam legitur in libris sacris (2), cujus loco gigantibus designandis frequens est apud illos vox *Rephaim*, ne Moysi quidem ignota. Ait enim Moyses, Codorlahomorem, et fœderatos ipsi reges percussisse *Rephaim in Astaroth Carnaim*, Gen. 14, 5. Pollicetur Deus Gen. 15, 20, daturum se Abrahamo *regionem Rephaim*, quorum natio in Transjordanis. Og rex Basan *solus remanserat de stirpe gigantum*, Deut. 3, 2, Hebræus, *de stirpe Rephaim*, i. e., Moysis ætate gigantes fermè desierant. Vir ille staturâ adeò erat immanis, ut æneum ejus cubile novem cubitis longum, quatuor latum, adhuc post plures annos in Rabbath metropoli Ammonitarum monstraretur. Reddunt novem cubiti pedes quindecim, digitos 4 ac semis, pro singulis cubitis, 20 digitis ac semis computatis; qui, si rectè supputentur, conficiunt hominis staturam triplò justo majorem.

De *Emim* populis ad orientem maris Mortui sermo est apud Moysem narrantem, permissos illos populos Moabitis, exterminio traditos fuisse. Potentissima erat et frequentissima natio, corporum proceritate spectabilis adeò, ut tanquàm *Rephaim* et filii Enac haberentur. En alteram gigantum nationem ante Moysem exterminatam, cujus tamen memoria adhuc recens servabatur; constat enim Moabitarum patrem non nisi 325 annis ante Moysem in lucem editum fuisse, nec nisi saltem post 150 vel 200 annos adeò valere potuisse Moabitas, ut expeditionem in Emim susciperent.

Ammonitæ, Moabitarum fratres, circa idem fermè tempus gigantum *Zonzomim* aliam nationem aggressi sunt, Deut. 11, 20, 21. Porrò illi nec potentiâ, nec hominum numero, nec staturâ gigantibus è stirpe Enac concedebant. Eorum regio *terra gigantum reputata est, et in ipsâ olim habitaverunt gigantes*. Quare triplex gigantum natio in Transjordanis; *Rephaim* ad septentrionem, *Emim* ad meridiem, et *Zonzomim* inter utrosque medii.

Erant etiam cis amnem *Rephaim*, et quamdam ibi tenebant regionem Davidis ætate. Duo illorum genera distinguuntur, *Enacim*, filii Enac, sedes potissimùm habentes in Hebron et adjacentibus regionibus; *Rephaim*, seu filii *Rapha*, in urbe Geth commorantes, quorum erat gentilis Goliath. Frequens in Scripturâ mentio *Vallis Rephaim*, seu *Vallis Gigantum*, satis proximæ urbi Jerusalem, cui nempe valli nomen inditum, sive quòd olim gigantes suas haberent illic sedes constitutas, sive quòd castra ibi non semel posuissent in bellis Philisthæorum adversùs Judæos.

Meminit Scriptura 2 Reg. 21, 1 Paral. 20, quinque gigantum è stirpe *Rapha*, quos David ejusque commilitones in variis certaminibus interfecerunt; 1° *Jesb-ben-Ob*, nempe Jesbi filii Ob; 2° *Saph* vel *Sapha*; 3° fratris Goliath; 4° gigantis illius, cujus singulæ manus pedesque sex digitis distinguebantur; 5° tandem Goliath

(1) נפילים *Nephilim*. Aq ἐπιπίπτοντες, *cadentes*, seu *irruentes*. Sym. βίαιοι, *violenti*. Th. et Septuaginta, γίγαντες, *gigantes*.

(2) Ezechiel 32, 20, 22, 23, 24, 27, ad Nephilim Moysis spectâsse videtur, agens de vetustis heroibus gladio interemptis, נפלים בחרב.

à David obtruncati, 1 Reg. 17, 4, cui viro Scriptura sex cubitos cum palmo, nempe 10 pedes, et 6 digitos altitudinis assignat; quot nempe duo proceri homines vix æquarent. Adversùs hæc historica monumenta nihil excipiendum. En gigantes, gigantum familias, civitates, populos: nec illi utcumque justam hominum staturam excedebant, sed proceritatis et roboris erant, quales ad vivum pinguntur. Insinuatur etiam, multò auctiorem gigantum numerum olim fuisse, cùm scilicet familiæ et integræ illorum nationes exterminio traditæ referuntur.

Filiis Enac suæ erant sedes in meridionali Palæstinâ constitutæ, Num. 13, 23, 24, 34. Enac tres olim fuerunt liberi, gigantes et gigantum patres, Achiman, Sifai et Tholmai; proceræ adeò staturæ homines, ut comparati cum illis Hebræi locustæ viderentur; et Moyses non aliâ frequentiori phrasi immanes quosdam gigantes designet, quàm pares illos affirmans filii Enac. Josue in Chanaanitidem ingressus omnes delevit Enacim urbium Hebron, Dabir, Anab, cæterarumque Juda et Israel; solos reliquit gigantes Gazæ et Geth; et diù post gigantum sepulcra monstrabantur in Azoto, Jos. 11, 21, 22. Eorum ossa immania et supra fidem monstrosa ætate suâ adhuc spectari affirmat Josephus, Antiq. lib. 5, c. 2.

Amos de expeditionibus Hebræorum in Chanaanitidem agens, ita loquentem Dominum c. 2, 9, inducit: *Ego exterminavi Amorrhæum à facie eorum, cujus altitudo cedrorum altitudo ejus, et fortis ipse quasi quercus; et contrivi fructus ejus desuper, et radices ejus subter.* Et Baruch 3, 26: *Ibi fuerunt gigantes, nominati illi, qui ab initio fuerunt scientes bellum. Non hos elegit Dominus; quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.* Judith in cantico Dei laudes celebrat, quòd non manu Titanum et gigantum, sed imbellis feminæ elegantis vultûs illecebris pugnantis, Holofernem, tantum ducem peremerit, Judith. 16, 8.

His documentis nihil addendum. Agit Baruch de gigantibus antediluvianis; Amos item de gigantibus Chanaanitidem ante Hebræorum ingressum tenentibus; describunt autem gentes illas viribus, numero, et staturæ proceritate supra vulgarem cæterorum hominum valentes. Illos exterminârunt Josue et Caleb, genus impium, ut diutiùs in mundo persisteret, non ferente numine. Cùm verò è re suâ homines universi censerent, si perniciosissima illa et impotentissima monstra deterentur, non est cur multùm miremur, si post plura secula nullos tamen, uti priùs, spectare contigerit gigantes; in unum enim omnes conspirârunt homines, ut perniciosum genus delerent, quemadmodùm in venenatis et perniciosis quibusdam belluis factum pariter constat, quòd ita extinguerentur, simul ac rarum aliquod ex illis in orbe pareret, ut genus omne deleretur.

Historicis hisce exemplis alterius etiam generis argumenta accedunt, deducta è sacris auctoribus, apud quos sermo de animabus Rephaim, in infernis criminum suorum pœnas dantibus. Job. 26, 5, meminit gigantum sub aquis gementium unà cum illis, qui in infernis torquentur; in quam pariter sententiam concedentes profani (Homer. Iliad. 8; Hesiod. Theogon.) Titanes describunt in imo Oceani, vel abyssi fundo ejulantes. Virgil. Æneid. 6, vers. 742:

. . . . . Sub gurgite vasto
Infestum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Feminæ effrenis vias ad Rephaim deducere monet Salomon, Proverb. 11, 18; addens, eos, qui infames illas viæ ductrices sequuntur, rectà ad locum gigantum contendere, ibid. 9, 18. Isaias 14, 9, et Ezechiel 32, 19, 20, etc., Rephaim exhibent in tenebrosis quibusdam locis, qui honoris gratiâ assurgentes venientibus gentium regibus obviam occurrunt; regibus, inquam, illis, qui cùm viverent, longè latèque sui nominis terrorem intulerant; post mortem verò ad inferna unà cum Rephaim rapti sunt. Ambigat post hæc omnia, si quis vult, et gigantes an magno etiam numero floruerint, hæreat suspensus.

Antequàm consona in eam rem Patrum testimonia afferamus, animadvertisse juvat, eorum plerisque imposuisse falsò inscriptum librum Enoch, asserentem gigantes ex commercio filiarum hominum cum angelis perduellibus natos. Ita verò rem narrat personatus ille scriptor: « Anno mundi 1170 (1), *Vigiles* vel angeli mulieres duxerunt, unde nata tria filiorum, ac familiarum distincta genera, 1° gigantes, quorum statura justam multùm excedebat. 2° E gigantibus nati Nephilim; 3° è Nephilim Eluidi. Cùm gigantum numerus crevisset, humanis carnibus victitare cœperunt; ex quo factum, ut homines numero in dies decrescentes clamarent ad Deum. Pronis ille auribus precantes auscultans, misit angelum Gabrielem

(1) Nempe 1071 ante diluvium, juxta supputationem Syncelli, componentis diluvium cum anno 2241.

mandatis oneratum, ut iret, exterminaret gigantes, nempe monstra illa ex angelis perduellibus nata; committeret illos inter se, quò mutuâ cæde delerentur. » Adjecit autem : « Gigantum animæ in dæmones transformabuntur, ex quibus mala omnia in mundum; nam ex illis obsessiones dæmonum, tormenta in homines, spectrorum territamenta usque ad extremam judicii diem. » Ex his fontibus derivata plerumque Patrum ferè omnium de gigantibus doctrina. Paulus Burgensis, vir clarissimus ex Judæo Christianus, in cap. 6 Genes. autumat, gigantes ipsissimos fuisse sub hominum specie dæmones.

Ex eodem libro Henoch accepta credo, quæ de concepto gigantum fœtu narrat auctor Testamenti duodecim Patriarcharum. Hæc ille : « Perduelles angeli mulieres deperientes, assumptâ virorum conjugum illarum, sed giganteâ specie, furtivum cum illis impetrârunt coitum, ex quo nati gigantes; giganteæ enim formæ ludibrio mulierum phantasia affecta giganteum expressit fœtum. » Nulla per nos esto hujus fabellæ auctoritas; sed rectâ inde consecutione infertur, apud libellorum istorum procusores assertam fuisse gigantum veritatem.

Patrum testimoniâ magno numero recitare supervacaneum ducimus; constat enim summo omnes assensu gigantes admisisse : si qui contra senserint, vel ambigua eâ de re expresserunt, integrâ illos fide omnes supra retulimus. Jure tamen nostro omnes, qui contrariam nostræ opinioni sententiam totidem verbis non asseruerunt, pro nobis sumimus. Est enim, quam defendimus, causa una omnium seculorum et gentium opinio. Nobis proinde favet possessio; ab aggressoribus, si quæ habent, pro se documenta promenda sunt.

Petimus tantùm nobis è Patribus illos, qui auctoritati rationes etiam pro suâ sententiâ jungunt. Josephus, ex. g., quem pro sententiâ nobis adversâ laudant, documenta pro gigantibus affert, narrans spectari in Hebron immania quædam hominis ossa. Tertullianus de Resurr. carnis, cap. 42, resurrectionem è residuis gigantum compagibus probat. *Nec gigantum antiquissima cadavera devorata constabit, quorum crates adhuc vivunt.* Ex ejus narratione intelligere videmur, inventa ejus ætate ex his ossibus quædam, dùm fundamenta Carthagine effoderentur. S. Augustinus de Civit. lib. 15, c. 9, demonstrat, fuisse olim maximè ante diluvium immanes staturâ homines; quam in rem primò communem hominum persuasionem eâ de re affert, laudans illud Virgilii Æneid. 12, de Æneâ, tantæ molis lapidem in Turnum ejaculanti, quantam vix ferrent 12 nostræ ætatis homines :

Vix illum lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus,

Expressit hæc Virgilius ex Homero, Iliad. 5 et 12, quibus sanè probatur vetus omnium gentium persuasio. Addit S. Augustinus (1), nihil esse quod magis incredulas mentes revocet ad saniora, quàm immania illa ossa, casu subinde vel è terrâ defossa, vel aquarum alluvione detecta, vel è tumulis casu aliquo post plura secula eruta. Vidi ego in littore maris Uticæ, ait ille, nec vidi solus, ingens quoddam hominis molare, quod centum vulgaria æquaret. Porrò molaria illa non uno in loco servantur, quòd dentes temporis minùs sentiant injuriam, et cæteris omnibus resolutis ipsa maneant incorrupta.

Augustinus Torniellus, Annal. veteris Test. ann. mundi 987, n. 19, in ecclesiâ sui Ordinis Vercellis S. Christophoro dicatâ, vidisse se perhibet similis molis dentem, qui viri illius sancti haberetur. Torquemada se vidisse pariter asserit Loriæ dentem alium, pugillum hominis strictum æquantem, et Asturgiæ partem maxillæ S. Christophori immanem adeò, ut gigantis instar turris proceri intuentibus crederetur Os coxendicis S. Christophori Venetiis in ecclesiâ Cruciferorum servatum prodigiosæ est magnitudinis. Vetusta ejus sancti acta virum fuisse perhibent 12 cubitorum, vel 18 pedum altitudinis.

Ante paucos, quàm hæc scriberet, annos contigisse narrat Antonius Sabellicus Ænead. 1, l. 1, ut cùm in evellendâ procerâ quâdam arbore ad navium constructionem insudarent fabri lignarii, casu invenirent calvariam hominis, dolii magnitudine non minorem, quæ cùm ab illis tractaretur, resoluta abiit in cineres, solis remanentibus dentium nonnullis, quos in varios Venetorum cives, inter cimelia servandos, distribuerunt. Pugillo nihilò inferiorem dentem S. Christophori spectâsse se in Cathedrali Valentinâ asserit Ludovicus Vives (in August. Civit. l. 15, c. 9), ejus urbis civis. Isaacius Pontanus in suâ Danicarum rerum Historiâ, l. 1, meminit molaris cujusdam Star-

(1) Nonnulla à Calmeto portentosa hìc et alibi narrantur, quorum fides haud planè constat. Plurima, licet in se vera, falsa tamen sunt quoad interpretationem. Calmeti enim tempore, geologia non eò usque pervenerat, ut gigantea quælibet compages suo generi indubitanter adscriberetur.

coteri, viri Danici, duodecim digitorum ambitu.

D. Simonius, auctor Biblici Dictionarii v. *Gigantes*, refert, anno 1667, in prato quodam, in quo servandis rebus fossa eruebatur, inventum vetustissimum quoddam monumentum, cæmento probè obductum, in quo prodigiosæ magnitudinis ossa, ut eorum unum septem pedes et tres digitos longitudinis referret, ambitu verò esset duorum pedum. Porrò os illud ipsissimum creditur, quod ex cubito ad scapulas porrigitur; post illud enim aliud sequebatur latissimum et planum: ossa cætera adeò computruerant, ut integrum nullum remaneret, salvis tantùm dentibus quibusdam, quorum singuli decem ad amussim librarum erant pondo. E dentibus hisce unus, cui inferior mandibulæ pars hæret, pondus refert 17 librarum. Ovalis est dens ille figuræ, longus quinque digitis et tribus latus. Dentes et ossa illa servantur in arce Molardæ juxta vicum S. Valerii diœcesis Viennensis in Delphinatu. Vidisse autem se affirmat Simonius dentes illos, cùm parœciam S. Uzæ propè Molardam curaret, et testes laudat ejus rei præfectos Arcis Uzæ et Molardæ, sicut et sacerdotem ejusdem Arcis Capellanum, qui authenticum eâ de re instrumentum ad se transmiserunt anno 1699, die 24 januar.

Poetarum testimonium in re quidem facti nihil faciendum: valet autem plurimùm, ut primores populorum traditiones et facta quædam historica, vetera illa et ignota, intelligentibus insinuet; quæ scilicet facta fucatis pigmentis et fabularum coloribus ad genium poesis adumbrârunt poetæ. Homerus de Ephialte et Orione filiis Iphimediæ novennibus pueris habet, crassiori fuisse novem cubitorum corporaturâ viros, staturâ verò ad 36 cubitos evasisse, Odyss. 11, v. 310. Titius apud eumdem, ibid. 2, v. 575, in terram prostratus novem terræ jugera occupabat. Fama erat apud Græcos, frequentâsse gigantes agros Phlegræos, et urbem Pellenen (Vid. Apollodor. Biblioth. lib. 1, cap. 6, viribus autem suis adeò fisos, ut avulsas rupes et proceras incensasque arbores in cœlum ejacularent; erant autem corporaturâ enormes, crinibus et barbâ promissis, inferiùs angues.

Agebat in Siciliâ Typhon filius Terræ et Tartari, vir celsissima montium cacumina proceritate suâ excedens, cœlum tangens vertice, et utrâque manu extremos orientis et occidentis fines jungens; in superioribus vir, in inferioribus anguis. Poetica sunt hæc, et in majus aucta figmentis; sed vera est antiquitatis persuasio: si enim nunquàm fuisse gigantes tenerent, quomodò in mentem venissent homines arma inferentes in cœlum, quomodò cyclopes Siculi, quomodò Typhonis adversùs deos prælia?

His omnibus argumentum præbuit Scripturæ narratio de audacibus gigantum antediluvianorum cœptis, qui nempe audaciâ suâ et criminibus arma in cœlum ipsum inferre visi sunt. Est autem maximè animadvertendum, agi apud poetas de gigantibus, non raris illis et casu natis, sed de gigantum nationibus, hominum genere staturâ procero, quos nonnisi gravis deorum et filiorum Dei manus opprimere valuisset.

Phlegon Adriani libertus, de Rebus mirabilibus c. 12, ex Apollonio, meminit in eluvione quâdam apud Messeniam in Peloponneso contigisse, ut lapideum quoddam monumentum detegeretur, quod fractum calvariam exhibuit hominis triplò quàm vulgares crassiorem, cum inscriptione græcâ nominis *Ideus*, unde conjecturâ deductâ, caput illud fuisse Idei viri inclyti, et inter gigantes strenuissimi, ab Apolline, quem ad singulare certamen provocavit, interempti juxta Homerum, Iliad. 9, v. 554. Addit insuper Phlegon, ibid., apud Dalmatas in antro Dianæ mira quædam ossa spectari cum costis 16 ulnis longioribus.

Refert etiam cap. 17, sub Tiberio in vehementi terræ succussione montis ingenti portione divulsâ, luci expositas fuisse plures humanorum ossium compages ingentis magnitudinis. Loci incolæ stupentes hærentesque tangere cadavera non sunt ausi, sed unius tantùm dentem avulsum tulerunt ad imperatorem, ut ex ejus magnitudine argumentum faceret de reliquo. Tiberius religione quâdam absterritus, herois, cujus pars erat, oblatum sibi molare tangere non sustinuit; ne verò aspiciendi gigantis voluptate sese privaret, adhibito doctissimo mathematico, sibi pro datâ proportione curavit circumscribi virum, cujus tantæ molis dens pars habebatur. Thomas Fazellus historicus Siculus alia plura congerit exempla de cadaveribus gigantum in eâ regione subinde effossis. Anno 1516, detectum in agro Mazaræ corpus 20 cubitis procerum, cujus calvaria modium æquabat; dens, quem ipse apud se servabat, 5 unciis par erat. Ex quo confirmatur veterum illa traditio de *natione Cyclopum* ab ipsâ origine Siciliam tenente.

Sui erant olim in Ægypto gigantes, sui in

Æthiopiâ, Arabiâ et Palæstinâ, regionibus Ægypto finitimis. Locum esse in Ægypto, *Litres* appellat, ubi similia, ac in Siciliâ, cadaverum monstra reperiuntur, asserit Phlegon loc. cit. c. 15. Ossa neque sub terrâ latent, neque eorum compages turbatæ; exposita omnia intuentibus, singula corporis ossa aptam servantia œconomiam distinguuntur, brachia, crura, et cætera itidem membra. Mentio est in lib. Paralipomenon, cap. 11, v. 23, gigantis Ægyptii 5 cubitorum, nempe 8 pedum, 6 digitorum et semis. Tantum virum interemit Banaias, miles in exercitu Davidis fortissimus. Miræ magnitudinis statuas spectari apud eosdem Ægyptios tradit Herodotus lib. 2, utriusque sexûs homines exprimentes; describit ille simulacra pellicum regis Mycerini in urbe Sai; avorum Hecathæi, cum longo colossalium statuarum sacerdotalium satellitio in urbe Thebarum. Colossales item statuæ exhibebantur in vestibulis templorum Apidis, Minervæ, et Vulcani, quarum alias 20, alias 70 pedum altitudinis describit Herodotus. Porrò scitum est, Ægyptios defunctorum suorum figuras in ipso eorum feretro ad staturæ mensuram fabricato expressisse.

Cebarenorum (Gallorum erant genus, brumaliores regiones frigoris algore inhabitabiles tenentium) nihil se admiratum procera licet cadavera testatur Pausanias, Attic. p. 66, quòd scilicet Ægyptia non excederent. De Sirbotis Æthiopiæ populis narrat Plinius lib. 6 et 7, homines fuisse 8 cubitis altos, nempe 12 pedibus, si cubitus 18 digitis computetur. De Gange rege Æthiopiæ, viro 10 cubitis immani, sermo est in historiâ; sermo item de *Gobaro* gigante 9 pedum et 9 digitorum, ex Arabiâ Romam deducto sub Claudio.

Quid ferant de Africanorum gigantum ossibus Tertullianus et S. Augustinus, supra jam animadvertimus. Cùm eam regionem teneret Sertorius juxta urbem Tingitanam, quo loco recepta populorum traditio tenebat, Antæum filium Neptuni juxta nonnullos, vel filium Terræ juxta alios, sepulturæ mandatum fuisse, spectavit ingentis molis sepulcrum, in quo gigantis ossa recondi ferebantur. Creditu difficile id videbatur Sertorio; quare aperto monumento spectavit gigantem 60 pedibus immanem. Actutùm imperator Antæo hostiis litavit; tum et recondi iterùm corpus præcepit, religione absterritus ne ossa ejus contingeret. Hæc Plutarchus in Sertorio. Ferunt etiam (vide Eumachum apud Phlegontem, c. 18 Mirabilium), Carthaginienses, dùm terram effoderent, duo reperisse sarcophaga, aliud 24, aliud 23 cubitis porrecta.

Refert Hieronymus Magius, Miscellan. c. 4, ex relatione Melchioris Guillandini, dùm captivus Guillandinus ipse in Africâ detinebatur, anno 1559, duos captivos hispanos terram effodiendo juxta urbem Jenexe, olim Juliam Cæsaream, miræ proceritatis gigantem offendisse, avulsamque ejus calvariam duobus vectibus impositam, vix tanto ponderi ferendo pares, ad regem Assanum Ariadenum, tanquàm rem miram et novam retulisse. Ejus calvariæ magnitudinem Guillandinus ipse cum reliquo populo spectavit, asserens 11 pedum ambitum, vel 11 spithanarum (mensura est 12 digitorum) occupâsse. Princeps ille barbarus, cujus nullus antiquitatis sapor, pro eo quòd expectatam libertatem captivis illis donaret, vix 5 aurea scuta largitus est. Asseruerunt illi Guillandino, reliqua cadaveris ossa in eodem loco superfuisse, ex quo calvariam eduxerant.

Per ingentem cujusdam montis hiatum patuisse cadaver 46 cubitorum refert Plinius, lib. 7, c. 26, quem alii Orionis, alii *Oti* suspicati sunt. Est autem Orion vir ille gigas frater Ephialtis, qui novennis adhuc puer crasso erat 9 cubitorum et 36 altitudinis corpore. Hæc in insulâ Cretæ.

In bello Cretensium cum Romanis, ingenti aquarum alluvione corrosâ terræ superficie, inter latentia plurima revelatum est etiam corpus gigantis 33 cubitorum, cujus rei supra fidem testes oculati fuerunt Metellus et L. Flaccus. Quanquàm hæc historia Solin. c. 1, ipsissima videtur ac Plinii illa supra relata, cùm tamen variæ sint apud Solinum omissæ à Plinio circumstantiæ, locum fecerunt conjecturæ D. Salmasii autumantis, Solinum tanquàm alioqui Plinium breviare assuetum, aliunde tamen rei illius notitiam habuisse.

Gigantum quoque ossa spectanda in insulâ Rhodo, ac Italiâ. Rerum potiente Henrico II imperatore filio Conradi, anno 1041, inventum non longè cadaver ad urbem Romam translatum est, cujus tanta erat proceritas, ut erectum ab imis ad summam usque mœnium loricam emineret (vid. Jac. Phil. Bergom. Suppl. Chronic. lib. 3, ann. 1041). Pallantem filium Evandri à Turno occisum suspicati sunt; vulnus adhuc patebat quatuor pedibus latum. Minoris fidei aliud narrat Boccacius. Drepani in Siculis inter effodienda ædificii fundamenta cæcum vastumque antrum revelatum est, quò

incensam præferentes facem fossores illi ingressi in cadaver hominis inciderunt, de cujus immensâ propemodùm magnitudine conjecturam inde capere licet, quòd trabem velut navis antennam pro scipione haberet in manu. Tanti immanitas monstri primò terrorem injecit fossoribus, coegitque è loco sese proripere; sed animis iterùm confirmati et armatorum hominum manu stipati redierunt; at gigas vix tactus abiit in cineres. Plumbum juxta scipionem sive lanceam viri positum pondus superabat 1500 librarum. Ossa integra erant; et calvariæ tanta erat capacitas, ut modia tritici commodè plura continuisset: reliqua ossa capiti respondebant; dentes singuli 9 librarum pondo. Polyphemus, Homero et Virgilio celebris, gigas reputatus est. Paulò ante captam à Gothis Romam, femina quædam et utrique ejus parentes, staturâ multò quàm vulgaris hominum superiores, ad suî spectaculum undique ad eam urbem homines acciebant, teste S. Augustino de Civit. lib. 15, cap. 23.

Trojanam obsidionem urgentes Græci viros habebant in exercitu multò quàm reliquos omnes nostræ ætatis homines, etiam proceros, staturâ majores. Decem cubitis altos heroas illos fuisse perhibet Philostratus de Vitâ Apollon. lib. 2, c. 21, et lib. 4, c. 16. Eodem teste, Achilles spectandum se præbens per visum Apollonio Tyanæo, spectrum exhibuit primò 5 cubitorum, quod sensim ad 10 vel 12 excrevit. Agit ille pariter de Ajacis cadavere, cujus sepulcrum juxta mare positum reducentes arenam fluctus detexerunt: inventum est in illo cadaver 11 cubitis, vel 16 pedibus et semis procerum. Adrianus imperator rudera Trojæ inspecturus veniens ossa illa restauratum in sepulcrum recondi imperavit. Viri Mysii relatione tenere se narrat Pausanias, Attic. p. 66, 67, ejus herois tumulum, quà mare respicit, aditu facilem esse; inde verò argumentum de viri staturâ capiendum, quòd genuum vertebræ seu molæ athletici disci instar essent.

Orestis cadaver Tegeæ à Lacedæmonibus inventum, 7 cubitos, vel 10 pedes, et semis æquabat (vid. Herod. lib. 1, cap. 68, et Philost. cap. 1, num. 2). In Sigeo promontorio antrum pariter detectum est, in quo gigas 20 cubitos excedens; quod ante 50 annos contigisse scribit idem Philostratus, Heroic. cap. 1, n. 3. Meminit etiam gigantis, cujus cadaver quidam è necessariis suis in insulâ Coo ante quatuor annos è latebris excusserat. Jacebat in antro quodam inter medias vineas, viri mensura 12 cubitorum; anguis in calvariâ latebat. Cùm idem Philostratus ad insulam Lemnos venisset, spectavit ossa gigantis à Menecrate quodam detecta, ex quibus, dissolutâ licet compage, conjecturam capere licebat hominis maximè proceri: et calvariæ tanta erat capacitas, ut duas Cretenses amphoras superaret. Porrò amphora Romanorum æquabat 28 circiter pintas parisienses, seu 48 sextaria romana. An Cretensis major esset, minorve, ignoro.

Plura hujus rei exempla congerit idem Philostratus in suo illo opere de Rebus heroicis; meminit inter cæteros Protesilai, qui 20 annorum ætatem agens 10 cubitos æquabat; meminit ejusdem fermè mensuræ plurium inter celebratissimos Græcorum heroas. Pausanias, scriptor sine controversiâ et exactior et correctior Philostrato, mentionem habet cadaverum giganteorum per totam Græciam et alibi etiam; uti Asterii sepulturæ mandati in insulâ Asteri è regione Mileti, cujus erat cadaver 10 cubitorum, vel 15 pedum (vid. Attic. p. 66, 67). Sermo apud illum pariter est de gigante in Lydiâ superiori juxta parvam urbem, quæ Temeni porta dicebatur, cujus inventa ossa tantæ erant magnitudinis, ut nunquàm humana haberentur, nisi figuram referrent ab animantibus cæteris, præterquàm ab humanâ, abhorrentem. Geryonis cadaver primò creditum; sed alterius visum est Pausaniæ, quippe quòd Geryon in vivis egisset circa fretum Gaditanum, nec in Lybiâ diem clausisse unquàm auditum. Quare viris emunctæ naris creditæ fuerunt reliquiæ Hylli filii Herculis.

Cùm in Syriâ imperator aliò divertere Orontem tentâsset, in arenti ejus fluminis alveo gigas detectus (1) undecim cubitorum; hunc alii Orontem, alii Aryadem autumârunt. Indum quemdam declaravit Apollinis oraculum. Reconditum cadaver illud in urnâ figlinâ undecim cubitorum. Monstratur hodiè usque in Antarado monumentum 20 pedum; gemina in viciniis Damasci, alterum 50, alterum 20 pedum; priori illo 160 palmos, seu 80 cubitos assignat Goujon. Credulis itinerantibus persuadetur, amplius illud sepulcrum esse Abelis, brevius aliud Josue. Vidisse se Damasci costam hominis prodigiosæ magnitudinis testatur Benjamin Tudelensis, nec simillimæ alibi desunt.

Munitionibus vallare insulam (fortè Æginam) non longè ab urbe suâ Athenienses aggressi,

(1) Pausan. lib. 8, seu Arcadic. pag. 503; Philostratus Heroic. cap. 1, num. 2, æquâsse cadaver illud asserit 20 cubitos.

cùm ducendis fundamentis terram effoderunt, inciderunt in monumentum 100 cubitorum, recondens non imparis staturæ cadaver. Ex inscripto epitaphio constabat, viri nomen fuisse Macrosirim: vitam autem produxisse ad 5000 annos. Sed nisi mendum in textum irrepsisse suspicemur, credulitati profectò hujus scriptoris, quà in tumuli mensurâ, quà in ætate viri, impositum est.

Sub Anastasio imperatore plura gigantum ossa Constantinopoli inventa, et in æternum monumentum à principe in aulâ servari jussa, Glycas est auctor in Annal. p. 4. Hercules victi Geryonis ossa Olympiam misit, æternum certaminum suorum et victoriarum monumentum.

Porus Indiarum rex ab Alexandro Magno victus, vir fuisse narratur 7 pedibus et semis procerus, et cùm elephantem ascenderet, ad immanem belluam ea fuit viri proportio, quæ cæterorum ad equos, Plutarch. in Alexand. Porrò 5 et semis cubitorum viri non infrequentes sunt apud Indos. De gigantibus brumales regiones olim tenentibus, quorum etiam nunc ossa et sepulcra spectantur, legas in historiis eorum populorum.

Theopompus Sinopeus in suo opere de terræ Motibus refert, in validâ terræ succussione disjectum quemdam collem latentia intra viscera sua exposuisse gigantis ossa, quæ simul composita exhibuerunt hominem 24 cubitorum. Narrat Florus (1), Teutonum regem gentium ejus nominis et Cimbrorum, cùm ad triumphum Romam duceretur, proceritate suâ insigne intuentibus spectaculum exhibuisse; super ipsa enim tropæa eminebat. Narrant alii interiisse virum è vulneribus in pugnâ relatis (vid. Oros. lib. 5, c. 16); cujus inventum in Delphinatu cadaver, expositumque, undique spectatores proceritate suâ invitabat (2).

Asserunt anno 785, inventam apud Bohemos calvariam hominis tanti ponderis, cui nec duo homines ferendæ sufficiebant; crura verò ad 26 pedes porrigebantur. Insignis ille medicus Felix Platerus, in suis Animadversionibus detecta testatur Lucernæ miræ magnitudinis ossa, ex quibus si reliqui corporis apta commensuratio facienda esset, non minùs quàm 19 pedum gigas assurgeret. De gigante *Ferrago* à Rolando Caroli Magni nepote interfecto, memoriæ proditum est, 12 cubitos vel 30 staturæ pedes æquâsse. In S. Capellâ Bituricensi os quoddam cruris monstratur, magnitudine portentosâ stupendum. Sepulcrum 30 pedum, gigantis creditum, spectatur Parisiis ad Nostræ Dominæ. Hominem quindecim pedibus procerum vidisse se apud D. Nivernensem asserit D. Habicot. Oblatum Gontrano hominem tribus pedibus majorem, narrat in historiâ Gallorum Aimoinus. Carolum Magnum æquâsse 9 pedes altitudinis, concors est plurium assertum. Sub Ludovico XI, è regione Valentiæ in Delphinatu detecta in torrente, quo vicus S. *Perat* alluitur, ossa gigantis, staturâ, quantùm ex ossium illorum proportione, 18 pedum circiter; sicut feminam giganteæ staturæ, cui nomen Garsenda, in Forcalquier sub S. Ludovico memoratur.

Immania quædam ossa monstrantur Taurini. In valetudinario Mediolanensi vir quidam junior staturâ erat procerior, quàm ut alendo immani illi corpori natura sufficere posset; duo juncta in longum cubilia viro substernebantur. Hanc sui temporis historiam refert Julius Scaliger de Subtilit. exercit. 26. Asserit Torquemada hexaemer die 1, sub Julio III, virum in Calabriâ immanem corpore ad suî spectaculum mundum universum invitâsse. Illum Romam accivit pontifex; sed ferendo nullus par equus inventus, plaustro impositus crura, quod plaustrum ipsum superarent, pendula gerebat exteriùs. Ad urbem ut pervenit, omnes affecit stupore, quòd proceriores etiam homines supra medium pectus non haberet.

Saxo Grammaticus Poem. p. 4, demonstrare nititur, Danicas regiones olim vel tenuisse gigantes, vel saltem frequentes in illis versatos; quod ipsi quidem probatur ex immanissimorum lapidum monumentis, quorum alia cavernis, alia sepulcris veterum Danorum imposita spectantur. Gigantis dentes et ossa immensæ magnitudinis detecta anno 1520 apud Scotos narrat Hector Boetius Hist. lib. II. In cimeliarchio regis Sueciæ videas tibiam viri 25 librarum pondo, defossam Burgis apud Belgas anno 1643. Pertinet modò ad Othonem Sperlingium. Sermo est etiam in eodem libro de rege quodam Norvegiæ, defuncto anno 933 pedibus 14 procero; de Evindo quodam in vivis agente circa ann. 1338, qui 15 ulnas Norwegiæ æquabat. Propè Bircherodum humanum

(1) Lib. 2, cap. 11 : « Insigne spectaculum fuit; quippe vir proceritatis eximiæ super tropæa ipsa eminebat. »

(2) Hic fusè narrat Calmetus Teutobochi regis historiam quam, utpote recentibus geologiæ progressibus repugnantem, supprimendam duximus.

cadaver multò quàm cætera procerius detectum est anno 1695.

D. du Mont narrat in Itinere, quo tempore Græciam ipse discurrebat, inventum Thessalonicæ os quoddam gigantis, qui, juxta chirurgorum ejus regionis supputationem, 20 pedes assurrexisset. In expeditione Xerxis in Græciam, gigas Artachorus 5 regiis cubitis, nempe 7 pedibus et semis immanis, terrorem regiis adversariis faciebat. De gigante in Syriâ 5 cubitorum et palmi, meminit sub Theodosio Nicephorus. Surgebat Andronicus Comnenus 17 pedibus, teste Nicetâ; sicut et 15 pedibus ostiarii urbis Pechinensis, si fides sit Melchiori Nugnez Jesuitæ. Feminam 10 pedum spectâsse se Antuerpiæ tradit Coropius medicus Germanus, qui scriptis libris gigantes negavit.

Visi tandem in Americâ gigantes, qui vulgaris staturæ homines genibus habebant æquales. Hos viros, quorum ossa et opera modò etiam in Peruanis regionibus spectantur, igne cœlitùs in se scelerum meritò provocato absumptos, recepta apud incolas traditio fert; cui gemina jungitur similis apud Mexicanos et Brasilienses fama, apud quos simillima pariter ossium portenta. Satis hæc è multis ad asserendam gigantum veritatem.

Suam de gigantibus Meditationem exponens D. abbas Tilladet anno 1704, defendendum aggreditur, non gigantes tantùm in mundo paruisse, sed et integras gigantum urbes ac nationes, quin et gigantibus accensendos primos illos gentium parentes, coloniarum ductores; utrosque pariter gigantum parentes gigantes fuisse, ut Adam, ex quo Abel gigas, Caïn, Seth, et priores saltem illorum posteros. Quomodò arcam fabricâsset Noe tot animantium generibus continendis aptam, nisi expressi in Scripturâ cubiti ædificium illud metientes gigantum fuissent? Anne præter gigantes alius quispiam turrim Babelicam, tantum opus moliri valuisset? Addit, homines illos, quò staturâ proceriores essent, eò pariter et vitam egisse diuturniorem radicali illo et vitali humore magis abundante, quò in ampliora corporis vasa reciperetur.

Vitæ autem ad plura secula prorogandæ valuisse plurimùm autumat cum terræ fœcunditate opimiorem alimentorum succum, quo in naturæ senio paulatim cum fœcunditate deficiente, sensim et de vitæ diuturnitate remitti cœptum est. Ad gigantos spectabant Nemrod, Assyrii imperii primus auctor, sicut et ductores coloniarum Amorrhæorum, et Enacim, quorum gigantea posteritas diutiùs in regionem cis et trans amnem. Inter gigantes pariter suum habuisse locum credendi sunt Virginiæ et Magellanicæ regionis primi parentes, quòd hodiè usque earum regionum incolæ robore et corporis staturâ plurimùm valeant. Hæc D. abbas Tilladet.

Post hæc omnia nihil ultra credimus ambigendum fuisse reipsà, nec infrequentes per omnes terræ regiones gigantes, integras è gigantibus constitisse nationes; gigantibus, inquam, quorum erat statura duplò, quàm vulgaris hominum, procerior. Horum autem si nullum vel specimen extat nostrâ ætate, id partim tribuendum divinæ numinis ultioni, quæ tot criminum et scelerum monstra solo tantùm nomine in mundo superesse toleravit: partim verò hominum cautioni, qui, inito omnium gentium fœdere, exterminandis perniciosissimis humani generis adversariis arma intulerunt.

Quò autem objecta in contrarium omnia ordine refutemus, reponendum est 1°: Quæ de gigantibus narrat Scriptura, multùm illa à poetarum commentis abhorrent, quantùm scilicet veritas à mendacio, et à fabulâ historia. Quare, si Patres aliquando, alios fuisse docent poetarum, alios Moysis gigantes, non nisi è mediâ veritate doctrinam hanc suam promserunt. Cave cum poetis credas, tanto corporis robore valuisse gigantes, ut montes montibus superstruerent, scopulos, insulas, flammatas procerasque arbores in cœlum ejacularent; centum illos manibus instructos, superiora hominis, inferiora anguis habuisse. Poetica sunt hæc, et in majus aucta commenta, quemadmodùm et ea, quæ de Polyphemo, Cyclopibus ac gigantibus fabulatur Homerus. Nihil tale in Scripturâ: ad poetas quod attinet, nihil ad nos.

2° Quicumque in eâ sunt persuasione, gigantes et Cyclopes fœtæ pluribus ideis phantasiæ accepto referendos, quorum nihil tale in rerum naturâ, dissita hæc omnia in se concilians, extiterit unquàm; vel qui gigantum omnia eorumque adversùs deos prælia ad moralem et physicam quamdam interpretationem deflectunt; illi, inquam, nos habent dictis suis reponentes, nihil morari nos poetarum commenta, è gigantibus et Centauris monstrosa quædam portenta, nunquàm in rerum naturâ spectanda, effingentium. Eorum tantùm asserimus veritatem, quæ in sacris libris de gigan-

tibus feruntur, nimirùm extitisse olim magno numero gigantes, homines illos nihil à reliquis nisi staturâ corporis discrepantes; bellum autem in Deum non armis, sed criminibus ac sceleribus movisse.

3° Quod dicunt nunquàm fieri posse, ut gigantes in rerum naturâ nascantur, cùm in rebus omnibus Deus ejusdem naturæ auctor certos præstiterit limites, quos prætergredi nihil unquàm possit, repugnat id rei ipsius evidentiæ. Constat enim fuisse olim homines justam cæterorum staturam multò excedentes; sicut et infra vulgarem staturam plures, quos pumiliones appellamus, quotidiè nascuntur. Si verò aliqui paruerunt in mundo gigantes, cur non et plures potuerint? Nec tamen in eâ sumus sententiâ, primos homines universos, sicut et omnes veteres Palæstinos et Siculos, gigantes fuisse. Frequentes erant quidem gigantes apud illos, erant familiæ, quin et gentes integræ, quemadmodùm nostrâ etiam ætate spectamus, ut populorum aliquâ natio cæteras proceritate superet.

Fatemur quidem, frigoris, caloris, aridi et humidi certam in naturâ mensuram non facilè permittere, ut omnes ubique homines, bruta, plantæ ad majorem justo mensuram excrescant; sicut nec infra plus multò demittantur, quàm plerùmque videmus. Nihil tamen prohibet, quominùs in aliquibus orbis regionibus quædam ex illis ad staturam multò supra vulgarem proceriorem pertingant; sicut et contingere quandoque spectamus, ut ferax sit hominum, brutorum et plantarum alicujus generis certa aliqua regio, quæ frustra in aliâ quæruntur; ac generis alicujus animantia post certum quoddam temporis spatium ita præscriptas sibi leges pervertant, ut multò deinde minora, quàm antea fuerint, nascantur. Hæc omnium seculorum experientiâ certissimâ apertè satis demonstrant, potuisse in certis quibusdam locis gigantes spectari, qui multò quàm cæteri homines ubique locorum staturâ essent proceriores. Quæ prima ex Europâ in Americam translata sunt semina et plantæ, in proceras adeò arbores et plantas excreverunt, ut nihil tale in Europâ. Mures ipsi et bruta cætera multùm vulgarem excesserunt corporis molem. Ut quid igitur prima illa secula in terræ juventâ, cùm scilicet succo abundaret, et plantæ essent ad nutriendum aptiores, purior in venis hominum sanguis, succulentissima alimenta; ut quid, inquam, non major esset hominum quorumdam statura, majus corporis robur, sanitas major, vita diuturnior?

4° At enim natura nunquàm produxisse gigantes credenda est, cùm hodiè, etsi multùm enitatur, nunquàm ad producendos illos saltem majori numero evadet. Sed nec ea, quæ hodiè est, natura hominum vitam ad 8 vel 9 secula prorogare potest, quemadmodùm in orbis juventâ reipsâ prorogavit. Nunquàm pariter natura totis in unum collatis viribus lupos in Angliâ, venenatos serpentes in insulâ Melitæ, hippopotamum in Ægypto producet; nunquàmne ergo in iisdem regionibus paria gignere valuit? Nequit in hoc horto certum hunc fructum, hunc florem emittere; nunquàmne ergo emisit? Si natura aliquid modò in certis aliquibus locis non valet, hæc sanè non defectui in naturâ virtutis adscribenda sunt, sed naturalibus ad propaganda rerum genera instrumentis destituta est, omnibus ejus generis exterminatis. Ita pariter de gigantibus reputandum. Revocet quis ad vitam veteres Palæstinæ et Siciliæ gigantes, statimque gigantum ipsa propagatio reparabitur. Qui verò staturam hominis 7 pedibus majorem non agnoscunt, quippe quòd Hercules eam non excederet, coguntur illi tamen fateri spectatos Romæ gigantes herculeâ staturâ multò superiores. Ad hæc, Herculem 7 staturæ pedes attigisse, inter veteres scriptores non convenit. Apollodorus 4 cubitos vel 6 pedes viro tribuit in Biblioth. lib. 2, cap. 3.

5° Quicumque decrescere in dies homines habent persuasum, opinionem illi tuentur rationibus destitutam; quæ tamen gigantibus potiùs asserendis quàm evertendis valeret.

6° Inter eos, qui reipsâ gigantes olim in mundo spectatos volunt, nemo planè asserit, giganteam illam staturam maximè naturalem hominum fuisse, illud tantummodò reputantes, nihil habere illam naturæ repugnans, nihil absonum universi elegantiæ, cæterisque rerum dotibus. Nullum esse dicunt inconveniens, si gigantes, possibiles alioqui, admittantur; uno verbo, magno numero gigantes olim in mundo spectatos, quorum frequentia id efficeret, ut non monstra haberentur, sed certa hominum genera. Quæcumque contra aliam à nostrâ sententiam objiciuntur, nihil ad nos.

7° Eorum error, qui persuasum habuerunt, gigantes ex angelorum perduellium cum filiabus hominum connubio prodiisse, extitisse olim gigantes invictè probat. Testimonium de receptâ apud populos de gigantibus traditione

admittimus, rejicimus errorem. Quin nec ipsa pariter traditio tam vetus, longè latèque propagata et constans, ineluctabile esset argumentum, nisi cum Scripturis vetustisque omnium seculorum historiis assertæ fidei cohæreret.

8° Si tandem natura ludens interdùm quædam in terræ sinu produxit, humanis ossibus, calvariæ, tibiæ, ossibusque cæteris non absimilia, nunquàm tamen, eò deveniet, ut integras ossium humani corporis compages naturalibus simillimas effingat : quin et illi naturæ lusus argumentum suî nunquàm non præbent, sive majori, quàm par est, rotunditate, sive figuræ, sive proportionum, sive, ut plurimùm, soliditatis discrepantiâ. Sunt enim fossilia colore dilutiora, quippe quæ ad terrestrem magis, ubi concreverunt, accedant. E solidâ materiâ compacta sunt, non intùs inania, ut hominum ossa. Nec impossibile credimus, ut elephantum et ceti alicujus ossa pro gigantibus obtrusa sint; sed constat equidem et genuina quædam gigantum ossa aliquibus in locis spectari, non incertum de gigantum veritate documentum.

IN PROPHETIAM MOYSIS, DE PROPHETA A DEO PROMISSO, Dissertatio.

Prophetam..... sicut me.... (*Deut.* XVIII, 15.)

Moyses, in concione quam ad filios Israel habuit, mediis in campis Moab, vitâ jam exiens, supremo anno quo in deserto commorati sunt, quadragesimo post exitum de Ægypto, aliquid maximi ponderis eis pollicetur, rectissimèque quid valeret verbum ejus intellexerat omnis natio ante adimpletum eventum; deinceps sensus promissi in dubium revocatus est primò à Judæis, qui hoc in Jesu Christo consummatum fuisse abnuunt; dein à quibusdam etiam Christianis, qui, etsi non iisdem præjudiicis imbuti, attamen de eâ re eadem ac Judæi perspexerunt. Ad veram hujus promissi significationem oppugnandam, in præcedentibus et sequentibus illud arma quæsivêre. Ut ergo sanè de eo judicetur, non tantùm in se ipso promissum considerandum est, sed et videre est quid illud circumdederit, quid ad illud quoquo modo sese referat. Ab ortu ipsamet afferamus verba quibus includitur, incipientes à primis qui illud præcedunt versiculis, et usque ad extremos sequentes, qui cum illo aliquid relationis habere possunt. Hæc comprehendit caput decimum octavum Deuteronomii, ex versiculo nono ad finem capitis :

Quando egressus fueris terram, quam Dominus Deus dabit tibi, ait Moyses, *cave ne imitari velis abominationes, illarum gentium. Nec inveniatur in te qui lustret filium suum aut filiam, ducem per ignem : aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus; nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quærat à mortuis veritatem; omnia enim hæc abominatur Dominus et propter istiusmodi scelera delebis eos in introitu tuo. Perfectus eris, et absque maculâ cum Domino Deo tuo. Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures et divinos audiunt; tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es.* PROPHETAM *de gente tuâ et de fratribus tuis...* SICUT ME, *suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies, ut petisti à Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti : Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum ampliùs non videbo, ne moriar : et ait Dominus mihi : Benè omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tuî, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad illos omnia quæ præcepero illi : qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. Propheta autem qui arrogantiâ depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. Quòd si tacitâ cogi-*

tatione responderis : Quomodò possum intelligere verbum, quod Dominus non locutus est? Hoc habebis signum : Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confixit : et idcircò non timebis eum.

Quæ sequuntur ad omninò diversa pertinent : hæc ergo sese certo modo referunt ad promissum concionis Mosis, et possunt ad tria puncta reduci : Deus præcipit populo suo ne augures gentilium audiat; Prophetam promittit quem ab eo audiri jubet; illum præmunit adversùs pseudoprophetas qui de medio ejus exsurgere possunt. Consideremus primò quid propriè et naturaliter significet promissum; deinde contestantium objectis respondebimus.

Ut rectè intelligatur quid sonet hoc promissum, in mentem revocandum est quid Deus Mosi dixerat, quùm Maria, ejus soror, Aaronque frater murmura suscitaverunt. Maria Aaronque dicebant : *Num per solum Mosen locutus est Dominus? nonne et nobis similiter est locutus?* Quod cùm audiisset Dominus, accersivit illos ad tabernaculum cum Mose, et vocatis Aaron et Mariâ, dixit eis : *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo illi, vel per somnium loquar ad illum. At non talis est servus meus Moyses, qui in omni domo meâ fidelissimus est; ore enim ad os loquor ei, et palàm, et non per enigmata et figuras; Dominum videt.* Moyses ergo propheta ordinis summoperè egregii habetur, quùmque Dominus populo suo similem Mosi pollicetur prophetam, *prophetam,* inquit, *sicut me,* majorem omnibus aliis prophetam promittit. Hunc sensum omnis secuta est natio, et ex hoc tempore perseverantissimè hunc magnum Prophetam exspectat. Illud clarissimè innotescit ex narratione sanctorum Evangelistarum, et ex libris actuum Apostolorum.

Et quidem, apparente Joanne Baptistâ, *miserunt Judæi ab Hierosolymis sacerdotes et Levitas ad eum, ut interrogarent eum : Tu, quis es? Et confessus est quia non sum ego Christus. Et interrogaverunt eum : Quis ergo? Elias es tu? Et dixit : Non sum.* Propheta *es tu?* subjecerunt. Vox latina : *Propheta es tu?* aliquid sonat æquivocum, ex quâ ambiguitate quidam gallicè interpretaverunt : *Êtes-vous prophète?* Sed non hoc modo claudicat vox græca, quæ sine ambiguitate dicit : Ὁ προφήτης εἶ σύ ; gallicè : *Êtes-vous le prophète?* propheta ille qui promissus est nobis ; ille quem expectamus propheta?— *Et respondit : Non.* Et adhuc *interrogaverunt eum : Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, nec Moyses, nec* Propheta? Latino sermone redit vox æquivoca jam citata, ex quo malè accidit iisdem interpretibus ut vulgari verbo dicerent : *Si vous n'êtes ni le Christ, ni Elie, ni prophète :* sed expressè et accuratè græca vox indicat : *Nec Christus, nec Elias, nec qui est propheta;* οὔτε ὁ προφήτης. Hæc interpretatio modò verbis magis adhuc expressis firmabitur.

Quùm populus, splendentibus Jesu Christi miraculis allectus, illum sequeretur, Salvator mundi, circumspectâ maximâ turbâ, usque ad quinque millia hominum, in eorum gratiam quinque pisces et duos panes multiplicavit, ita ut saturaverit eos, et impleverint duodecim cophinos fragmentis panis relictis. Illi ergo homines cùm vidissent quod fecerat Jesus signum, exclamabant : *Quia ille est verè Propheta qui venturus est in mundum.* Nihil hic est anceps tum in græco, tum in latino, tum in gallico sermone. *Hic est verè propheta qui venturus est in mundum.* Expectabatur ergo usque ad hoc tempus ille magnus Propheta quem Moyses promiserat; nullus ex prophetis, Moysis successoribus, gentis expectationem sustinuerat, quia nullus cum Moyse conferri par erat. Sed quùm visus est Jesus Christus, signis omnibus aliis superior prophetis, Mosi non impar, intellectum fuit adesse illum promissum et expectatum Prophetam. *Hic est verè Propheta qui venturus est in mundum.*

Postquàm ascendisset Jesus Christus in cœlum, sanctus Petrus, Spiritu sancto afflatus, annuntians Judæis divini Salvatoris gloriam, fidemque in eum prædicans, prophetiam Mosis his verbis eorum in memoriam revocat : *Moyses dixit filiis Israel : Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris tanquàm me; ipsum audietis : quicumque ipsum non audierit, exterminetur è medio populi.* Qui identidem prophetæ à Samuele apparuerunt, omnes quod nostris diebus evenit prædixerunt. In his ergo diebus adimpleta est hic reproducta promissio; Jesus Christus ergo ille est Propheta à Moyse promissus, qui est sicut Moyses.

Sanctus Stephanus, pariter Spiritu sancto plenus, eodem modo hoc promissum interpretabatur, quùm Judæos allocutus hortatusque ut crederent in Jesum Christum, gesta dictaque Moysis recolligens, hæc dixit : *Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris tanquàm me; ipsum audietis.* Gens tota hunc Prophetam expectabat, signisque præfulgentibus Jesu Christi populus perculsus, incœperat ipsum

prophetam in illo agnoscere; sed Pharisæi doctoresque, præjudiciis obcæcati, eum repudiabant, plebeculamque omnem suæ incredulitatis consortem effecerant. Sanctus Petrus et sanctus Stephanus hanc commemorant populo prophetiam, ut in Christo promissum à Deo Prophetam agnoscat.

Apud sanctos doctores qui deinde venerunt, apud perspicacissimos interpretes eorum successores, non interrupta viguit fides scilicet in Jesu Christo fuisse adimpletam hanc prophetiam. Tertulliano manifestum erat hoc Moysis promissum ad Jesum Christum spectare, adeòque tenax erat fides, ut etiam crederet æternum Patrem huic prophetiæ innuisse, cùm in monte vocem illam edidit : *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite;* quasi dixisset : Ecce vobis promissum misi Prophetam, quem à vobis audiri volo. Sanctus Cyprianus, relatâ ad Jesum Christum hâc prophetiâ, addit, Salvatorem hoc verbum Moysis illustrare voluisse, quùm Judæis diceret: *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi;* DE ME *enim ille scripsit.* Sanctus Athanasius gravissimi erroris insimulat Judæos, qui ad quosdam suos prophetas, alios ac Jesum Christum, referri volebant vocem eorum legislatoris de eo qui post eum venturus erat. Sanctus Chrysostomus adnotat nunquàm internecionis minam à Deo contra illos intentam qui Prophetam immissum repellerent, magis terribili modo impletam fuisse, quàm in Jesu Christi verbis contemptoribus. Adversùs Faustum Manichæum sanctus Augustinus contendit hanc Prophetiam ad Jesum Christum pertinere. Faustus contra : « Jesus Christus non « est propheta, non etiam similis Moysi : Moy- « ses homo est, Jesus Christus Deus est : » ad quæ divus Augustinus : Jesus Christus est Deus et Homo; utpote Deus, superat Mosen; utpote homo, par et similis est Moysi. Aliunde si Jesus Christus Propheta ille non est, quis ergo pro illo? Multi surrexerunt à Moyse prophetæ, sed Moyses solummodò certo cuidam Prophetæ verba destinavit. *Unum quemdam intelligi voluit.* Quis ergò ille erit? An Jesus, Moysis successor? (nam hoc nomine inscribitur Josue in versione Septuaginta et veteri Vulgatâ quâ utebantur sancti Augustini coævi, Jesusque græco sermone ut et latino idem sonat ac Josue) sed Jesus ille, ait S. Augustinus, ipse effigies erat Dei hominum salvatoris.

Sanctus Clemens Alexandrinus, jam ad Josue, utpote Jesu Christi figuram, hanc prophetiam de promisso à Deo Prophetâ retulerat : sed ut nimis imperfecta illa applicatio à sanctis doctoribus repulsa fuit. Quùm hunc Prophetam prænuntiaret Moyses, jam missionem suam adimplendam acceperat Josue. Dixerat Deus Moysi : *Tolle Josue, virum in quo est spiritus; pone manum tuam super eum, qui stabit coram omni multitudine, et dabis partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel.* Hæc omnia jam perfecta erant, quùm populo quem relinquebat, Moyses dixit : *Suscitabit vobis Deus Prophetam sicut me.* Nullo ergo modo prophetia spectat ad Josue. Aliunde Dominus addiderat: *Qui stabit coram Eleazaro sacerdote, qui stans coram Domino consulet eum per Urim; ad verbum ejus ingredietur et egredietur ipse, et omnes filii Israel cum eo, et cætera multitudo.* A Josue igitur, ut et ab omnibus aliis consulendus erat Eleazarus pontifex, qui consulet Dominum pro Josue, ut pro cæteris : certè, quantâcumque gloriâ inclâruerit Josue, non hic est *Propheta similis Moysi,* qui cum Deo immediatum habet colloquium. Sicque Josue, vel alius à Deo afflatus, in fine Deuteronomii, his verbis utitur : *Josue verò, filius Nun, repletus est spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas, et obedierunt ei filii Israel..... Et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis quæ misit, per illum, ut faceret in terrâ Ægypti Pharaoni et omnibus servis ejus, et cunctam manum robustam magnaque mirabilia quæ fecit Moyses coram universo Israel.* Fixum ergo manet, quòd Josue, etsi plenus Spiritu Dei, non propheta fuit similis Moysi; non ille ergo erat quem nuntiaverat Moyses. Gens universa in eamdem sententiam concurrebat, siquidem perstetit in exspectatione Prophetæ à Moyse promissi. Nullus alius ante Jesum Christum comparandus Moysi existerat; Jesus Christus solus erat ille prædictus à Moyse Propheta. Salvator mundi ipse id satis asserit; hoc clarè docent Apostoli discipulique ejus; eo sensu sancti doctores semper interpretantur hanc prophetiam. Doctissimus P. Houbigant contendit probatque omnes, qui ab eâ interpretatione deflectunt, violenter torquere verbum, et sancto Petro contradicere. Hæc tandem interpretatio publicè defensa fuit in thesi theologico-hebraicâ *de Prophetiâ,* mense julio anni 1766; sicque usque ad nostros dies ita intellecta fuit celebris Moysis prophetia.

Primos adversarios offendit hæc interpretâ-

tio Judæos incredulos. Cùm eorum interesset non recognoscere in Jesu Christo adimpletam fuisse hanc prophetiam, conati sunt eam in alium divertere, seu eam applicantes Josue, seu referentes ad alium quemquam veterem prophetam, vel etiam ad omnes qui à Moyse surrexerunt. Non mirari non possum apud Christianos quosdam valuisse has sententias rabbinicas; sed et stupeo in ætate perspicacissimâ quâ vivimus aliquem talibus erroribus patrocinari. Portentosum est aliquem ad id processisse ut diceret *hanc prophetiam non propriè ad Jesum Christum spectare; si ad illum spectaret, Deum Judæis illusisse; illos qui, submotâ naturali interpretatione, ad Jesum Christum solum hanc prophetiam referrent, christianam fidem unâ ex ejus maximis probationibus orbare, ut huic probationi alia infinitè minoris ponderis substituatur.* Quæ audacter asserta, ab his tantùm habita sanctiùs qui summa rerum delibant, modò sunt submittenda controversiæ.

Primò quidem nobis vituperatio infligitur, quasi permittentibus Judæo facillimum modum hebetandi teli quo illum impetituri essemus : *Quid enim utilitatis,* inquiet, *in Christi gratiam percipere potestis ex prophetiâ cujus littera non ad illum propriè se refert, confitentibus multis Christianis?* Sed qui sunt illi adeò numerosi Christiani, qui ad Jesum Christum non pertinere directissimè hanc prophetiam contenderint? Adnotavimus enim recentissimè longè plures, ducibus sanctis doctoribus, divoque etiam Petro, confessos fuisse eam ad Jesum directissimè esse referendam.

Citantur in primis sanctus Clemens Alexandrinus, Vatablus, Emmanuel Sà, qui propriam faciunt Josue hanc prophetiam. Demonstravimus modò quantùm ista probatio peccet debilitate suâ, ne dicam insaniâ. Præterea à sancto Clemente Alexandrino ad Vatabli tempora, multi effluxerunt anni, et sine dubio hæc interpretatio minimam in Ecclesiâ fidem acquisiverat, siquidem oblivioni dedita à secundo ad sextum decimum seculum obdormiverit; nec verisimile est Vatabli auctoritatem, etiam suffragante Emmanuele Sà, huic opinioni vitam posse restituere. Illi ipsi qui hoc argumentum objiciunt, inanissimum esse sentiunt, quùm illud tantùm commemorant, ut inde proficiscantur nobis aliam auctoritatem firmiùs innixam, ut credunt, objecturi.

Citantur et nobis plurimi alii non nominati, sed qui, ut Menochius et Cornelius à Lapide, *applicari simunt, seu omnibus prophetis qui Moysi successerunt, seu tantummodò Messiæ.* Ex hâc alternativâ sufficiens decurrit probatio, illos ipsos qui hanc proponebant, prioris sententiæ et interpretationis imbecillitatem, alterius necessitatem judicavisse; jamque satis dubium est auctoritate solâ Menochii et Cornelii à Lapide compensari sententiam sanctorum doctorum divi Petri vestigiis insistentium.

Denique dicitur : « Quàm multi interpretes, « post Tostatum, Oleastrum, Tirinum, Gro- « tium, etc., contendunt hoc oraculum desi- « gnavisse omnes prophetas quos Deus Judæis « immisit, voluntatem illis annuntiaturos ! » Attendite *post Tostatum, Oleastrum, Tirinum, Grotium* venisse; his ergo hodiè aurem aperiremus oraculis! Tostatus, Oleaster, Tirinus sanctisne doctoribus perspicaciores? Grotiusne fide dignior est quàm divus Petrus?

Attamen dicitur : *Hæc generalis acceptio nonne ex litterâ ipsâ evidenter consequitur?* Si evidentissimè consequeretur, quâ ratione diutissimè omnes fefellisset? Quomodò eam nemo cognovisset, non modò apud Judæos ante Christum, sed etiam apud Christianos ipsos in Ecclesiæ eruditissimis temporibus? Ut animadvertit sanctus Augustinus, multi prophetæ surrexerunt à Moyse, sed Moyses *unum quemdam vult intelligi.* Illud viri acrioris judicii semper intellexerunt, ante Christum et post Christum. Nihilominùs audiamus quid ementiri volunt, ut probent istum sensum generalem ex litterâ evidenter defluere.

1° Cùm Deus annuntiat Judæis venturum Prophetam similem Moysi, præcavet ne augures et divinatores consulant, ad exemplar gentium quarum possessuri erant terram, ut à sancto Hieronymo luculenter assertum est; atqui, an *efficaci modo usus esset ad implendum tale consilium, si Judæos remisisset ad tempus solius Messiæ multis post seculis tantùm surrecturi?* Hic confunduntur duo facta in textu optimè discreta : Deus et præcipit ne consulantur augures et divinatores, et promittit Prophetam similem Moysi; sed hæc promissio adeò non ex prohibitione vim habet, ut contra, nullo verbo, nullâ particulâ duæ res conjungantur : subitò apparet promissio : *Prophetam de gente tuâ et de fratribus tuis, sicut me.* Præcipit Deus ne consulantur augures et divinatores, et gratuitâ bonitate pollicetur se suscitaturum, in tempore incerto, Prophetam unum similem Moysi, quem audire debebunt. Sanctus Hieronymus nihil aliud ibi suspicabatur : non interpretationem illius prophetiæ tentavit, sed tex-

tum Isaiæ explicans, quo prohibetur audiri pythones et divinos, et præcipitur consuli Deum ad legem et testimonium, scilicet suæ voluntatis, sanctus Hieronymus litteram Deuteronomii commemorat quâ vetat Deus ne audiantur augures et divini, jubetque ut audiatur mittendus à se Propheta. Quid inde contra nos? Dicentne concludendum esse quòd, ut in omni tempore vetitum est audire augures et divinatores, ita oporteat in omni tempore mittendos à Deo prophetas consulere, quasi Deus in omni tempore suscitandos in medio populi sui promisisset prophetas? Minimè gentium; non ista excogitavit, sed ex hoc jussu Dei concludit in omni tempore, si dubitationis illustrandæ cura est, recurrendum esse ad *legem et testimonium* sacrarum Scripturarum : *Unde* (adnotate verba; hæc est consequentia ab Hieronymo deducta), *unde, si vultis nôsse quæ dubia sunt, magis vos legi et testimoniis tradite Scripturarum.* Non ergo hic agitur de antidoto quod dat Deus ut consequens prohibitionis, sed de promissione quæ à defensione nullo modo pendet.

2° Populus ad montem Horeb postulaverat dari prophetam, quia expavescebat pro terribili apparatu quem præ se ferebat Deus eum alloquens : *Non audiamus ampliùs vocem Domini*, inquiebant, *nec videamus ignem terrificum, ne moriamur.* Quæ petitio, inquiunt, generaliter facta, nec ad tempus solùm Messiæ applicanda, quod tunc maximè distabat; quæ petitio tamen Deo acceptabilis visa est, et pro quâ Prophetam expectatissimum emittit; atqui, hæc promissio magnificentissima quid esset aliud quàm irrisio in Judæos, si nonnisi tempore Messiæ adimplenda fuisset? Non certè Judæis illusit Deus; sed et hic etiam confusa sunt duo distinctissima in textu. Quùm Judæi ne cum ipsis Deus colloqueretur postulaverunt, primùm Moysi dixerunt : *Loquere tu nobis*, Deus exaudivit eos; non jam cum eis collocutus est, Moysique sua præcepta populo transmittenda commisit. Non de hoc agitur nunc : occasione autem sumptâ ex hâc petitione, Deus promissum Judæis longè superius eorum petitioni largitur; Moysen ab illis expostulatum, ut voluntatis divinæ interpretem equidem iis concessit, sed gratuitâ benevolentiâ illis in ulteriore tempore Prophetam tanquàm Moysen promittit, futurum, ut et fuit Moyses, divinæ voluntatis interpretem.

3° Manifestè, inquiunt, in versiculis 20 et sequentibus, Deus certis quibusdam insignibus verum Prophetam ab omni pseudoprophetâ distinguere docet à se immittendum : *Videte*, inquit, *an quod in nomine Domini vobis prædixerit, eveniat.* Certissima, immutabilis in omni tempore et in omnibus prophetis regula! Sic, *qui propriam faciunt unius Messiæ hanc prophetiam*, aiunt, *aliquid malè consentaneum textûs litteræ interpretantur.* Hic adhuc confunduntur quæ in textu distincta sunt. Quam regulam dat Deus, non à se mittendum Prophetam, sed prophetas non à se mittendos spectat. Præcisè rem dijudicat textus : *Propheta autem qui, arrogantiâ depravatus, voluerit loqui in nomine meo quæ ego non præcepi illi ut diceret*, etc., hicne est immittendus à Deo propheta? Confiteamur ergo hîc agi de falsis prophetis tantummodò, nulloque modo attingi prophetam quem Deus se missurum esse promisit. Certissima regula est et immutabilis, æterna, adversùs omnes pseudoprophetas utilis; sed prophetia ad unum eum prophetam spectat, quem Deus in tempore non designato emittere se pollicetur, hicque sine dubio *aliquid malè consentaneum textûs litteræ interpretaretur*, qui seriem prophetarum indicari contenderet in voce quæ unum designat, unum tanquàm Moysen, unum, ut fuit Moyses, cæteris præcellentem, *Prophetam..... sicut me.*

Frustra nunc contenderetur hanc generalem quam modò refutavimus interpretationem, nihilominùs adversùs Judæos *strictiori et potentiori argumento militare, quàm cùm hæc promissio ad solum Messiam convergit.* De hoc unum solummodò argumentabimur. Impossibile est ex falso sensu deductam probationem magis valere quàm ex vero sensu exertam. *Si Judæi*, inquiunt, *omnem prophetam à Deo missum audire debuerunt, Jesum Christum ut et cæteros debuerant.* Nec sufficiunt ista : hunc tanquàm majorem cæteris audire debuerunt; si cum cæteris intermiscuerint, ipsum minimè cognovissent. Promissus Propheta assimilari Moysi debuit (*Prophetam..... sicut me*). Nulli similis erat Moyses, aliis præminebat; ergo et promissus Propheta cæteros antecellere debuit. Talis expectabatur; talis exsurrexit; talem in principio acceperunt; talem accipere debuerant : *Hic est verè Propheta qui venturus est in mundum. Promisso Prophetæ*, inquiunt, *nullum signum peculiare inest quo ab aliis distinguatur; si ad unum spectat promissio, discernere illum pro impossibili est.* Peculiare inest signum promisso Prophetæ, cujus nullus alius est capax : Moysi similis esse debet : *Prophetam..... sicut me*,

Ut Moyses, inter cæteros eminere debet, quicumque propheta hoc signo caret, non promissus est Propheta. Hoc omnis natio intellexit, siquidem, post tot immissos à Deo in medium ejus prophetas, *venturum in mundum adhuc Prophetam expectabat.* Si talis non fuisset Jesus Christus, promissus Propheta non fuisset; sed se talem annuntiavit, talem signis probavit; talem ergo Judæi agnoscere debuerunt; *hic ergo verè est Propheta qui venturus est in mundum.*

(*Bibl. de Vence.*)

DE MOYSIS OBITU ET SEPULTURA

Dissertatio.

Insitâ in res miras animi propensione rapimur omnes; simplicibus eventibus, et factis communibus parùm tangimur : miranda poscimus, esto fabulosa sint et ad libitum excogitata. Hinc amor, quo poesim et inventa prosequimur; hinc voluptas, quam ex iisdem percipimus. Qui primùm ex Græcis scripserint, poetas scimus (Strabo l. 1, p. 17); cùm verò aggressi sunt historias intexere, quâdam poeseos specie easdem instruebant. Herodotus novem suarum Historiarum libros novem Musas appellavit, neque jucundiùs scribit, quàm cùm mirabiliter gestas et fabulas populorum, de quibus agit, traditiones recenset.

Si verò mirabilibus rapimur, præ cæteris sanè veritatis amore ita capimur, ut iis omninò nunquàm acquiescamus, quæ à veritate discedunt. Mirabilia eadem, et poetica inventa, quibus maximè oblectamur, minimè arrident, nisi veri speciem præ se ferant. Nemo falli vult, neque rudibus et incongruis inventis pasci, et fabulosa omnibus jucunda accidunt, usquedùm veri coloribus exhibentur. Sacri utriusque Testamenti libri utraque, quibus adeò oblectamur, verum nempe et mirabile mutuò ita connectunt, ut veluti quidam mirabilium textus videantur, quibus omnia et amorem, et reverentiam vindicant, cùm in eis undique veritas elucescat.

Judæi pessimâ gustûs pravitate, et nimio mirabilium amore ducti, Bibliorum miraculis amplificandis eò usque studuerunt, ut nil ibi supernaturale occurrat, quod suis novis inventis non adauxerint. Hinc factum est, ut sine gustu, sine discretione, sine ingenio, quodque deterius est, sine reverentiâ, quæ veritati, et historiis divinis et Scripturis omninò est adhibenda, prodigiis prodigia sæpissimè cumulaverint.

Vita et obitus Moysis præ cæteris Bibliorum historiis vitiatæ sunt ab inanibus inventis, quibus auctores hebræi perpetuò abuti consuevêre. Josephus (Antiq. l. 2, cap. 5) historicus præcipua de Moysis vitâ recenset, quæ utique nonnisi à veterum traditionibus acceperat, vel à libris apocryphis, non aliis ab iis, quos Gaulminus anno 1629 Parisiis edidit, atque ita inscripsit : *Vita Moysis*, et *Assumptio*, seu mors *Moysis*.

Quos libros nos ita parvipendimus, ut, quantùm ad nos, æternæ oblivioni traditi penitùs intercidissent. Cùm verò S. Judas de morte et sepulturâ Moysis quid peculiare produxerit, quod ab aliquâ apocryphâ hujus legislatoris vitâ exhaustum fuisse creditum est, nos, ne quod S. Judas refert, cum hujus insulsi operis reliquis confundantur; ne etiam eidem operis immerita proinde fides adhibeatur; ne denique S. Judæ narrationi obsequium et auctoritas adimantur, librum vitæ Moysis producere, et id, quod inde S. Judas exhausit, nosque sacrum, et authenticum habemus, animadvertere statuimus, ut idem à cæteris secernatur, quæ nullâ, rabbinicâ exceptâ, auctoritate nituntur.

S. Judas, ut à blasphemiis, et à contumeliis omninò abstinendum ostenderet : *Cùm*, inquit vers. 9, *Michael archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit : Imperet tibi Dominus.* In canonicis libris hæc verba nusquàm reperiri, inter omnes convenit, quamvis eadem illis Zachariæ alludant (Zach. 3, 2) : *Increpet Dominus in te, Satan.* Cùm verò à S. Judâ eadem allegentur, auctoritatem canonicam sibi vindicant, et certissim praeferunt veritatem.

Unde S. Judas ea verba exhauserit, discrimen. Quidam ipsâ Dei revelatione percepisse volunt, quidam à Patribus suis didicisse statuunt; etenim ab Judæis plura scriptis minimè tradita, per seniorum traditionem nota erant. Doctissimi autem viri (Est. Grot. Vide Athanas. in Synops. Clem. Alex. lib. 6 Strom. et in Ep. Jud. Didym. in Ep. Jud. Evod. Ep. 259, inter Augustinian. Orig. lib. 3 Periarchon.) verosimiliùs autumant, S. Judam ea deduxisse verba è libro *de Assumptione Moysis,* libro quidem apocrypho, qui tamen vera plurimis immixta fabulis referebat. Sacri auctores, utpote cœlesti lumine perfusi, vera à falsis secernere optimè nôrant; quare quidquid certum ab iisdem recensetur, certiorem ab eorum, quàm ab hominum cæterorum testimonio, sibi vindicat auctoritatem. Hinc est, ut idem S. Judas de libro Henoch, quem prorsùs ignoramus, aliquid alleget vers. 14; et S. Paulus de Janne et Mambre Pharaonis magis, qui Moysi obstiterunt, meminerit (2 Timoth. 3, 8). Quæ quidem nos in veteri Testamento nusquàm legimus; Apostoli verò nonnisi vel per traditionem, vel per Judæorum libros apocryphos agnovêre.

Quòd Judæi honorem nimiò majorem Moysi haberent, plura quàm maximè incerta de ejus morte audacter pronuntiârunt. Fuêre, qui eum minimè mortem obiisse, sed viventem adhuc in cœlos assumptum putaverint; quam quidem opinionem et plures inter Christianos auctores defendunt (Vid. Ambros. lib. 1 de Caïn et Abel, cap. 2, n. 8; Isidor. Hispal. de Vitâ et Morte SS. Rupert. in Deuter. l. 2 Catharin.). Fuêre qui inter amplexus et Dei oscula occubuisse crediderint. Alii, quemadmodùm cæteros, è vivis migrâsse autumant; alii incertam rem proferunt. « Moyses, inquit Josephus, Antiq. lib. 4, cap. ult., unà cum « Eleazaro et Jesu in monte Abari constitutus, « cùm post mutuos complexus eis ultimum « vale diceret, inter loquendum repentinâ luce « circumdatus, in vallem quamdam est ablatus. In sacris autem voluminibus scripsit se « mortuum, veritus ne propter excellentem « ejus virtutem à Deo raptum prædicarent. » Is itaque auctor Moysem mortuum et in valle sepultum clarè asserit; neminem verò ejus morti et sepulturæ interfuisse testatur.

Philo quoque, de Vitâ Moysis, eum morte sublatum, et sepulturæ traditum ducit: « Jam, « inquit, assumendus, tunc divinitùs afflatus, vivens adhuc prophetavit de seipso tan« quàm mortuo, ante obitum narrans se mor« tuum, sepultumque inspectante nemine, vi« delicet manibus non mortalium, sed virtu« tum immortalium. »

Hebraici codices *Pethirath Mose* (vid. Gaulmin. de Vit. Moys. p. 2, Paris. 1629) seu Moysis Assumptio inscripti, prolixum Dei cum Moyse, antequàm moreretur, colloquium ineptè referunt, et Moysem ostendunt pro viribus conatum, ut superstitem adhuc vitam à Deo obtineret, usquedùm regionem Chanaan, Israelitis diù ante promissam, intueretur; eumque pueriliter adeò loquentem inducunt, ut sermones illos inanes nos pudeat describere. Aiebat, e. g.: Quoniam, Domine, à me Jordanem minimè trajiciendum, et populum tuum in hanc regionem non inferendum jurejurando te obstrinxisti, saltem veluti Josue famuli mei famulum, vel in piscem, aut in avem conversum eò me ferri indulgeas. Quibus Domino non annuente, quindecim vel duodeviginti leucis supra nubes efferri, et in eam regionem illinc aditum sibi fieri; vel se in frusta concisum ultra Jordanem projici, et statim ad vitam revocari poposcit. Denique horum nihil sibi Domino indulgente, eamdem saltem regionem oculis suis petiit exhiberi; cui tandem Dominus acquiescens, octoginta telluris milliaria per suam virtutem ita contraxit, ut omnem regionem instar pictæ tabulæ ejus oculis videndam obtulerit; quâ re Moyses remotiora, sublimiora, et profundiora omnia unico obtutu permirâ facilitate lustravit.

Samael interea, dæmonum princeps, postremum Moysis momentum, ut ei præfocato vitam adimeret, admodùm expetebat; quem eâ de re nimis festivum sanctus Michael populi Israelis patronus, in lacrymas effusus ita increpavit: « Infelix, dùm fleo, rides? » Juxta alios vero: « Non utique exilies, pessima bellua: « animo quidem de Moysis morte concidi, at « per Josue à Deo loco Moysis populi princi« pem constitutum, qui et unum supra trigin« ta Chananæos reges interficiet, animo pri« stino sum restitutus. In primi et secundi « templi eversione ipse tenebris obvolvar; sed « ubi Messias advenerit, suo me Deus lumine « perfundet. » Postrema hæc verba, quæ in utroque per Gaulminum edito libro habentur, post Christi adventum, et templum secundum à Romanis eversum, hoc opus contextum fuisse ostendunt.

Aliquandiù post Moyses, cùm supremam auctoritatem, et populi regimen in Josue contu-

lisset, Dominum allocutus, illùc usque ab eo se vitam flagitâsse, tum verò se prorsùs ejus voluntati committere protestatus est. Tum S. Gabriel et S. Michael, licet à Domino jussi, Moysi necem inferre detrectârunt, ne sexcenta hominum millia in se concitarent; S. Zinghiel etiam se Moysis præceptorem ostentans, domino, qui sibi Moysis necem commiserat, discipulum suum interimere se non posse respondit.

Dominus postremò Samaeli dæmonum principi, ut Moysem interficeret, imperavit; qui statim stricto gladio lætus in eum irrupit. Cùm verò Moyses instar angeli lucem emitteret, et ab oculis et vultu flammas effunderet, ejusque verba veluti solis radii nitescerent, Samael territus à cæde abstinuit, et angeli omnes eam rem viribus suis omninò majorem asseruerunt. Verùm Deus in Samaelem iratus, minis increpatum ad Moysem interimendum iterùm misit; cui rursùs stricto gladio in se irruenti, Moyses ipse virgâ assumptâ, quâ Dei nomine inscripta tot miracula perpetraverat, dæmoni occurrit, eumque in fugam adactum urgens, denique assecutus, gloriæ suæ lumine obcæcavit.

Moyses tandem cùm ad vitæ exitum jam pervenisset, humi prostratus, Deum ne angelo mortis se interimendum committeret, exoravit: cui Deus indulgens, se statim adventurum, eumque sepulcro traditurum respondit. Nec mora, angelis Michaele, Gabriele, et Zinghiele secum assumptis, ad Moysem descendit. Gabriel sepulturæ instruendæ incubuit, Michael purpuram Moysi morienti supponendam instravit, Zinghiel Moysis vestes partim ad pedes, partim ad caput, hinc Michaele, Gabriele inde constitutis, composuit. Secundus *Pethirath*, seu Moysis Assumptio, pulvimar Moysi egredienti supponendum à Zinghiele compositum refert, et Gabrielem ad dexteram, ad sinistram Michaelem, Zinghielem denique ad pedes collocat.

Moyse igitur decumbente, et Domini jussu clausis oculis, et utrâque manu supra pectus compositis, Deus ejus animam alloquens filiam vocavit; eique ut postquàm centum et viginti annis corpus illud animaverat, inde statim egrederetur, præcepit; illi verò roganti, ut, quoniam Moyse puriorem invenire non posse putaret (1), diuturniorem in eo moram sibi indulgeret, iterùm mandavit, ne egredi cunctaretur, quòd in suæ gloriæ throno propè angelos, Seraphin, et Cherubin esset illicò constituenda; quæ nihilominùs respondit: Optimè hìc ego maneo; angeli, Aza, et Aziel, ubi in terras devenêre, innocentiam suam infecerunt (1); Moyses verò, postquàm ei te in rubo exhibuisti, ne suam quidem uxorem tetigit: quare ne hinc egredi cogar, iterùm flagito. Deus verò Moysem amplexus, per osculum ejus animam libavit, juxta illud (Deuteron. 34. 5): *Mortuus est Moyses servus Domini in osculo Domini.*

(1) Locus iste metempsychosis sententiam insinuat.

Tum Dominus Moysis funus lugens: Quis, inquit, ei succedet? Flebant angeli: Ubi invenietur sapientia? Justus, clamabant cœli, de terrâ discessit; tellus verò ab hominibus æquitatem evasisse querebatur. Cœlum, sol, luna, planetæ et S. Spiritus nunquàm in Israel Prophetam Moysi similem adventurum ingemuêre. Frustra è vivis ereptum Josue quæsivit. Metraton angelus Deo dixit: Tuus fuit Moyses, cùm viveret; tuus post mortem erit.

Hæc summa eorum, quæ afferuntur in duobus libris per Gaulminum vulgatis, quorum uterque Moysis mortem, quamvis diversimodè recenset; S. Michaelis verò cum dæmone de Moysis corpore altercationis neuter meminit. Quamobrem librum *de Moysis Assumptione*, quem Patrum græcorum veteres agnovêre, à duobus *Pethirath* alium esse, et eumdem nunc omninò deperditum judicamus.

Ejus altercationis aliquid tangit Origenes, lib. 3, ex Anabasi Mosis, ubi ait S. Michaelem dæmoni exprobrâsse, quod Adam et Eva per ipsum cecidissent, pravâ nempe suasione, quâ eos per serpentem decepit. Factum, quod eodem in opere refertur, S. Clemens Alexandrinus memorans (Clem. Alex. Strom. lib. 6), Josue, inquit, et Caleb in montem, ubi Moysi è vivis emigrandum erat, profecti Moysem viderunt. Josue verò præ Caleb duos Moyses aspexit, alterum in monte, alterum medium inter angelos; quorum alteri in vallem translato justa persoluta, et luctus institutus. Caleb, quòd è monte ante Josue descendisset, hæc non conspexit; verùm Josue, quòd purior, et majori donatus lumine esset, omnia intuitus, singula Israelitis narravit.

Evodius etiam ad S. Augustinum scribens, Ep. 259, inter Augustinianas, hunc ejusdem operis locum producit, Moysemque, ubi in montem moriturus ascenderat, in duo corpora discretum refert: « Ut aliud esset, quod terræ « mandaretur, aliud, quod Angelo comitanti « sociaretur. » Quod quidem cum quorumdam

(1) Falsò Henoch libro hìc alluditur, ubi Angeli filias hominum ingressi dicuntur.

veterum ideâ cohæret, qui præter rude et terrestre corpus, quo instruimur, et quibusdam peractis annis per mortem solvitur, animam nostram alteri subtiliori, et aereo, à quo vel post obitum non secernitur, adhærere arbitrantur.

Loca denique ex eodem *de Moysis Assumptione* volumine hausta hæc producuntur (ex Actis synodi I Nicæn. lib. 2, cap. 2 et 10). Sanctus Michael cum dæmone disceptans : *Nos*, inquit, *à Spiritu Dei creati sumus*, atque : *Spiritus à facie Dei egressus est, et nos omnes creati sumus.* Alibi etiam (ibid. lib. 2, cap. 18) Moyses morti proximus ita Josue compellâsse fertur : *Deus antequàm orbem conderet, me sui fœderis mediatorem futurum prævidit.* In *Pethirath* codicibus per Hebræos contextis, qui et nunc obtinent, de his ne verbum quidem. Liber igitur de Moysis Assumptione alius omninò est ab his codicibus; quem si verè sanctus Judas hîc allegavit, ut Origenes, Didymus, et Patrum et interpretum plerique senserunt, necesse utique, ut ante Christi adventum conscriptus fuerit; ubi è contra ii, quos nunc Hebræi hebraicè exaratos servant, post secundi templi eversionem, ut ante tetigimus, conscripti fuêre.

Verùm sanctus Michael et dæmon quâ de re disceptârunt? Sanctus Judas de Moysis corpore eos decertâsse asserit; sed quare decertaverint, non dicit. OEcumenius sanè à veterum traditione doctus, illud in causâ fuisse prodit, quòd cùm sanctus Michael illustriori sepulcro Moysi instituendo incumberet, ei dæmon validè obstitit, quòd corpus Moysis, utpote qui Ægyptium, de quo Exod. 2 (Exod. 2, 11, 12), interfecerat, ad se spectare, et sepulcri honore prorsùs indignum esse dictaret (OEcumen. in Jud. Ep. Ita et Clycas part. 2 Annal. Pantaleon Chartophylax, etc.). Quamobrem sanctus Michael ut dæmonem retunderet, Domini imperium indixit : *Imperet tibi Dominus.* S. Epiphanius hæres. 9 et 84 contr. Origen. etiam, et Philo (de Vitâ Mosis ad finem) Moysem angelorum operâ sepulturæ mandatum tradunt, ne, ut veteres Patres (Chrysostom. hom. 5 in Matth., Theodoret. qu. 45 in Deuter., Procop. in Deuter. Adde Joseph. Antiq. l. 4, c. ult.) censent, Hebræi ad idololatriam proclives, legislatoris virtute capti, si ejus sepulcrum nôssent, divinos eidem cultus fortè exhiberent.

Quod quidem Hebræis jure meritò cautum fuit : etenim quidam Arabiæ Petreæ populi, Idumæi nempe, et alii, quos Moyses nequaquàm sibi devinxerat, ei nihilominùs, teste Epiphanio (hæres. 55, quæ est Melchisedech), divinos honores impenderunt. Hunc facilè cornibus instructum exprimebant; quo factum esse suspicamur, ut Arabes sub eâ imagine Bacchum coluisse crederentur. Reverà plura Moysis gesta Baccho adscripta constat.

Fuêre, qui putârint dæmonem vel per magos Moysis corpus jam tumulo conditum suscitari, vel Hebræis saltem patefieri contendisse, ut deinde populis Deum esse suaderet (Ambrosiast. in Gal. 3). Alii non de Moysis sepulturâ, sed ne ejus anima in deliciarum et pacis locum inferretur, dæmonem decertâsse docuerunt (Martyrius Syntag. de Statu morientium et Etherianus de Regressu animarum c. 9). Conjecturâ Serarius ducit, dæmonem corporis Moysis virtutem veritum, S. Michaeli obstitisse, ne in Moab regione idolorum cultui addictâ tumularetur; sicuti diù post in Daphnes prope Antiochiam loco, ubi Apollo potissimùm colebatur, S. martyris Babylæ corpus sepulcro traditum fuisse conquestus est.

Patrum et interpretum nonnulli (in Deuteron. cap. 34, 5), Moysem minimè obiisse, sed Henoch instar et Eliæ in cœlum vel in terrestrem Paradisum translatum, sibi persuasisse videntur. S. Clemens Alexandrinus Moysem, postquàm in cœlum sublatus est, Melchi appellatum refert (Clem. Alexand. lib. 1 Strom.). S. Hilarius (in Matth. cap. 20, num. 10), S. Ambrosius (lib. 1, cap. 2, de Caïn et Abel.), S. Hieronymus (in c. 8 Amos.), S. Isidorus Hispalensis, Rupertus abbas, et alii, quemadmodùm cæteros homines Moysem occubuisse non putant; quam quidem opinionem ab aliquo apocrypho, qui periit, libro fortè exhauserant, ut his verbis S. Hilarius insinuat : « Si « quis conditionem et mortis, et sepulturæ, « et sepulcri Moysis diligenter adverterit, et « secretam Scripturam, secundùm Apostoli « auctoritatem, intelligat omnia ita esse tra- « ctata, ut Moyses potuerit jam videri. »

Ex eo Moysem non obiisse quidam defendunt, quòd in transfiguratione Domini et ipse apparuerit; nos verò ab eorum Patrum plerisque illud tantummodò innui voluisse ibidem ostendimus (vid. Comment. in Deuter. 34, 10), quòd Hebræorum legislator non quemadmodùm homines cæteri interierit, sed ejus animam in quietis et deliciarum locum sublatam fuisse. Iis verò, qui Moysem non occubuisse, sed translatum seriò putant, perspicuam objicimus Scripturæ auctoritatem, quâ Moyses

mortuus, et sepulcro traditus apertè denuntiatur.

Quis verò Moysem sepulcro mandaverit, incertum, cùm à Scripturâ non proferatur (Deuter. 34, 5) : *Mortuus est Moyses servus Domini in terrâ Moab, jubente Domino, et sepelivit eum in valle terræ Moab.* Nonnulli ea verba : *Et sepelivit eum*, ad Dominum proximè ante enuntiatum referentes, Moysem ab eodemmet Deo, vel potiùs juxta Hebræorum et Christianorum traditionem ab angelis sepultum statuunt. Ferunt alii, eadem verba : *Et sepelivit eum*, de eodem Moyse, qui semetipsum sepeliverit, explicantes esse ita vertenda : *Et is semetipsum sepelivit;* se nempe Moyses in specu, ubi statim decessit, composuit, ibique omnibus incognitus hucusque delituit. In monte Nebo, et Phasga Moysem occubuisse, et in vallem inde delatum, ab Josue et Eleazaro sepulturæ fuisse traditum, Sacer textus videtur innuere. Quid enim ad miracula tum confugiamus, cùm neque postulet necessitas, neque Scriptura meminerit? Josue et Eleazarus eâ erant prudentiâ, ut optimè periculum nôssent, in quod Israelitæ incurrissent, ne propter Moysem in idololatriam adducerentur, de quo fortè etiam discrimine ipse Moyses utrumque præmonuit; idque sanè malum prorsùs avertere eorum maximè intererat. Moysis itaque morti eos interfuisse, et postrema à S. legislatore verba excepisse, simillimum vero ducimus; qui deinde ejus cadaver à montis cacumine in vallem delatum in abdito specu condiderunt, eumdemque specum cautè occlusum nemini unquàm prodidêre : quare *non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem* (Deuter. 34, 6).

Librorum *Pethirath*, quos jam allegavimus, Hebræi auctores, Deum per semetipsum Moysi sepulturam præstitisse, sepulcrum verò Gabrielem composuisse testantur. Moyses, addunt, decubuit, animam egit, eodemque statu corporis, eodemque, ubi osculum à Deo accepit, loco conditus delituit. SS. verò angeli Michael, Gabriel, et Zinghiel, qui eidem morienti adfuêre, et lectum, et sepulcrum præstiterunt.

Sunt, qui Moysis sepulcrum ab Jeremiâ tum inventum velint, cùm S. Propheta, paulò antequàm Jerusalem à Nabuchodonosore caperetur, tabernaculum, arcam, et altare thymiamatis in monte Nebo occuluit : *Tabernaculum* (2 Mach. 2, 4, 5), *et arcam jussit Propheta comitari secum, usque quò exiit in montem, in quo Moyse ascendit, et vidit Dei hæreditatem. Et veniens ibi Jeremias, invenit locum speluncæ, et tabernaculum, et arcam, et altare incensi intulit illùc, et ostium obstruxit.* Ea tamen verba : *Invenit locum speluncæ*, verti etiam possunt : *Invenit locum cujusdam speluncæ*, et omnia, quæ detulerat, illùc intulit. Antra quidem in montibus sæpissimè occurrunt. Idumea, Palæstina, et regio Moab montuosæ sunt et cavernosæ ad incolarum perfugium, ubi hostes arva invadant. Res autem tunc poscebat, ut ex his specubus aliquis inveniretur commodior, atque occultior, eique ita ostium obstrueretur, ut non per arduum laborem recludi contingeret. Ex his quosdam ita occlusos se vidisse itinerantes testantur, ut quâ viâ illùc aditus pateat, quâve arte effodi possint, vix percipiatur.

Prodigium à Cedreno accipimus (Hist. l. 1) Lucida, inquit, nubes Moysis sepulcrum ita contegit, ut veluti interjecto pariete intuentium oculos ulteriùs progredi non sinat; quamobrem illud hactenùs nemo hominum novit Inventum nihilominùs putant anno 1655. Rem verò Georgius Hornius ita narrat (vid. Horn. Hist. Eccles. Basnag. Histor. Joseph. continuat.) : Cùm pastores quidam Maronitæ octobris mense anni 1655, in montibus Nebo et Abarim capellas pascerentur, earum aliquas identidem duorum vel trium dierum itinere à grege secedere, regressas verò mirificè redolere adverterunt. Rem itaque percepturi, errantes prosecuti, ad altissima prærupta loca devenêre; in quorum imo contracta quidem sed gratissima vallis, ad quam nonnisi per arduas rupes, quas à proximis montibus terræ motus fortè præciderant, aditus patebat. Illùc profecti, antrum, et in medio antro loculum in vivâ rupe excisum, paucisque, quos percipere non potuêre, characteribus inscriptum invenerunt. Antrum undique suavissimè redolebat, regressique pastores odorem illum vestibus suis ita contraxerunt, ut hæ mirificè redolerent.

Ad Mataxat Maronitarum patriarcham, in monte Libani in monasterio *Canobeen Kadischa Mariam* degentem, re delatâ, duo probati sacerdotes, Aben Useph præsertim sapientiâ et scientiâ spectantissimus, missi eò fuêre; qui antrum ingressi, sepulcri inscriptionem ita legerunt : *Moyses Dei famulus.* Eventu hilaris patriarcha ad Damasci præsidem profectus, sibi sepulcri custodiam permitti, rogavit. Græci verò, Armeni, Judæi, et Franciscani, tanti sibi quisque obtinendi corporis spe ducti, et

precibus, et pecuniis etiam plurimis, ut sibi sepulcri cura committeretur, enixè elaborârunt: Judæi præ cæteris, quòd Moyses eorum esset legislator, sibi conati sunt adjudicari. Turcarum princeps, quòd Jesu Christi Jerosolymis, Mahometi Meccæ, et Moysis sepulcro in monte Nebo potiretur, quàm maximè efferebatur.

Jesuitæ, Hornius subdit, omnium spem eversuri, illud à Turcis impetrârunt, ut sepulcro, et viis omnibus eò ferentibus occlusis, ne quis se illùc conferret, capitis pœnâ interdiceretur. Quamobrem Damasci præfectus Morat Sanjaco Jerusalem, et Sareptæ imperavit, ut antrum, et ad illud aditum omnem intercluderet. Jesuitarum verò mens ea fuerat, ut corpus Moysis subreptum in Europam ipsi transveherent. Quibusdam itaque montis Libani Drusis assumptis, ad antrum clam profecti, recluso sepulcro nil invenêre. Cùm nihilominùs ipsius sepulcri quidquam asportare conarentur, Jerusalem Sanjacus re cognitâ, milites misit, qui duriùs increpatos à cœpto opere prohibuerunt; saxisque ingentibus eò devolutis, viam omnibus omninò imperviam reddidêre. Quæ quidem maximam Bizantio turbationem creârunt; verùm inter sapientes quid de eo sepulcro cogitandum, non conveniebat; donec Judæus quidam filius Gad, Sareptæ incola, Jechonias nomine, librum edidit, quo inventum loculum non Moysis Hebræorum legislatoris, sed alterius longè junioris Moysis sepulcrum esse ostendit. Tum de invento Moysis sepulcro spes omnis evanuit.

Hæc Hornius, quæ plurimis sanè difficultatibus evolvuntur. 1° *Jechoniam filium Gad* Sareptæ incolam, qui inventum sepulcrum Moysis non esse scripsit, nunquàm extitisse putamus (Bartoloc. tom. 3, p. 950; Basnag. Continuat. Histor. Judæor. tom. 4, l. 6, c. 17, edit. Paris.). 2° Maronitarum patriarcha anni 1655, non *Mataxat*, sed *Joannes* vocabatur; cui anno 1657 *Georgius Besbchel* successit. 3° Damasci præfectus, qui eam provinciam gerebat, *Beschis* non *Morat* appellabatur, qui deinde summus visirius constitutus, Damasci regimine in filium suum *Maimeâ* collato, quadraginta post novam dignitatem diebus, præfocatus interiit. 4° Arduum nimis et incredibile, quòd pastores Libani usque ad montem Nebo, leucis septuaginta dissitum ad pascua greges suos agerent. Neque illud similius vero, quòd capellæ trium dierum itinere à grege secederent, et ad pastores suos deinde reverterentur. Cæteræ demùm hujus historiæ circumstantiæ fabellam undique præferunt; quare et hanc inter ea numeramus, quæ ab Judæis in Moysis *Pethirath* recensentur.

Illud verò de Moyse certò scimus, quòd non morbo, aut senio confectus sit; in mortis enim articulo *nec oculi ejus caligaverant, nec moti fuerant dentes* (Deuter. 5, 47), sed Domino jubente interierit, et quòd ad calcem montis Nebo, seu Phasga sepulturæ traditus fuerit; quamvis an Eleazar et Josue eumdem tumulaverint, an verò Deo mandante per se ipsum Moyses in loco, ubi decessit, sese composuerit, ignoramus. Scimus præterea, S. Michaelem cum dæmone de Moysis corpore disceptâsse; quo in discrimine S. Michael gravioribus verbis dæmonem minimè excepit, enuntiâsse contentus: *Imperet tibi Dominus.* Hujus verò disceptationis circumstantiæ latent; quæ quidem sensibili modo instituta non fuit. S. Michael, æmonisque naturæ accommodatis, eumdem prohibuit, ne Moysis sepulcrum Judæis proderet, eosque ad idololatriam facilè impelleret.

Locum denique, quem S. Judas producit, ab apocrypho libro, *de Moysis Assumptione* inscripto, longè alio ab utrisque, quos Gaulminus Parisiis 1629 edidit, et *Pethirath Mose* appellavit. S. Apostolus, juxta Patres, exhausit. Ipsum verò librum *de Moysis Assumptione*, à nobis omninò deperditum, ante Christi adventum, eodem fabularum gustu, quo uterque *Pethirath* post templum à Romanis eversum, græcè conscriptum arbitramur.

INSTRUCTIONES ET MYSTERIA

QUÆ IN SINGULIS PENTATEUCHI LIBRIS CONTINENTUR.

I. Genesis. — Per Genesim primò nobis innotescit essentia ipsa Dei, quem docemur esse Ens supremum, auctorem et principium omnium entium, creatorem orbis et omnium ejus motuum rectorem, et eum in quo nos ipsi *vivimus, movemur et sumus.*

In hoc libro attributa divina undique refulgent. Incredibilis facilitas quâ Deus dedit esse huic orbi vastissimo, creaturisque quibus impletur, nos maxima sentire cogit de ejus potentiâ : dicit, et omnia fiunt; jubet, et omnia creantur.

Constans et immutabilis ordo quem constituit, non solùm in volvendis sideribus, sed etiam in servandis propagandisque omnibus variis plantarum, animalium, cæterarumque creaturarum speciebus, sapientiam ejus magnificat.

Eximia dona quibus hominem ditat, hunc ad imaginem similitudinemque suam creando, gratiæ quibus hunc cumulat, ipsi summum in creaturas intelligentiâ carentes dominium attribuendo, felicitas quâ illum beat, in loco deliciarum ubi creatum collocat, cura quâ illi adjungit auxiliatricem ipsi similem, quæ, ex unâ ejus costâ formata, caro sit ejus ex carne, et os ejus ex ossibus, Dei bonitatem demonstrant.

Justitia ejus apparet in pœnitentiâ quam homini peccatori, seminique illius imponit, tum in variis pœnis quibus afficit veterem orbem, aquæ diluvio scilicet, Sodomam et Gomorrham pluviâ igneâ, totque alios peccatores à quibus pœnam culparum per ipsam vitam repetit.

Providentia ejus patet in curâ quâ Deus omnia quæ inter homines aguntur regit, quâ insanas eorum libidines sapientium consiliorum suorum ministras esse cogit, ut videre est in historiis sanctorum patriarcharum, Abrahami, Isaaci, Jacobi, Josephi.

Præscientiam suam manifestam facit securitate quâ prænuntiat Noe diluvium; Abrahamo ipsius posterorum varios status, Sodomæque ruinam; Jacobo, quæ sors maneat tribus ex duodecim ejus filiis nascituras; Josepho, exitum Israel de Ægypto, reditumque in terram Chanaan.

Misericordia ejus supra omnia ipsius opera effulget : specialiter in promisso quo pollicetur homini sese hominis peccatum esse reparaturum, et in modo quo promissum adimplet. Satanas homini persuaserat, si de fructu prohibito comederet, ipsum Deo similem futurum esse, homoque, Dei præceptum frangens, se bestiis assimilaverat. Deus, ad reparandum hominis casum confundendaque Satanæ consilia, Filium suum homini similem fieri vult, ut in ipso et per ipsum verè similis Deo homo efficiatur; et quia Satanas per feminæ ministerium hominem seduxerat, Deoque rebellem fecerat, Deus ex solâ feminâ vult nasci hominem-Deum per quem salvandus est homo, per quem eluenda est injuria quam Deo intulit Adamæ inobedientia. Et misericordiam Dei arguit, tum electio gratuita quâ Abraham, Isaac, Jacob, eorumque posteri ad formandum Dei populum adscribuntur, tribusque Judæ ut ex eâ Messias exoriatur, tum in promisso gratuito etiam benedicendum esse omnibus nationibus in personâ hujus divini liberatoris, ex quo velut ex fonte profluent in omnes gentes cœli benedictiones.

Ille divinus Redemptor promittitur primò Adamo qui modò peccaverat. Reipsà ad Noe, qui solus caput novarum gentium fit, promissio devolvitur; ad Sem transit, unum ex ejus filiis qui dux factus est stirpis electæ; fixa manet super Abraham quem Deus expressè vocat ut ex eo sui populi ducem, omnium credentium patrem et exemplar faciat : hanc iterat; hanc vicissim repetit Isaaco Jacoboque Abrahami filio nepotique; hic eam transmittit filio suo Judæ, ut duci tribûs unde exorturus est hominum Redemptor.

Nec Deus tantummodò hominibus promittit divinum Salvatorem, sed et in Adamo ejusque nepotibus multa facta inveniri vult, quæ, sub velo parabolarum et ænigmatum mysteria hujus Redemptoris et quidquid ad illum spectat, prænuntiant. Sic mors ejus in cruce, ubi ex latere transfixo Ecclesiam, sponsam suam gignit, repræsentatur in illo sopore Adami per quem Eva, uxor hominis, ex costâ mariti nascitur; injusta violentaque nex quam ex invidiosis fratribus accipiet, fingitur in Abel à Caïno fratre suo trucidato; abdita Deoque omninò sacrata vita figuratur in Henoch, ante Deum gradiente; qualitas ejus Salvatoris mundi, in salute quam Noe orbi affert; regale ejus sacerdotium, in Melchisedech; ejus sacrificium, in Isaac; labores ejus, in Jacob; dolores ejus et resurrectio, in Josepho humiliato, dein exaltato; ejus inter gentiles regnum in Josepho Ægyptiis imperante; futura Judæorum revocatio, in Jacobi liberis cum Josepho fratre suo reconciliatis.

Ecclesia, hujus divini Salvatoris sponsa, repræsentatur tum per Evam, uxorem primi hominis, viventiumque matrem, tum per arcam ubi Noe cum familiâ suâ diluvium universale effugit, quo cæteri omnes extinguuntur; tum per Saram, uxorem Abrahami; per Rebeccam, uxorem Isaaci; per Rachel, uxorem Jacobi; per Aseneth, uxorem Josephi.

Discretio quâ Deus reprobatos ab electis sejungit, et specialiter Judæum incredulum à

populo fideli, tum ex Judæis, tum ex gentilibus, significatur à Caïno fratribusque ejus, Abele et Seth, filiis Adami, à Chanaan, fratribusque ejus Sem et Japhet, filiis Noe, ab Ismaele et Isaaco, filiis Abrahami, ab Esaü et Jacobo, filiis Isaac, à Josepho ejusque fratribus, filiis Jacobi, à Phares et Zarâ, filiis Judæ, à Manasse et Ephraïm, filiis Josephi.

Creatio mundi visibilis imago est creationis mundi spiritualis quem Deus per Jesum Christum creavit. Multoties in psalmis David id nos monet, quùm miracula redemptionis sub imagine miraculorum creationis depingit. Hujus symboli veritas à prophetis confirmatur, quùm formationem Ecclesiæ annuntiantes, dicunt Deum cœlos novos et novam terram creaturum. Sanctus Paulus ipse nobis prima rudimenta hujus allegoriæ devolvit, dicens : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino,* vel quùm evangelicam missionem his verbis expandit : *Qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu.* Distincta lux à tenebris, terra à maribus, significat quomodò sejungit Ecclesiam suam, luminibus fidei illustrem, discretamque de gentibus non sanctis, ab istis populis quos obscurat infidelitas, quibus sua dominatur libido. Arbores et plantæ, terræ ornamenta, sol, luna et stellæ, cœli ornamenta, simulacra sunt ipsius Jesu Christi, Ecclesiæ ejus, turbæque electorum, qui sunt ornamenta orbis spiritualis. Pisces et aves, domestica, fera, vel repentia animalia repræsentant homines in mundo viventes, hærentes terrenis, vel à mundo segregatos et ad cœlum continuò ardentibus animis tendentes. Denique, primus homo, Adam, à divo Paulo vocatur forma futuri, id est, venturi Jesu Christi ipsius, quem Apostolus vocat secundum hominem, novissimum Adamum. Sicque sanctus Paulus expandit concluditque illam operis sex dierum allegoriam, nec aliud curæ relinquit quàm explorationem relationum per quas inter se junguntur extremitates.

In verbis ab Adamo, Evâ uxore conspectâ, prolatis : *Homo adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ,* indissolubile matrimonium esse Jesus Christus nobis aperit, divusque Paulus nobis detegit magnum et ineffabile mysterium nuptiarum inter Christum ejusque sponsam Ecclesiam. Idem nobis exhibet Apostolus septimo die Deum quiescentem, quasi imaginem quietis quâ per æternitatem electos suos beabit; quasi desponsatas Jesu Christo' futurasque ejus uxores, vult ut animas nostras habeamus, timeamusque ne Serpens qui *Evam* seduxit et nos ipsos seducat. Cruorem Abelis cum Christi cruore comparat Joannes, nosque monet ne Caïni maleficia æmulemur.

Jesus Christus, in Evangelio, ipse confert quod in *diebus Noe et Lothi* accidit, cum his quæ futura sunt in die quâ Filius hominis apparebit super nubes, orbem judicaturus. Ita diluvium universale, Sodomæque excidium infandum repræsentant anathema quo Deus in fine seculorum totam reprobatorum turbam execrabitur. Sanctus Petrus etiam in aquis diluvii imaginem nobis exerit aquarum baptismalium, quæ nos puros et salvos faciunt, ut aquæ diluvienses terram puriorem, salvumque cum familiâ suâ Noe fecerunt. Sancti Petrus et Juda concordi similitudine ostendunt nobis ignem quo Sodoma Gomorrhaque consumptæ sunt, ut simulacrum flammarum æternarum quibus vorabuntur impii.

Jamque David observaverat promissum Messiam simul futurum esse totius terræ regem, sacerdotem *in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Hanc allegoriam evolvit sanctus Paulus nobisque innumeras relationes inter Jesum Christum et Melchisedech patefacit; adeò ut, eo judice nos doceat ipsum Scripturæ sacræ silentium, quùm Melchisedech neque patrem, neque matrem, neque stirpem, neque principium, neque finem attribuens, eum ideò magis Filio Dei, sacerdoti æterno, assimilat. Nobis Abrahamum ostentat non solùm ut credentium patrem, tum Judæorum, tum gentilium, sed etiam ut nostræ fidei exemplar. Sanctus Paulus uxores christianas jubet Saram sicut matrem venerari, imitarique erga maritos suos ab illâ prolatum Abrahamo obsequium. Sanctus Paulus asserit, omnia quæ de duobus Abrahami uxoribus, Agar et Sarâ, de ipsarum filiis Ismael et Isaaco dicta sunt, allegoriam esse, quâ finguntur et duo populi, et duorum populorum duplex fœdus. In Isaaco, sacrificio suo superstite, nobis parabolam indicat resurrectionem Jesu Christi prædicantem.

Sancti Patres viam ingressi sunt à Jesu Christo Apostolisque jam tritam. In antiquis factis detexêre nobis fontem ædificandorum morum, instruendæque fidei. Sanctus Augustinus ut certum principium profert, quòd « horum sanctorum qui præcesserunt tempore nativitatem Domini, non solùm sermo, sed etiam « vita, et conjugia, et filii, et facta, prophetia

« fuit hujus temporis quo per fidem passionis « Christi ex gentibus congregatur Ecclesia. »

Eamdem ac sancti Patres viam tenuêre doctissimi peritissimique interpretes, utque illi, arcana mysteriaque investigaverunt, quæ velo eventuum libro Genesis mandatorum operiuntur. Prætermittimus jam dicta de arcâ Noe, historiâ Abrahami, Jacobi, Josephi, tum in introductione, tum in Pentateuchi commentario. Ibi varia reperire est explicandis mysteriis non inutilia.

Exodus. — Si hominibus innotuit essentia Dei per grande opus creationis, quo se esse ens supremum solum entium omnium principium probat, longè adhuc mirabiliori modo inclaruit in exitu Israel de Ægypto et ejus in terram Chanaan introductione, siquidem, adimplendo promissa Israelitarum patribus, se manifestat ut ens immutabile, quod erat, est et erit, quodque omnia sapientiâ regens, potentiâ suâ exequitur omnia quæ bonitate infinitâ pollicitum erat. Illud ipse Moysi notum fecit, quem ad liberandum populum suum mittebat : *Ego* ENS, *qui apparui Abraham, Isaac et Jacob in Domino omnipotente et nomen meum* JEHOVA (quod significat ENS) *non indicavi eis; pepegi fœdus cum eis ut darem eis terram Chanaan quod priùs cum Abraham, Isaac et Jacob :..... Et scietis quòd ego sum Ens..... Inducam vos in terram... Ego Ens...* Per promissionum adimpletionem scietis quia sum Ens immutabile et omnium Dominus.

In hâc liberatione eminuit non tantùm immutabilitas divina, tùm in essentiâ, tùm in decretis, sed etiam quantam se præferret ejus potentia, apparuit tùm in signis repetitis quæ in Ægypto operatur ut Moysem suum esse ministrum et interpretem manifestaret, tùm in transeundo Rubrum mare, cujus aquas scindit ut via pateret libera populo suo, dein agglomerat, ut persecutores gentis electæ Ægyptii immergerentur. In omnibus Scripturis veteribus commemorantur hæc signa, continuò iterantibus Deum eduxisse Israelitas ex Ægypto *in manu forti et in brachio extenso,* id est, omnipotentiæ suæ virtute explicatâ.

Justitiam ejus præsertim reperies in induratione cordis Pharaonis de quâ re interest, ut annotetur et rectè intelligatur violenta vox quâ utitur, quùm de rege loquens, multoties iterat audiente Moyse hoc verbum : *Indurabo cor ejus,* id est, sinam ut ejus cor obdurescat; Deus enim non malum ipse facit, sed permittit, justo judicio peccatorem innatæ malitiæ deditum derelinquendo; sicque, ut notat sanctus Augustinus, quùm Deus indurat peccatorem, non ipse in corde sontis scelestam induratione inserit et creat, sed tantùm abstinet ab illâ misericordiâ, quam exercendo posset duritiem cordis superare. *Nec obdurat Deus impertiendo malitiam,* ait D. Augustinus, *sed non impertiendo misericordiam;* quùmque Deus non impertitur hanc misericordiam, verè indignis et immerentibus eam recusat : *quibus enim,* ait jam citatus auctor, *non impertitur, nec digni sunt, nec merentes, at potiùs ut non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur.*

Illucet ejus sapientia in bono quod ex ipso malo exprimere scit, et ad quod assequendum malum permittit. Hoc nos docet per Moysen Pharaoni dicentem : *Posui te ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terrâ.* Propterea constituit eum in solio Ægypti; propterea regnantem justo judicio derelinquit, duritiei cordis sui prædam, ut Domini jussibus rebellis, dùm ejus populum coercere nititur, manifestam faciat in se fortitudinem et potentiam Domini liberantis.

Misericordiam ejus testatur tùm liberatio Israelis, qui tot beneficiorum immemor, continuis murmuribus Moysem, aut potiùs Deum ipsum, cujus legatus est Moyses, fatigat, tùm præcipuè in hâc voce ad Moysem, quùm ostensurum se gloriam suam ei pollicetur : *Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit.*

Audiendus est divus Paulus, quùm ipse hos textus confert, et applicat altissimo prædestinationis mysterio : *Quid ergo dicemus?* ait Apostolus, *numquid, iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit : Miserebor cujus misereor, et misericordiam præstabo cujus miserebor : Ergo neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni : Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam et annuntietur nomen meum in universâ terrâ. Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat. Dicis itaque mihi : Quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis resistit? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eâdem massâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? quòd si Deus volens ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multâ patientiâ vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam.*

Dogma aliud maximi momenti Jesus Christus ipse nos docet in Exodo, immortalitatem scilicet animæ, et per necessariam consequentiam, resurrectionem futuram corporum; nam dicit Jesus Christus Sadducæis qui hanc esse negabant : *De resurrectione mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob; non est Deus mortuorum, sed viventium;* sic ergo magnoperè *erratis.* Abraham ergo, Isaac et Jacob vivunt, quamvis hanc mortem subierint, per quam corpus ab animâ separatur. Mortuum est corpus, anima autem vivit, eâque vivente et corpus reviviscet, quia formata est ut cum corpore conjungeretur suo, et æquum est corpus electorum Dei, quod meritorum animæ particeps fuit, quùm ei sociaretur, animæ etiam rursùs adhærere, in participationem remunerationis, ut et justum est corpus peccatorum, quod demerentis animæ socius fuit quùm ipsi adhæreret, tandem animæ rursùs jungatur, in participationem supplicii. A tribus Evangelistis sancto Matthæo, sancto Marco, sancto Joanne, hæc vox Jesu Christi commemoratur.

Ipse nobis repræsentatur Jesus Christus in Exodo, 1° per Moysis et Aaronis personas. Illum Moyses repræsentat, ut legislatorem, mediatorem, redemptorem; Aaron, ut pontificem. Nam, quamvis longè præstet ministerium Jesu Christi ministerio Moysis et Aaronis, unum cum alio comparat sanctus Paulus, relationes et differentias simul illustrando. *Considerate,* inquit, *Apostolum* et *Pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est ut Moyses, et vocatus à Deo tanquàm Aaron.* Hæc sufficienter memorant omnia quæ sanctus Paulus de hoc subjecto disseruit.

Duabus figuris expressiùs adhuc Jesus Christus in Exodo repræsentatur, paschali agno scilicet et mannâ. Ex quo inter Judæos apparet, sanctus Joannes Baptista Salvatorem divinum his verbis indicat : *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi;* ecce qui per cruorem suum mundabit peccata vestra, angelo exterminatori vos subripiet, à servitute dæmonis vos eximet, ut fœdus cum Domino ineatis. Sanctus Joannes Evangelista nos docet reverà agnum paschalem imaginem esse Christi etiam similem in cæremoniis quibuscum ritè immolabatur, sicque per præscriptionem ne agno rumperentur ossa, prædictum fuerat quod evenit Jesu Christo crucifixo, cujus ossa rupta in cruce non fuerunt, dùm contra duobus latronibus inflictum est id supplicii genus. Altiùs adhuc penetrans sanctus Paulus in agno paschali ritè immolato et ritè manducato documentum nostræ fidei morumque normam ostendit : *Expurgate,* inquit, *vetus fermentum, ut sitis nova conspersio sicut estis azymi. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.* In memoriam nobis etiam revocat sanctus Petrus accuratissimè, non *in corruptibilibus auro vel argento nos fuisse redemptos, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati, Christi.* Denique, in Apocalypsi, Jesus Christus ante thronum Patris ostenditur quasi stans et immolatus Agnus : stans, quia vitâ fruitur, et quasi immolatus, ex eo quòd post resurrectionem vulnera accepta cicatricibus indicat, signaque immolationis suæ servat; et plerùmque, in Apocalypsi, suavissimo nomine *Agni* designatur.

David etiam ad mysteria in Exodo conclusa animos nostros erigit, tùm quùm nos monet facta à se commemorata et consignata esse parabolas et ænigmata, tùm quùm *mannam* vocat *frumentum cœli, panem angelorum,* etiam *panem Dei ;* Judæis enim hoc verbum Jesu Christo commemorantibus, et illud mannam esse interpretantibus, dixit Jesus ad eos ; *Amen, amen dico vobis, non Moyses vobis dedit panem de cœlo; sed Pater meus dat vobis panem de cœlo, qui dat vitam mundo. Ego sum panis vitæ; ego sum panis vivus qui de cœlo descendi.* Sic Jesus Christus nos certos facit, omne quod David de mannâ dixerat, verè parabolicè et ænigmaticè dictum fuisse, *panemque cœli, panem Dei* quem nuntiat, idem esse ac *mannam eucharisticam,* quæ sola *mannæ* nomen meretur. Altiùs etiam nos introspicere facit Apocalypsis, nobis in sanctuario *mannam occultam* ostendens, ut imaginem beatitudinis quæ à Deo in æternitate reservatur electis : quia enimverò, ut in hâc terrâ sub velo sacramenti Jesu Christo adjungimur, sic in cœlo contemplaturi eum facie ad faciem, ipsi perfectiori et longè magis familiari modo adjuncti erimus. Sic in deserto mannam edimus, mannam et in sanctuario cœlesti esuri, sed eâ ratione, quam nec verba pingunt, nec mens cogitare nostra potest, ita ut verè *occulta* nobis sit *manna.*

Sanctus Paulus non solùm per mannam quâ vescebantur Israelitæ in deserto intelligi vult escam spiritalem quam à Jesu Christo in Eucharistiâ accipimus, sed etiam nobis indigitat

petram ipsam unde exoriebatur aqua ad Israelitarum potum, ut imaginem Jesu Christi qui Christianos viventes alit in mundo, qui eos monet, sequitur, et circumdat per gratiam et et Spiritum suum, usquedùm in terram verè promissam introierint. Latiùs etiam expandit inclusa in Exodo mysteria : aquas maris ab Israelitis superatas, aquas nubis eos præcedentis, ut imaginem aquarum *baptismalium;* montem Sinai ut simulacrum Jerusalem terrenæ, in *servitutem metùs generantis* indicat; legem in hoc monte datam, ut pædagogum homines ad Jesum Christum adducturum, ut ex eo per fidem acciperent quam ex se ipsâ lex dare nequibat, plenam justitiam; velum Moysis quo coactus os suum in conspectu populi cooperuit, ut imaginem obcæcatorum usque in hunc diem Judæorum. Alibi disserit de jussu quod dedit Dominus in Exodo, quùm Moysi tabernaculum ordinandum construendumque committens, addit : *Fac secundùm exemplar quod tibi in monte monstratum est*, indeque concludit, ut jussum fuerat, tabernaculum *figuram et umbram* fuisse cœlestium.

Idem nobis Apostolus ubique Jesum Christum ostentat ut *finem* legis, cujus promissa figurasque adimplet. Eo auctore, munera quæ manent Israelitas, debili fulgore prænuntiant fulgentem, quæ Christianis paratur, gloriam; perfidiæ eorum pœnæque quasi exemplaria nos monent quantâ fidelitate servanda sit nova lex, quæ non tantùm delicta nobis indicat, sed etiam veræ justitiæ veræque salutis nos participes facit.

Nobis etiam sanctus Paulus aperit latens sub figurâ mannæ documentum non contemnendum, quùm Corinthios ad auxiliandum fratribus per eleemosynam hortatus, addit : *Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate, ut et illorum abundantiæ vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est* (de mannâ) : *Qui multùm, non abundavit, et qui modicum, non minoravit.*

Alibi sanctus Paulus in memorationem nobis exhibet quartum Decalogi præceptum, Deo Israelitis dicente : *Honora patrem et matrem, ut sis longævus in terrâ quam dabit tibi Dominus Deus tuus.* Et adnotat hoc esse *primum in promissione.* Sic nos docet ponderanda peculiari attentione animi omnia hujus divini libri verba.

Idem Apostolus, postquàm in exemplum nobis proposuit fidem Abel, Henoch, Noe, Abraham, Saræ, Isaac, Jacob et Joseph, potissimùm fidem Moysis et ejus parentum, Israelitarumque qui cum eo mare Rubrum trajecerunt, laudibus extollit. Memoranda ipsius de his tribus verba audiamus : *Fide, inquit, Moyses natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eò quòd vidissent elegantem infantem, et non timuerunt regis edictum. Fide, Moyses grandis factus, negavit se filium esse filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem. Fide, reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis; invisibilem enim tanquàm videns sustinuit. Fide, celebravit Pascha, et sanguinis effusionem, ne qui vastabat primitiva, tangeret eos. Fide, transierunt Rubrum mare, tanquàm terram aridam, quod experti Ægyptii, devorati sunt.* In Apocalypsi denique, apparent sancti *victores Bestiæ* in mari vitreo et ignito, ibique canticum *Moysi, servi Dei*, et *canticum Agni* cantant, quod perficit incœptam demonstrationem, scilicet liberationem Israelitarum imaginem veram esse liberationis electorum, canticumque Moysis, post maris Rubri transfretationem idem esse ac canticum electorum.

Certis circumscripti limitibus, hujusce libri instructiones et mysteria latiùs investigare non possumus. Unicuique igitur lectori dulce munus relinquitur plura eruendi, quod sanè haud erit difficile, si textus Exodi cum novi Testamenti libris, et præcipuè cum Epistolis divi Pauli, conferatur.

Leviticus. — Meminisse debent Christiani librum hunc percurrentes felicis discriminis quod Judæos inter et ipsos divinitùs positum est. Quod luculentissimè docet Epistola S. Pauli ad Hebræos. Ut enim annotat ille maximus inter Apostolos, Judæi sacerdotes habebant homines imbecilles, mortalitati peccatoque obnoxios; sacerdotem verò Christiani habent Christum, Filium Dei, immortalem, sanctum et in æternum perfectissimum. Judæi sacerdotes secundùm legem successionis carnalis instituebantur; Christus autem secundùm virtutem vitæ immortalis. Hi sacerdotes alii aliis succedebant, ideò quòd mors prohiberet ne iidem semper permanerent; Christus autem sempiternum habet sacerdotium, undè salvare in perpetuum potest per semetipsum accedentes ad Deum, semper vivens ad intercedendum pro illis. Judæis sacerdotibus necessitas erat quotidiè priùs pro delictis suis hostias offerendi, deinde pro populo; Jesus Christus autem sanctus, innocens, segregatus à peccatoribus et excelsior cœlis factus, non peccatorum suorum

pœnas habet luendas, unâque oblatione delevit peccata populi, cui suæ immolationis merita aptavit. Judæi sacerdotes sanctuarii terrestris ministri fuerunt et tabernaculi figurativi: Christus autem sanctuarii cœlestis minister et tabernaculi veri, quod fixit Dominus, et non homo. Judæi sacerdotes in prius tabernaculum semper introibant, ut ibi dona sacrifiaque offerrent, quæ non poterant conscientiam eorum mundare qui cultum hunc Deo exhibebant. Christus autem, futurorum bonorum pontifex, semel introivit in sanctuarium cœleste, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, hominibusque comparavit non legalem et ad tempus munditiem, sed veram sanctitatem et redemptionem æternam. Sacerdotes Judæi Deo adstabant quotidiè ministrantes et easdem sæpè offerentes hostias quæ nunquàm poterant tollere peccata; Christus autem, unâ pro peccatis hostiâ oblatâ, in sempiternum sedet ad dexteram Dei, unâque oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. *Si enim*, ait S. Paulus, *sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, exteriorem et carnalem conferendo munditiem quâ juvante cultui figurativo legis ministrare possint, quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi et vero!* (Ad Heb. c. IX, v. 13, 14)

Quàm gratos præ se ferent animos Christiani si, veteris Testamenti librum hunc legentes, ad veritates attendant quas aperit eis in Novo Spiritus sanctus! Quanto exultaturi sunt gaudio, si recogitent quæ ab eodem Spiritu sancto ipsi docentur, scilicet, talem habere se Pontificem ut consederit in dextrâ sedis magnitudinis Dei; qui pro sanctitate suâ omnia peccata destruxit; qui pro potestate suâ introduxit nos in sanctum cœlorum; qui pro bonitate suâ, ut posset compati infirmitatibus nostris, tentatus est per omnia pro similitudine, absque peccato! Quàm fideli gradu sectabuntur hanc viam novam et viventem, quam initiavit! Quàm fidenter adibunt ad thronum gratiæ ut misericordiam consequantur et gratiam inveniant in auxilio opportuno. (Ibid. c. IV, v. 16.)

Regulas generales ad intelligentiam veteris Testamenti constituendo notavimus, omnes præscriptos ritus in Levitico utiles fuisse ex eo tantùm quòd magnam crucis immolationem repræsentarent figuris, quæ scilicet sola diversas oblationes Judæorum in se complexa est, quæ etiam pro infinitâ excellentiâ suâ, diversis que affectibus suis, promerita fuerat ut figuris prænuntiaretur. Hæc aliquot exemplis illustremus.

Ad quid spectabat vetitus summo pontifici, cum mortis minitatione, in sanctuarium introitus, quoquo anni tempore, nisi sanguis unius hostiæ effusus fuerit (Exod. XXX, v. 10, Lev. XVI, 2)? Hæc rigidè consulta nonne significaverant iratum hominibus Deum, ad internecionem perniciem minitatum esse populo Israel, ipsique pontifici, si eos ut distinctos à sanguine filii sui dilectissimi consideraret; hâc tantummodò hostiâ, quæ ipsi placere unicè promerita fuerit, placari eum potuisse, non stare ante eum licere cuique, nisi hujus hostiæ memoriam suscitet, nisi saltem immolationis signum præ se ferat, quæ sola imago iratum hominibus Deum, placatum, amantem et benedicentem nobis facere possit.

Ad quid spectabat hæc obligata peccatoris et ipsius pontificis impositio manuum super caput immolandæ pro peccatis hostiæ (Lev. IV, 4)? Nimirùm significabatur in suo loco veram ab eo hostiam adductam fuisse, cujus præsens hostia nil nisi imago erat, siquidem digna mortis redemptio debitæ peccatoribus esse nequibat; incumbere Christo scelerum piaculum, emendamque pretio mortis ejus cruentæ remissionem quam ex se ipso promereri non poterat: Augustissimus equidem ritus, quem adhuc Ecclesia exercet, ante donorum consecrationem!

Ad quid spectabat hircus iste emissarius (Levit. c. XVI, v. 5) effusis anathematibus in die solemnis piaculi publicè opertus, libertatem vitamque ex immolatione innocui arietis excipiens, dùm hic immolaretur pro veteribus novisque totius populi peccatis et extra castra integrè cremaretur? Jesum Christum significabat, extra portam, ut monet S. Paulus, passum, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, totumque pro peccatis immolatum.

Huic imperfectæ immolati arietis imagini, quâ significabantur tantummodò peccata præterita et præsentia, quàm distinctiora addunt lineamenta ritus immolandæ vaccæ rufæ (Num. XIX, 2 et 19) (1) ad implendam ideam

(1) Hic prævertimus quod spectat ad cæremoniam in Numeris solùm memoratam, sed ita illis de quo agitur adstrictam, ut eas separari noluerimus. Utile est nonnunquàm diversas res notabiles quæ passim sacris Scripturis insunt conferre; inde enim sese mutuo lumine illustrant.

immolati Christi, cujus sacrificium æquè pertinet ad omnes futuras iniquitates, cujus immolatio omnibus piandis etiam futuris peccatis succurrebat! Cruenta quidem in origine suâ, sed pura et incruenta in applicatione et usu suo erat; unica, tamenque omnibus communis; universa, omniumque piaculorum pars necessaria, quæ non nisi auxiliante et immixto illo pulvere mystico peragi poterant; permanens et perpetua, semel pro omnibus oblata, sed vim indelebilem et semper agentem servans. Hujus effectûs omnes participes erant, cunctisque sufficiebat; et cuique sonti aderat, simul atque aliquam labem diluendam haberet.

Quid indicabat alius ille ritus, in immolatione pro peccatis solitus, in quo sacerdos aspergebat sanguine hostiæ septies contra velum? Significabatur affectatâ illâ iteratione, publicè agnitatum fuisse hunc sanguinem non posse sibi aditum in sanctuarium rumpere, precibusque summoperè ferventibus invocari veram pro peccato hostiam, ut subveniret illud apertura obicesque perfractura importunos, quibus homini obcludebatur aditus ad thronum Dei, quibusque velabatur ipsis irata Numinis facies. Tribus primis Evangelistis quid aliud visum est, nisi ut attenderemus ad hanc figuram adimpletam, quùm nos monuerunt, statim post humanitatem sanctam, quæ veli instar divinitatem occultabat, morte crucis scissam, velum quoque templi, quod ejus figura erat, non eductum, sed scissum fuisse à summo usque deorsùm? Inde nimirùm significabatur jam, ut patebat omnibus introitus secularis sanctuarii, ita, omnibus abruptis quæ Deum inter et hominem objiciebantur, patere amplissimè ad ipsum reditum omnibus, cœlique portam pandi et impedimentis eximi.

Quis Christum non agnoscet in mutatione illâ perpetuæ immolationis quæ jam constat solummodò immolato vesperè manèque agno, altari indesinenter imposito, in odorem suavitatis ad cœlum hostiâ, quæ omnium aliarum locum obtinebat? Hoc symbolo unico S. Joannes in Apocalypsi Christum immolatum vidit.

Quòd si aras nostras inspiciat, quis iterùm non Christum agnoscet, sub mysticâ figurâ panum usquè in conspectu Domini positorum? Quâ magis sensibili declarâsset Deus ratione, in conspectu sibi poni velle semper immolatum panem cœlestem; hanc se hostiam longè præ cæteris acceptam habere, aliquando unicam et sempiternam futuram, et indesinenter offerendam servandamque in altari puro et incruento?

Quàm alto et mystico sensu prohibuit Deus ne populus ederet sanguinem, jussitque ut accuratè servaretur, irrigandi causâ altaris sui ad remissionem peccatorum. *Ego enim,* inquit, *dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animæ piaculo sit.* Non sanguinis effusionem fieri veto, sed manducationem. Corpus animantium pro corpore vestro, sanguis autem pro animâ vestrâ erit. Ex horum carne vescemini, et eorum sanguine peccata piabitis. Altare meum hunc accipiet, non autem vos; mihi reservatur, vobisque necessarius est ut me flectere possitis, et usquedùm me dignâ hostiâ donando pacatum feceritis, hunc semper à vobis exigam, hunc nunquàm vobis bibere licebit. Hoc signo cognoscetis quòd retineantur peccata vestra, scilicet quamdiù durabunt sacrificia in quibus sanguis mihi seponetur. Quùm autem maximo et unico sacrificio omnia cætera abolita fuerint, cum fructu bibetis sanguinem quem vestra effuderint scelera. Hunc à vobis jam non repetam, ex eo quòd non jam iras in vos servaverim; hunc autem accipietis ut fontem vitæ novæ; agnique immortalis vita, sanguinem ejus secuta, cum eo et per eum transibit in corda vestra, vosque æternos faciet justos faciendo.

Commemoratis quæ ad sacerdotium spectant et sacrificia, aliquid de festis diebus notemus. Maximi ponderis præter omnia videtur animadvertere quàm mirè omnia hæc festa et subsecutæ ea cæremoniæ suscitandis ad Deum animis quadrarent, et simul intra corda omnia cultûs devoti erga summam ejus majestatem, obsequii universi et absoluti erga providentiam ejus, gratissimi amoris erga beneficia ejus, sensibus insufflandis. Quæque hebdomas *quiete* religiosâ *sabbati* sanctificabatur; *primus in mense quoque dies Deo* cum precibus et sacrificiis singularibus dicabatur; primitiæ anni, in die festo *Paschæ* cum agno ei in holocaustum offerebantur; initiansque messem hæc oblatio publicè solemniterque testabatur omnia recolligenda modò bona ex merâ Creatoris liberalitate suscipi. In *Pentecoste* azymorum oblatio, holocausta, sacrificium pro peccato, et quæ simul offerebantur sacrificia pacifica, docebant Israelitas, eodem tempore quo omnia sibi effusa Dei manibus fatebantur, hunc venerati et grates ipsi pro donis persolventes, simul etiam debere ejus misericordiam sollicitare pro admissis in tempore messiu mdelictis, ab eo

expetere ut peccatis immunes maneant quùm utentur collectis; rogare ipsum, ut quæ dedit conservare velit, et adhuc colligendis benedicere.

Denique die festo Tabernaculorum postquàm vinum et omnes fructus recondita erant, per dies octo solemnes gratiarum actiones Deo reddebantur. Cuncti cogebantur his tribus festis præcipuis adesse, et gratiarum actionum nec non et publicarum supplicationum esse participes. Hùc nemo venire debebat quin suum munus afferret, et sacrificiis reverentiam Deo adhiberet, jubebatque Deus Levitas, extraneos, viduas, et orphanos ad epulas lætitiæ accedere, quas agebant propter bona quæ dederat illis, ut meminerint illa bona non tantùm ad illos pertinere et illorum partem largiendam illis qui his bonis carebant. Quot pro nobis documenta! quanta felicitas si cùm hos dies festos celebramus, illarum legum et exercitationum verum ingenium susciperemus!

Longiùs procedamus, et leges expendamus quæ attinent ad decimas, primitias, annum sabbaticum, et ad annum jubilæi; omnia quæ continent nobis magni sunt adhuc documenti. Hic videre est Israelitas non esse dominos suorum bonorum, imò personarum suarum; Deus est illorum Dominus, et illius sunt ipsi clientes, coacti illi solvere sicut censum et vectigal, primitias, et decimas suorum fructuum et pecudum; omnium suarum terrarum Dominus est solus, et illas hi tantùm occupant sicut villici et inquilini conditionibus quas voluit illis imponere; quamobrem illas in perpetuum abalienare nequeunt; potestatem demùm ne habent quidem suas personas tradendi, nec aliis ac illi suam libertatem adstringendi, quia omnes illi sunt sicut servi, ex tempore quo illos è servitute Ægypti redemit.

Mirum est quàm multis modis, licet imperfecta, lex Moysis in hominis mente necessitatem defigeret quâ stringitur fratres suos diligendi, et vivendi in obsequio Dei universo atque in summâ præsentium abnegatione. Israelita qui, mandata secum reputans, perpendebat ea de quibus agitur, meminerat, primitias et decimas offerendo, se Deo omnium possessori debere reverentiam et gratiarum actionem pro omnibus, et nullum jus habere ad utendum donis Creatoris nisi prout fidelis erat ad officia religionis et gratitudinis exsequenda. Ita sacerdotes et levitas habens ut quæstores vectigalium Dei, hæc illis sicut ipsi Deo reddebat, et sese honoratum prorsùs existimabat si contulisset bonorum partem ad subsidia vitæ ministrorum sacrorum. Interdictio fundos in perpetuum emendi illi ostendebat se debere nec bonis adhærere per manus suas transeuntibus, nec excogitare ad congerendum et ad jungendum agrum agro, sed contentus esse, diligenter accurare portionem bonorum Dei quam conductam habebat. Lex quæ post singulum septennium dominum destituebat omni possessione agrorum suorum ad illos remittendos pauperi, extraneo, viduæ et orphano; lex quæ post triennium illi decimam imponebat, pro quæstu viduæ, orphani et extranei, erant illius oculis nova argumenta supremi dominii quod Deus in omnia bona semper habebat, et tendebant ad defigendum in illius animo amorem et reverentiam pauperum, quos Deus in illius locum substituebat, et quibus illius dominica jura transmittebat. Quàm debebat propensus esse ad confidendum providentiæ Dei sui, cujus sex post annos tam certam habebat experientiam ex abundanti frugum fructuumque perceptione quâ rependebatur otium in quo dormiebant omnes agri septimo anno! Quantùm lex illa quâ nullus Hebræus in perpetuum servus manere debebat, cùm omnes tum pauperes tum divites servi Dei æquè essent, quantùm, inquam, lex illa commendabat honorem Dei solius dominio subjacendi illique soli serviendi, nec potis esse tam faustam excutiendi servitutem!

Multine hodiè reperiuntur Christiani quorum religio tam pura, et sententiæ tam altæ sint quàm illæ hujusce Israelitæ legibus Moysis fidelis? Ille tamen homo adumbratio est tantùm hominis christiani eruditi et illuminati lege evangelicâ. Hujusce officia omnia Israelitæ officia continent, gratitudinem erga Deum, fiduciam illius Providentiæ, usum legitimum et abnegationem bonorum quæ ad vitam corporis spectant, fidem ad illa cum inopibus dividenda sicut debitum quo oneratur; ad hæc verò tantùm non tendunt, spectant ad alia bona longè pretiosiora quæ à munificentiâ Dei accipit, spiritum, eruditionem, scientias, dotes, tempus, exteriora et interiora virtutis adjuvamenta. Hæc omnia illius non sunt, usum tantùm habet quem Deus à nobis repetere potest, cùm in suis bonis dominium servet quod abalienari non potest, et primitias et decimam tantummodò non exigat, sed etiam omnium bonorum suo numini consecrationem propter gloriam suam; Christianus enim non est tantùm villicus et inquilinus oculis Dei,

sed adhuc servus illius est. Deus ad quem pertinet, et cui essentialiter subditus est ut illius creatura, novum jus principatûs in illo adeptus est, cùm illum à servitute dæmonis et peccati liberaverit: ita non potest dona Dei tradere, nec semetipsum tradere, nisi secundùm voluntatem et gloriam Domini sui. *Non estis vestri*, inquit sanctus Paulus, *empti enim estis pretio magno.* Illi jam non licet alteri servire magistro ac illi à quo emptus est; suâ enim redemptione non liber evasit, sed ex miserâ et funestâ servitute ad aliam transiit quæ illum felicissimum præstat, et sola est veraque libertas. *Nunc verò*, addit Apostolus, *liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.*

An mihi tacendum erit, priusquàm de legibus locutus sim, quæ ad lepram spectant. In his legibus tot peculiaria sunt, quorum rationem redderemus difficilè, si soli litteræ sensui studeremus, ut hoc ipso moneamur hunc sensum corticem esse solummodò rumpendum. Cur, exempli gratiâ, sacerdotes Deus et non medicos lepræ judices instituit? Cur morbus ille, potiùs quàm scabies illi simillima, homines efficiebat impuros? Cur tot cautiones ad examinandum naturam et progressus hujusce morbi, remediumque reperiendum? Cur demùm tot cæremoniæ priusquàm sanatus leprosus restitueretur vitæ commercio ex quo morbus illum excluserat? Seriæ sunt illæ difficultates; his omnis lector meritò movetur, et illarum explanationem poscit; si igitur oculos ultra sensum primum feramus, alium reperiemus qui has difficultates dilucidabit, et quo primi sensûs tenebræ nobis subitò lux et documentum fient. Sine dubio illis hærere debemus, et hæc Spiritus sanctus voluit à nobis haud aliter intelligi. Si vel minimùm attenderis lepræ principium esse in sanguine quem corrupit malignus humor, et hunc morbum paulatim increscere donec corpus opertum fuerit, et communicari commercio quod habemus cum leproso, facilè Patrum Ecclesiæ sententiam intelligemus, qui quidem ferè omnes in leprâ viderunt peccati figuram, et in modo quo curabantur et mundabantur leprosi, pœnitentiæ imaginem et reconciliationis peccatorum.

Numeri. — Oportet animadvertere facta relata in hoc libro esse sicut omnia cætera veteris Testamenti instructionibus et mysteriis referta; qui autem Christiani, juvante doctrinâ Jesu Christi, apostolorum sanctorumque doctorum veritatem requirent in his umbris latentem, cùm scientiæ tùm ædificationi locum invenient.

In multiplicatione filiorum Israel videbunt adimpletionem promissionum quas Deus patriarchis fecerat, et hoc prodigio potentiæ Domini incitabuntur ad plenissimè fidendum verbis illius et bonitati.

In ordine itinerum et castrorum metationis quem Deus instituit exercitui Israel, agnoscent imaginem ordinis qui Ecclesiam debet regere.

Ex mandatis à Deo datis ad experiendum mulieres quæ in adulterii suspicionem veniunt, intelligent quantùm scelus istud detestetur, et quàm vigilanter homines debeant illud horribile flagitium fugere.

In consecratione Nazaræorum videbunt imaginem vitæ secretæ ac mortificatæ quam agere debent qui sese Deo consecrant.

In variis stationibus per quas Deus ducit populum suum, invenient figuram tentationum variarum per quas sanctos suos super terram traducit.

Ex pœnâ Mariæ impositâ et cujus Moyses illi remissionem impetraverat, ediscent necessitatem à sacris nonnunquàm recedendi ad sua aliquandiù deflenda peccata.

Quæ sit autem statuenda proportio pœnitentiam inter et peccatum, reperient ex quadraginta annis commorationis in deserto impositis filiis Israel, quia per quadraginta dies, terram promissionis consideraverant cum mente rebelli ac diffidenti quâ adversùs eos concitata est ira Domini.

Quantâ severitate Deus illos puniturus sit qui dies ipsi dedicatos non sanctificant, intelligent ex jussu quem dat lapidari hominem qui lignum die sabbati collegerat. In pœnâ terribili Core, Dathan, et Abiron, videbunt castigationes illis reservatas qui ministerium sacrum usurpant.

Miraculum quod patrat Deus ad probandam vocationem Aaronis, vocationis omninò divinæ necessitatem ad sacerdotium indicat, virtutes quibus debent ornari qui vocati sunt ad sanctum hoc vitæ genus piaque opera quæ debent exercere floribus et fructibus designantur quos summi hujusce pontificis virga produxit.

Abnegatio in quâ vivere debent illi qui sacris se devovent, apparet etiam in prohibitione Dei ne sacerdotes et levitæ possideant hæreditatem in medio populi sui, quòd solus ipse velit illorum esse pars et hæreditas.

Docti Christiani in sacrificio vaccæ rufæ invenient imaginem sacrificii Jesu Christi; in lapide bis percusso à Moyse figuram divini Salvatoris percussi à Judæis et ab ethnicis; in aquâ è rupe saliente imaginem gratiæ quæ purificat animas, et sitim restinguit sacrorum desideriorum quibus illæ flagrant; tandem in serpente æneo exaltato ad sanationem illorum quos momorderant ignei serpentes, figuram Jesu Christi in crucem exaltati ad salutem illorum quos dæmon peccato vulneravit.

Asina Balaam quæ hujusce prophetæ stultitiam redarguit illis ostendet Deum nonnunquàm eligere infirmissima ad frangenda robustissima.

Denique Moyses et Aaron morientes priusquàm Israelitas introduxerint in terram promissionis, illis exponent impotentiam sacrificiorum et cæremoniarum legis antiquæ ad intromittendos homines in regnum cœlorum, et sic Christiani intelligent hanc prærogativam reservatam fuisse Jesu Christo quem Josue figurabat, quique postquàm filios Dei trajecit per aquas baptismi figuratas undis Jordanis, illos mittit in possessionem Jerusalem cœlestis.

Hæc sunt veritates quas in hoc libro invenient qui, juxta spiritum Apostoli et Jesu Christi ipsius, hunc librum habebunt sicut signum in quo Deus ostendit hominibus, sub diversis figuris, mysteria quæ credere debent, et virtutes quas oportet exercere. Non debemus enim oblivisci Jesum Christum ipsummet esse qui nobis ostendit mysterium crucis in exaltatione serpentis ænei; et hoc attentionem eò majorem postulat quòd forsan vix intelligeremus verum sensum hujus emblematis, nisi divinus ille Salvator nobis ipse patefecisset illud mysterium.

Verumenimverò quis ex nobis putavisset Christum à serpente potuisse figurari? Audiamus ergo hunc divinum Salvatorem, studeamus factis plenis mysteriorum inclusorum inemblemate quod nobis proponit, et sic discamus quàm sit alta dictio divinarum Scripturarum.

Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, inquit Dominus Jesus Christus, *ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ignei serpentes deserti erant imago dæmonis et antiqui serpentis qui dux est illorum. Morsibus venenatis horum serpentium lethaliter vulnerati sumus; venenum illorum in cor nostrum sese effundens in nobis sitim accendit ardentem quam nihil restinguere potest; nam tantùm in articulo mortis desinit hæc sitis. Quin etiam hoc venenum in venas nostras sese insinuans nosmetipsos reddidit similes serpentibus à quibus vulnerati sumus; tales enim peccato facti sumus quales erant Judæi prævaricatores, quos Jesus Christus et illius præcursor *serpentes et progeniem viperarum* vocant. Ad nos sanandos et à morte redimendos, Christus peccatum non faciens, naturam peccatorum et similitudinem peccatorum suscepit. Quemadmodùm serpens æneus verorum serpentium figuram exteriorem habebat, quamvis serpentium veneno careret, sic Christus similis esse voluit illis ad quos venerat salvandos, et noluit exstrinsecùs distingui, quamvis secerneretur ab illis sublimi suâ virtute. Sicut peccator circumcisus est, à sancto Joanne baptizatus est sicut peccator, passus est sicut peccator; et illius ipsa sanctitas, quæ inimicos suos commovere debuisset, iram illorum è contra concitavit. Quinimò hæc ipsa sanctitas illorum oculis nova causa fuit illum exaltandi, sicut serpentem æneum, in crucem. Oportebat autem illum sic exaltari, ut nullus omnium qui crederent in illum periret, sed omnes haberent vitam æternam. Christus in cruce remedium est unicum, necessarium, supremum, omnibus propositum. Quicumque illum aspicit cum fide vivâ et fervidâ, quique sui morbi gravitatem intelligit, qui, sanationem tantùm à Christo exspectans, illam sanationem sperare audet et postulare, quantacumque, quàmlibet multiplicata et invetarata sint ipsius vulnera, ille non peribit, sed habebit vitam.

Judæis difficile non erat serpentem æneum aspicere cum fide, præsertim post aliquot sanationis exempla; vitam amabant, dolorem timebant, execrabantur serpentes à quibus vulnerati erant; ex funestis et acerbis effectibus veneni non licebat illis ignorare hoc venenum sese insinuavisse in eorum venas per quas ferebat incendium, et hæc omnia illos hortabantur ad aspiciendum oculis avidis salutare signum, quod solum finem poterat imponere cunctis illorum vulneribus.

Non est ita de nobis erga fidem christianam, quæ quidem viget propter charitatem nos Christo arctè jungentem sicut fonti justitiæ et vitæ. Crux illius nobis est causa stuporis et tristitiæ, multis etiam, triste dictu, scandali. Serpentes à quibus vulneramur invisibiles sunt, etiam sunt invisibilia vulnera quæ faciunt; venenum quod in cor nostrum diffundunt cupidines delectat; mortui, vivi habemur

et sani; nos nemo miseratur, oculos nemo habet ad nostrum casum discernendum; mirum est nos illo casu commoveri, et hoc prodigium est majus quàm prodigium quo sanabantur Israelitæ in deserto.

Igitur oculos fidei plenos injicere *in Christum auctorem et consummatorem nostræ fidei,* sicut à sancto Paulo incitamur, amplissima est gratia. Quàmlibet sit exiguum hoc initium, omnia quæque nostram conjunctionem cum illo incipiunt, pretii sunt inæstimabilis. Multùm est oculos aperire, et caput deflectere ad Christum exaltatum in crucem, et vivit etiam cùm moritur, qui illum invocat. Impossibile vanam esse fiduciam erga illa gemitibus et precibus auctam.

Non dictum est serpentem æneum purgavisse desertum in quo erant Israelitæ à cunctis serpentibus qui illos tenebant perterritos et illorum puniverant querelas. Contra, quod Moyses in Deuteronomio dicit illis, dat locum credendi dispositionem horribilis deserti per quod vagabantur non mutatam fuisse nisi post ultimam illorum stationem. Quidquid cæterùm fuerit de Israelitis, certum est tamen non aliter esse pro nobis de hâc vitâ cujus desertum in quo vagabantur imago erat : inter scorpiones et serpentes vivimus. Ab illis crux Jesu Christi terram non purgavit, et illos omnes non exterminavit; quin et illis lethale venenum non abstulit. Hanc progeniem viperarum societate fidelium primùm expulsam permisit inter illos postea subrepere, et illarum numerum multiplicari prout secula processerunt. Attamen per virtutem crucis semper æquè potentis et efficacis, Christus non cessat nos tueri à veneno illorum serpentium, dùm secundùm fidem vivamus, et cùm vulnus lethiferum infeliciter accipimus, oculis nostris apparet ad nos sanandos, si ad illum per fidem confugimus. Donec aditus veræ terræ promissionis nobis fuerit apertus, cum serpentibus vivemus, et semper nobis timendum erit ne fiamus illis similes, si oculos fidei nostræ indesinenter non injicimus in illum qui se passus est exaltari in crucem, ut omnes qui crederent in illum non perirent, sed omnes haberent vitam æternam.

Ex Davide et sancto Paulo cognoscamus documentum quod trahere debemus ex agendi ratione quam Deus habuit erga Israelitas damnatos ad palandum per quadraginta annos in hoc deserto. *Venite,* inquit David, *adoremus et procidamus; et ploremus ante Dominum qui fecit nos; quia ipse est Dominus Deus noster, et nos populus pascuæ ejus, et oves manûs ejus. Hodiè si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in irritatione secundùm diem tentationis in deserto : ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, et viderunt opera mea. Quadraginta annis offensus fui generationi illi, et dixi : Semper hi errant corde. Et isti non cognoverunt vias meas : ut juravi in irâ meâ, si introibunt in requiem meam.*

« Videte, inquit Paulus Apostolus, quod dicit in hoc loco Spiritus sanctus per os David. Videte, fratres, ne fortè sit in aliquo vestrûm cor malum incredulitatis, discedendi à Deo vivo, sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodiè cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati; participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus, dùm dicitur : *Hodiè si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodùm in illâ exacerbatione.* Quidam enim audientes exacerbaverunt, sed non universi qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen. Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis qui peccaverunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto? Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius, nisi illis, qui increduli fuerunt? Et videmus quia non potuerunt introire propter incredulitatem. Timeamus ergo ne fortè relictâ pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse; etenim et nobis nuntiatum est, quemadmodùm et illis; sed non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei ex iis quæ audierunt. Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus; quemadmodùm dixit : *Sicut juravi in irâ meâ, si introibunt in requiem meam :* et quidem operibus ab institutione mundi perfectis. Dixit enim in quodam loco de die septimâ sic : *Et requievit Deus die septimâ ab omnibus operibus suis;* et in isto rursùm : *Si introibunt in requiem meam.* Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, et ii quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem, iterùm terminat diem quemdam, hodiè, in David dicendo, post tantùm temporis, sicut supra dictum est : *Hodiè si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Nam si eis Josue requiem præstitisset, nunquàm de aliâ loqueretur, posthàc, die. Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut à suis Deus. Festinemus ergo ingredi in illam requiem, ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. »

Curæ lectorum nostrorum demandamus commentationem illarum meditationum quas illis David et Paulus Apostolus proponunt; quæ quidem exemplum præbent excellentissimum meditationum quales Scripturæ sacræ studium comitari debet. Moysis nullus præstantior interpres quàm David et sanctus Paulus : etenim Spiritus sanctus nobis ipse patefacit in psalmis et in epistolis Apostoli quæ documenta certissima et utilissima colligere possimus in libris Moysis. Utilissimum enim est ex partibus cunctis divinarum Scripturarum eligere varios textus eidem fini congruentes. Hice textus inter se collati invicem sibi mutuam præstant lucem, quæ quidem magno est adjumento ad interpretationem aliorum mysteriorum quæ in sanctis libris includuntur.

Deuteronomium. — Reminiscantur Christiani qui Deuteronomium legunt, quantò præstat Israelitarum legi lex quam acceperunt à Deo, cò fideliùs ipsi esse adhærendum. Nam sicut benedictiones genti duræ carnalibusque deditæ promissæ nonnisi exemplaria erant bonorum quæ fidelem populum manent, sic etiam quæ imminebant Judæis pœnæ, umbræ imperfectissimæ sunt pœnarum quibus Christiani infideles affligentur.

Decalogus, qui jam inscriptus in Exodo hìc commemoratur, veluti compendium est legum omnium Moysis, ideòque dignus ad quem specialiter attendamus. Nomen eduxit è verbo græco Δεκαλόγος, quod significat decem verba, id est, decem præcepta. Hæc præcepta in Deuteronomio distinctiùs separantur quàm in Exodo; præterea voces paululùm differunt, sed non essentialiter. Duos textus conferamus, et unum per alium illustremus; hìc hebraicam sequemur versionem, ut æquiparatio evidentior appareat.

Primum præceptum : *Ego sum Ens supremum, Deus tuus..... Non erit tibi Dii alieni coram me*, etc.—In utroque textu littera hebraica hæc est : *Non erit tibi dii alieni coram me.* Inde sequitur sine dubio Septuaginta et sancti Hieronymi translatio : *Non habebis deos alienos coram me.* Sed plerùmque in hebraicâ linguâ *Dii*, pluralis numerus pro *Deo*, singulari, accipitur. Inde fit ut incipiat Genesis in hebraico libro his verbis : *In principio creavit Dii*, pro, *creavit Deus;* est ergo ratio cur eumdem linguæ in utroque casu habitum deprehendamus, ideòque verbum singularem numerum occupat : *Non erit tibi Dii alieni*, id est, non erit tibi Deus alienus. Impersonaliter etiam posse hìc accipi verbum quidam putant, ut in gallicâ linguâ dicerent, non erit : *Il n'y aura point pour vous de dieux étrangers devant moi.* Reverà, idem sensus sonat : « Non habebitis coram me « deos alienos, ne unum quidem. »

Secundum præceptum : *Non assumes nomen Entis supremi Dei tui in vanum*, — id est, falsâ causâ, injustè, vel temerè; alibi enim Deus per Jeremiam quibus conditionibus juramentum fiat legitimum indicat : *In veritate, in judicio et in justitiâ.* Quicumque his se substrahit conditionibus, præceptum lædit, quo vetatur nomen Domini in vanum assumere.

Tertium præceptum : *Memento* diei *sabbati ut eum sanctifices.* — Sic legitur in Exodo; in Deuteronomio scriptum est : *Observa diem* sabbati, ut eum sanctifices. In hoc solo differentia est, quòd in Deuteronomio verbum *observa* in loco est verbi *memento*, quod legitur in Exodo. In eumdem sensum confluunt hæ voces : *Memento* diei sabbati, eum *observa*, sed semper ita ut eum *sanctifices.* Hoc rei caput est, circa quod textus ambo nullo modo dissentiunt.

Quartum præceptum : *Honora patrem et matrem tuam.* — Nullo modo hæc verba, quæ præcipua sunt præcepti, inter se differunt.

Quintum præceptum : *Non occides.*

Sextum præceptum : *Non adulterabis.* — In Epistolâ sancti Pauli ad Romanos, sextum præceptum quintum præcedit. Eodemo rdine Evangelium sancti Marci id inscribit, sed in SS. Matthæo et Lucâ, Exodi et Deuteronomii uterrumque ordinem servat.

Septimum præceptum : *Non furaberis.* Nihil hìc controversiâ dignum.

Octavum præceptum : *Non loqueris contra proximum tuum mendax testimonium* (in Exodo), *vanum testimonium* (in Deuteronomio). Vulgata uno verbo utrumque textum coercet, *falsum testimonium*. Nihil magis vanum quàm quod falsum est; unum in alio continetur.

Nonum et decimum præceptum (secundùm Exodum) : *Non concupisces domum proximi tui, non desiderabis uxorem proximi tui, nec servum, nec ancillam, nec bovem, nec asinum, nec omnia quæ proximi tui sunt.* In Deuteronomio accuratiùs distinguuntur duo præcepta. Primò dicit : *Non concupisces uxorem proximi tui*, en nonum præceptum; in decimo autem legitur : *Non concupisces domum proximi tui, nec agrum nec servum, nec ancillam, nec bovem, nec asinum, nec omnia quæ proximi tui sunt.* — Per hæc præcepta, etiam concupiscentia prohibe-

tur rerum quas usurpare sextum septimumque vetaverunt. Ex ordine sexti et septimi præcepti naturaliter deducitur ordo noni decimique, prout fertur in Deuteronomio. Ante omnia raptum adulterum vetat dominus : *Non adulterabis*, hoc est sextum præceptum ; sed etiam, *non desiderabis uxorem proximi tui*, hoc est nonum præceptum. In septimo, quæ sunt aliena rapere vetamur : *Non furaberis ;* in decimo prohibetur etiam desiderio prosequi domum, agrum, servum, ancillam, bovem, asinum, quævis tandem bona aliena : *Non concupisces domum proximi tui, nec agrum, nec servum*, etc. Sic naturaliter decurrit textûs hujus genuina significatio. Sic etiam ex textu Exodi lumen exoritur ad illustrandum tertium octavumque præceptum Deuteronomii, dùm contra circa ultimum utrumque præceptum textus Deuteronomii Exodo illustratur.

Ex his decem præceptis, tria priora ad Deum, septem posteriora ad proximum spectant. In Levitico septem ultima præcepta in unum collecta sunt, quod et omnia complectitur : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Eo textu SS. Matthæus et Marcus illud iterant. Sanctus Paulus illud memorat in eodem sensu, et notat illo præcepto contineri omnia quæ ad proximum attinent : *Qui diligit proximum*, inquit, *legem implevit ; nam, non adulterabis ; non occides ; non furaberis ; non falsum testimonium dices ; non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur : Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur ; plenitudo ergo legis est dilectio.* Quod hìc ad Romanos, alibi ad Galatas iterat : *Omnis lex*, inquit, *in uno sermone impletur : Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Hoc etiam sanctus Jacobus *regalem legem* appellat his verbis : *Si tamen legem perficitis regalem secundùm Scripturas : Diliges proximum tuum sicut teipsum, benè facitis.* Regalem legem vocabat, quasi præcipuam, omnesque leges erga proximum continentem.

Supererat ut et alia lex nostra erga Deum officia complectens, ferretur ; hanc Moyses in Deuteronomio his verbis inscripsit : *Audi, Israel : Ens supremum, Deus noster, Deus unicus est* : *diliges* igitur Ens *supremum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ fortitudine tuâ.*

Hoc est mandatum à Jesu Christo vocatum *maximum et primum*, ut loquitur Evangelista : *Unus enim doctor legis interrogavit Jesum tentans eum : Quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Jesus : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in totâ animâ tuâ, et in totâ mente tuâ. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ.* Paululùm differentiæ reperire est in verbis quæ primum constituunt mandatum, sive inter textum Moysis et Evangelistarum, sive sanctum Matthæum inter et sanctum Marcum. Ad quæ illustranda, notabimus apud Hebræos *cor* assumi pro *mente* aut cogitatione, unde fit ut Septuaginta hìc *mentem*, seu cogitationem, pro *corde* suffecerint. Adde, *animam* assumi pro *desiderio*, ut in psalmis : *Ne tradideris me in animas tribulantium*, id est, ipsorum desideriis non objiciar. Forsan et in græco textu, confusa est vox διανοία, *mens*, cum voce δύναμις, *virtus, fortitudo.* Sic in sancto Matthæo, in quo leguntur *cor, anima, mens*, vox ultima potuit in versione græcâ cum voce *fortitudinem* indicante confundi, et in sancto Marco, qui inscripsit *cor, animam, mentem* et *fortitudinem*, verba *cor* et *anima*, bis eamdem hebræam vocem exprimunt, quam Septuaginta per *mentem*, Vulgataque per *cor* expresserunt. Quatuor ergo Evangelii verba, *cor, anima, mens, fortitudo*, reipsà tribus Moysis continentur terminis, *corde, animâ, fortitudine*, secundùm Vulgatam ; *animâ, mente, fortitudine*, secundùm Septuaginta. Sic ergo interpretamur magnum hoc mandatum : *Diliges* ENS *Deum tuum ex toto corde et animâ*, illi omnes cogitationes consecrando : diliges eum *ex totâ mente tuâ*, omnes ejus desideria in ipsum conferendo ; diliges eum *ex totâ fortitudine tuâ*, omnes actus tuos ad ipsum referendo ; *diliges eum*, diligendoque unicum esse fateberis ; nomen ejus in vanum non assumes ; memor eris ut sanctifices diem sabbati, quem in adorando Domino consumes. Item, *diliges proximum tuum sicut teipsum*, diligendoque honorabis patrem tuum et matrem tuam ; non occides ; non adulterabis ; non furaberis ; non induces falsum testimonium in proximum tuum ; non concupisces ejus uxorem aut quidquid ipsius res sit ; ita lex omnis duabus his mandatis constat.

Sæpiùs tandem in sacris Scripturis, præsertim in Deuteronomio, omnia officia nostra in uno præcepto amoris Dei continentur, quòd, lege Dei nobis æquo modo omnia et in Deum et in proximum nostra officia præscribente, non potest amor Dei cum odio proximi sociari. Inde sanctus Joannes : *Si quis dicit*

quòd amat Deum et fratrem suum odio habeat, mentitus est; nam quomodò qui fratrem suum quem videt non amat, Deum amabit, quem non videt? et illud accepimus à Deo præceptum, ut qui Deum diligit diligat et fratrem suum.

Solus ergo Dei amor præcipua decem mandata Dei, omnesque leges ab eo præscriptas essentialiter complectitur, et ex eorum observatione pendent omnia tum præsentis, tum futuræ vitæ promissa. Inde in Levitico Deus sic ad filios Israel: *Ego* ENS *Deus vester: juxta consuetudinem terræ Ægypti, in quâ habitâstis, non facietis; et juxta morem regionis Chanaan, ad quam introducturus sum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis. Facietis judicia mea et præcepta mea servabitis, et ambulabitis ineis. Ego* ENS *Deus vester. Câstodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo vivet.*

Longè autem ante illa tempora, Deus allocutus Noe, novi orbis caput, ipse patriarcham monuerat et ejus filios, quòd *sensus et cogitatio humani cordis prona sunt in malum ab adolescentiâ suâ;* illud fatale consequens est primi hominis inobedientiæ; et ideò, cùm Israelitæ sibi nimis fidentes ausi fuerunt dicere Moysi: *Audi cuncta quæ dixerit Deus, loquerisque ad nos, et nos audientes faciemus ea,* addidit Dominus: *Quis det talem eos habere mentem ut timeant me, et custodiant universa mandata mea in tempore, ut benè sit eis et filiis eorum in sempiternum?* Et ideò Moyses, quùm eis prænuntiâsset et futuras iniquitates, et imminentes à Deo pœnas Judæis, hoc sermone redituras Dei in ipsos misericordias concinit: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum et cor seminis tui, ut diligas* ENS *Deum tuum in toto corde tuo, et in totâ animâ tuâ, ut possis vivere..... Tu autem reverteris, et audies vocem* ENTIS *Dei tui, faciesque universa mandata quæ ego præcipio tibi hodiè.* Et supra: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodiè, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere: Quis nostrùm valet ad cœlum ascendere ut deferat illud ad nos, et audiamus atque opere compleamus? Neque trans mare positum, ut causeris et dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, et illud ad nos usque deferre, ut possimus audire et facere quod præceptum est? Sed juxta te est sermo valdè in ore tuo et in corde tuo, ut facias illum.*

Sanctus Paulus altissimum sensum nobis aperit illorum verborum, sicque ait: *Finis est legis Christus ad justitiam omni credenti: Moyses enim scripsit quoniam justitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in eâ; quæ autem ex fide est justitia sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cœlum? id est, Christum deducere; aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum à mortuis revocare. Sed quid dicit Scriptura? Propè est verbum in ore tuo et in corde tuo; hoc est verbum fidei, quod prædicamus; quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum et in corde tuo credideris quòd Deus illum suscitaverit à mortuis, salvus eris; corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit in salutem.* Justitia ex corde provenit, sed pronum in malitiam ex suâ naturâ cor hominis non in bonum inclinari aliter potest quàm per gratiam Jesu Christi. Hæc est quæ *circumcidit* cor hominis, cui sanctum amorem infundit, per quem cupidinibus suis exemptum, ad Deum solum fervet, et illa gratia ex fide solâ obtineri potest. Credendum est ergo in Jesum Christum, ut ab eo impetremus per fidem gratiam sine quâ adimplendæ legis incapaces sumus; simulque oportet ut confiteamur Jesum Christum, eique testimonium sicut divino Redemptori reddamus, per cujus gratiam solummodò perficere legem nobis datur. Sic et cor et os in eam adimplendam concurrent: quæ perfectio à nobis cordis et oris consonantiam exigit, ut ametur, et in lucem producatur nostra fides. Hæc fides donum est divinum, cujus primitias cum sacro baptismate jam accepimus, quodque in nobis ut augeatur et servetur, semper precemur.

Credo, Domine, ait Marcus, *sed adjuva incredulitatem meam,* Lucasque: *Adauge nobis fidem, Domine Jesu.* (Translat. ex *Bibl. de Vence.*)

DIVUS HIERONYMUS
IN UNIVERSUM PENTATEUCHUM.
Ad Desiderium.

Desiderii (1) mei desideratas accepi epistolas, qui quodam præsagio futurorum, cum Daniele sortitus est nomen, obsecrantis ut translatum in latinam linguam de hebræo sermone Pentateuchum, nostrorum auribus traderem. Periculosum opus certè, et obtrectatorum meorum latratibus patens; qui me asserunt in septuaginta Interpretum suggillationem nova pro veteribus cudere, ita ingenium quasi vinum probantes; cùm ego sæpissimè testatus sim, me pro virili portione in tabernaculo Dei offerre quæ possim, nec opes alterius aliorum paupertate fœdari. Quod ut auderem, Origenis me studium provocavit, qui editioni antiquæ translationem Theodotionis miscuit, asterisco et obelo, id est, stellâ et veru opus omne distinguens : dùm aut illucescere facit quæ minùs ante fuerant; aut superflua quæque jugulat et confodit, maximè quæ Evangelistarum et Apostolorum auctoritas promulgavit. In quibus multa de veteri Testamento legimus, quæ in nostris codicibus non habentur; ut est illud : *Ex Ægypto vocavi Filium meum;* et : *Quoniam Nazaræus vocabitur;* et : *Videbunt in quem compunxerunt;* et : *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ;* et : *Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se;* et multa alia quæ proprium σύνταγμα (2) desiderant. Interrogemus ergo eos ubi hæc scripta sint, et cùm dicere non potuerint, de libris hebraicis proferamus. Primum testimonium est in Osee, secundum in Isaiâ, tertium in Zachariâ, quartum in Proverbiis, quintum æquè in Isaiâ. Quod multi ignorantes, apocryphorum deliramenta sectantur, et Iberas (1) nænias libris authenticis præferunt. Causas erroris non est meum exponere : Judæi prudenti factum dicunt esse consilio, ne Ptolomæus, unius Dei cultor, etiam apud Hebræos duplicem divinitatem deprehenderet. Quod maximè idcircò faciebant, quia in Platonis dogma cadere videbatur. Denique ubicumque sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre et Filio et Spiritu sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omninò tacuerunt, ut et regi satisfacerent, et arcanum fidei non vulgarent. Et nescio quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit, quibus divisi eadem scriptitârint; cùm Aristæus ejusdem Ptolomæi ὑπεράσπιστὴς, et multò post tempore Josephus, nihil tale retulerint. Sed in unâ basilicâ congregatos, contulisse scribant, non prophetâsse : aliud est enim vatem, aliud est esse interpretem : ibi Spiritus ventura prædicit; hic eruditio et verborum copia, ea quæ intelligit transfert. Nisi fortè putandus est Tullius, Œconomicum Xenophontis, et Platonis Protagoram (2), et Demosthenis pro Ctesiphonte afflatus rhetorico spiritu transtulisse. Aut aliter de iisdem libris per Septuaginta, aliter per Apostolos Spiritus sanctus testimonia texuit : ut quod illi tacuerunt, hi scriptum esse mentiti sint. Quid igitur? damnamus veteres? Minimè. Sed post priorum studia, in domo Domini quod possumus laboramus. Illi interpretati sunt ante adventum Christi, et quod nesciebant dubiis protulêre sententiis : nos post passionem et resurrectionem ejus, non tam prophetiam quàm historiam scribimus : aliter enim audita,

(1) Desiderius pius erat presbyter Aquitanensis, qui unà cum Ripario tractatum composuit de Reverentiâ martyrum reliquiis concedendâ, quem Hieronymus contra Vigilantium produxit. Alii ferunt fuisse laicum doctrinâ præstantissimum, ad quem idem Pater scripserat epistolam CLIV secundùm editionem Benedictinam.

(2) Vox σύνταγμα hic significat commentarium, sive fusiorem explicationem.

(1) Iberi de quibus agitur propè Ponticam provinciam, Colchidem inter et Armeniam degebant, ac inde, si nonnullis auctoribus apocryphis fides, erant exituri reges Gog et Magog.

(2) In aliis manuscriptis legitur Pythagoras, quod scribæ alicujus ignorantiæ vel inattentioni vertendum.

aliter visa narrantur : quod meliùs intelligimus, meliùs et proferimus. Audi igitur, æmule, obtrectator, ausculta ; non damno, non reprehendo Septuaginta ; sed confidenter cunctis illis Apostolos præfero. Per illorum os mihi Christus sonat, quos ante prophetas inter spiritualia charismata positos lego ; in quibus ultimum penè gradum interpretes tenent. Quid livore torqueris ? quid imperitorum animos contra me concitas ? Sic ubi in translatione tibi videor errare, interroga Hebræos ; diversarum urbium magistros consule. Quod illi habent de Christo, tui codices non habent. Aliud est, si contra se postea ab Apostolis usurpata testimonia probaverunt, et emendatiora sunt exemplaria latina quàm græca, et græca quàm hebræa. Verùm hæc contra invidos. Nunc te precor, Desideri charissime, ut quia tantum opus subire fecisti, et à Genesi exordium capere, orationibus juves, quò possim eodem spiritu quo scripti sunt libri, in latinum eos transferre sermonem.

IN LIBRUM JOSUÆ (1)

Introductio.

§. 1. *Argumentum libri Josuæ.* — Liber Josuæ narrat res gestas post obitum Mosis, nempe explorationem urbis Jericho, transitum populi per Jordanem, circumcisionem eorum qui, ob incommoda itineris per Arabiam, non fuerant circumcisi, celebrationem primi paschatis in regione Chanaan, ac occupationem urbis Jericho, quæ diris devota fuit, c. 1, 6. Repulso assultu urbis Ai, et animis populi dejectis, sorte deprehensum est sacrilegium Achanis, quo lapidato capta est Ai, atque demùm mandato, Deut. 27, satisfactum, c. 7, 8. Fœdus, ad quod Gabaonitæ obrepserunt, occasionem ulterioribus præliis præbuit ; nam quùm novis his sociis bellum à rege urbis Jebus seu Jerusalem, et à reliquis Chanaanitarum australium regibus immineret, Josue suppetias tulit, et omnem ferè Chanaan australem devicit. Paulò post reges chanaanitarum borealium, bellum parantes, prævenit, et ingenti clade prostravit, quâ totam ferè aquilonarem Chanaan cepit, c. 9, 12. Anno 7 vel 8 post irruptionem, regio geographicè descripta, et per sortem in tribus divisa fuit, quâ occasione partitio regionis trans Jordanem repetitur. Designatæ sunt urbes asyli, ubi rursùs urbes asyli trans Jordanem repetuntur. Levitis traditæ sunt urbes 48, ex quibus 13 in australi regionis parte cesserunt sacerdotibus, c. 15, 22. Denique referuntur duo comitia et obitus Josuæ c. 23, 24.

§ 2. *Scopus auctoris.* — Ex hâc expositione argumenti patet, auctorem voluisse edocere lectores, quâ ratione illæ patriarchis toties repetitæ promissiones de possessione Chanaan, opere completæ fuerint, et quænam pars cuilibet tribui obvenerit ; hinc etiam antiquiorem occupationem et partitionem regionis trans Jordanem, repetit, Jos. 12, 1, 6, 13 ; 7, 33 ; 20, 8. Recentiorem mutationem partitionis non attingit ; nam occupatio urbium Hebron et Debir per Calebum, Jos. 15, 13, 19, sub Josuâ contigit, et Jud. 1, 10, 15, 20, duntaxat ex antiquiori ævo in memoriam revocatur. Quæ de tribubus Juda, Ephraim, et Manasse Jos. 15, 63, 16, 10, 17, 12, 13, leguntur, non arguunt recentiorem ætatem, nisi fortè, quia cum orationis serie haudquaquàm cohærent, instrusa sint. Denique loca Jos. 15, 9, 18, 25, quibus urbes Gabaonitarum, nempe Kirjath Jearim tribui Juda, Gabaon verò, Beeroth et Rephira tribui Benjamin adscribuntur, haud respiciunt historiam 2 Sam. 4, 2, et 21, 1, 6, commemoratam ; nam Gabaon mox Jos. 21, 17, sacerdotibus traditur ; unde liquet, has urbes Gabaonitis, qui servi erant sacri tabernaculi, relictas quidem, sed tamen ditioni certarum tribuum addictas fuisse.

§ 3. *An Josua libri auctor ?* — Quùm lingua non solùm à Chaldaicis et recentioribus verbis immunis, sed etiam linguæ Pentateuchi affinis sit, nonnulli arbitrantur, librum esse ipsius Josuæ, idque sequentibus argumentis evincere contendunt. 1° Josua dicitur c. 24, 26, pertractata libro legis divinæ adjecisse, ut

(1) Iahn, Introd. in lib. vet. Fœderis.

liber Josuæ sit quasi continuatio quæpiam Deuteronomii, cujus postrema duo capita ab eodem Josuâ adjecta videri possunt. — Ast Jos. 24, 26, non de libro nostro, sed de solâ restauratione fœderis cum Deo, agitur. 2° Ubi mors et sepultura Josuæ, c. 24, 29 et seqq., refertur, stylus variat, non secùs ac in narratione mortis et sepulturæ Mosis, Deut. 33, 34, et Josua, prout ibi Moses, servus Dei salutatur, quod argumento est, hæc ab alienâ manu adjecta esse. 3° Auctor se gestorum fuisse participem innuit, Jos. 5, 1. 4° Liber totus spirat legem Mosis, quod pro Josuâ, individuo Mosis ministro, apprimè facit. Posteriora quidem tria argumenta non sunt contemnenda, verùm ex aliis mox patebit, librum in hunc saltem ordinem redactum, rebus gestis non esse coævum.

§ 4. *An liber sit ætate Josuæ recentior.* — Qui statuunt librum esse multò recentiorem, plura adducunt, quibus nihil evincitur, prout alibi ostendimus; non desunt tamen alia, ex quibus id tutò concluditur. Nam 1° legitur Jos. 15, 63, Judaicos, seu ex tribu Judâ oriundos, habitâsse Jerosolymis cum Jebusitis, qui à tribu Juda devinci non potuerant. Hoc incolarum consortium ortum est expugnatis post obitum Josuæ Jerosolymis; tum enim sedes ibi figebant Judaici, atque Jebusitæ quoque, ex arce Sion quæ intacta manserat descendentes, domicilia sibi vindicabant. Id quidem solum, non penitus evincit, librum post mortem Josuæ scriptum esse, quia, quod Jud. 1, 8, post mortem Josuæ enarratur, ex Josuâ repetitum esse posset. Verùm 2° ad contestandam illam cladem Chanaanitarum australium, refertur Jos. 10, 12, 15, carmen ex libro canticorum, quo testimonio de gestis, quæ erant eâ ætate omnibus notissima, nec Josua, neque alius æqualis, sed auctor duntaxat recentior uti potuit.

§ 5. *Ætas libri Josuæ.* — Librum scriptum esse ante 7 annum regni Davidis, liquet ex Jos. 15, 63, ubi refertur, à tribu Juda non potuisse Jerosolymis eliminari Jebusitas, et hinc eos cum Judaicis hanc urbem incolere, quin ulla fiat mentio de expugnatione arcis Sion sub Davide, qui hostes imbecilles et innocuos ex contemptu non expulit. Recentior ætas ex mentione montium Juda et Israel, Jos. 11, 16, 21, nequaquàm evincitur; nam hæc nominum oppositio non modò primis septem annis regni Davidici, sed ævo quoque antiquiori locum habuit, et ex eo primitùs orta est, quòd Juda, Gen. 49, 3, 10, à patre prærogativam primogeniti accepit. Hinc aliis quoque locis ante schisma, Juda ab Israel discernitur, et Juda opponitur tribui Ephraim seu Joseph, quæ alteram primogeniti prærogativam obtinuerat, Jud. 1, 1, 2, 20, 18; 1 Sam. 11, 8, 15, 4. Si porrò liber Judicum non post septimum regis Davidis annum, vel, prout deinceps ostendemus, non post primos annos regis Saülis scriptus fuit, liber Josuæ ante hoc tempus scriptus sit oportet; auctor enim libri Judicum manifestè librum Josuæ editum ponit; nam Jud. c. 1, 1, et c. 2, 6, 8, exorditur ab obitu Josuæ, quo liber Josuæ clauditur, et, nisi liber Josuæ adfuisset, auctor libri Judicum ab occupatione et partitione Chanaan, quæ consilio ipsius accommodata erat, exorsus fuisset. Quâ verò ætate, et à quo scriptus fuerit liber, expediri nequit; nomen autem à gestis Josuæ, quæ narrat, adeptus est.

(Samaritani satiùs duxerunt, duos sibi novos libros Josuæ cudere, quàm à Judæis unum librum genuinum recipere. Primus orditur ab obitu Mosis, et desinit in Alexandro Severo (Append. ad Hottingeri Exercitat. Antimorinian. Tig. 1644). Alter oritur ab Adamo, et desinit anno 898 Hegiræ, i. e. 1492, Samaritanischer Briefweschel in Eichhorns Repert. für Bibl. und Morgenländ. Litterat. I. Th. S. 117,159.)

§ 7. *Liber Josuæ ex documentis antiquis excerptus est.* — Librum Josuæ ex antiquis et coævis documentis excerptum esse sequentia comprobant. 1° Exemplum Mosis, res gestas litteris mandandi, exspectare jubet, historiam quoque de gestis gravissimis, quibus promissiones Patriarchis factæ, opere completæ sunt, mox scripto exaratam fuisse, inprimis cùm definitio limitum inter diversas tribus, ne temporis progressu lites et bella intestina orirentur, scriptum documentum exigeret. Id 2° confirmatur disertis testimoniis; nam Josuam geographicam descriptionem regionis curâsse legimus Jos. 18, et restaurationem fœderis cum Deo litteris mandâsse, narrat auctor Jos. 24, 25; unde rectè concluditur, etiam reliqua hujus ætatis gesta gravissima in commentarium relata fuisse. 3° Auctor libri absque commentario authentico et coævo non potuisset tot minutas definitiones limitum cujusvis tribûs referre, nec sermones Calebi c. 14, 6, 12, Phinechazi c. 22, 18, 20, tribuum trans Jordanem c. 22, 21, 30, atque ipsius Josuæ c. 23 et 24, indoli cujuslibet tantâ accuratione accommodare, neque omnia ita disponere, ut legem mosaicam spirarent; denique sine documento c. 5, 1, non fuisset locutus ut gestorum

particeps, neque scripsisset, meretricem Rahab usque ad hodiernum diem habitare inter Israelitas, quin de nuptiis ejus cum Salomone, filio Nahassonis, mentionem faceret; quæ omnia simul arguunt, documenta illa fuisse gestis coæva. 4° Ipse auctor libri disertis quoque verbis allegat librum carminum, Jos. 10, 13.

(Ex notatione, quæ sæpiùs recurrit : *In regione Chanaan,* Jos. 21, 22, 9, 11, 32, apparet, auctorem documentorum fuisse genealogum vel Levitam spectabilem trans Jordanem; nam etiam de erecto altari Jos. 21, 9, 24, diligentiùs agit, et sermones Phinechazi et tribuum trans Jordanem, pleniùs refert, ac si præsens fuisset; è contrario relationem Phinechazi in comitiis, paucis absolvit. Ex plenioribus sermonibus Jos. 23 et 24, colligitur, auctorem etiam comitiis interfuisse. Hinc apparet, ex notatione : *In regione Chanaan,* ineptè conclusum fuisse, auctorem vixisse exulem in captivitate Babylonicâ; nam illa notatio est auctoris documentorum coævorum, non redactoris nostri libri.)

§ 8. *Liber Josuæ fide dignus.* — Auctorem illa documenta religiosè excerpsisse, atque fide dignum esse, indubia indicia docent. Nam 1° sermones Rahabæ, Calebi, Phinechazi, tribuum trans Jordanem, et Josuæ, characteribus personarum apprimè convenientes, auctor ex commentario suo ad verbum descripsit, atque in reliquis quoque, more historicis orientalibus consueto, adeò verborum tenax erat, ut c. 5, 1, scriberet : *Donec transiissemus,* etc., n. 6, 25, Rahab habitat *inter Israelitas usque ad hunc diem.* Hinc etiam tribus non adducit ordine geographico, sed ordine illo, quo in documento sese sequebantur, nempe eo, quo partem regionis per sortem acceperunt, Jos. 15, 16, 18 et 19. Pluribus quoque vocibus et phrasibus utitur, quæ in Pentateucho leguntur, in sequentibus autem libris rarò aut nunquàm recurrunt, et aliis, quæ in libris sequentibus frequentes sunt, non utitur. Denique Josuam sine ullâ mentione honorificâ usque post obitum, nominat, prout in documento suo invenerat, neque Jos. 17, 13, adjicere ausus fuit, Hebræos demùm à Chanaanitis, quos tributarios fecerant, in idololatriam inductos fuisse, unde liquet, commentarium scriptum fuisse, antequàm id accidisset. 2° Liber ab Hebræis eâ ætate receptus fuit, quâ, quia ille commentarius adhucdùm aderat, fides auctoris explorari poterat, et gesta erant notissima, uti etiam refertur occupatio et partitio regionis ab Asapho Ps. 78, 53, 65, conf. Ps. 44, 2, 4; clades Chanaanitarum à coævo Davidis Ps. 68, 13, 15; deficientes aquæ Jordanis Ps. 114, 1, 5, 66, 5, 6. Habac. 3, 8; tempestas post cladem Chanaanitarum australium ab Habacuc 3, 11, 13; tabernaculum Silunte Jud. 18, 31, 20, 1, 18, 26; Sam. 9, 24, 3, 21, 12. 3° Denique omnia illi ætati accuratè respondent.

(Sermones Josuæ c. 23, 24, ferè nonnisi phrasibus mosaicis, præsertim iis, quæ in Deuteronomio occurrunt, contexti sunt, quod in sermone Calebi c. 14, 8; 12, Phinechazi et tribuum trans Jordanem c, 22, 11, 34, non observatur; cuilibet autem singularis character loquentis impressus est.)

§ 9. *Difficultates in libro Josuæ.* — Difficultates, quæ in libro occurrunt, fidem auctoris nequaquàm labefactant; sunt enim vel miracula Deo digna, et ad firmandos in religione animos disposita, vel sinistris interpretationibus nituntur. 1° Defectio aquarum Jordanis, quamdiù sacerdotes, arcam sacram portantes, in alveo fluminis consistebant, Jos. 3, 4, Hebræorum, inprimis juniorum, fidem in Deum creatorem et rectorem universi, firmabat. Nec verendum est, ne aquæ, ad Zarthan consistentes, totam planitiem Jordanis inundârint; poterant enim à cavitate subterraneâ, quæ fortè terræ motu aperta fuit, absorberi, donec Hebræi alveum egressi essent, ut miraculum, sicut plura Mosis miracula, fuerit revelatio ejus, quod nemo futurum prævidere poterat. Atque id quidem accidisse, monumentum, in memoriam rei erectum, sequentibus ætatibus testabatur. Qui opinantur, ex hujusmodi monumentis progressu temporis mirabilia fuisse conficta, omni fundamento destituuntur, cùm è contrario ex commentariis etiam coævis constet, monumenta in memoriam actorum fuisse erecta, nullum verò indicium occurrat, ex monumentis fuisse historias confictas. Conf. Jos. 7, 26, 8, 29, 30, 33, 22, 9, 10, 24, 26, etc. 2° Ita quoque mœnia Jerichunti, Jos. 5, 13, 6, 27, eo temporis puncto, quo ambientes urbem Hebræi conclamabant, exorto terræ motu concidere potuerunt, ut miraculum rursùs sit præscientia, omnes vires rationis humanæ excedens. Quidquid sit, mirabile hoc factum ad eumdem cum priori finem gravissimum collineat. 3° Celebris locus Jos. 10, 12, 15, poeticus est; quare poeticè quoque explicandus, nempe, Hebræos tantam cladem intulisse Chanaanitis, ac si sol cursum stitisset, ac diem æquali rursùs temporis spatio prolongâsset. Orta nempe est, ut Habacuc c. 3, 10, 12, exponit, post prælium tempestas, Jos. 10, 11, quæ primùm hostes plu-

rimos grandine confecit, deinde verò Hebræis lumine fulgurum Chanaanitas conspicuos reddidit, ut eos totâ nocte, non secùs ac si dies esset, persequerentur. Poeta in sublimi carmine, audaci figurâ induxit Josuam, soli et lunæ præcipientem, ut cursum sisterent, atque audaciori porrò figurâ adjecit, solem et lunam mandato hominis paruisse.

§ 10. *Indoles textûs libri Josuæ.* — Aliæ difficultates ex mendis nascuntur, quæ textus passim contraxit, quod in libro tantæ antiquitatis aliter cadere non potuit, inprimis in tot nominibus propriis urbium, in quibus errores, præsertim omissiones, facilè committuntur, et non facilè observantur, ut corrigi possent. Sic Jos. 15, 60, versio Alexandrina 11 urbes addit, quæ in hebraico textu desiderantur; Jos. 15, 32, numerantur 29 urbes, ubi priùs c. 15, 20, 31, nomina 36 urbium adducta fuerant; c. 15, 33, 35, urbes 15 nominantur, et c. 15, 36, numerantur duntaxat 14. Vide porrò Jos. 15, 15, 50, 38, et conf. Jos. 19, 6, cum 1 Paralip. 4, 32; Jos. 19, 22, cum 1 Paralip. 6, 62; Jos. 19, 7, cum 1 Paral. 5, 32. — Locus difficillimus Jos. 4, 9, de monumento duodecim lapidum, quod in ipso Jordanis alveo erectum fuisse refertur, dubio procul interpolatus est. — Masora verò injustè damnat duos versus Jos. 21, 36, 37, quos non tantùm 384 codices, et quidem optimi et antiquissimi, 141 editiones, et omnes quoque antiquæ versiones, in Bibliis polyglottis Londinensibus excusæ, exceptâ unicâ Pheschito, referunt, sed etiam locus parallelus 1 Paralip. 6, 63, 63, exhibet, et contextus quoque jure suo reposcit. Accedit, omissionem ob similiter desinens fuisse facillimam, translationem verò ex 1 Paral. 6, 63, 64, in librum Josuæ, ideò non esse probabilem, quia series orationi absque illis duobus versibus sibi non constat.

MASII VITA.

Masius vel Maes (Andreas), Linnichii, non procul à Bruxellis in Belgiâ, natus anno 1526, inter viros ætatis suæ doctissimos facilè annumeratur. In philosophiâ jurisprudentiâque primò mirum in modum profecit, atque Joanni de Vèze, Constantiensi episcopo, à secretis factus est. Anno 1558, cùm Cleviæ uxorem duxisset, Guilielmo, duci Cleviensi, consiliarius accessit. Præterquàm quòd plurimas callebat linguas recentiores, in latino, græco, hebræo, chaldaicoque ac syriaco sermone erat versatissimus. Quorum studio, dùm Romæ adesset legatariâ investitus potestate, seriùs incubuerat, magistro Moyse de Maredin, presbytero Antiochiensi eruditissimo. Tantâ antiquitatis, tum sacræ, tum profanæ, cognitione pollebat, ut dixerit Sebastianus Munsterus, eum videri in antiquâ Româ, vel in antiquâ Jerusalem educatum. Judæorum libros noctu diuque versaverat et noverat penitùs, adeò ut magna inde Scripturas scrutanti lux affulgeret. Multiplicibus et eximiis admodùm doctrinarum ornamentis addebat magis eximiam fortè judicii rectitudinem. Quod ad criticen sacram attinet, nulli sanè secundus, imò nec assimilandus extitit. Cùm verò ratiocinationi paulò liberiùs indulgeret, ingenii acumine abreptus, incidit aliquandò audaculas in assertiones quæ meritam censuræ notam incurrerunt. Attamen non obstantibus raris hisce lapsibus, Masii commentarium in Josuam præstantissimum omnium usque habitum est, clarusque P. Fabricy, Dominicanorum provincialis, non semel votis expetivit, ut denuò typis mandaretur. Cæterùm in sententiâ suâ minimè pervicax erat Masius, narratque Joannes Molanus eum monitum ut Vulgati interpretis versionem nonnisi summâ cum reverentiâ reprehenderet (textum enim hebræum in commentario secutus est), libentissimè consilio acquievisse. Possessione tenuerat celebre illud manuscriptum syriacum quod hodiè amissum lugemus, et quo servata fuerat editio Origeniana libri Josuæ cæterorumque veteris Fœderis librorum historicorum. Hæc syriaca versio ex græco Hexaplorum codice Eusebii Cæsareensis emendationes referente, verbo ad verbum expressa fuerat, circa annum 606.

Cætera Masii opera describet sequens syllabus : Varia fragmenta è syriaco sermone in latinum translata, Antverpiæ, 1569. Linguæ syriacæ vocabularium sub titulo : *Syrorum peculium*, Antverpiæ, 1571, in-f°.; *Grammatica linguæ syriacæ*, Antverpiæ, 1571, in-f°. Quæ posteriora duo opera composuit ideò ut obtemperaret Ariæ Montano aliquid in bibliis polyglottis Antverpiensibus inserendum efflagitanti. *Disputatio de cœnâ Domini oppositâ Calvinistarum impiis corruptelis*, quæ, sicut et commen-

tarium in Josuam, post mortem auctoris solùm prodiit, Antverpiæ, 1575. Commentaria in aliquot capita Deuteronomii. Pleraque hæc opera continent *Critici sacri*, 2 edit. t. 2. Commentaria in libros historicos Scripturæ Masius meditabatur, cùm morte interceptus est. Zuenaræ prope Clevlam piè obiit die septimâ aprilis 1573, ætatis quinquagesimâ septimâ.

IN JOSUAM

MASII PRÆFATIO.

Xenophon, communium rerum humanarum et bello et pace peritissimus vir, persuasum se esse scribit Cyri exemplo, qui Persa cùm esset, maximè hominum, civitatum, nationum multitudini facilè imperavit, ut de sententiâ suâ decederet, quâ ante existimaverat, hominem faciliùs quibusvis animantibus, quàm hominibus imperare posse : jamque statueret, ne laboriosum quidem esse munus, homines regere, nedùm, ut sic dicam, impossibile : modò ut arte quis id agat. Et sanè animi industriam plurimùm conferre momenti, ad rectè, et facilè etiam, gubernandos populos, cùm ipsa ratio dictat, tum, quod ad propositum argumentum pertinet, ostendit Deus, quando successorem flagitanti ante suum excessum Mosi, respondet : Cape tibi Josuam filium Nun, virum in quo est spiritus. Nam spiritum dicere videtur animi industriam, perspicacitatem, prudentiam; sicut Malachias, cùm Israelitarum redarguit intemperantiam, qui suæ libidini exemplum Jacobi opponebant, cùm dicerent, excellentiore eum spiritu præditum fuisse. Sed nobis Christianis persuasissimum esse debet, non tam humanâ prudentiâ homines benè feliciterque moderari hominibus, quàm Christi nutu et gratiâ, qui est æterna Dei Patris sapientia, per quam reges regnant, et principes statuunt quæ justa sunt. Atque haud scio, an ullâ aliâ in re Dei curatio, quâ ille res humanas regit, quàm in imperiis appareat luculentiùs. Quis enim nescit, quantâ ambitione mortalium omnium animus, suo quodam instinctu, non solùm vivendi libertatem, sed etiam aliis imperandi potestatem affectet? Qui fit ergo, ut non solùm civitates, sed nationes etiam, et amplissimæ gentes se unius homunculi imperio subjiciant, cujus sæpè ne nomen quidem per famam ad ipsas est allatum, nedùm magnæ virtutes, nisi quia illum Deus suâ quâdamtenus majestate amplificavit, atque terrore simul et gratiâ reverendum à suis parentibus reddidit? Certè imperiorum regnorumque statum omnem prorsùs ex Dei arbitrio pendere, non autem in mortalium esse manu, vel unus Daniel satis locuples, et certus testis est. Et ornet Xenophon suum Cyrum, quantis velit virtutibus, per quas illum existimet maxima sibi imperia vindicâsse. Nos ex Isaiâ accepimus, illum non naturæ suæ bonitate, aut animi sui prudentiâ, sed prorsùs Dei consilio, ductu, ope tanta patravisse facinora. Sed quorsùm ista? Nempe cùm Josuæ maximum imperium, quod ille apud Israelitas, gentem cum primis pervicacem, per multos annos, ad vitæ suæ finem usque agitavit, explicare instituerim, ne quis vehementiùs admiretur, quibus tandem virtutibus fretus id ille perpetuò ἀναίτιος, καὶ ἀνεπίληπτος tueri et conservare potuerit; et quidem temporibus difficillimis, quando Mosen hominem divinum, toties non solùm querelis suorum popularium, sed vitæ etiam suæ periculis objectum fuisse testata res est. Nimirùm Deus ejus viri actiones omnes rectè, neque usquàm impedito cursu dirigebat, cujus administratione volebat piorum hominum animis regnum filii sui Jesu Christi adumbrare. Illeque vicissim se ad divinæ voluntatis ductum ubique sedulò applicabat. At Mosen, qui senticosæ, inviæ, et infirmæ per carnem legis, neque eò quò spectabat perducere valentis fuit administer, mirabile non est, si cum plurimis difficultatibus luctari est passus. Est igitur hujus sacri commentarii, quem Deo præeunte conabimur explicare, argumentum Josuæ imperium, hoc est, sacra historia, complectens ea quæ populo Dei, à Mosis excessu, prope ad Judices usque, quorum primus fuit Othoniel, acciderunt per annos complures, quorum summam rationemque suo loco explica-

bimus. Inscribitur autem Josuæ nomine, quia ejus, ut dixi, imperium agitur. Neque enim ille scriptor est, ut multis ostendemus argumentis, opportunis locis. Quare futilis, commentitiaque est veterum Judæorum sententia, quam in suo Talmude scriptam reliquerunt de sacrorum librorum auctoribus, his ferè verbis : Moses scripsit librum suum, et historiam Balaam, ac Job. Josua scripsit librum suum, et octo postremos versus, qui in lege habentur. Samuel scripsit librum suum et historiam Judicum, ac Ruth. David scripsit librum suum Psalmorum ex sententiâ decem senum, Adami, Melchisedech, Abrahami, Mosis, Heman, Jeduthun, Asaph, denique trium liberorum Coræ. Jeremias scripsit librum suum, et librum Regum, atque Lamentationes; Ezechias, et ejus familia res scripserunt vaticinationes Isaiæ, Proverbia, Cantica canticorum et Ecclesiasten. Viri synagogæ magnæ scripserunt prædictiones Ezechielis, et duodecim prophetas minores, ac insuper Danielem, et volumen Esther. Esdras scripsit librum suum et genealogias libri Paralipomenon, usque ad eum locum, in quo suam ipse cognationem ostendit. Cætera absolvit Nehemias. Hæc ferè ad verbum Talmudici capite primo Babæ batræ; quàm rectè alii judicent. Mihi certè ea est opinio, ut putem, Esdram, sive solum, sive unà cum æqualibus, insigni pietate et eruditione viris, cœlesti spiritu afflatum, non solùm hunc Josuæ, verùm etiam Judicum, Regum, alios, quos in sacris, ut vocant, Bibliis legimus libros, ex diversis annalibus apud Ecclesiam Dei conservatis compilâsse, in eumque ordinem, qui jam olim habetur, redegisse atque disposuisse. Quin ipsum etiam Mosis opus, quod vocant πεντάτευχον, longo post Mosen tempore, interjectis saltem hic, illic, verborum, et sententiarum clausulis, veluti sarcitum, atque omninò explicatius redditum esse, conjecturæ bonæ afferri facilè possunt. Nam ut unam, exempli causâ, dicam, Cariath-Arbe sæpè illic Hebron nominatur et tamen hoc illi urbi nomen à Calebi filio Hebrone impositum esse graves auctores tradiderunt. Quapropter neque divus Hieronymus, in actione contra Helvidium, aliter de Pentateuchi scriptore sentire videtur. Cæterùm priscis temporibus apud Ecclesiam fuisse diaria et annales, in quibus res gestas, ut quæque notatu dignissimæ, ad doctrinæ sacræ propagationem utilissimæ videbantur, continuatâ serie inscribebant ii qui quoquo tempore eleganti eruditione, pietateque præstantes in populo Dei vivebant, satis docent, cùm aliæ, quæ sæpè laudantur, quamvis jam interciderint, Regum historiæ ; tum liber bellorum Domini, et liber Recti, in quo et Josuæ nostri, et Samuelis, Saülisque gesta fuisse inscripta certum est. Quin ipsæ sacræ litteræ eos tales annalium, sive diariorum scriptores, המושלים, appellant, hoc est, argutos, scitos, facetosque homines, et subtiles ac elegantes scriptores משל, Maschal enim dicendi, scribendive genus est urbanum, ingeniosum, facetum, elegans. Nimirùm isti, res omnes quæ memorabiles usquàm in cœtu Dei eveniebant, prout magis, minùs insignes erant, partim ligatâ oratione, aliâ solutâ, conscribebant. Quis, quæso, non stultus, et stupidus existimet, Samuelem, cùm Saülis se quærentis ipsa verba esset recitaturus, sic esse præfatum : Eum qui hodie Propheta dicitur, vocabant olim Videntem, ac non potiùs hæc esse verba scriptoris res priscas, et à suo seculo longè remotas narrantis? Verùm enimverò non est magnoperè contendendum de scriptore, modò ut credamus, sicut ipsarum rerum gestarum, ita et verborum, per quæ ad nos illæ sunt propagatæ, auctorem esse Deum, ut inde congruenter ad ipsius voluntatem vivendi normam discamus, perpetuamque ipsius de suo cœtu, et nostrâ salute providentiam propiùs agnoscamus, eòque ad ipsum magis magisque amandum, observandum, colendum excitemur. Sed ut priusquàm propositæ historiæ verba aggredimur explicare, pauca repetamus, quæ extra hoc commentarium de Josuâ sunt sacris litteris prodita, fuit ipse genere Ephraïmita, hoc est, ex dilectissimo Josepho prognatus, patre Nun, quem Græci diducto nomine in syllabas duas, Ναυη, Nave, vocant. Fuisse autem eum inter suos tribules virum primarium, constat ex Numeris. Neque enim è Cades-Barne, nisi qui in quâque tribu principes erant, ablegabantur. De corporis quidem præstantiâ, nihil quod sciam est sacrâ narratione proditum. At animi vigorem imperio dignum fuisse, planum nuper faciebam, vel Deo teste. Porrò cooptavit eum Moses in suam familiam, idque, ut credibile est, postquàm rubi ostento monitus, in Ægyptum à Madianitis revertisset. Quo tempore quadragenario minor ille esse non potuit, quod suo loco explicabimus. Sed profectò non sine cœlesti instinctu cooptavit, nimirùm, ut qui Dei populum esset aliquandò recturus, ipse priùs ab omnium mortalium eâ ætate optimo sanctissimoque imperatore regeretur. Qui enim

benè imperaturus est, ut benè aliquando paruerit est necesse. Quapropter etsi complures alios haberet ille ministros, qui in Numeris vocantur בחורים, quasi electos illius pueros dicas, hunc tamen unum in rebus arcanis comitem adhibuisse, et conscium memoratur. Nempe is est benignissimi Dei erga suam Ecclesiam liberalissimus amor, itàque hujus commodis semper ille prospicit, ut nunquàm deesse ipsi bonos pastores ducesque patiatur, sed maturè alios sufficiat post alios, nisi nos ipsi nostrâ improbitate talibus indignos præstemus. Quam enim aliam Mosi causam fuisse existimabimus, adversùs eos qui primi occurrebant, hostes Amalecitas, Josuam imperatorem dicendi, nisi ut Dei consilium, de futuro felicissimo hujus imperio, jam tum quadamtenùs populo patefaceret, eòque ad spem meliorem, in rebus adversis, cùm cæteram multitudinem, tum in primis Josuam ipsum excitaret? Certè Deus ipse, dùm mox post pugnam jubet rem gestam, hoc est, victoriam non tam militari virtute, quàm divinâ ope partam, in scriptum monimentum referre, et singulariter in Josuæ aures indere, tantùm non digito ostendit, eum esse, quem post Mosen ad rerum communium gubernacula destinavisset. Non ergo obscurum jam est, quid Mosen moverit, ut hunc unum quàm cæterorum quemquam altiùs, atque ad Deum propiùs subduceret in montem Sinæum. Missus est deinde è Cades-Barne cum aliis undecim viris speculatum Chananæam, non quidem ut Mosis minister, sed ut inter suos tribules primus, et non tam Mosis, quàm populi suffragio ad id munus delectus, quantùm ex Deuteronomio apparet. Fuisset enim alioqui fides ipsius suspecta, cùm ea referret quæ, ut heri sui Mosis pulchrè votis respondebant, ita populi universi, modò unum Calebum excipias, libidini planè adversa videbantur. Sed enim hic rursùs animadvertenda est divina providentia, quæ ita et Mosis, et populi animos comparavit, ut Josuam, inter alios, hostilis terræ situm, soli naturam, incolarum atque urbium vires, et propugnacula exploratum mitteret, nempe, ut per regionem ante perspectam, exercitum ipse olim cautiùs ducere, et terræ ubertate, bonorumque omnium copiâ subinde verbis proposita, suos animare milites sciret, atque adversùs consideratos semel hostes audaciâ majore procederet. Nihil enim est, quod æquè vel præstantissimorum imperatorum virtutes impediat, atque locorum et hostium ignoratio. Verùm quantâ et probitate, et animi magnitudine illud speculatoris munus sit ille exsecutus, ipsa testatur sacra historia, quæ in Numeris est præscripta.

Porrò annos circiter quadraginta familiaritate intimâ Mosis usum, atque de arcanis Dei consiliis, ut credibile est, satis edoctum, iisque quas diximus virtutibus populo spectatum, probatumque Josuam Deus tandem nominatim successorem Mosi designavit; cùm hic, ut erat parentium amantissimus, sub vitæ suæ excessum, successorem aliquem supplex flagitaret. Neque verò designavit modò nominatim, sed ad illas virtutes, quibus, ut dictum est, egregiè ante ornatus ille erat, per impositam Mosis manum, qui solemnis semper fuit consecrationis ritus, eum addidit virtutum cumulum, quo tantum ille munus tenere, atque explere posset. Sed dices, Moses de suo populo post se sollicitus, ducem à Deo flagitans, nullo verbulo Josuam præ quovis commendat: non igitur conscius ante fuisse videtur, quod nuper dicebamus, consilii Dei de Josuâ sufficiendo. Atqui Moses prudenter Josuæ nomen tacet, ne per humanam gratiam eâ ille auctus dignitate videri possit; sed Dei judicio consilioque creatus, tum imperii majestatem apud populum illibatiorem obtineat, tum apud suum ipse animum, à quo illa amplificatus sit, propiùs semper reputet, eòque majore cum sedulitate et cautione officio suo fungatur. Hùc etiam pertinent illa, quòd ipsum Deus, impositâ Mosis manu consecratum, ut jam dixi, spirituque sapientiæ auctum, in ipso sacro tabernaculo cum Mose sistit, palàm ipsi illic, quæ opus sit, præcepturus; quòdque mox in nube, quæ circumfusa delubro hærebat, apparens, inspectante universo populo, multa ad utrumque verba facit, quæ in Deuteronomio leguntur. Sed quando ex sacris litteris certum est, fuisse tempus, cùm ille, non Josua, sed Hoseas vocaretur, et hoc nomen cum priore commutatum à Mose esse, non fuerit fortassis à nostro argumento alienum, hâc de re paucis disserere. Igitur illud observatum est, nemini, in sacrâ historiâ nomen consultò aut impositum ab initio, aut post cum altero nomine mutatum esse, quin magnæ cujuspiam rei, et singularis, quæ illo futura esset, præsagium fuerit. Ut autem hoc exemplis propositis ita esse constet, decurremus leviter per omnes Ecclesiæ πολιτείας et constitutiones, quas omninò sex, pro numero dierum, quibus universæ hæc mundi machina est effe-

cta, alteram alteri successisse, mihi visus sum animadvertere. Illam enim beatam vivendi rationem, quæ condito Adamo in Paradiso designata à Deo fuerat, ego primam Ecclesiæ politiam, et statum fuisse existimo. Illam verò, quam infelix Adam, propter peccatum Paradiso ejectus, ac mortalitate, et iis quæ hanc comitantur, ærumnis plurimis damnatus, in mundo, cum suis ad diluvium usque nepotibus, durissimè, et miserrimè egit, secundam facio. In harum autem utrâque antistes qui fuit, ipse Adam, quamvis non ex solo terreno corpore, sed divino etiam, et cœlesti animo, parte multò, quàm illud est, præstantiore, compositus esset tamen ab humo, Adam, hoc est, homo statim ut conditus fuit, appellatus à Deo est. Quod nomen signum fuit, homines corporis studio atque cupiditati magis, quàm animi deditos fore. Hoc autem nimiò plus quàm oportuit verum esse, quis est qui nesciat? Post illum secundus humani generis parens Noa, à quo tertius Ecclesiæ status initium cepit, cùm recens natus esset, neque dùm ullam de se singularis indolis spem præbere, præ tenellâ ætate, posset, angustissimo illo nomine נוח Noa, hoc est, quiete, sive consolatione, vocatus est à parente suo Lamecho; quod nomen novam, et lætiorem mundi faciem polliceretur, mitigatâ nonnihil terræ malignitate, quâ pro divinâ exsecratione affecta, mirâ contumaciâ adhuc mortalium labores fuerat frustrata. Et verò præsagium pulchrè eventus comprobavit, cùm post diluvium Deus mundum instaurans, se non ampliùs exsecraturum terram, hominis causâ, promitteret, sed fore, ut perpetuâ vicissitudine, post sementem messis, post frigus calor, post hyemem ætas succederet; cùmque ipsi Noæ, et filiis benedicens, ipsos procreatâ sobole augescere, juberet; denique cùm animalium feritati rursùs novum frenum sui verbi imponeret, et in summâ, cùm post Adæ peccatum, novo fœdere, veluti jam placatior, se humano generi primùm obligaret. Quanquàm longiùs etiam spectâsse hoc tam lætum Noæ nomen equidem existimo; atque ejus potissimùm sive consolationis, sive requietis, spem animis piorum jam tum proposuisse, quâ in Christo, tanquam piaculari hostiâ, quæ irato patri genus humanum esset tandem aliquando reconciliatura, recumbere possent, ne amissæ in Paradiso felicitatis desperatione fatiscerent. Cùm porrò gradatim Ecclesiam suam clementissimus Deus ad perfectionem informans segregare jam eam à reliquâ mortalium turbâ, per circumcisionis notam vellet, eâque de re quartam politiam institueret, sevocato Abrahamo, quem ad id gratuitò delegerat inter idololatras degentem, nomen quoque commutavit; et ejusmodi indidit, quo parens multarum gentium ille futurus ostenderetur, vir jam tum annos natus circiter centum, uxorisque nonagenariæ maritus, neque tamen ullius ingenuæ prolis adhuc pater. Sed sanè evenit, quod nomen promittebat. Nam, ut Ismaelitas, cæterasque ex uxore Cetturâ propagatas gentes, tanquàm alienas, prætereamus, ipsæ duodecim tribus, totidem profectò populi potuêre videri. Verùm hìc quoque Augustinus aliquid tam fausto nomine prænuntiatum existimari debet, quod, ut illa Noæ requies, consolatione, in postremâ Ecclesiæ constitutione esset eventurum, scilicet innumerabilem diversarum gentium ex toto orbe multitudinem Abrahæ fidei vestigiis insistentem, quâ fide ille nondùm circumcisus crediderat Deo, esse veluti in gentem nomenque Abrahæ concessuram. Jam verò cùm visum esset æterno Dei consilio, Ecclesiam, non modò resecti præputii signo ab reliquis hominum cœtibus separare, verùm etiam peculiaribus vivendi legibus, et religionis ritibus; eòque quintam moliretur πολιτείαν, cujus administrum facere Mosen constituebat; ejusce notionis nomine hunc insigniri procuravit, quod haud obscurum liberandæ Ecclesiæ ex summis calamitatibus, et fluxâ religione, quibus malis illa tum in Ægypto laborabat, certissimum esset præsagium. Moses enim, aquis extractum significat, quarum natura fluxa est, quæque in sacris litteris miserias atque ærumnas significant. Porrò cùm neque hæc quinta, hoc est, ante ultimam proxima Ecclesiæ constitutio, quantùmvis multis instructa legibus, beatam omninò suorum civium vitam efficere posset, neque ipsos ad amissam illam Paradisi felicitatem reducere, et proinde sextâ opus esset politiâ; quæ, utpote postrema, ab Hebræis, אחרית הימים, hoc est, dies novissimi, vocatur, et temporis plenitudo, cujus antistes non secundùm legem constitutionis carnalis, sed secundùm potentiam vitæ indissolubilis crearetur, voluit clementissimus Deus, hujus tam optabilis politiæ, et quæ inde post violatam primam, cæterarum omnium scopus fuerat, tantò maturius, tantòque certius præsagium populo suo exhibere, tum per nomen, tum per res gestas Josuæ, quantò ille qui Mosis principatu fuit

status, ob legum multitudinem difficultatem que gravior; hic verò alter exoptatissimus vicinior erat. Nam adhuc nonnisi obscurissimis adumbratum fuerat figuris mysterium retituendæ cœlestis illius hæreditatis per Jesum Christum, quam primus parens amiserat. Igitur Hoseam filium Nun in medium produxit; eumque cœlesti suo instinctu Josuam, hoc est, Jesum, vocari jussit, ut ille postremæ politiæ antistitem et administrum, Jesum Christum, non solùm factis adumbraret, sed ipso etiam nomine clarè referret. Nam quem Hebræi, יהושע, Josuam vocant, eum à Græcis, Ἰησοῦν, Jesum dici, nemo dubitare potest, qui sacram historiam vel præteriens aspexit. Quòd enim Talmudici, et hos cæcos duces secuti Judæi, servatoris nostri nomen, non יהושע, sed præcisè et paucioribus litteris, ישו, notant, id nefarii homines per contumeliam faciunt; et simul, ne, quem dixi, typum agnoscere cogantur. Quæ verò Petrus Galatinus, pro nomine ישוע asserendo prodidit, in opere Arcanorum catholicæ veritatis, ea parùm firma sunt. Ut illud Judaicum, et superstitiosum, quod alii de accepto atque ascito ex nomine illo divino, quod τετράγραμμον vocant, nos quadrilitterum dicere possumus; elemento uno Jod, pro grandi mysterio jactant. Quin Justinus philosophus, et scriptis, et sanguine suo fidei nostræ assertor, non dubitat apud Tryphonem suum, illa Dei ad Ecclesiam verba, quæ in Exodo Scripta sunt: *Ecce ego mitto angelum ante faciem tuam*, et quæ sequuntur, atque his tandem verbis concluduntur, *quia nomen meum est in ipso;* ista, inquam, verba non dubitat Justinus huic nostro Josuæ accommodare; ut qui Dei Christi Jesu nomine appellatus, populum perduxerit in terram patribus olim promissam. Et sanè non est absurda illa interpretatio, quanquàm fatendum est, eadem dicta in Christum ipsum perfectissimè quadrare, ut in quo fuerit Dei nomen, hoc est, ipsa, ut sic dicam, Dei essentia, quæ nomine illo quadrilittero יהוה Jehova quadamtenùs significatur. Sic enim Paulus sensit, cùm Christum fuisse diceret, eum qui Israelitis per desertum præibat. Nam usitatum est in sacris litteris, quæ de Christo ipso, deque ejus regno, atque dispensatione, ut vocamus, produntur, ea simul aliis personis accommodare, quæ alium, κατ'ἀναγωγήν, adumbrant; tametsi hæ narrationis veritatem non usquequàque, tueri, ac sustinere possint. Sed ut eò revertamur unde sumus digressi, qualia modò veteris Testamenti exempla, de nominibus consultè aut impositis, aut mutatis protulimus, talia in novo quoque plurima occurrunt. Simonem enim, Cepham à Christo esse vocatum, hoc est Petram, propter Ecclesiæ fundandæ mysterium, testatur divus Cyprianus. Et Joannes tonitru filius meritò est appellatus, qui aliquando plenus numine, oraculum illud cœleste, quasi ex ipso æterni patris abditissimo sinu, esset intonaturus apud mortales: *In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum*, etc., sed hæc satis sunto. Quid enim opus pluribus, in re non dubiâ? Porrò cætera quæ ad Josuæ vel magnam indolem, vel imperandi felicitatem, vel denique personam in rebus gerendis, quâ Christum adumbravit, attinent, ea suis quæque locis in explicando hoc commentario ostendentur. Sed enim, postularet de more hic locus, ut conquisita et proposita, quoad ejus fieri posset, maximâ utilitate, quosvis ad præsentis libelli lectionem invitarem. Sed quando divus Paulus sacros libros universè omnes semel nobis satis commendavit, tanquam θεόπνευστους, et à Dei spiritu dictatos, utilesque ad doctrinam, ad reprehensionem, ad correctionem, ad disciplinam justitiæ, denique ad ita comparandum hominem pium, ut ad omnem probitatem sit instructus, eruditusque ad salutem, quam per fidem, quæ Christo Jesu habetur, consequi possit, quâ utilitate nulla sanè major excogitari queat, non puto magnum operæ pretium fore, si in eâ re prolixior sim; quare tribus hunc locum verbis expediam. Anni erant elapsi circiter quadringenti, ex quo Abrahæ primùm id promissum fuerat à Deo, quod hic jam ipsius posteris præstari videbimus; qui tamen interea tam dissimiles sæpè illi suo parenti fuerant, ut videri potuerint operam multam dedisse, quo se illis promissis facerent indignos. Primùm igitur in hâc historiâ, quasi in speculo, apparebit admirabilis Dei, in tuendâ verbi sui veritate, constantia; potiùs enim immensâ bonitate adversùs nostram contumacem vitiositatem ille diù multùmque decertat, quàm sua promissa patiatur cadere ad irritum; quanquàm esse non possunt illa quidem certè unquàm, quoad ipsum, irrita, etsi à nobis interdum impediebantur. Atqui ne sic quidem prorsùs eventu carent, sed novis quibusdam modis ab illo ad rem conferuntur. Sed hoc suo loco pluribus disputabitur. Prætereà Josuæ persona nusquàm non repræsentabit nobis præcipuas, quæ bonum imperatorem decent, virtutes.

Quarum summa est, Deum in omni re religiosè consulere, à quo, ut diximus, principum omnium auctoritas dependet, et felicitas, rerumque gerendarum successus; quique solus novit quæ facto, aut non facto opus sint; eorumque benignè illos, qui se ritè colunt, admonet: cæteroqui si, neglecto Deo, humana consilia illi sectentur, nihilò certiora agant, quam si sortis casum. Denique illud etiam luculenter ostendetur, per probam religionem popularium, respublicas maximè conservari. Ac proindè imperatorem, atque adeò principem quemlibet, debere non solùm seipsum præstare probum piumque adversùs Deum, verùm etiam ut parentes sanctissimè Religionem tueantur et colant, procurare. Ad hæc, subjicietur oculis universæ Chananææ descriptio Quæ, etsi ignotorum nominum multitudine lectori molestior, quàm utilior videri possit, mirificè tamen utilis, imò necessaria est, ad intelligendas rectè plurimas in sacris litteris historias. Sed hoc quoque suo loco dicetur explicatiùs. Postremò, hujus libri narratio, non tam Josuæ filii Nun res gestas, quàm Jesu-Christi sacramenta et œconomiam nobis proponet, ut ait Adamantius, et nos passim ostendemus, pro nostri ingenii mediocritate. Nam, ut ante diximus, Josua, et nomine, et rebus gestis Christum adumbravit, pulcherrimoque exemplo docuit, nos, quotquot Christo nomen dedimus, nisi per continuas difficilesque certationes adversùs septem præcipua, quæ probitati nostræ perpetuò infesta sunt, vitia susceptas, cœlestem nostram hæreditatem adipisci non posse. Sed hæc hactenùs. Puto enim ex his perspicuum satis esse, maximis hunc sacrum commentarium abundare utilitatibus. Quare ad ipsam ejus interpretationem accedamus, virtute auspicioque veri Josuæ, hoc est, Jesu Christi nitentes, fidentesque.

CAPUT PRIMUM.

1. Et factum est (1) post mortem Moysi servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Josue filium Nun, ministrum Moysi, et diceret ei:

2. Moyses servus meus mortuus est: surge, et transi Jordanem istum, tu, et omnis populus tecum, in terram quam ego dabo filiis Israel.

3. Omnem locum quem calcaverit vestigium pedis vestri vobis tradam, sicut locutus sum Moysi.

4. A deserto et Libano usque ad fluvium magnum Euphraten, omnis terra Hethæorum usque ad mare magnum contra solis occasum erit terminus vester.

5. Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ tuæ: sicut fui cum Moyse, ita ero tecum; non dimittam nec derelinquam te.

6. Confortare, et esto robustus; tu enim sorte divides populo huic terram pro quâ juravi patribus suis ut traderem eam illis.

(1) *Et factum est.* Conjunctio *et*, quæ sic in principio nonnullorum librorum Scripturæ sacræ legitur, indicat librorum horum connexionem. Hic monet librum Josuæ esse sequentiam historiæ quæ in Moysis Pentateucho continetur.

CHAPITRE PREMIER.

1. Après *les trente jours du deuil de* la mort de Moïse, serviteur du Seigneur, le Seigneur parla à Josué, fils de Nun, ministre de Moïse, et lui dit:

2. Moïse mon serviteur est mort; allez, et passez ce *fleuve du* Jourdain, vous et tout le peuple qui est avec vous, *pour entrer* dans la terre que je donnerai aux enfants d'Israël.

3. *En quelque lieu de cette terre que vous alliez*, partout où vous aurez mis le pied, je vous livrerai ce lieu-là, selon que je l'ai dit à Moïse.

4. Vos limites seront depuis le désert *de Sin, du côté du midi,* et le Liban, *du côté du septentrion,* jusqu'au grand fleuve d'Euphrate, *du côté de l'orient; ainsi vous possèderez* tout le pays des Héthéens *et des autres peuples de la terre de Chanaan, depuis la partie orientale* jusqu'à *la mer Méditerranée, appelée* la grande mer, qui regarde le soleil couchant.

5. Nul *de ces peuples* ne pourra vous résister, *ni à vous ni à mon peuple*, tant que vous vivrez *et que vous observerez avec fidélité la loi que je vous ai donnée.* Je serai avec vous pour *vous secourir,* comme j'ai été avec Moïse; je ne vous laisserai point, je ne vous abandonnerai point.

6. Soyez ferme et courageux; car vous partagerez à tout ce peuple par le sort la terre que j'ai promis avec serment à leurs pères de leur donner.

7. Prenez donc courage et armez-vous d'une grande fermeté, pour observer et accomplir toute la loi que mon serviteur Moïse vous a

7. Confortare igitur, et esto robustus valdè, ut custodias et facias omnem legem quam præcepit tibi Moyses servus meus; ne declines ab eâ ad dexteram vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis.

8. Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo; sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia quæ scripta sunt in eo: tunc diriges viam tuam et intelliges eam.

9. Ecce præcipio tibi, confortare et esto robustus. Noli metuere et noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris.

10. Præcepitque Josue principibus populi, dicens : Transite per medium castrorum, et imperate populo, ac dicite :

11. Præparate vobis cibaria, quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, et intrabitis ad possidendam terram quam Dominus Deus vester daturus est vobis.

12. Rubenitis quoque et Gaditis et dimidiæ tribui Manasse ait :

13. Mementote sermonis quem præcepit vobis Moyses famulus Domini, dicens : Dominus Deus vester dedit vobis requiem et omnem terram.

14. Uxores vestræ et filii ac jumenta manebunt in terrâ quam tradidit vobis Moyses trans Jordanem; vos autem transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu, et pugnate pro eis,

15. Donec det Dominus requiem fratribus vestris, sicut et vobis dedit, et possideant ipsi quoque terram quam Dominus Deus vester daturus est eis; et sic revertemini in terram possessionis vestræ, et habitabitis in eâ, quam vobis dedit Moyses famulus Domini trans Jordanem contra solis ortum.

16. Responderuntque ad Josue, atque

prescrite. Ne vous en détournez ni à droite ni à gauche, afin que vous fassiez avec intelligence *et avec succès* tout ce que vous avez à faire.

8. Que le livre de cette loi soit continuellement dans votre bouche, et ayez soin de le méditer jour et nuit, afin que vous observiez et fassiez tout ce qui y est écrit. Ce sera alors que vous rendrez votre voie droite *et heureuse*, et que vous vous y conduirez avec intelligence *et avec succès.*

9. Je vous l'ordonne, soyez ferme et courageux, ne craignez point et ne vous épouvantez point; car quelque part que vous alliez, le Seigneur votre Dieu sera avec vous.

10. Josué fit donc ce commandement aux princes du peuple, et leur dit : Passez par le milieu du camp, et donnez cet ordre au peuple, et dites-leur :

11. *Vous êtes maintenant dans l'abondance, par la conquête que vous venez de faire du pays des Amorrhéens :* faites *donc* provision de vivres : car dans *peu vous décamperez d'ici, et* trois jours *après que vous aurez décampé* vous passerez le Jourdain, et vous irez prendre possession de la terre que le Seigneur votre Dieu doit vous donner. *Alors la manne cessera de tomber, et vous aurez besoin des vivres que vous pouvez maintenant emporter.*

12. Il dit aussi à ceux de la tribu de Ruben, de la tribu de Gad et à la demi-tribu de Manassé :

13. Souvenez-vous de ce que vous a ordonné Moïse, serviteur du Seigneur, lorsqu'*après vous avoir donné les terres que vous possédez*, il vous a dit : Le Seigneur votre Dieu vous a mis en repos et vous a donné tout ce pays.

14. Vos femmes, vos enfants et vos bestiaux demeureront dans la terre que Moïse vous a donnée en-deçà du Jourdain, *et la plus grande partie de ceux d'entre vous qui sont en état de porter les armes demeurera avec eux pour les garder;* mais pour vous, tous tant que vous êtes de vaillants hommes, passez à la tête de vos frères les armes à la main, et combattez pour eux,

15. Jusqu'à ce que le Seigneur donne le repos à vos frères, comme il vous l'a donné, et qu'ils possèdent aussi eux-mêmes la terre que le Seigneur votre Dieu doit leur donner; et après cela vous reviendrez dans le pays que vous possédez pour y habiter, comme dans le lieu que Moïse, serviteur du Seigneur, vous a donné en-deçà du Jourdain, vers le soleil levant.

dixerunt : Omnia quæ præcepisti nobis faciemus, et quòcumque miseris ibimus.

17. Sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus et tibi ; tantùm sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse.

18. Qui contradixerit ori tuo et non obedierit cunctis sermonibus quos præceperis ei, moriatur ; tu tantùm confortare, et viriliter age.

16. Ils répondirent à Josué, et lui dirent : Nous ferons tout ce que vous nous avez ordonné, et nous irons partout où vous nous enverrez.

17. Comme nous avons obéi à Moïse en toutes choses, nous vous obéirons aussi ; *nous souhaitons* seulement que le Seigneur votre Dieu soit avec vous comme il a été avec Moïse, *et qu'il vous accorde comme à lui sa puissante protection.*

18. Que celui qui contredira *les paroles qui sortiront de* votre bouche et qui n'obéira pas à tout ce que vous lui ordonnerez, soit puni de mort. Soyez ferme seulement, et agissez avec un grand courage. *Nous vous obéirons, et nous vous suivrons partout.*

TRANSLATIO EX HEBRÆO.

1. Post mortem autem Mosis servi Domini, dixit Dominus ad Josuam, filium Nun, ministrum Mosis, inquiens : — 2. Moses servus meus obiit. Jam ergo surge ; transi Jordanem istum, tu, et omnis populus iste, in terram quam ego do ipsis filiis Israel. — 3. Omnem locum quem calcabit planta pedis vestri, eum vobis dedi, sicut locutus sum ad Mosen. — 4. A deserto, et usque ad Libanum istum, et usque ad flumen magnum flumen Euphratem. Omnis terra Hetthæorum, et usque ad mare magnum ad occasum solis, erit terminus vester. — 5. Non consistet quisquam adversùs te omnibus diebus vitæ tuæ. Sicut fui cum Mose, ero tecum. Non deseram te, neque destituam te. — 6. Esto fortis et firmus : nam tu mittes populum hunc in possessionem terræ, quam juravi patribus ipsorum, me ipsis daturum. — 7. Prorsùs esto fortis et firmus valdè : ut observes agere secundùm universam legem, quam imperavit tibi Moses servus meus. Ne divertas ab eâ ad dextram aut sinistram, ut prudens sis in omni eo, in quo versaberis. — 8. Non dimoveatur liber legis iste ab ore tuo. Sed meditare in eo die nocteque, ut observes agere secundùm omne id quod scriptum est in ipso. Tunc enim prosperabis viam tuam : et tunc prudens eris. — 9. An non mandavi tibi ? esto fortis et firmus ; ne sis pavidus, neque frangare. Quia adest tibi Dominus Deus tuus, in quâcumque re versaberis. — 10. Igitur Josua monitoribus populi jussit, dicens : — 11. Transite per medium exercitum, et præcipite populo, dicendo : Parate vobis cibum, quia intra triduum vos transitis Jordanem istum, ut eatis possessum terram, quam Dominus Deus vester dat vobis possidendam loco hæreditatis. — 12. Ad Rubenitas verò et Gaditas, ac dimidiam tribum Manassis ait Josua, dicens : — 13. Memores estote ejus rei quam mandavit vobis Moses servus Domini, dicens : Dominus Deus vester dat vobis quietem, et attribuit vobis terram istam. — 14. Uxores vestræ, parvuli vestri et pecudes vestræ manebunt in eâ terrâ quam attribuit vobis Moses cis Jordanem : sed vos pergetis balteis succincti coram fratribus vestris, omnes viri militares, opemque feretis ipsis. — 15. Donec quietem dederit Dominus fratribus vestris sicut vobis. Cùmque possidebunt etiam ipsi terram, quam Dominus Deus vester dat illis, revertemini in terram possessionis vestræ : possidebitisque eam, quam attribuit vobis Moses servus Domini cis Jordanem, versus ortum solis. — 16. Responderunt autem Josuæ, dicentes : Omne id quod nobis imperâsti, faciemus : et quocumque nos miseris, ibimus. — 17. Omninò ut Mosi auscultavimus, sic auscultabimus tibi. Cæterùm sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Mose. — 18. Quisquis rebellis fuerit ori tuo, neque auscultaverit verbis tuis in omni eo quod ipsi es præcepturus, occidatur. Cæterùm esto fortis et firmus.

COMMENTARIUM.

Post mortem autem Mosis servi Domini, dixit Dominus.— Hebræum habet ad verbum, *Et fuit post mortem Mosis servi Domini ; et ait Dominus ad Josuam.* Est enim in sacris litteris usitatum, illiusce modi copulas in historiarum initiis collocare, quibus illæ cum præcedentibus narrationibus continuentur, atque hæreant. Sed quia id Hebræi suo quodam loquendi modo fa-

ciunt, rectè interpretes, orationis facie mutatâ, illas omittunt conjunctiones. Symmachus igitur ista convertit his verbis : Μετὰ δὲ τὴν τελευτὴν Μωυσῆ δούλου Κυρίου, εἶπεό Κύριος, etc., eumque nos sumus imitati. Mors Mosis descripta est in extremo Deuteronomii. Non est ergo hujus loci de eâ multis agere. Servus autem Domini appellatur hìc Moses, non ut ab officiorum sedulitate laudetur modò, tanquàm fidissimus Dei œconomus, sicut in Numeris; neque rursùs κατὰ μειονεξίαν, quâ ipsum Paulus Christo, filio Dei, servum postponit, sed propter imperii munus, cui, cùm esset ille defunctus, vicarium succedere oportebat; ne, quod ipse etiamnum vivus Deum oraverat, populus absque duce, tanquàm grex pastore carens, oberraret. Cæterùm quanto temporis intervallo, post Mosis obitum, quæ hìc narrantur acciderint, nulla satis certa iniri posse ratio videtur. Talmudici quidem, qui sumunt, neque luctu, neque aliâ vehementiore perturbatione occupatum hominis animum, prophetico spiritu unquàm afflari, definiunt hoc spatium diebus triginta : quot scilicet Mosis funus fleverunt Israelitæ. Quia enim post luctûs illius narrationem, continuò memoratur, Josuam plenum fuisse spiritu prudentiæ, existimant illi, mox post eos parentales dies, Deum hæc ad istum verba fecisse, et hunc fuisse diem septimum mensis nisan, cùm post triduum ipse esset populum transportaturus in Chananæam. Sed quod illi sumunt, ego certè non facilè ipsis concessero. Potest enim Deus quasvis nebulas ab eo animo discutere, quem divino suo spiritu vult informare, atque illustrare. Ad hoc, prudentiæ illo spiritu, cujus in Deuteronomio est mentio, non tandem post triginta dierum luctum, sed simul cum impositâ Mosis manu afflatus atque imbutus fuisse videtur Josua. Verisimilius ergo esse puto, simul atque Moses è vitâ discessisset, memorem Josuam verborum Dei, quæ nuper ad ipsum de nube in tabernaculo sacro fecerat; et simul spiritûs illius cœlestis pulsu percitum, quem Mosis manu iniato collatum diximus; illicò die, nocte, toto animo, in cogitationem administrationis maximi illius, atque difficillimi imperii incubuisse. Cùmque aliæ atque aliæ difficultates hinc, illinc, ipsius menti observarentur, quæ ipsum quantùmvis et Mosis, et Dei superioribus monitis benè animatum, perturbarent tamen, et subinde humanâ quâpiam diffidentiâ tantùm non suspenderent, Deum maturè hæsitanti succurrisse; atque hoc hortamento, novisque istis divini sui auxilii promissis novos illi animos addidisse; itàque illum in spem certam rursùs erectum speculatores emisisse, quamvis nondùm eluxisset Mosen, ne deinde ullius rei exspectatione otium esset diutiùs in campis moabiticis terendum; sed Pascha, cujus anniversarius dies propè aberat, in promissâ posset terrâ ritè celebrari. Sed erit de his agendum pluribus, ad versiculum 11. Porrò cùm nihil in sacris litteris occurrat frequentiùs, quàm Deum hæc, illa, ad mortales loqui; neque credibile sit, eum verba, quæ in audiendi sensum incurrerent, toties fecisse; non fuerit fortassè à proposito alienum de eâ re, quoad ejus fieri potest, paucis hoc loco semel disserere. Plerique omnes et nostri, et Hebræi, censent, duos fuisse ferè modos, quibus suam Deus voluntatem, atque consilium vatibus suis soleret patefacere : visiones et somnia, præter peculiarem illum quo se propiùs atque clariùs uni Mosi exhibuit; eosque modos in Numeris esse ostensos his verbis : « Agite, audite verba mea. Si fuerit propheta vester, ego Dominus per visionem me ipsi cognoscendum exhibebo : per somnium loquar cum ipso. Non ita servus meus Moses, qui in totâ domo meâ fidus est : ore ad os loquar cum ipso, speciemque iste et quidem non per ænigma, atque figuram, Domini videbit. » Sed nisi fallor, definit quidem illic Deus eas rationes, quibus solet suos vates affari; verùm simul, etiam suî cognoscendi modos diversos ostendit, quorum alius alio sit perfectior; dicitque se cum cæteris quidem vatibus, interdùm vigilantibus, interdùm dormientibus agere : verùm illis nunquàm nisi obscuram quamdam suî visionem repræsentare : veluti cùm speciem humanam, aut etiam augustiorem illorum objicit oculis, aut aliud simulacrum menti ipsorum secundùm quietem exhibet. At Mosen se multò propiùs affari, ut cui ipsam etiam divinitatis speciem, multò perfectiùs quàm per illius modi ænigmata, hoc est, quàm per incerta illa, et obscura simulacra, ostendat. Etsi enim apud omnes in confesso est, nullam, ne mente quidem, fingi posse, nedùm existere Dei figuram, tamen exiguus ille gloriæ, majestatisque splendor, quem Mosen cernere tunc patiebatur, cùm ipsi sua posteriora ostenderet, quodam modo forma Dei poterat dici, quantumvis ἀμυδρός esset, præ illis obscurissimis visis, quæ cæteris vatibus sunt patefacta. Quod autem ad propositum attinet, quando eosdem illos duos modos, quibus diximus omnia vatibus, quæ opus sit, à Deo significari; Jeremias etiam ex-

pressisse videtur, cùm falsorum prophetarum improbitatem perstringens, inter alia ait: *Propheta apud quem est somnium, narret somnium, et apud quem est verbum meum, narret verbum meum verè; quid paleæ cum ipso frumento, dicit Dominus?* Perspicuum est, nihil aliud esse verbum, quo passim Deus suos vates alloqui memoratur, quàm eum instinctum afflatumque cœlestem, quem visionem et insomnium ipse appellat in Numeris; dùm earum rerum notione atque intelligentiâ, quas res vates suos præsentire, atque etiam enuntiare aliis vult, sic eorum animos informat, ut ipsas veluti coram aut cernere, aut audire sibi mentis sensu videantur. Id autem cùm vigilantibus evenit, tum visio ferè, atque verbum Domini appellatur; interdùm etiam, manus Domini; at quando secundùm quietem, tum sæpiùs somnium. Atque ab hujusmodi mentis sensu illi, חרזים, hoc est, videntes dicti sunt, similiter atque נביאים, id est, prophetæ, ab eloquendo enuntiandoque illa visa apud homines. Hâc igitur ratione Isaias, Dominum esse locutum, ait, quæ se vidisse de Judâ et de Jerusalem paulò ante dixerat. Et Jeremias falsos vates clamat cordis sui visionem loqui, quam non acceperant ex ore Domini, hoc est, quia ille mentem ipsorum non imbuerat, sed quam sibi finxerant ipsi. His consentanea sunt quæ de voce Dei D. Basilius scripta reliquit, commentario in Psalmum 28 : « Est, inquiens, vox Dei generis ab iis vocibus, quæ in audiendi sensum cadunt. » Fit enim, cùm mens hominum, quos ille suam percipere vocem vult, visione quâdam informatur, haud ferè aliter, atque in somniis accidit. Nam ut in his, secundùm quietem, animus noster quorumdam veluti verborum memoria imbuitur, non pulso aere externo, neque voce ullâ in audiendi sensum illapsâ, sed ipsâ mente notis quibusdam rerum signatâ informatâque, talem existimandum est Dei esse vocem, quam audire memorantur Prophetæ. Sed ut dilucidiùs etiam ista explicata semel sint, adscribam, quæ de ipsis vir perspicacis ingenii Moses Maymonius Africanus scripsit in eo commentario, cui titulum fecit, הנבוכים מורה, hoc est, doctori perplexorum. Non enim esse puto in vulgus pervulgata. Igitur ille, cùm parte primâ ejus operis sui dixisset, id omne vel loqui, vel dicere, quod Deo in sacris litteris attribuitur, nihil aliud significare, quàm vel ipsum Dei consilium, voluntatemve, vel notionem rei cujuspiam, quâ à Deo mens humana informatur, sive illa generetur voce à Deo creatâ, quales fuêre voces quæ apud montem Sinæum, et alibi audiebantur, sive iis modis quibus prophetia fieri solet, sine ullo vocis sensu scilicet. Effici enim prophetiam, cùm vis quædam à Deo, per intellectum, quem agentem appellant, influit in eam animæ facultatem, quam λογίκην, hoc est, rationalem, sive mentem, vocant; et inde transmittitur in alteram, quam nominant εἰκαστικήν, hoc est, ut sic dicam, imaginativam. Hæc, inquam, et his similia plura cùm dixisset Maymonius in primâ sui libri parte, scribit deinceps in secundâ, in hanc sententiam : « Scito, de quocumque scriptum est in sacris libris, angelum cum ipso locutum esse, aut verba à Deo ad ipsum esse facta, illud perpetuò per administrum angelum esse factum, et quidem vel per insomnium, vel per visionem propheticam. Solent autem Prophetæ quatuor ferè modis diversis verba esse ad se facta memorare. Nam aut disertè dicunt, angelum, sive per insomnium, sive per visionem sibi esse locutum, aut angeli quidem, sed nullam vel insomnii vel visionis mentionem faciunt: quippe statuunt, hoc in confesso esse nisi alterutro eorum modorum, verba angelum non fecisse. Rursùs est, ubi Deum se esse affatum dicunt, vel per visionem, vel per somnium, sed de angelo verbum nullum. Postremò, sæpè aiunt, hæc, illa Deum ad se esse locutum; sed neque angeli, neque visionis, neque somnii meminerunt; certi scilicet, prophetiâ neminem, nisi per angelum, et quidem vel visione, vel insomnio afflari posse. Primi modi exemplum est Gen. 31, 11 : *Et dixit ad me angelus Domini per insomnium;* Jacob secundi Gen. 22, 15 : *Et clamabat angelus Domini ad Abraham secundò, de cœlo.* Tertii Gen. 15, 1 : *Factum est verbum Domini ad Abraham per visionem.* Quarti Gen. 12, 1 : *Et dixit Dominus ad Abraham. Et dixit Dominus ad Jacob, ad Josuam, ad Gedeonem,* cujusmodi sunt in sacris litteris creberrima. Quocumque verò horum modorum memorantur verba esse à Deo facta, certum est ea prophetiam fuisse, eumque, ad quem facta scribuntur, prophetam. Atqui si dicatur Deus ad quempiam venisse per somnium noctu, prorsùs neque illic prophetia fuit, neque propheta; sed monitio modò, quâ hominem Deus illum admoneri voluit per insomnium. Exempla exstant de Laban et de Abimelech, quorum ille impius, hic etsi inter suos populares probus, minimè tamen propheta fuit. Quapropter accuratè est observanda differentia inter illiusmodi enuntiata : *Venit Domi-*

nus, et, *dixit Dominus, per somnium nocturnum*, et, *per visionem nocturnam*. Et sanè Chaldeæus interpres Oncelus illorum alterum reddidit: *Apparuit Dominus;* alterum: *Venit verbum à Domino*. Quin nonnunquàm scribitur: *Dixit Dominus huic, illi;* quibus hominibus non est locutus Dominus, et quorum mentes nullâ sunt propheticâ intelligentiâ informatæ à Domino, sed quibus Dei voluntas ab alio quopiam vate est nuntiata. » Hæc Maymonius, et multò plura, quæ persequi non est necesse. Censet autem ille non pertinere ista ad Mosen, ut explicatè scripsit commentariis in caput 10 סנהדרין טסכת, dùm tractat septimum legis fundamentum. Deus enim, inquit, cum solo vatum omnium Mose absque administro angelo, et sine somnio, visioneque locutus est. Idque R. Joseph Albus, vir sanè doctus explanavit ad hunc modum. *Sic*, inquit, *collocutus est Deus cum Mose de rebus, ut earum cognitione animam ipsius, quam vocamus rationalem, absque ullâ phantasiâ mediâ imbueret;* similiter atque cum ipsis angelis scilicet. Hoc enim illud est: *Ore ad os loquar cum ipso*, etc., Num. 12, 8. Nostri theologi hanc appellant visionem intellectualem, et Mosi atque etiam Davidi attribuunt. Illam autem quæ per mediam phantasiam efficitur, vocant imaginariam visionem, quam prophetarum propriam esse, cæterisque vatibus omnibus communem fuisse dicunt. Sed ista sunt alterius loci.

Igitur, ut ad id revertamur, à quo paululùm divertimus, sic locutus est ad Josuam Dominus, ut earum rerum, quæ verbis hìc scriptis significantur, informatione illius modi mentem Josuæ imbuerit, cujus modi concipere animo ille potuisset, si articulatim et disertè omnia ea verba fuissent clarâ voce coram ipso pronuntiata; imò verò infinitis partibus evidentiore. Nam id pro certissimo statuendum est, cùm à Deo in vatum, sive vigilantium, sive dormientium animis aliquarum rerum notiones signantur, sive eæ res jam tum evenerunt, sive longo post tempore futuræ sunt; tum earum rerum speciem καὶ φανταστίαν multò clariorem illis repræsentari, quàm si vel perspicacissimis oculis, coràm, res illas cernerent. Neque verò id modò, sed simul quamdam veritatis evidentiam ita mentibus illorum offerri, itàque penitùs affici, ut intelligant, eam notionem esse reverà divinam: non autem à suæ ipsorum animæ imaginativæ, ut sic dicam, facultate, motuque naturali formatam effectamque, nec etiam à malo quopiam genio inditam. Neque enim alioqui unquàm satis ipsi sibi prophetæ fidêre, nedùm justâ fidentiâ, quæ divinus afflatus instinctusque dictâsset, propalam enuntiare possent. Nunc verò videmus ipsos tam firmâ animi confisione cuncta, quamvis principibus et populo ingratissima, edicere, ut dubitare nemo possit, quin conscii sibi ipsi sint, se in Dei consilio adfuisse, ut loquitur Jeremias, atque vidisse et audîsse sermones divinos, non fallaces. Idem existimandum est de visis sacris, suas ea scilicet habere peculiares notas, quibus discerni à larvis, falsisque spectris queant. Sed ista non sunt hujus loci. Nunc enim, ut rem omnem in pauca conferamus, satis est tenere, hoc esse, Deum verba de aliquibus rebus ad Josuam, aut alium quemvis vatem facere; ipsorum mentem earum rerum notionibus ita informare, ut non solùm res ipsas, tanquàm præsentes, oculisque objectas, animo cernant; sed simul intelligant, eam suæ mentis agitationem cœlestem esse; neque aliter affecti sint, quàm si coràm voce clarissimâ loquentem secum Deum audirent. Quanquàm fatendum est omninò, verba quædam divina audiendi etiam sensu percepta aliquandò ab hominibus esse. Quod Mosi frequentissimè concessum fuisse existimatum est, nescio quàm probabiliter. Ego certè etiam hunc mente quàm auribus divinos affatus audîsse sæpiùs credibiliter dici posse putaverim. Porrò quòd Josua Mosis minister vocatur, id quoque ad præsentem locum est accommodatissimum. Rectè enim cum eo loquitur Deus, de suscipiendo imperii munere, quem Moses, compluribus jam annis, per familiarem consuetudinem, ad ejus administrationem, omnibus necessariis præceptis erudierat. Sed observandum est, eum non vocari servum Mosis, sed ministrum. Neque enim vir inter suos tribules primarius servitutem Mosi servierat, sed eum officiosè comitatus, observaverat. Unde à Septuag. interpretibus nunc ὑπουργός, alibi θεράπων, semel atque iterùm παρεστηκώς pro vocabulo, משרת, redditum est. Hæc eò moneo, ne quis Mosis exemplo, cum servitiis reipub. consilia communicanda putet, quæ prudentissimi homines existimant; his clàm haberi debere. *Servus enim*, inquit Christus, *nescit quid faciat dominus ipsius*.

Vers. 2. — Moses servus meus mortuus est, etc., « Moses, inquit, qui adhuc imperator populi mei fuit, et dux, atque in eo munere fidam, et mihi gratam operam navavit, ut pro meo ipsum servo frugi habere non dedigner, is defunctus est, et proinde

« respub. duce orba est; quare age tu, quem « dudùm illi successorem designavi, et solem- « ni ritu consecravi etiam; atque insuper « spiritu sapientiæ auxi; trajicito hoc flumen « Jordanem, et multitudinem istam universam « tecum traducito in Chananæam. Ego enim, « cujus est omnis terra, et quidquid à terrâ « sustinetur; cujus est universus orbis, cum « suis habitatoribus; ego qui moderor impe- « riis hominum, et quibus volo ea do; terram « istam jam nunc illorum esse jubeo, qui, « cùm sint ex Israele prognati, hæredes sunt « mearum veterum promissionum, quas præs- « tandi jam tempus adest, » etc.

Admirabilis profectò hîc apparet Dei erga miseros mortales benignitas, καὶ φιλανθρωπία, qui ipsos pro suis servis habere non dedignatur, quamvis, ut omnia præstiterint quæ jussi sunt, servorum tamen nomen mereri nunquàm possunt. Neque enim ullis Dei utilitatibus servire queunt. Sed quis est omnium, qui usquequàque mandatis Dei obtemperat? Certè Mosen id non fecisse constat, quem suum peccatum à Chananæâ exclusit. Plurimùm ergo Josuæ animus, cæteroqui difficultate rei fluctuans, hoc dicto confirmari debuit, cùm intelligeret ille, sperare se posse, ut Mosis, ita suam operam, etiamsi tanto muneri longè impar foret, tamen Deo, pro ipsius benignissimâ indulgentiâ, acceptam fore. Particula illa ועתה, quam interpretatus sum, *jam ergo*, crebra est apud Hebræos, significatque plerùmque, non tam præsens tempus, quàm rei, quæ narratur, consequentiam, καὶ ἀκολουθείαν; ut Genesis capite 3 : ועתה פן ישלח ידו; *itaque ne extendat manum suam;* rursùs cap. 4 : ועתה ארור אתה, *Jam ergo maledictus es.* Et cap. 21 : לי ועתה השבעה, *itaque jurato mihi.* Quin in hujusce modi enuntiatis, in quibus verbo modi mandativi jungitur, simul vim quamdam urgentem et maturantem habet. Exempla ubique obvia sunt.

Igitur quod ad præsentem locum attinet, Deus ex illâ sumptione, quâ Mosen vitâ excessisse dixerat, quodam modo concludit, atque etiam urget Josuam, ut maturet capessere rempub. imperatore orbam. Quin ipsum etiam verbum, *surge*, hortandi potiùs adverbium esse videtur sæpè, quàm ad erectum corporis habitum spectare, ac si dicas : Eia, age; eamque ob rem fortassis hoc loco nulla copula est, nisi si τὸ ἀσύνδετον celeritatem et festinationem significare, mavis existimare.

Jordanis fluvius, evangelicâ etiam historiâ nobilis, in Libani radicibus oritur; et quidem, ut plerisque scriptoribus placet, fonte gemino, dextro Dan, sinistro Jor, ut ita ex junctis istorum nominibus, sicut et confluentibus aquis fiat Jordanis. Sed Tamuldici, cùm aliis in locis, tum ubi de secundis decimis rei pecuariæ tractant, aliam ejus appellationis tradunt rationem. Sic enim enodant Jordanis nomen, quasi ירדן significet, יורד מדן, ac si dicas : *Descendens è Dan.* Nam oppidum Dan, quod antiquitùs Lais et Lesem dicebatur, apud Panium exstabat, hoc est, præcipuum Jordanis fontem, ut Plinius est opinatus, quanquàm Josephus ex ipsâ usque Trachonitide primam Jordanis originem repetat, è lacu quodam rotundo, quem Phialam vocant à figurâ. Inde enim terrâ conditas aquas ad Panium antrum, propè Dan, hoc est, Philippi Cæsaream, ferri; atque illîc demùm per scatebras erumpere in lucem. Cui certè rei argumento esse videtur ipsa etiam illius lacûs appellatio, quam ab illis, qui loca ea perlustrârunt, accepimus : aiunt enim vulgò vocari, Maiedan, hoc enim est, ac si, aquas Dan, dicas. Porrò ubi ex Paneade ad millia passuum circiter 15 profluxit Jordanis ad austrum versùs, diffunditur in locum palustrem, quem *Samechonitin* nostri, sed *Saichonitin* Talmudici, si exemplaria non sunt mendosa, vocant. Ibique ita restagnat, præsertim quo tempore nives in vicinis montibus solvuntur, ut paludem putes; sed hoc stagnum, crescente æstatis calore, propè universum siccatur, et densâ fruticum materie obsitum, feras nutrit, atque occultat, ab hoc deindè loco longius etiam emensus spatium, excipitur à lacu Genesara, quod nomen ab hebræo כנארת factum esse arbitror, de cujus lacûs amplissimâ et fertilissimâ amœnitate non est nunc dicendi locus. Post Genesaram haud longè progressus, recipit venientem à sinistris Galaaditidis montibus torrentem Jaboc, Jacobi historiâ nobilitatum. Tandem verò in mare Mortuum, sive lacum Asphaltiten receptus, laudatas suas aquas cum bituminatis, et pestilentibus, ut ait Plinius, miscet : atque ab his ita impeditur, ut fluere desinat. Sed plura de Jordane si quis requirit, legat Plinium libro 5, cap. 10, et Josephum de Bello judaico lib. 3, cap. 18. Pronomen demonstrationis, *istum*, propinquitatem fluminis ostendit : propè enim aberat à castris, quæ ad Sittim facta fuerunt : quod capite proximo explicabimus. Quanquàm si quis illud זה, esse emphaticum, non demonstrativum, existimare malit, non pugnavero contra. Septuaginta sanè

ut penè supervacaneum, non reddiderunt.

Sequitur in ordine sacrorum verborum : *Tu et omnis populus iste.* Eadem facere jubetur imperator quæ parentes; sed primo loco, ut suo exemplo hortetur cæteros scilicet. Quippe boni imperatoris est, non vitæ commodis, sed prudentiâ, fortitudine, aliis virtutibus antecedere subjectos. Iniquè enim postulet eos sibi parere, quibus nihilò ipse sit ad rectè consulendum melior. Rursùsque mollis, ignavi, impudentis animi fuerit, ea imperare cæteris, quæ ipse vel aggredi, vel perferre non sustineat.

Cæterùm nota illa universitatis, *Omnis,* commodè accipienda est. Non enim debent illi etiam trajicere, quibus citra flumen in Galaaditide considere permiserat nuper Moses, præter paucos, qui fratribus suis transeuntibus opem ferant, ut versu 12 audiemus, nisi si quis putet demonstrativum, *iste,* eos modò ostendere, qui in castris præsentes erant; duas verò tribus et dimidiam adornandis possessionibus, quas paulò ante acceperant, occupatas abfuisse.

In terram quam ego do ipsis filiis Israel. Pronomen *ego* emphasin habet. Nemo enim, præter unum Deum, nisi violatâ justitiâ, potuit ereptam veteribus possessoribus regionem donare novis. Hic enim, cùm sit totius mundi effector et dominus, sic suas cuique genti sedes in terris attribuit, ut eas precariò quidem possideant, si donantem illum spectes; cæteroqui verò prorsùs ut legitimi hæredes, obtinere eas, adversùs externas injurias, debeant. Frustra ergo Manichæi, dum Chananæorum causam agunt, culpant Deum, qui precarias possessiones flagitiosissimis et planè indignis clientibus beneficiariis suis ademit, easque suo populo donavit, cùm debeant potiùs admirari, venerari, exosculari mirificam illius lenitatem et patientiam, qui annos plus quàm quadringentos summâ suâ benignitate, illos, ut ad meliorem mentem redirent, invitaverat, cùm interim ipsi eâ ejus lenitate contemptâ, quia ipsorum erat durus et obstinatus animus, per omne improbitatis genus pergerent sibi ejus supplicii causas cumulare, quod tandem justo Dei judicio dederunt. Sed divus Augustinus quodam sermone, ut hoc addam, aliam affert à Patribus traditam, atque, ut ait, verissimam causam, cur, eliminatis Chananæis, justè Israelitas successisse existimandum sit. Nempe dùm orbem terrarum inter se partiterentur Noe filii tres, eam partem, quæ Post Chananæa est appellata, obvenisse Sem, atque ab hujus posteritate possessam diù, cultamque fuisse; tandem verò Chananæos, homines feroces et barbaros, quippe ex impio Cham prognatos, et insuper avi sui detestatione efferatos, sive cœli clementiâ, sive soli ubertate, sive suâ quâdam libidine incitati fuerint, per vim legitimos illos pepulisse possessores, sedesque tam felices occupâsse : ac proinde nunc jure eas nepotibus Sem à Deo restitui. Nam Abrahamum ex Sem prognatum esse, docet sacra historia. Eadem ferè ab Epiphanio, scriptore optimo, sunt litteris mandata; qui Melchisedechi regnum, quod in Salem is obtinebat, pro certissimo ejus rei adducit argumento, cùm aut ipse esset Sem, aut ex Sem natus. Sanè istius vetustæ famæ, quam Augustinus à majoribus esse acceptam ait, habuerunt etiam Syri olim, ut apparet, magnam opinionem. Nam Jacobus Orrhohaita, hoc est, Edessenus, qui nobilissimi apud eam gentem scriptoris Ephraimi præceptor fuit, scriptum reliquit, Noam ante diluvium, in eâ regione, quæ post Chananæa est appellata, habitavisse, et eam suo filio Sem, post diluvium, hæreditatis loco assignâsse, ut memorat Moses Bar-Cepha, in opere de Paradiso, quod nos nuper latinum fecimus. Sed ut id non credatur, neque enim argumentis satis firmis probari potest, neque usquàm ab Israelitis opponitur, quos tamen, juris æquitate, nulla præscriptio, propterea quòd vi fuissent olim de suâ illâ possessione dimoti, dejectique à Chananæis, exclusisset, illud certè nemo, nisi impius, negaverit, meræ liberalitatis esse, quidquid Deus largitur mortalibus : ac proinde neminem unquàm, ne probissimum quidem, et qui planè secundùm hujus voluntatem vivat, jure expostulare posse, si quid eorum quæ ab ipso accepit, amittat, nedùm improbos, et adversùs eum contumaces, quales fuêre multis modis Chananæi.

Est igitur illud, *Ego,* ac si dicat : Qui universæ terræ Dominus sum, qui rerum humanarum vices, pro æterno meo consilio, justissimâ ratione moderor. Ad hoc, præcipua in illo verbulo vis est excitandi, confirmandique Josuæ : continet enim in se præcipuos locos suasorios, ad præcedentem hortationem accommodos, ab utili, à facili, ab honesto, à contrario malo. Neque enim potest non esse utilissimum atque optimum, quod ab optimo parente Deo nobis datur. Deinde, quid potest esse tam difficile, quod non facilè consequamur atque obtineamus, si Deus ipse objiciat? Postremò, quod vel maximum est, quis non metu Dei, atque pudore percellatur, si quæ

bona ille tam planè offert, ea negligat et frustra elabi patiatur?

Observandum porrò est, *dandi* verbum, tempore præsenti hoc loco positum esse, ut intelligamus ad summam improbitatem jam pervenisse Chananæorum scelera, quartumque esse exactum seculum, atque insuper annos quadraginta plectendis rebellibus in deserto consumptos, ac proinde adesse tempus, quo ea quæ olim Abrahamo, Isaaco, Jacobo sunt promissa, præstentur: itaque jam nunc Deum, ut justissimum judicem, pronuntiare hoc verbulo, Israelitas esse Chananææ dominos, prioribus verò incolis omne jus adimere atque eripere: ut hi posthàc non aliter in eâ terrâ, quàm in alieno solo habitare existimandi sint. Nam quòd non è vestigio ab omni prorsùs possessione dimoventur, atque dejiciuntur, Dei solo nutu, ejus rei gravissimæ sunt causæ. Dispensat enim ferè prudentissimus rerum moderator Deus, res mortalium, per humanas operas. Tum propensissimam ipsius benignitatem plurimùm etiam ipsa Israelitarum ignavia, aut improbitas veriùs, impediebat: ad hoc, non erat ex ipsorum re, ut subitò universa regio, pulsis cultoribus, vasta, ferisque habitanda relinqueretur, cùm ipsi totam nondùm, præ suâ paucitate, possent occupatum ire. Verissimè enim est à Cyro superiore apud Xenophontem dictum, simul à bonis rebus omnibus regionem vacuam nudamque fieri, quæ ab hominibus vacua fit. Jam verò, quoties Abrahamo, Isaaco, Jacobo hujus hæreditatis spem fecit Deus, fecit autem sæpè, verbo temporis futuri toties est usus. Non igitur nunc temerè præsentis temporis verbum esse scriptum puto, quanquàm Latinus id in futuri commutaverit, nimirùm ratus, dare pro tradere positum esse, ut proximo versiculo.

Quod in verborum sacrorum ordine sequitur, *ipsis filiis Israel*, hebraismus est; dum ἐξηγητίκως ea nomina in oratione adduntur, quæ alioqui per posita ante, ipsorum loco, pronomina satis expressa videri poterant; qualis est illa quoque in Exodo, 2, 6, phrasis: *Et vidit ipsum, puerum*, in quo loquendi genere vulgus solet apud Latinos addere particulam, *scilicet*. Septuag. interpretes, ut supervacaneum, non reddiderunt illud; sed non est profectò hîc otiosa Israelis mentio. Disertissimè enim tum hanc illis promittebat Deus terram, cùm Jacobo Israelis nomen imponeret; his enim utebatur verbis Gen. 35, 10: *Nomen tuum est Jacob: non vocaberis vosthàc nomine Jacob, sed Israel erit tibi nomen;* indiditque ipsi nomen, Israel. Et ait ad ipsum Deus: *Ego Deus fortis pollensque, cresce et augesce; gens et cœtus gentium ex te nascetur: regesque ex tuis lumbis prodibunt, et terram quam promisi Abrahæ, et Isaac, eam tibi dabo, et semini tuo post te dabo eam terram*, etc. Appositè igitur filios Israelis eos vocat, cùm jam illa promissa ad rem confert.

Sed posset hîc moveri quæstio: fuerintne duo illa regna, Og et Sehonis, quæ duabus tribubus et dimidiæ nuper cis Jordanem donata à Mose sunt, pars terræ promissæ? quando hæc, ut apparet, trans Jordanem nunc demùm peti jubetur. Verùm eâ de re erit alius dicendi locus aptior. Interim hîc illud tenere satis sit, præcipuas Chananææ sobolis sedes trans Jordanem positas fuisse, atque ejus terræ partis rationem maximam fuisse habendam, quam legitimo suo cultui primùm dicari, et in quâ deinde salutare dispensationis filii sui Jesu Christi mysterium olim peragi Deus volebat. Cæterùm diximus Josuam sive Jesum, nobis adumbrâsse Jesum Christum. Ei typo pulchrè profectò subserviunt verba horum duorum, quos jam explicavimus, versuum, si anagogicè accipiantur. Post mortem enim Mosis, hoc est, post finem legis mosaicæ, quæ Deo, ut filiorum pædagogus, servierat, missus est à Deo Patre Josua, sive Jesus Christus, minister Mosis. *Fuit enim ille minister circumcisionis, propter veritatem Dei, ut rata ea faceret, quæ majoribus fuerant à Deo promissa*, Rom. 15, 8; fuit etiam Mosis legi obediens, *ut eos, qui legi erant subjecti, redimeret, atque per adoptionem in filiorum libertatem vindicaret*. Galat. 4, 4. Missus, inquam, est Jesus Christus, ut eos, quos Moses per loca vasta, invia, sterilia oberrantes adhuc circumduxerat, nec ad promissam quiverat hæreditatem introducere, hoc est, qui in horridâ, difficili, et sterili lege, atque umbrâ futurorum bonorum adhuc versati, ad ipsam rerum perfectam repræsentationem pertingere non poterant; eos ipse per Jordanem, id est, baptismum, quo virtute sanguinis illius expiamur, et sacrosanctis æternæ hæreditatis mysteriis initiamur, duceret in terram semini Abrahæ promissam, ubi rebus ipsis, non rerum umbris potirentur, fruerenturque. Baptismum enim non obscurè significari per Jordanem, quis ex historiâ Christi et Joannis non intelligit? Sed hæc hactenùs. Nobis enim constitutum est, pro nostrâ mediocritate, ipsa sacri hujus commen-

tarii verba potissimùm explicare, eaque sensa patefacere, quæ ad historiam rerum gestarum pertinent. Ipsas verò anagogas et mysticos sensus, non nisi parcissimè attingere, sed illis prolixiùs persequendos relinquere, qui et majoribus ingenii luminibus à Deo præditi, et in illiusce generis interpretatione, pro concionibus dicendo exercitati sunt; præsertim cùm videamus copiosè hoc ab Adamantio esse præstitum, quo viro, nescio an post natum Christum vixerit quisquam vel ingenio majore, vel in sacris litteris exercitatiore.

Vers. 3. — Omnem locum quem calcabit planta, etc. Poterat quidem, ac debebat etiam Josua illo solo Dei verbo, *ego do*, contentus, certissimâ cum fiduciâ quod jussus erat aggredi, atque in terram hostilem audacter cum omni populo trajicere; fretus ejus auctoritate, cujus nemo ineluctabili potest voluntati obsistere, sed profectò haud facilè humanus animus absolutam illam Dei, ut sic dicam, omnipotentiam capit. Et ut per fidem in eâ tandem aliquando acquiescat, ac, quod Apostolus de Abrahamo memorat, fide contra fidem credat, tamen vix fit, ut secum non disceptet ipse, atque luctetur, dùm rerum propositarum difficultatem, et, ut sibi videntur, ἀδυναμίαν apud se expendit, utque modos saltem rationesque, quibus illæ confieri possint, aut alia adminicula, pro fide illâ suâ confirmandâ, non requirat. Est enim ejus rei illustre nobis exemplum propositum in eo, quem modò dicebam, Abrahamo. Ejus enim fidei vigor, mirificus sanè, vix tandem post iteratum Dei promissum, potuit obstacula gignendi ex Sarâ filii prorsùs perrumpere. Præclarissimum etiam alterum in ipsâ divâ virgine Mariâ, quam non credidisse verbis Angeli, præsertim suavissimo nuntio divinæ gratiæ apud animum suum confirmatam, existimare nefas sit. Et tamen exquirit, qui possit fieri, quod nullâ, nisi Dei potentiâ, effici posse intelligebat.

Igitur ne quid titubet Josuæ animus, succurrit Deus ultrò: et quod implicitè atque absconditè illis verbis, *ego do*, significârat, id jam patentiùs atque explicatiùs proximis istis ad decimum usque versiculis prosequitur. Nam quod ait: *Omnem locum quem calcabit*, etc., est ac si dicat: Ego non solùm jure omni vestram esse volo eam terram, in quam vos jubeo trajicere, verùm etiam omnia quæ vobis possessum illam euntibus obsistere possint, ea ita comparabo, ut in quamcumque illius partem pedes intuleritis, ea pars in vestram potestatem facilè, ditionemque sit concessura. Est ergo ista hortatio à facili, idque versiculo quinto explicabitur apertiùs.

Verbum igitur, *dedi*, commodè hîc pro tradere, sive dedere, accipiatur, interpretetur-que per futurum tempus, sicut factum à latino est. Quanquàm nihil absurdi sit ejus propriâ notione explicare, absque temporis enallage propter factam nuper, ut diximus, donationem. Nam quòd Moses in Deuteronomio, dùm hæc ipsa commemorat, verbo temporis futuri utitur (ait enim: *Omnis locus*, etc., *vester erit*), id facere ille debet, ut qui non rem vel præsentem, vel præteritam, sed futuram prædicit. Sed enim objiciat aliquis hîc nobis ipsum rei eventum, parùm, ut videtur, Dei istis promissis respondentem. Ad Hai enim primùm Israelitæ fugati, pars etiam cæsi sunt. Deinde ex Judicum historiâ certi sumus, hostes non solùm ubique eliminari non potuisse, sed etiam ipsum populum Israeliticum ab illis aliquando in angustias redactum esse. Atqui Deus in hisce pollicitis de compacto agit. Receperant enim Israelitæ, observare omnia, quæ ille latâ lege mandârat; hoc ergo cùm ipsi parùm plenè atque probè præstent, haud mirum est, eum felicem rerum successum, quem Deus cùm sæpè alibi, tum etiam hoc loco promittit, non perpetuo tenore pro illorum votis fluere, sed subinde magnis calamitatibus, pro maximis ipsorum flagitiis, interturbari.

Non pendent quidem, fateor, Dei promissa ex hominum actionibus, quasi causis necessariis; quid enim summam rerum omnium atque immobilem causam impellat? sed tamen posita sunt sæpè illa in certâ quâdam ratione, quâ secundùm divinam illius voluntatem procedant, quam voluntatem etiam ipsa cœlestis doctrina nobis plerùmque patefacit. Eòque fit, ut si sponte nostrâ eam nos rationem non sequamur, frustra, quoad nos certè sint illa promissa, quanquàm hoc interim tenendum est, nunquàm prorsùs irritum reddi consilium Dei posse, per hominum vitiositatem. Quippe illi nunquàm deest ratio ex mediis tenebris lucem producendi. Cæterùm quod de compacto, et conditione, sive de certâ procedendi ratione jam dixi, cùm ex iis etiam quæ proximis versibus de observandâ universâ lege memorantur, tum apertè conficitur ex illis dictis, quæ Moses cœlesti instinctu pronuntiavit in Deuteron. hùc pertinentia. Sunt enim ea ipsa, quæ præsens versiculus citat, cùm habet: *Sicut locutus sum ad Mosen*. Itaque hæc appendicula, ipsas dandi conditiones tacitè obscurè-

que continet; quod etiam Theodoretus sensit. Sic enim illic, veluti Dei ore, loquitur Moses: *Nam si accuratè observaveritis omne hoc, quod ego vobis mando: ut ametis Dominum Deum vestrum, eatisque per omnes vias ipsius, atque ipsi adhæreatis, exterminabit Dominus omnes gentes istas extra vestrum conspectum: vosque occupabitis possessiones earum nationum, quæ majores fortioresque vobis sunt. Omnis locus in quo figetur planta pedis vestri, vester erit; à deserto et Libano; à flumine, flumine, inquam, Euphrate, usque ad mare ultimum, pertinebunt fines vestri. Non consistet quisquam coram facie vestrâ; terrorem metumque vestrî incutiet Dominus Deus vester universæ terræ, per quam ituri estis: sicut ad vos locutus est. En ego propono vobis hodiè benedictionem et maledictionem: benedictionem quidem, si obediveritis mandatis Domini Dei vestri, quæ vobis hodiè impero. Maledictionem verò, si non parueritis præceptis Domini Dei vestri, sed desciveritis à vivendi ratione quam ego vobis hodiè præscribo, atque sequamini alienos et ignotos vobis deos*, etc. Quis ex his non intelligit, illa tanta Dei beneficia ex mutuis populi officiis pendere? Sed plura de his in explicando versu proximo dicenda erunt. Est verò ex his etiam illud perspicuum, cur Deus hîc Mosen potiùs quàm Abrahamum laudet, cui primò hæc promissa fecerat et veluti solemni fœdere percusso, sanciverat etiam circumcisionis cæremoniâ, mutuum ab illo quoque stipulatus, ut vitam probam coram se viveret. Nimirùm quia ipsissimis illis verbis Mosen ipse affatus fuerat, et Moses populum, quibus hîc Josuam alloquitur. Hùc addi potest et illud, quòd recens Mosis memoria Josuæ gratissima, et intima cum Deo familiaritas, eidem multis modis perspectissima, auctoritatem multò gravissimam, apud ipsum, iis oraculis quæ à Mose prodita dicerentur, conciliare debebant: animumque ejus concitare ac permovere magis, quàm si vetera illa apud Abrahamum, Isaacum, Jacobum denique acta commemorarentur, quæ per aliquot seculorum intervallum obsolevisse, et reipsà refutata esse poterant videri, nisi apud Mosen, in tam familiari cum Deo consuetudine renovata fuissent.

In vetustis commentariis, quæ vocantur ספרי, scripta in Exodum et Numeros, quorum auctor est R. Simeon, Johai filius, qui et librum Zohar in Pentateuchum scripsit, paulò post eversam à Tito urbem Jerusalem; in iis, inquam, commentariis, post multam disceptationem Talmudicorum, qui illìc citantur, de veritate istius enuntiationis: *Omnem locum quem calcabit*, etc., tandem statuitur, ita demùm permissum hîc esse Israelitis à Deo, ut quasvis regiones occupatum irent, atque sub suam ditionem subjungerent, si universam Chananæam, quàm latè proximo versu describitur, ante suo imperio occupâssent. Et proinde David apertè ab illis accusatur, quasi legem hanc violârit, cùm Mesopotamiam et Syriam Zoba debellaret, Jebuzæis etiam tum intra Jerusalem, atque propè apud ipsam regiam, habitantibus. Sic ferè Talmudici illi, cæci, stupidi, bardi profectò homines, qui non intelligebant, universitatem istam, *Omnem locum*, in proximo versiculo certis definitam esse terminis; sed excæcati sunt miseri, postquàm solem justitiæ ab se amoliti sunt, usque adeò ut neque oculis, neque auribus percipere, animoque intelligere queant quod rectum probumque est, atque verum. Et indigna profectò essent ipsorum dicta pleraque omnia quæ proferrentur, nisi et illustriorem redderent evangelicæ veritatis gratiam, majestatemque tam tenebricosæ atque insulsæ nugæ, et desipientium hominum ridicula somnia, in apertam lucem protracta: et simul omnem Judaicæ superstitionis doctrinam re atque existimatione condemnarent, ac ludibrio exponerent. Quanquàm fatendum est, esse etiam apud ejus gentis scriptores nonnulla, quæ utiliter nostris hominibus exponantur; partim quia nostræ religionis dogmata affirmant; alia quia sacræ Scripturæ verba rectè interpretantur; quod etiam Thomas, Lyranus, Porchettus, Burgensis, Raimundus, Nebiensis, alii animadverterunt, et suis scriptis prodiderunt.

Vers. 4. — A deserto et usque ad Libanum istum, et usque ad flumen, etc. Definit hîc Deus universam Israelitarum hæreditatem, rudi modo, à tribus cœli regionibus. Desertum enim, quod quà Sin, quà Cades vocabatur, hodiè autem vulgò Al-Hiset dicitur, positum erat à meridie. Libanus verò, et longè ultra Libanum Euphrates, partem septentrionalem determinabant. Mare magnum, hoc est, Mediterraneum, claudebat occidentem (huic ideò magni cognomen attribuitur, quia lacubus et paludibus, quæ apud eam gentem etiam maria vocantur, majus est). Ab oriente erat Jordanis, sed hîc jam non nominatur, quia ab eo fines isti à Deo ostenduntur Josuæ. Pertinebant enim castra, quæ in campis moabiticis fecerant, propè ad Jordanem, è regione Jerichuntis.

Cæterùm illud, *omnis terra Hebræorum*, non

designat terrenum aliud extra istos fines; sed ideò, nisi fallor conjecturâ, provinciæ Hetthæorum, singularis mentio fit à Deo, quia de eâ expugnandâ, quàm de aliis Chananææ partibus diffidere magis potuêre Israelitæ ut in quâ Ænacinos giganteâ mole homines conspexerant speculatores Mosis, eorumque fama extremo pavore universum populum perculerat, et propemodùm ad repetendam Ægyptum redegerat. Hetthæos enim ea loca, quæ circa Ber-Sabeam sunt, quæque sursùm porriguntur, et latè circùm Hebronem jacent, incoluisse, cùm historia emptæ speluncæ duplicis, tum Rebeccæ ad maritum verba, quibus amandandi filii sui Jacobi magnam rationem prætendebat, atque etiam nuptiæ Esaü clarè ostendunt. Ne igitur ulla imperatoris animum difficultas perturbet, aut etiam populi, cùm è vestigio sit in Chananæam trajiciendum, addit Deus explicatè, ea etiam loca redactum iri in potestatem Israelitarum, cùm primùm illùc pedes intulerint, quæ præ cæteris inexpugnabilia visa fuerant: nimirùm quæ ab Hetthæis tenebantur, gente omnium Chananæorum bellicosissimâ. Fuisse enim Hetthæos viros bellicosos, satis magno argumento est Syrorum trepidatio, cùm eos à rege Israelitarum adversùs se conductos esse suspicarentur, ut in Regum historiâ memoratur. Si quis tamen existimare malit, Hetthæorum nomen positum hoc loco esse, pro omnibus septem gentibus, quæ capite tertio enumerabuntur, hoc est, ut terra Hetthæorum, sit universa Chananæa, sicut alibi omnes Chananæi vocantur Amorrhæi, alibi alio uno nomine ex septem gentium nominibus synecdochicè, haud ille fortassis à vero aberret; nobis tamen prior illa sententia visa est ad veri similitudinem esse propensior. Ad nomen Libanum accommodavi, ἀπὸ κοινοῦ, ut loquuntur grammatici, particulam עד, quæ mox sequitur, quòd ea mihi sententia aptior videretur, et alioqui non nescirem, litteram He, sæpè etiam præpositam locorum nominibus vice præpositionis *ad* fungi, quanquàm postpositam sæpiùs. Sed ne absurdam videar constructionem commentus esse, ostendam planè geminam, in Regum historiâ, in istis verbis: מן חנחר ארץ פלשתים ועד גבול מצרים. Est enim istorum verborum sententia, Salomonem esse dominatum à flumine Euphrate, usque ad regionem Philistinorum, et usque ad Ægyptum. Cæterùm demonstrativum, *istum*, ut nuper dicebamus, sic accipi potest, ut ἐξοχήν, et præstantiam montis Libani significet, quanquàm est credibile ex campis moabiticis eum, ut est altissimus, oculis cerni facilè potuisse, atque à loquente Deo demonstrari.

Septuag. pro Libano dixêre Antilibanum, ut alibi sæpè. Nec id mirum est, cùm sint reipsà unus mons, sed qui versùs mare Mediterraneum laxiore valle veluti dividitur. Plinius lib. 5, c. 20, utrumque describit his verbis: « A tergo, inquit, Sidonis mons Libanus orsus, « mille quingentis stadiis Simyram usque porrigitur, quà Cœle-Syria cognominatur. Huic « par, interjacente valle, mons adversus Antilibanus obtenditur, quondam muro conjunctus. » At Strabo, ut videtur, meliùs explicatiùsque, lib. 16, Libanum apud Tripolim, et huic vicinum oppidum, quod Θεοῦ πρόσωπον, vocant; Antilibanum verò apud Sidonem orsos describit. Porrò nominis *Libani* notatio thus significat, ut Hebræis, ita Græcis. Constat enim, Libanum, cedrorum, atque aliarum resinosarum feracem arborum esse: ex quibus credibile est, si non pretiosissimum illud Sabæum thus, cujus arboris faciem incognitam Romanis fuisse Plinius dixit lib. 12, c. 14; at thuris saltem speciem quamdam excipi. Nam idem Plinius lib. 14, c. 6, prodidit terebinthum quoque masculam in Syriâ thus producere, quod sanè Sabæo illi thuri, diversæ arboris resinæ cognatum esse non potest, quam solam resinam thuris nomine dignatus est vates, cùm caneret: « Solis est thurea virga Sabæis. » Euphrates etiam alibi flumen magnum appellatur in sacrâ historiâ: quo epitheto similiter Tigris insignitur à Daniele, fortassè quia ambo orti ex Paradiso, aliis fluviis præstantiores existimantur. Sed Euphrates non rarò κατ' ἐξοχήν, solius fluminis nomine significatur. Nam ei Tigris multis nominibus de præstantiâ concedere debet. Talmudici capite septimo de Juramentis, Euphratem magnum vocari fluvium statuunt, quia terram omnium præstantissimam, quam Israelitarum terram appellamus, terminat. Atqui eâ ratione Jordanis vel maximus dicatur meritò. Illi autem ipsi auctores, in commentariis quæ vocant בראשית רבה, non illis quidem, quæ à R. Mose Hadarsan, hoc est, concionatore, sunt conscripta; hæc enim, ut nostræ crebrò doctrinæ consentanea, videntur Judæi conspiratione quâdam suppressisse; sed in alteris, quæ R. Osias, nisi fallor, congessit, nomen *Phrat*, sic enodant, quasi à verbo פרה formatum, fertilitatem significet, sanè non absurdè. Nam cæteras, quas illic tradunt notationes, ut ridiculas,

piget referre. Sed cur Græci Euphratem dicerent, quem Hebræi priores פרת, quasi Phratem dicas, appellabant, inde opinor evenisse, quòd in Genesi, ubi primùm hoc nomen est à Mose proditum, vocula ὑπαρκτική, quæ ferè sonat, ἐὺ, nomini præposita, ab eo qui primus in Græcam linguam Mosen convertebat, sit inscienter ipsi nomini adjuncta. Describit autem Euphratem geographus omnium diligentissimus Strabo lib. 11, his ferè verbis : « Est, inquit, « Euphrates Trigide major, plusque terræ pe- « ragrat; ex iis Tauri partibus, quæ ad aqui- « lonem vergunt, confragoso ortu promanans; « unde ad occidentem versùs, per majorem « quam vocant, Armeniam, fluit usque ad mi- « norem; et hâc à dextris, Liscenâ verò à si- « nistris relictâ, intorquet se deinde ad meri- « diem, simul atque Cappadociæ montes attigit : « quos montes, atque etiam Commagenes dex- « trâ, lævâ verò Asicinsinen et Sophenen majo- « ris Armeniæ regiones præterlabens, proripit « se in Syriam, rursùsque reflectitur versùs Ba- « byloniam, Persicumque sinum. » Hæc Strabo de Euphratis ortu et cursu. Plura etiam Plinius lib. 5, cap. 24; sed nihil attinet plura hîc proferre.

De mari magno diximus, Mediterraneum illud esse quod ubi Ægyptum alluit, Nilumque excipit, ægyptiacum appellatur; unde sursùm, hoc est, versùs aquilonem porrectum, sed molliter tamen in orientem se sinuans, universam Chananæam ambit ab occidente, et Syricum, mox etiam Phœnicæum dicitur, tandemque in Issico sinu apud Ciliciam desinit. Quia autem, ut dixi, occidentem terræ sanctæ claudit, sæpè pro ipso occidente, cùm de hâc verba fiunt, usurpatur. Igitur in his verbis: *A deserto usque ad Euphratem*, descriptio est à meridie in septentrionem, quanquàm sensim ad orientem versùs recedatur. In Genesi hoc spatium his verbis expressum legitur : *A flumine Ægypti usque ad flumen magnum, flumen Euphratem.*

Verumenimverò difficilis hîc nascitur quæstio : Quorsùm spectat hujus tam amplæ regionis promissio, quæ ad Euphratem usque pertineat, quando certum est, longè citra Euphratem, ab ipso Deo alibi definitam esse Israelitarum hæreditatem, quam sortitò inter se partiri jubentur, imò hanc quidem angustiorem adversùs priscos incolas obtinere totam illos potuisse, ut est in Judicum historiâ multis comprobatum exemplis? Sed responderi verissimè, nisi fallor, potest, Deum despondisse, atque destinâsse Israelitis suis fines diversos duos : alteros qui non ultra eum locum, qui *aditus ad Hemath*, appellatus est, extendebantur in septentrionem; alteros verò, qui ulteriùs et Euphratem usque excurrebant, et illis quidem angustioribus primùm contentos vivere, sorte inter se distributis, voluisse, usque eò, dùm magis magisque augescentes, spatio ampliore opus haberent. Cùm verò, freti Deo, illos universos occupavissent, neque barbaris Deoque invisis gentibus quidquam illîc reliqui fecissent, tunc demùm fore tempus, quo possent etiam ultra progredi, atque ad Euphratem usque omnia sub suam ditionem loca, ut sedes proprias, exactis possessoribus pristinis, subjungere, sibique ut hæreditatem, suo jure vindicare, si tamen interim perpetuâ suâ adversùs Deum pietate, dignos se ampliore ejus liberalitate præstitissent. Sed D. Augustini sententia est, reliquum illud spatium, quod ultra angustiores illos limites ad Euphratem usque pertingit, vectigale quidem facere permissum Israelitis fuisse, sed non suæ ipsorum hæreditati adjungere, veteresque colonos eliminare. Verùm ei sententiæ non satis consentanea videntur ipsa Dei verba, dùm ait : *Omnem locum quem calcabit planta pedis vestri, eum vobis dedi:* et apertè pugnant illa, quibus in Deuteronomio, cap. 19, v. 8, de tribus aliis asylis olim, si usus sit, constituendis agit. Sic enim loquitur : *Si verò amplificaverit Dominus Deus tuus terminum tuum, sicut juravit majoribus tuis, dederitque tibi universam terram, quam dixit se daturum illis; nempe, si observaveris omne hoc mandatum, reque ipsâ præstiteris, quod ego tibi hodiè impero, hoc est, amaveris Dominum Deum tuum, et semper institeris viis ipsius, tum addito insuper tria oppida ad ista tria, ne fundatur sanguis innocens in mediâ terrâ tuâ, quam Dominus Deus dat tibi hæreditatem*, etc. Ex his enim verbis duo conficiuntur : alterum, laxiores illos fines nequaquàm Israelitas initio possessum ire debuisse, aut potuisse etiam, sicut angustiores; sed tum demùm illos sperare fas ipsis fuisse, ubi diutinâ in Deum observantiâ atque amore, se ipsi liberalitate majore dignos præstitissent; alterum, illud auctarium, si quidem aliquando prioribus possessionibus adjunctum iretur, non minùs atque has proprium Israelitarum, et hæreditarium esse futurum, non autem vectigale; sunt enim explicatissima illa verba : *Quam Dominus Deus tuus dat tibi hæreditatem.* Haudquaquàm igitur periclitatur, nedùm labefactetur, veritas promissorum divinorum, etiamsi suas possessiones hæreditarias protulisse nunquàm

Israelitas ad Euphratem usque fateamur, quando sacram historiam recolenti perspicuum est, eos plerùmque ita parùm coluisse pietatem ad versùs Deum, atque amorem, ut multò magis admiranda sit hujus indulgentissima facilitas, et misericordia, qui tanto tempore illos in felicissimâ illâ Chananæâ manere passus sit, quàm promissorum ejus constantia et fides in dubium vocanda.

Multi existimant tamen, tunc cùm David et Salomon agitarent imperium, qui reges Christum adumbrabant, Israelitas longè et latè omnia ad Euphratem usque possedisse. Nam de Salomonis amplissimo regno, sic scriptum est in Regum historiâ : *Et Salomon dominabatur in omnibus regnis, à flumine* (*Euphratem intellige*) *usque ad terram Palæstinorum, et usque ad fines Ægypti adferebant munera, et serviebant Salomoni, quamdiù vivebat.* Mihi tamen, quod doctissimorum virorum pace dixerim, illud ex his verbis minimè effici videtur. Etsi enim negari non potest, cùm Davidem, tum Salomonem, ultra eos fines, quos Josua Israelitis sorte assignaverat, longè latèque partim subactis, partim voluntariis provinciis imperâsse; probari tamen non posse puto, earum provinciarum ullis potitos esse Hebræos, ut suis possessionibus, coloniasque suæ gentis illùc emisisse; et quod Deus, ut nuper commemorabam, jusserat, nova in illis asyla, ut in suâ terrâ, instituisse. Quippe permiserat illis Deus eorum populorum dominationem, at nondùm tamen excidium. Quod dico explicatissima sacris verbis res est. Nam mox post illa, quæ de Salomonis imperii amplitudine jam memoravi, hæc sequuntur : *Et sedit Juda, et Israel securè, quisque sub suâ vite, et sub suâ fico, à Dan usque ad Bersabeam, per omne tempus Salomonis. Nec magno intervallo ista, cùm sacram ædem dedicâsset Salomon, egit Salomon eo tempore festum, et omnis Israel cum ipso, cœtus maximus, ab aditu Hemath, usque ad flumen Ægypti, coram Domino Deo nostro,* etc.

Quis, quæso, non videt, populum israeliticum etiam tunc, cùm Salomonis imperium esset maximum, non latiùs habitâsse, quàm patuêre termini intra quos Josua possessiones cuique tribui distribuerat? Ad hæc, si quis duodecim præfecturas, quas instituerat Salomon, quo tempore imperii gloria florebat maximè, nominatorum locorum observatione peragret, nullas fuisse extra Chananæam institutas videbit. Externum igitur illud Davidis Salomonisque imperium, quod etiam ultra Euphratem illi habebant, securitatem modò Israelitis, non etiam ampliores possessiones parebat. Neque verò absurdum est, si quæ sub conditione promittuntur, ut forensibus verbis utar, ea nunquàm exstante conditione, nunquàm præstentur. Neque tamen negaverim, illam tantam Davidis et Salomonis potentiam, fuisse obscurum quoddam, atque adumbratum specimen promissæ istius amplioris hæreditatis ; sed quam tandem reipsà veri Israelitæ, et semen Abrahæ per fidem essent consecuturi tum, cùm Christus regnum obtineret, quod apertè psalmo 72 perscriptum est : dùm ea de Salomonis imperio verba fiunt, quæ ad nullum regem alium, quàm Christum accommodari rectè possunt. Sic igitur statuendum est, meo certè judicio, Israelitas nunquàm adeptos esse plenè atque perfectè universam Chananæam, quam sorte inter se, auctore Deo, fuerant partiti, nedùm quantùm terræ supra illam, ad Euphratem usque jacebat; neque tamen ideò irritum fuisse Dei consilium, aut promissa hæc atque alia vana. Etsi enim illi, ne tantâ felicitate potirentur, multis modis semper ipsi sibi obstitêre, usque eò, ut illâ etiam regione, quam præcisè obtinebant, tandem expellendi, atque in exilium abducendi essent, tantùm abest, ut ampliorem assequi mererentur, attamen in Christi regno, in quo solo absolutus Ecclesiæ status spectari potest, ut cætera omnia quæ in lege et prophetis scripta extant, ita hæc quoque promissa prolixè atque abundè præstita sunt. Sed erit de his dicendi locus etiam cap. 21, ad versiculum 40, et fortassis alibi.

Vers. 5. — Non consistet quisquam adversus te, etc. Quod nuper in tertii versiculi initio dicebam, id etiam nunc agit Deus, hoc est, pergit aliis atque aliis modis confirmare animum Josuæ, ad capessendum, quod ipsi assignaverat negotium. Est autem præsens locus, à facili, ac si dicat : Non est, quod adire terram illam cum populo metuas, quamvis et numero, et viribus longè hostibus impar sis ; aut tecum ipse disquiras, quâ tandem ratione loca illa adire possis, quæ à ferocissimis barbaris adhuc tenentur. Eorum enim hostium nullus vestrûm conspectum feret, nedùm resistere vobis poterit. Et ne hoc non credas, repete memoriâ Mosis magistri tui victorias de potentissimis hostibus, quas nullo negotio, meo fretus auxilio sæpè est adeptus. Tibi enim similiter atque illi adero; imò verò nusquàm abs te abero ; nusquàm te meo præsidio destituam, quo dùm eris adjutus, nullum fuerit tam difficile bellum, quod non facillimè confeceris, nec ullus tam lubricus ad peccandum locus,

ut te non sustineam. Sed enim verosimile fit ex superioris serie orationis, id modò hoc versiculo agi, ut is metus ex animo Josuæ pellatur, quem hostilium rerum consideratione poterat concipere : sequentibus verò versibus eas simul eximi difficultates, quas imperii procuratio secum trahere solet. Neque enim plus sæpè ab adversariis, quàm à suis militibus metuere sibi imperatores debent. Neque ignorabat ille, Mosi ubique adversùs hostium vires multò minùs, quàm adversùs populi contumaciam fuisse negotii. Cæteroqui facilè patiuntur sacra verba, ut curam utramque conjungamus hoc sensu : Non consistet quisquam, vel hostium, vel popularium tuorum, adversùs te, illi patriam defendendo, hi tuum imperium detrectando.

Quod porrò additur, *omnibus diebus vitæ tuæ*, continuum felicis successûs tenorem pollicetur. Neque enim expetendæ illæ victoriæ sunt, quibus primùm blandientibus, in maximas deinde clades provehimur. Nam quod quidam existimant, eas calamitates tectè innui, in quas se Israelitæ, suâ vecordiâ, et adversùs Deum impietate, ipsi conjecerunt, post Josuæ excessum, id verò parùm est consentaneum prolixissimis istis pollicitis, quæ superiore versiculo audivimus. Et profectò absurda sit, parùmque efficax Dei hortatio, si ita dicat : Traducito populum in Chananæam, nihil veritus fortiores hostes. Non enim hi, te vivo, resistere populo meo poterunt; verùm post tua fata, quid populo meo futurum sit, ipse viderit. Cùm enim bonus princeps nihil differre debeat à parente bono, ut rectè apud Xenophontem Chrysantas censebat, nemo verò, opinor, dubitaverit, quin Josua longè optimus fuerit princeps; qui potuit non esse de populo suo post se sollicitus? quando videmus parentes probos suæ liberorum curæ et sollicitudinis partem maximam ultra fata sua extendere. Non ergo veluti metitur Deus, in his verbis, victoriam Josuæ vitâ, câque definit. Nam nuper propagandos etiam ad Euphratem usque fines dicebat. Ejus verò rei eventus non ex Josuæ vitâ, qui solam Chananæam erat distributurus, sed ex populi probo in Deum officio, ut dicebamus, pendebat. Porrò illud, *sicut fui cum Mose ero tecum*, causam continet ejus quod præcedit, ac si dicat : Ideò tibi nemo poterit resistere, quia ego tibi adero, ut Mosi olim. Monemur ergo, neque Mosen suâ virtute atque industriâ res illas præclarissimas gessisse, quas gessit; neque, quod in hujus commentarii initio dicebamus, incredibilem illam felicitatem, quâ imperium omnium difficillimum est à Josuâ administratum, ejus dexteritati, aut aliis virtutibus, quibus alioqui præditus atque ornatus erat maximis, esse adscribendam, sed Deo. Imò verò in universum, sic statuendum esse : neminem mortalium suo consilio, viribusque magna atque pulchra facinora facere; sed ea omnia uni Deo, qui hominibus, ut administris utitur, accepta referri debere, quatenùs certè proba sunt. Nam extremæ improbitatis fuerit, improbi facti Deum, qui ipsissima est probitas, auctorem existimare. Neque illud modò in iis rebus verum est, quæ patrantur ab hominibus qui puram religionem susceperunt, sed juxta in illis etiam quæ à profanis fiunt. Nam, ut ante dixi, quamvis Cyrum suum Xenophon magnis artibus, quas ex rectâ institutione percepisset, et simul indolis suæ bonitate fretum existimaverit, maximas et admirabiles illas res gessisse, tamque facile et stabile imperium in nationes prope innumerabiles, et quidem barbarissimas obtinuisse; tamen reverà non solùm monitore, atque præmonstratore, sed etiam adjutore, imò verò, ut sic dicam, effectore Deo illa omnia esse à Cyro acta, testatur Deus ipse apud Isaiam, cap. 45, v. 1, his verbis : *Sic ait Dominus ad unctum suum Cyrum, cujus dextram apprehensam confirmavi, ut gentes sub ipsius imperium subjungam, et regum lumbos discingam; ut aperiam ostia ante ipsum, neque portæ occludantur. Ego tibi præibo, et anfractus ut sint recti efficiam, ostia ænea confringam, et claustra ferrea laxabo. Daboque tibi thesauros, qui in tenebris latent, et res occultè abditas, ut intelligas me esse Dominum, qui te appello nomine.* Et quæ deinceps sequuntur in eamdem sententiam prædicta multò antequàm Cyrus esset natus. Sed interim diversa ratio proborum atque improborum administratorum est. Illi enim Dei in se efficientiam agnoscunt, eamque suâ obsequiosâ voluntate atque arbitrio, quodam modo efficienter adjuvant; hi verò semet, non Deum, efficere quidquid id est, arbitrantur, Deique ductum, non aliter atque cæci, sequuntur imprudentes, dùm non ad ejus voluntatem sese applicant accommodantque, sed sui animi libidinibus satisfacere propositum habent. Hujus rei luculentum nobis proposuit exemplum idem Isaias in rege Assyrio, cùm Deum inducit dicentem, se illo usurum pro virgâ furoris sui, ad castigandum Israelem; verùm interim illum longè alia animo agitaturum : nempe plurimas se gentes exscin-

dere velle, cùm proceres habeat regibus pares, neque urbem Jerusalem suis posse viribus et potentiæ resistere, qui alia regna, quamvis majorum deorum præsidiis defensa, everterit. Deum ergo, ubi per illum, quæ constituit, effecerit, Israelemque satis puniverit; tunc illius etiam fastum atque arrogantiam se dignis modis tractaturum, qui suæ potentiæ et prudentiæ, non Deo, illa facinora adscripserit. Indignum enim esse, ut securis glorietur adversùs eum, quia eâ utitur ad secandum quippiam, aut ut serra se jactet contra eum, qui ipsam sursùm deorsùm ducit, etc. Summa est earum actionum omnium, quæ præclaræ à mortalibus fiunt, solidam gloriam ad ipsum Deum pertinere, tametsi ipsorum quoque hominum, modo quodam, propriæ sint actiones, per liberæ voluntatis obsequium, ad effectoris Dei nutum accommodatum. Non enim, similiter atque securi, aut serrâ opifex, in quorum naturâ nulla mens, nulla voluntas insita est, aut arbitrium, nobis utitur Deus; sed occulto quodam consilio, et ratione sic moderatur nostras actiones, ut eas quò velit dirigat, et interim tamen nostrum nobis arbitrium liberum constet, quamvis Deus sic illas moderetur efficienter, ut ea securis et serræ comparatio, quæ apud Isaiam est, minimè sit absurda, nostrique vel animi, vel corporis conatus, et studia omnia absque illâ Dei efficientiâ prorsùs vana atque irrita, imò verò nulla fuerint futura. Sed ex iis quæ modò diximus, hoc efficitur etiam, dùm in actionibus illiuscemodi, aliò Deus effector, aliò administer homo spectavit, hunc non solùm propterea, quòd improbas animi sui cupiditates sectatus sit, verùm etiam, quòd Dei operationem sibi arrogârit, flagitium fecisse. Et proinde eamdem unam actionem, si ad Deum referatur, justam sanctamque, si ad hominem administrum, sceleratam et flagitiosam esse posse. Ad hoc, Deum sæpè profanis hominibus uti, ut fuste et virgâ, quibus suos erudiat: atque ideò quoties damnis, injuriis, angustiis, aliisque malis afficimur vel ab improbissimis nebulonibus, in mentem revocare nos debere, divinam esse animadversionem, castigationemque, quâ nos Deus à rectâ viâ aberrantes ad officium revocat, corrigitque.

Sed jam longiùs à proposito abducimur. Illud igitur, *sicut fui cum Mose, ero tecum*, causam ostendit tantæ felicitatis et Mosis, et Josuæ in bellis, quanta utriusque historiis prodita est. Nimirùm, quis illi resistat à quo Deus stat? Non est ergo in his verbis comparatio familiaritatis: quasi Josuam se eodem quo nuper Mosen loco habiturum Deus promittat. Nam eam sententiam refellit, quod in Deuteronomii extremo scriptum est: *Sed divini auxilii.* Unde à Chaldæo hæc sacrorum verborum circumscriptio, sic reddita est: *Sicut verbum meum fuit auxilio Mosi, sic erit verbum meum auxilio tibi.* Quâ loquendi formulâ plerùmque utitur iste interpres, ubicumque Hebræum memorat Jehovam, hoc est, Dominum Deum esse cum mortalibus, aut eorum rebus interesse: ut credibile sit, vel imprudentem, prodidisse sacrosanctum divini verbi, ab æterno in Patris sinu geniti, mysterium. Quoties enim Deus præsentiam suam declaravisse patribus, vel mortalium rebus intervenisse, seque his exhibuisse memoratur, id per Christum, qui Dei Patris expressa imago est, et qui destinatus mediator inter Deum Patrem et homines semper fuit, esse factum, theologi plerique omnes censent. Nam, ut Tertullianus adversùs Marcionem libro secundo scribit: « Christus semper egit in Dei Patris « nomine; ipse ab initio conversatus est, et « congressus cum Patriarchis et Prophetis. » Rursùs adversùs Praxean: « Christus ad col- « loquia humana semper descendit, ab Adam « usque ad Patriarchas et Prophetas; in vi- « sione, in somno, in speculo, in ænigmate « ordinem suum præstruens ab initio semper; « et Deus in terris cum hominibus conversa- « tus est, non alius quàm sermo, qui caro erat « futurus. » Et alibi plura in hanc sententiam apud eum auctorem leguntur. Justinus quoque martyr et philosophus nobilis, idem multis rationibus apud Tryphonem Judæum comprobat. Neque verò soli Græci, atque Latini, sacrorum rerum scriptores vetustissimi; verùm etiam Syri eam opinionem habuerunt, ut ex ipsorum scriptis percepi. Hæc ego pluribus hoc loco sum persecutus, propterea quòd illa Chaldæi interpretis paraphrasis de verbo Dei, crebrò in hoc commentario occurret. Porrò appendix illa quæ sequitur: *Non deseram te, neque destituam te*, minimè est supervacanea. Neque enim humanæ imbecillitati satis est, si ad virtutis officia exercenda, eaque agenda quæ proba sunt, subinde à Deo adjuvetur, nisi etiam ipsius perpetuâ gratiâ, quasi manu fulciatur, ne suæ naturæ vitiositate continuò ruat in omnia vitia. Nam usque eò perditâ sumus conditione, ut sine illo, non solùm nihil boni possimus efficere, verùm etiam nullum

malum omittere. Itaque, ut rectè à Cœlestino pontifice dictum est, planè sicut Deo adjuvante vincimus, ita rursùs eo non adjuvante vincimur; atque hoc elegantissimè no' is expressit David, cùm suam quidem post res prosperas invaletudinem, sed simul interim omnium mortalium conditionem his verbis depingeret: « O Domine, cùm faveres, firmo « robore montem meum muniebas: sed simul « atque occultâsti faciem tuam, sum contur- « batus. » Nullum ergo unquàm tempus est, cùm Deo præsente opus non habeamus, ut is nostram infirmitatem sublevet, qui sine illo non solùm non vincere, sed ne pugnare quidem, imò neque de capiendis armis cogitare possumus. Atque ejus nostræ impotentiæ conscius nobis pontifex noster clementissimus Jesus Christus, orare nos assiduè docuit Deum Patrem, non solùm ut sic actiones nostras omnes comparet, quò, quæ ipsius voluntati consentanea sint, ea à nobis patrentur, sed etiam, ut nostram perpetuò infirmitatem ita sustentet suâ potentiâ, ut ne acerrimorum hostium nostrorum perpetuis insidiis, Satanæ dico, et carnis, succumbamus, aut usquàm à probitatis officio ad improbitatem abducamur. Duo igitur illa hîc ultrò pollicetur Deus Josuæ, et adfuturum se illi ad res rectè ubique gerendas, et nusquàm abfuturum: nec ubi suo, hoc est, humano permissus ingenio, à verâ virtutis viâ aberret. Eadem populo universo, Dei nomine, promittebat Moses, cùm diceret Deut. 31, 6: *Ne metuatis illos: quoniam Dominus Deus tuus ipse vadit tecum; non deseret te, neque destituet te.* Eadem optabat David, cùm sic caneret: *Fuisti mihi auxilio: ne deseras me, neque destituas me, ô Deus justitiæ meæ.* Sed enim, quod nos sumus interpretati: *Non deseram te,* est hebraicè, לא ארפך, idque rectè etiam vertas: Non patiar te esse viribus remissis, animove negligente. Verùm ipsa remissio atque relaxatio hîc ad Deum ipsum pertinere potiùs videtur. Et hoc quoque hebraicum verbum facilè patitur, ac si dicat Deus: Ego non ero negligens, aut parùm sedulus in te sustentando.

Vers. 6. — Esto fortis et firmus; nam tu mittes populum, etc. Hîc, ut nuper monebam, animatur Josua, non modò adversùs hostes, verùm præcipuè ad fortiter sustinendam ipsam imperii molem. Idque apertiùs ex versibus sequentibus intelligitur, quibus regendi populi normam Deus imperatori præscribit. Multa sanè cura summo imperio inest, multi ingentes labores. Debet enim imperator eorum omnium rebus consulere, quos suo vult imperio lubenter obtemperare. Quare neque nox iis dispiciendis quæ die, neque dies quæ nocte agenda sint, satis est. Neque ullum illi à curis maximis vacuum esse tempus potest, qui id munus probè gerat. Sed præter istas difficultates plurimas, nemini in re communi versato non notas, fuêre aliæ vel gravissimæ causæ, quibus meritò Josua deterreri potuit ab eâ tantâ administratione. Perspectam enim habebat parentium suorum pervicacissimam contumaciam, non solùm adversùs suos duces, verùm etiam ipsum Deum. Neque ignorabat, quantas hoc illorum vitium sæpè turbas dedisset, quas ne Moses quidem ipse, quamvis et apud Deum, et apud homines vir longè gratiosissimus, absque maximis incommodis componere, aut sedare quivisset. Nihil jam dico de hostilium nationum ferocitate atque immanitate, de locorum inexpugnabilibus munimentis, quæ omnia Josuæ explorata erant; nam istarum rerum metus præcedentibus versiculis discussus satis videri potest, cùm se ipse consideraret, suasque dotes cum magistri sui Mosis dotibus, cujus erat futurus successor, contenderet, dubium non est, quin plurimùm sibi displicuerit, suæque tenuitatis et inopiæ conscientiâ perculsus, animum desponderit. Non igitur mirum est, quòd tam prolixè à Deo confirmetur; quamvis magnâ alioqui fortitudine animi prudentiâque polleat, atque etiam ad capessenda Dei jussa alacritate. Non enim ad rem uno impetu, unâque impressione conficiendam, sed ad diuturnum, et multis de causis difficillimum imperium vocatur. Et quò est prudentiâ majore, eò luculentiùs difficultates omnes animo prævidet. Quantus igitur existimandus est eorum hominum stupor, qui non solùm nullo, vel Dei, vel hominum hortamine opus habent, ut maximos atque amplissimos magistratus, si sibi mandentur, accipiant, sed ipsi eos ultrò, miserrimâ etiam, atque turpissimâ ambitione captant? Sed planè sic est statuendum, eos tales homines, qui tam stultè magistratus affectant, nunquàm quibus artibus, quâque suâ virtute illos gerant, quidquam pensi habuisse, sed id modò unum, ut suas sibi cupidines expleant, et proinde nullos honoribus illiusmodi minùs dignos esse, quàm qui eorum sunt maximè candidati. Non commemoratur quidem hîc ulla Josuæ recusatio, qualibus Moses se pluribus etiam quàm oportuit adversùs instantem atque urgentem Deum esse usum, ipse non dissimulat in Exodo; verumtamen benignissimus Deus, qui ultrò

illum hisce tam multis hortamentis, atque pollicitationibus sublevat, satis ostendit, quàm ipse de se sentiret humiliter. Nam quantò sibi minùs arrogant homines, tantò magis cœleste sibi auxilium demerentur. Et cùm se, ut miserrimos mortales ab rebus omnibus imparatos agnoscunt, tum demùm divinâ ope, quam ex animo implorant, et in quâ fiduciam suam omnem collocant, digni habentur. Sine quâ ope, ut prorsùs nihil boni in rebus humanis patrari, ita omnium minimè magistratus rectè geri possunt. Cùm enim, ut ante quoque est à nobis dictum, omnes homines suâpte naturâ sint ad αὐτονομίαν propensissimi, quî posset fieri, ut ullus omnium in magistratu officium suum tueri quiret, nisi singulari præsidio Dei esset munitus, et veluti circumseptus? Et verò quàm parùm feliciter illiusmodi fungantur muneribus ambitiosi illi suarum rerum ostentatores, multa quotidiè tristia exempla docent, dùm tandem à Deo destituti totas sæpè respub. secum in exitium trahunt.

Verba illa duo, חזק et אמץ, rem eamdem significant, fortitudinem sive animi, sive corporis; hoc tamen loco ad animum pertinent. Efficit ergo illa ejusdem rei repetitio hortationem vehementiorem. Quod sequitur, *nam tu mittes populum hunc in possessionem terræ*, etc., alio atque alio accipi sensu potest: vel ut sit pollicitum, ex quo magnam animo fortitudinem concipere queat Josua, perinde ac si ad hunc modum explicatiùs loquatur Deus: Sis magno et fidente animo: planè enim futurum est, ut tu conficias, quod Moses non potuit; neque enim tibi obstabit quidquam, cur minùs huic populo promissam hæreditatem distribuas; vel ut exercendæ fortitudinis materiam contineat, hoc est, ut causam explicet Deus, cur illum fortem firmumque esse jubeat, quasi dicat: Magno tibi est opus animo, et forti, cùm debeas hunc populum ducere possessum eam terram, quam juratus promisi olim ipsius majoribus. Si posteriorem sententiam sequamur, magna fuerit emphasis in demonstrativo *hunc*, ac si dicat: Populum nunquàm Deo, nedùm suis ducibus, satis morigerum, sed cervicis semper durissimæ, populum ex iis prognatum parentibus, quorum ego, annos jam quadraginta, contumaciam atque vecordiam pertuli in deserto, neque tamen voluerunt ad meas vias animum advertere; populum qui suâ immodicâ petulantiâ etiam Mosis animum, alioqui constantissimum ita conturbavit, ut adversùs me ille peccaret: has, inquam, atque his similes alias difficultates ostendet nobis, sed occultè, demonstrationis pronomen *hunc*, si posteriorem sententiam amplectimur, quam ego certè præ alterâ probo, ut genuinam. Illud porrò, *quam juravi patribus*, etc., argumentum continet certissimi eventûs rei. Jam enim exacta fuerat quarta generatio, tempusque aderat, cùm ea fieri deberent, quæ Deus Abrahamo aliisque hujus populi majoribus, jurejurando promiserat eventura posteritati ipsorum, post quartam generationem. Illorum enim posteros demonstrat pronomen, *ipsis*.

Vers. 7. — Prorsus esto fortis et firmus, etc. Particula, רק, non est hoc loco exceptiva, sed potiùs affirmativa, *prorsùs, omninò;* aut expletiva: similiter atque in Genesi, רק אין יראת אלהים במקום הזה, *utique, certè, profectò, non est metus Dei in hoc loco.* Cæterùm est in hoc versu conduplicatio, quæ amplificandæ rei gratiâ solet adhiberi, eamque non parùm etiam auget vocula, *valdè.* Sed quod superiore versiculo factum non est, explicatur isto, quâ in re animi imperatoris fortitudo atque constantia versari potissimùm debeat, ut assignato sibi munere fungi rectè possit, nempe in religione pietateque adversùs Deum. Quarum virtutum norma id temporis erat Mosis lex, nunc est Christi. In eo ergo rectè administrandi imperii atque magistratûs prudentia est posita, ut divinæ legis observationi opera detur. Nam si quis sui animi sensum, et quæ sua sibi dictat libido, ea in gubernandâ republicâ, magnâ animi contentione sequi instituat, non is profectò fortis, constans, prudens, sed pertinax, temerarius, stultus fuerit appellandus, citiùsque rempublicam perdiderit, quàm servârit. Possunt quidem leges civiles peculiariter conditæ videri ad moderandum rectè respublicas, quales plurimæ certè apud Mosen, non tamen omnes sunt; et proinde nihil opus esse universâ Mosis aut Christi lege principi, ad rectè imperandum. Verùm quàm longè sæpè ab æquitate absit scriptarum legum civilium rigor, nisi is judicio, divinâ quâdam probitate informato, temperetur, proverbio est pervagatum. Ad hoc, quis nescit, quàm variis modis illæ ad cujusque arbitrium voluntatemque interpretando extorqueri possint; aut etiam prorsùs dissimulari? præsertim à viris principibus, quibus ipsa voluntas atque libido pro lege est, si quidem Deum non reverentur. Etenim non jam de eo qui jus modò dicat, sed qui magistratum, aut imperium gerat, agitur; quem profectò non ideò solùm oportet omni-

bus pietatis in Deum numeris esse absolutum, quò nihil improbi sciens ipse committat; sed vel magis etiam, ut quod rectum probumque est, id Deo monitore ubique videre, et ad id suos cives popularesque, tum vitæ suæ exemplo, tum auctoritate dirigere possit.

Hebræi legem vocant תורה, quasi doctrinam atque institutionem dicas, aptissimo sanè vocabulo, siquidem lex est vivendi ratio præceptis tradita, quibus jubentur ea quæ facienda sunt, prohibenturque contraria, quæ profectò minùs plenè aut Græcorum νόμος, aut Latinorum, *lex*, significant. Nam νόμος, vocabulum dictum à distribuendo cuique quod suum est, et *lex* à delectu, solam naturâ omnibus insitam æquitatis rationem, quæ scriptis legibus adjuvatur, complecti videntur; at Hebræorum תורה, Mosis et Christi institutionibus respondet pleniùs, in quibus multa legislatorum solâ auctoritate voluntateque nituntur, qualia sunt, circumcisio, baptismus, agnus paschalis, diligendi inimici, alia multa quæ ad naturæ instinctum, nisi fortassè ἀναγωγίκως, referri nequeunt; sed in religione mera sunt posita, ut sacri ritus. Porrò duo illi infiniti modi, ut vocant grammatici, לשמור לעשות, sic ipsi inter se hærent, ut ego reddidi; neque opus est copulam addere de suo, ut Latinus fecit, secutus septuag. interpretes, suo more. Quod dico, comprobat versiculus proximus, ubi explicatâ litterâ *lamed*, verbi לשמור, per למען, hæc ipsa verba sic connectuntur, *ut observes facere*. Non sum tamen nescius interpositam esse aliquando copulam, ut in Deuteron. 7 : *Et observaveritis atque feceritis mandata mea*. Est autem, observare, agere, idem quod animum attendere ad agendum, operamque dare ne quid eorum omittatur, quæ lege sunt præscripta. Nehemannus Gerundensis, scriptor, ut inter Judæos doctus atque acutus, putat *observare*, ad ea præcepta quæ vocant negativa, *facere* verò, ad ea quæ affirmativa appellant, debere accommodari : ut prius ad abstinentiam à vitiis, posterius ad virtutis actiones pertineat. Quod tum fortassis rectè dicatur, cùm est, ut dixi, interposita copula. Atqui frustra videtur moneri Josua, ut observet agere secundùm universam legem Mosis, atque inde speret felicitatem et prudentiam, quando credibile apparet, neque illum, neque quemquam omnium hominum, præter unum Jesum Christum, præstare id potuisse. Erat enim, ut divus Petrus ait, Mosis lex, jugum, quod neque majores Judæorum, neque posteri ferre potuerunt, Sed responderi potest, ex pontificis Leonis sententiâ, « Deum talia interdùm hortari, interdùm jubere etiam; non quòd is qui jubetur, illa « præstare prorsùs valeat, dùm carne mortali « circumdatus est; sed ut nostrum excitet desiderium, rogatusque præstet ipse auxilium, » hoc est, ut corrupta nostra natura ex hujuscemodi mandatis agnoscat, quantùm suo creatori debeat, pro eâ virtute, quâ pollebat effecta ante vitiatum peccato arbitrium : simulque inde suæ quâ nunc est affecta, inopiæ sibi conscia; ut quæ ne velle quidem aut cogitare quod bonum Deoque gratum sit, nedùm perficere queat absque illius subsidio, perpetuis votis, et mente, quoad ejus fieri potest, tota ad Dei auxilium confugiat, atque ab eo petere nunquàm desinat, ut ipse, pro suâ paternâ clementiâ, illam sic suâ cœlesti gratiâ informet atque comparet, ut et velit et possit efficere, quæcumque ejus numini grata acceptaque sint. Hoc divus Augustinus tribus sic expedit verbis : « Deus, inquit, impossibilia non jubet, sed jubendo « monet et facere quod possis, et petere quod « non possis. » Sed hæc quæstio pluribus à nobis disputabitur ad caput 22.

Sed enim quid sibi vult, quod ait Deus, *quam imperavit tibi Moses?* Non enim lex singulariter Josuæ, sed universè populo Israelitico imperata est. Et ipse legis liber primùm est sacerdotibus portantibus arcam sacram traditus, atque commendatus : ut quorum esset legem docere atque interpretari, et difficiles in eâ quæstiones explicare; quique ut nuntii Domini exercituum, de lege sunt interrogandi; deinde verò omnibus senioribus Israelis, hoc est, magistratibus reip., quorum est legis interpretes tueri. Nimirùm sibi præcipuè impositas esse leges, cùm sacras, tum civiles, meminisse principes debent. Nam ipsorum vitæ probitas, iis omnibus quos sibi subjectos habent, omnis probitatis certissima lex est. Quæcumque enim mutatio in ipsis extiterit, eadem mox sequetur in populo. Quare si magnis ipsi virtutibus, et in religionis, et in civilis vitæ cultu præditi fuerint, non ex illis solùm, tanquàm suis bonis, præclari sunt existimandi, verùm etiam vel multò majorem laudem merentur ob eas virtutes quas tunc publicè omnes cives colunt, ut quarum ipsi suo exemplo causam dedêre, sicut contra, perniciosissimè de repub. merentur vitiosi principes, quia non solùm vitia concipiunt ipsi, ut inquit Cicero, sed ea infundunt in civitatem. Neque solùm vituperandi sunt, quia ipsi corrumpuntur, sed mul-

tò magis, quòd plurimos mortales corrumpant, plusque aliis exemplo, quàm sibi peccato noceant. Leges igitur potissimùm ipsis principibus magistratibusve præsunt; hi verò deinde populo. Quapropter magnâ ratione dicitur, Mosen Josuæ præcipuè, et quasi propriè, legem imperâsse. Præclarè enim apud Xenophontem Cyrus existimabat, nullis legibus incitare se posse meliùs suos ad virtutis studia, quàm si se ipse pro omnibus virtute egregiè ornatum, exhibere parentibus niteretur. Animadvertere enim se dicebat, meliores quidem fieri homines per scriptas etiam leges; at bonum principem oculatam legem hominibus esse, quippe qui ipsos facillimè et temperantes efficere, et intemperatè viventes notare castigareque posset. Ac proinde dabat operam, ut quæ ad divorum cultum spectarent, ea inprimis ipse curæ sibi esse ostenderet. Et quæ sequuntur apud eumdem alia, quibus suis prælucebat Cyrus, virtutum exempla. Debent profectò sæpè ista apud animum suum cogitare, quibus imperium et potestas à supremo Domino est assignata. Hic enim ipsorum facta et consilia examinabit aliquando accuratissimè. Et cùm sint ejus regni administri, nisi legi paruerint ipsi, congruenterque se voluntati illius gesserint, horribiliter et celeriter invasurus est ipsos. Durum enim et præceps judicium exercebitur in eos, qui alios dignitate antecedunt: et *in potentes potenter vindicabitur,* ut elegantissimè monet Sapientia. Sed hæc hactenùs.

Sequitur in ordine sacrorum verborum: *Ne divertas ab eâ ad dextram aut sinistram.* Ex iis quæ jam sunt dicta, hoc dignum observatione est, quòd Deus jubet Josuam legibus religionis parere, eisque se habere, quas Moses servus suus condidisset; non autem novas aliquas ipsum sibi suisque parentibus scribere, quamvis cum summo esset alioqui imperio. Ex his porrò verbis, quæ jam adduntur, *non divertas,* etc., conficitur, neque illud principibus esse permissum, ejuscemodi leges, quæ ad sacros ritus præsertim, cultumque divinum pertinent, benè à servis Dei, quibus hoc munus ille delegavit, conditas, suo arbitratu extorquere, atque, ut nunc vocant, reformare. Quâ in re, ut in pluribus aliis, nostrum hoc seculum sibi nimiò plus quàm oporteat, indulget. Sed hoc quoque hactenùs.

R. Levi F. Gersonis, opinatur, ad dextram eos declinare, qui de suo aliquid divinæ legi addunt; ad sinistram verò, qui detrahunt. Sic enim videtur Moses interpretari, Deuteronomio, hunc locum. Ego puto simul utroque significari, tum quàm rectissimè atque sincerissimè præstari à nobis mandata Dei, cùm simplicissimè præstantur, sicut nobis à majoribus, per sacrosanctæ Ecclesiæ doctrinam continuâ successione sunt tradita: neque novis protervi ingenii disquisitionibus, hùc illùc versantur. Nunquàm enim profectò magis delirant homines, neque usquàm periculosiùs, quàm cùm in sacris rebus suì animi sensum in consilium adhibent, suoque modo sapere sibi permittunt. Quod, cùm in Josuâ non tulerit Deus, quem sui gregis summum imperatorem ipse delegerat, et singulari sapientiâ per spiritum suum cœleste amplificaverat; quid nobis fiet, qui majore fastu, quàm pietate, et eruditionis cujusdam opinione magis, quàm sancti Spiritûs instinctu id audemus?

Illud porrò, *ab eo,* quia masculino genere dictum est, non videtur ad nomen, *legem,* referri posse, cùm hoc sit generis feminini. R. David Kimhi ergo, Mosen in eo spectari autumat, ac si dicat Deus: Ne divertas à Mose, hoc est, Mosis præscripto: vel, librum legis, per synecdochen. Sed non est insolens in sacris litteris ea generis mutatio. Nam David filiam regis, hoc est, feminam, consolatus, ait: *Pro patribus tuis erunt filii tui;* ubi utrumque, pronomen est generis masculini. Sin autem, Davidem hîc ad regem ipsum retulisse sermonem mavis existimare, quem in psalmi initio alloquebatur, certè vetus Hebræorum observatio, sive traditio, quam vocant, מסורת, notavit מכוני, pro מכונה, positum hoc loco esse.

Sequitur in sacro textu: *Ut prudens sis in omni eo, in quo versaberis.* Verbum תשכיל, quod reddidi, *prudens sis,* interpretantur Hebræorum magistri, felix sis, Chaldæum, ut solent, secuti; verùm prudentiam atque intelligentiam hoc loco notare, manifestum fiet ex verbis versiculi octavi. Sed parùm interest. Nam omnis ubique rei benè feliciterque gerendæ ratio in prudentiâ est posita. Est quidem nonnunquàm felix temeritas; sed tunc ferè fraus sibi fidem in parvis præstruit; ut cùm operæ pretium fuerit, majore cum mercede fallat, ut apud Livium Q. Fabius Max. dicebat.

Chaldæus verbum, תלך, quod nos, *versari,* sumus interpretati, putavit incessum significare. Vertit enim: « Ut sis felix in omni loco in quo ambulaveris; » atqui, ut sæpè alibi, ita hic quoque non ambulare, sed studium operamque in re aliquâ ponere, significat.

Et Deuteronomii capite 29, ubi hæc eadem sunt à Mose scripta, pro תלך, est תעשון, hoc est, *in omni re quam acturi estis*. Cæterùm nostræ sapientiæ atque prudentiæ summam in legis divinæ observatione positam esse, monet etiam Moses, ubi istis consentanea verba ad populum facit, inquiens : *Jam verò Israel obtempera præscriptis et institutis, quæ ego vos hodiè exequenda doceo; ut vivatis, possessumque eatis terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dat vobis. Nihil addatis ad illud verbum, quod ego vobis impero; neque dematis quidquam ab eo, ut observetis præcepta Domini Dei vestri, quæ ego vobis mando.* Et post pauca : *En docui vos præscripta et jura, sicut mihi jusserat Dominus Deus meus, ut secundùm ea agatis in terrâ quam itis possessum, eaque observetis et faciatis. Est enim ea vestra sapientia et prudentia ob oculos nationum*, et quæ sequuntur. David quoque divinè cecinit, nos securiùs versari non posse in omnibus nostris actionibus, quàm si verbum Dei prælucens sequamur. *Lucerna*, inquit, *pedi meo verbum tuum, et lumen itineri meo.* Sed est talibus dictis plena sacra historia. Nam qui Dei verbum sequitur, æternam veritatem sequitur, quæ fallere nullâ in re potest, ut semper ille certissimus esse queat de felice eventu ; quantùmvis interim multa accidant, quæ hominum judicio non probentur. Humana enim sapientia, ut Cambyses apud Xenophontem dicebat, nihilò certiùs novit, quid optimum sit dispicere, quàm si quis sorte ductâ, quod ea monstrârit, id exsequatur. At Deus æternus omnia perspecta habet, quæ facta sunt, quæ fiunt, quæ denique ex quibusque sunt consecutura.

Vers. 8. — Non dimoveatur liber legis iste, etc. Jubetur Josua eum librum, aut potiùs ejus libri exemplum, in quem librum contulerat Moses universam legem, quam cœlesti instinctu, atque ab ore Dei didicerat, die noctéque legere, et meditando expendere singula, quò possit accuratè omnia vitæ suæ functionibus exprimere, neque usquàm ab iis discedere quæ ille præscripsit. Ita enim fore, ut et prudenter, et prosperè omnia gerat. Est igitur eadem ferè hujus, quæ superioris versiculi sententia. Sæpiùs enim res tanta, et ex quâ omnis ratio magistratûs benè gerendi pendebat, fuit inculcanda. Infirmum autem est, ne dicam absurdum, quòd quidam hic docendæ atque explicandæ legis curam demandari Josuæ contendunt, quia jubetur librum legis non amittere ab ore. Nam quid hoc sibi velit, proximis est verbis explicatum, his dico : *Sed meditare in eo die nocteque*, hoc est, assiduò eam vivendi institutionem, quam Moses conscripsit, legito ; vel potiùs ore, animoque versato : eam meditator, commentatorque. Etsi enim, quod de ore dicitur, verba, quantùm apparet, requirat, ea tamen non esse concionantis verba, vocabulum הגה, quod est in sacro contextu, declarat. Est enim הגה, ita mentem ipsarum rerum cogitatione pertrectare, ut ex ipsâ veluti effervente, verba etiam in ore nascantur, qualia qui secum meditantur solent susurrare. Jam verò quorsùm ista sive lectio, sive commentatio veriùs spectet, patefacit is, qui subnectitur, finis : *Ut observes agere secundùm omne quod scriptum est.* Non enim hoc ait, ut docere legem, quam meditando perceperis, queas, sed ut ipse omnes tuas actiones in colendo efficiendoque munere tibi assignato, hoc est, imperio, ad eam normam instituas, dirigasque.

Quod dico, clariùs etiam perspicitur ex iis quæ apud Mosen Deuteronomio, cap. 17, v. 18, his planè consentanea, sunt constituta, de rege olim eligendo, deque ejus officiis. Sic enim illic scriptum est : *Cùm sederit* (de rege agitur) *in solio regni sui, describito sibi exemplum legis hujus à sacerdotibus Levitis acceptæ, in libro, idque exemplum apud eum esto ; et id legito per omnes dies vitæ suæ, ut discat revereri Dominum Deum suum, observetque omnia verba legis istius, et præscripta ista, ad præstandum ipsa, ne tollat animos supra fratres suos, ne deflectat à mandato ad dextram, aut sinistram, quò extendat ætatem in regno suo, cùm ipse, tum filii ipsius inter Israelitas*, etc. Primùm enim ex his bona conjectura conficitur, Josuam quoque hîc juberi, ut exemplum legis à sacerdotibus acceptæ sibi describendum curet, idque apud se perpetuò præstò habeat, legat, relegat, expendat. Nam ipsum αὐτόγραφον, ut diximus, Levitis sacerdotibus erat traditum, apud arcam sacram servandum. Deinde et illud perspicuum fit, quas ob res legis studium tantoperè commendetur principibus reipub., nempe ut ipsi quàm optimi evadant, probitatemque non concionando, aut sacra verba populo interpretando, sed suæ vitæ exemplo doceant, neque in sui muneris functione ipsi à recto usquàm aberrent. Est quidem alibi universis et singulis Israelitis mandatum, ut legis verba in cordibus suis insculpta habeant, in postibus portisque suis inscribant, in manibus, in oculis gestent ; domi, peregrè, stantes, jacentes de illis loquantur,

commententurque. Sed, ut jam disseruimus, principes, quantùm cæteros excellunt dignitate, tantùm hoc quoque studio debent excellere. Cæteroqui verò quatenùs rerum ecclesiasticarum procuratio ad civilem attineat magistratum; et cur reges ab Isaiâ educatores sive nutritii Ecclesiæ appellentur, non est præsentis loci disputare. Et David, regesque et magistratus alii, religionis et pietatis laude clari in sacrâ historiâ, suis exemplis ista satis docuerunt. Sed decurram à præsentis versiculi initio breviter, ut veluti unâ complexione patefiat omnis ratio discendæ legis divinæ. Principio jubet Deus, eos præsertim qui respub. moderantur, nunquàm legis librum de manibus deponere, cùm ait : *Ne dimoveatur liber legis iste*, etc. Deinde parùm esse utilem lectionem ostendit, nisi multâ commentatione et meditatione omnia apud animum expendantur, dùm inquit : *Et meditare in eo die nocteque.* Denique et lectionem, et meditationem nihil prodesse docet, nisi ad res ipsas conferantur, atque ad vitæ actiones accommodentur, quando hæc addit verba : *Ut observes agere*, etc. Nam ut apud Talmudicos benè scriptum est : *Qui sacras litteras legit, nec confert ad rem, similis est ei qui seminat crebrò, metit verò nunquàm; aut feminæ, quæ sæpè parit, sed continuò partus sepelit; aut denique cantori totos dies cantanti :* nullum enim isti habent operæ pretium.

Postremò amplissimum istius studii emolumentum promittit is qui fallere nescit, cùm versiculum his claudit verbis : *Tunc enim prosperabis viam tuam, et tunc prudens eris.* Malè ergo sano judicio, vel perversâ cupiditate veriùs, plerique omnes sacras litteras ne à limine quidem salutamus, sed vitæ otium aut ad voluptatem, aut ad quæstum, aut denique ad ostentationem in aliis disciplinis consumimus. Et si qui fortè sacris studiis operam impendimus, non tam ad colendam pietatem, vitâque ipsa quæ didicimus repræsentanda, quàm ad detestabilem ambitionem, et gloriosam ostentationem, id agimus, contra atque majores nostri fecerunt. Eoque fit, ut promissum inde fructum minimè consequamur, hoc est, neque felices, neque prudentes evadamus, sed acerbo odio per summas contentiones mutuùm inter nos confligere, convicia invicem facere : et in summâ, quamvis potiùs hæresim extremâ pertinaciâ asserere, et quæ semel somniavimus dogmata, mordicùs tueri non desistimus, quàm fraternæ charitatis et concordiæ Ecclesiæ, quæ ubique in illis litteris nobis commendantur, ullâ ratione habitâ, alter alteri vel latum culmum cedere sustineamus, ne ullam scilicet vanissimæ gloriolæ jacturam faciamus.

Sed ad institutum nostrum revertamur. Illud, *die nocteque*, proverbialis locutio est. Homerus dicere solet νύκτας τε καὶ ἡμέρα πάντα. Significat autem assiduitatem, quanta commodè atque opportunè præstari possit, hoc est, quæ omnem prorsùs negligentiam excludat, ac multò etiam magis fastidium et satietatem : hoc in Deuteronomio de rege dicebatur : *Per omnes dies vitæ suæ.* Quare non satis scitè R. Ismael apud Talmudicos, cùm à sororis filio rogaretur, liceretne sibi Græcorum jam scripta legere, postquàm Mosis institutionem universam percepisset, jussit illum dispicere, essetne hora aliqua quæ neque ad diem, neque ad noctem pertineret. Eam enim solam, si ulla esset, fas esse aliis, quàm divinæ legis studio impendere. Rectiùs aliquantò ibidem R. Samuel, Nehemanni filius, censebat, non esse, quod hîc scriptum habetur, præceptum et debitum, sed, ut loquimur, benedictionem, quasi diceret, non sic mandari, ut prorsùs et plenè præstari debeat, sed ut intelligamus, in eo positam esse maximam felicitatem, si quis assiduò Dei legem meditetur. Hoc enim David quoque divino expressit versu, cùm ad hunc aut similem alludens locum, caneret : *Beatum illum esse et planè felicem, cujus animi voluptas in lege Dei est, quique hanc die nocteque meditatur; fore enim ut prosperè ei succedat quidquid ille egerit; cùm improbi homines, et qui Dei spiritu non ducuntur, temerè ad quævis agenda, nullo recto consilio, sed libidinis suæ vento rapiantur.* Demonstrativum *iste*, κατ' ἐξοχήν, notat earum legum librum, quas leges Moses condiderat. Nam nugas nugantur Talmudici, cùm alii scribunt Josuam, quo tempore his eum verbis Deus est affatus, exemplum legis mosaicæ ante pedes habuisse; alii pro vexillo manibus gestâsse. Sic enim scriptum est in commentario Genesis magnæ. Dixit R. Simeon, filius Johai : « Exemplum legis fuit « vexillum Josuæ. Et quo tempore ei præsen- « tiam suam declarabat Deus, reperit seden- « tem, et descriptam legem manibus tenen- « tem; aitque ad ipsum : *Esto fortis, Josua;* « *esto validus, Josua : non dimoveatur liber legis* « *iste ab ore tuo.* » Sed enim si tantum momentum ad rei tum publicæ, tum privatæ felicitatem in eo positum esse statuebat Deus, si princeps assiduò observationi legis Mosis daret operam, quid nostris principibus in Christi lege faciendum putabimus? quæ non est lit-

tera occidens, sed spiritus vitalis, et cœlestis gratia, quâ fit, ut natura ipsa liberetur, et peccatum non dominetur; utque ad vitam denique perveniamus æternam, sicut ait D. Augustinus; an non eam à sacerdotibus Levitis, non autem παρὰ τῶν νεηλύδων ἀποστόλων τούτων, τῶν λογοποιῶν ἀγύρτων, acceptam in suis animis inscribere curabunt, die nocteque apud mentem suam expendent, commentabunturque? Sed, heu pudor! ipsi lubentiùs venabula, canes, accipitres, aleam, ne turpiora dicam, tractant; atque hæc querela juxta ad ipsos sacrarum rerum antistites, pontificesque pertinet, atque ad civiles magistratus. Nam videre est etiam eos, qui conceptis verbis, dùm initiantur, spondent, se totâ vitâ operam daturos, ut veterem Mosis novamque Christi legem rectè intelligant, perceptamque suum gregem doceant; eos, inquam, videre est ab hoc studio esse omnium alienissimos. Sed quibus interim rebus dediti sint, piget dicere, neque dicto opus est, cùm res ipsa sit jam pervagatissima.

Sequitur in ordine sacri textûs : *Tunc enim secundabis viam tuam, et tunc prudens eris.* Ex hoc loco conficitur, verbum שכל, propriè prudentiam significare; cui virtuti, quia felicitas ferè consectanea est, fit ut hanc notare sæpè videatur. Tanquàm enim diversa ponuntur צלח, et שכל; nisi si contendas rem eamdem unam duobus istius periodi membris dici. Cætera explicata sunt in extremo versûs septimi.

Vers. 9. — An non præcepi tibi? Esto fortis, etc. Primum hujus versiculi membrum figurata interrogatio est, acriùs imperandi causâ adhibita, q. d.: Facito ut memineris te à me jussum esse, forti animo, meique fiduciâ intrepidum quasvis difficultates sustinere et aggredi. Ego enim, qui sum Deus tuus, in omnibus tuis actionibus tibi adero monitor, præmonstrator, adjutor. Particula enim, הלא, crebrò affirmat acriùs, instigatque potiùs, quàm interrogat. Septuag. solent ferè reddere adverbio, ἰδού, *ecce*, quod ipsum quoque hortationis vim habet. Quin et Latini similiter interrogationibus nonnunquàm utuntur, qualis est illa Phædriæ apud Terentium : Satin hoc mandatum est tibi? Mirificâ igitur vehementiâ concludit jam Deus hortationem, quam inde à secundo versiculo adhuc tractavit. Neque enim solùm in figurâ, quam expolitionem vocant, quæ est in illis verbis : *Esto fortis, esto firmus, ne sis pavidus, ne frangare;* verùm etiam in ipsâ Dei personâ summa vis est. Quis enim præcipienti Deo non obediat? cujus indignatio ipsas cœli columnas conterit, et quatefacit, ut ait Job. Aut quis præsente atque opem ferente Domino Deo suo formidet? *Si ambulavero*, inquit David, *per vallem ipsâ morte umbrosam, non timebo aliquid mali, quando tu mecum es.* Et alibi : *Dominus lux mea est, et salus mea, à quo timeam? Dominus munimentum vitæ meæ, quem metuam? Cùm accederent ad me grassatores, ut devorarent carnem meam, adversarii, et hostes mei, ipsi offendebant, atque cadebant.* Sed est hujusmodi sententiis plena sacra pagina, quæ et Dei imperium inevitabile, et subsidium inexpugnabile esse docent. Sed enim etiam illud magnâ pollet vehementiâ, quòd Jehovam dicit esse Deum ipsius. Est quidem certè Jehova omnium Deus : at hîc singularis quædam voluntatis, favoris, studii divini propensio erga Josuam significatur. Cæterùm fortitudo, quæ ut paulò ante semel atque iterùm, ita rursùs hîc agitur, non alia est, quàm quæ legi divinæ sit consentanea, verboque Dei nitatur. Ut enim quæ cùm hoc non consentit, non fortitudo, sed temeraria confidentia, dici debet, et plerùmque maximum tandem infortunium invenit; ita dùm vocanti Deo paremus, atque ad ejus sacræ legis ductum nos applicamus, fidente, atque adeò securo animo pergere possumus; quantùmvis difficilia, atque inextricabilia specie impedimenta se offerant, de felici eventu successuque certissimi. Primum igitur in omnibus rebus agendis id nobis accuratè dispiciendum est, Deusne an nostra nos ambitio, aut turpior alia animi affectio vocet, incitetque. Deinde eamne viam, quæ secundùm virtutem, an quæ per vitiorum compendia ducit, in aggrediendo opere insistamus. Et interim animo humili, neque suis dotibus fidente, sed à cœlesti numinis auxilio dependente, orandus Deus est, ut cœlestis afflatu Spiritûs voluntatem nobis suam patefaciat, nosque paternâ benignitate, ad ea quæ sint salutaria, hortetur, pulsuque suo divino animos nostros dirigat. Sic enim futurum est, ut nostrâ spe quàm minimè usquàm frustremur.

Verba, ערץ, et חתת, cùm ad animum accommodantur, parùm ipsa inter se differunt; sed utrumque vehementissimo metu percelli, atque adeò consternari, frangique animo, significant. Cæteroqui illud, per vim impellere, sive quatefacere, et labefactare, hoc frangere, atque terere est. Porrò clausulam illam : *Quia adest tibi Dominus Deus tuus*, etc., Chaldæus suo more paraphrasticè reddidit : *Adest tibi subsi-*

dio verbum Domini Dei tui, in quocumque loco versaberis. Nimirùm verbum illud potentiæ Dei, quo cuncta sustinet ac moderatur, ut ait Apostolus. Sed de hoc ante satis multa.

Vers. 19. — Igitur Josua monitoribus populi jussit, etc. Vocabulum *Schoterim*, solent Septuag. ferè interpretari, γραμματεῖς, hoc est, *Scribas;* unde natum est frequens illud in Evangelio Scribarum nomen, nisi fallor; est etiam ubi γραμματεισαγωγεῖς, quasi dicas, publicarum litterarum promulgatores, convertunt; et semel, quod memini, τοὺς ἀναγκάζοντας, dicunt. Horum officium erat ut ex multis sacræ historiæ locis colligitur, principum, et judicum, atque omninò ipsius magistratûs placita, et edicta ad populum divulgare pronuntiareque; et hunc illorum auctoritate, si opus erat, coercere, vel ad agendum aliquid impellere. Unde R. Salomon ipsos flagris, et loris armat, sicut Romani suos lictores: sed quàm rectè, ipse viderit: equidem certè vix puto hoc ex sacris litteris confici posse. Cæterùm illa positio שטר, apud Chaldæos quorum lingua est ex hebraicâ nata, interdùm significat scriptum quod solemni modo signatum, publica privatave pacta aut constituta continet. Interdùm verò verbum est, atque imperium exercere in alios notat: quæ ambæ notiones jam dictis officiis sunt admodùm consentaneæ. In veteri illo commentario, quem *Siphre* vocari dicebamus nuper, scriptum est, nemini, nisi qui Levitici generis esset, hoc munus assignari solere; quam opinionem suspicor ex Paralipomenis allâtam esse, in quibus sic scriptum est: *Et de Levitis scribæ, et monitores.* Sed profectò hoc parùm firmum est. Nam quod *monitores,* illic ex Levitarum ordine petuntur, alia ratio est. Quia sacrum opus, templi instauratio agebatur. Similiter atque apud Nehemiam Levitæ silentium imperant populo; quæ functio ipsa quoque ad *monitores* pertinebat, quia lex tum recitanda erat, atque religionis ergo convocata fuerat concio. Sunt etiam qui opinantur *monitores,* præter jam dicta munera, in bellis aciem instruere solere. Et hoc colligi arbitrantur ex Deuteronomio, sed illic scriptum habetur: *Cùm desierint monitores loqui ad populum, tum ipsi principes exercitûs curabunt in principiis populi, hoc est, tunc duces copiarum in primâ acie rem gerent, neque post principia latebunt.* Quare hujus quoque opinionis commentum rectâ sacrorum verborum interpretatione deletur.

In summâ, quos Hebræi *Schoterim* vocant, iis fungebantur officiis, quibus apud Romanos apparitores, statores, præcones. Quapropter apparitorum nomine interpretari rectè posse vocem *Schoterim,* existimo. Aquilas Ponticus, interpres, ut ait divus Hieronymus, curiosus, solet convertere, ἐκδίκητας, quasi facinorum vindices dicas: sed parùm, ut mihi videtur, plenè vox hæc græca illam hebræam repræsentat. Inter alia Mosis præscripta, exstat etiam hoc Deut. 16, 18: *Judices, et monitores sive apparitores, constitues tibi in omnibus portis, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi, per tribus tuas, qui jus administrent populo judicio justo.* Unde ellici videtur, singulos judices suos habuisse apparitores, sive statores.

Sunt quidam, qui eo loco hoc nomen simpliciter, pro magistratu interpretentur. Atqui magistratûs vocabulo etiam judices subjiciuntur, quos tamen non rectè *Schoterim* vocari putârim. Sunt enim hi potiùs magistratûs administri quàm magistratus. Dixi de hoc verbo plura, quia frequens est in sacrâ narratione. Videntur autem isti pontificum, aliorumque Judaicorum magistratuum apparitores, temporis progressu, ut se solet venditare ambitio, etiam sacrarum rerum scientiam sibi arrogâsse, et majorem, quàm pro suâ functione, auctoritatem usurpâsse. Nisi si quis existimare malit, illos scribas, quorum in Evangeliis frequentissima est mentio, non שטרים sed סופרים, fuisse. Nihil enim definire ausim. Neque nescio quæ Epiphanius de scribis tradidit.

Vers. 11. — Transite per medium exercitum, etc. Quo tempore mandata ista ad populum dederit imperator suis præconibus, difficilis videtur quibusdam disquisitio, cùm tertius inde ad transmittendum Jordanem dies præstituatur. Nam si dederit, verbi gratiâ, die septimo mensis primi, quem nisan Judæi vocant (neque enim antè dare potuit, ut Hebræi statuunt, cùm sexto demùm ejus mensis die Mosen eluxisset populus, qui septimo superioris mensis obierat; nam duravit luctus dies totos triginta, eoque durante alias res, præsertim publicas, agere, nefas fuisse illi putant). Igitur si dederit primi mensis septimâ luce, simulque ablegati exploratores Jerichuntem pervenerint, atque sub vesperam ad Rahab diverterint, cùm memorentur isti à Rahab dimissi, triduum in monte latuisse; et exercitus ad Jordanem alterum triduum consedisse, efficietur, septem, ut minimum, ab isto edicto ad trajectionem usque Jordanis esse elapsos dies, aut saltem quinque, si apud flumen non esse moratos plus quàm noctem unam dicamus. D. Augustinus ergo non dubitat Josuam, in præfiniendo hoc triduo,

humanæ temeritatis reum fecere, quasi non consulto Deo, nimis fidenter, certum tempus populo præstituerit. Quæ mihi sententia durior profectò videtur, quod pace divini viri dixerim. Quis enim credere possit, Josuam imperatorem et sapientissimum, et religiosissimum, in tantâ rerum omnium difficultate, cùm maxima parentium pars esset imbellis turbâ, neque flumen vado transiri posset, neque naves haberentur, et verendum denique esset ne hostis cum armis ad ulteriorem ripam occurreret; ipse autem disertè esset à Deo jussus, in rebus omnibus agendis adire Eleazarem pontificem Dei oraculum consulturum, et pro divinis responsis omnia agere; quis, inquam, credat, in hâc re omnium maximâ, Dei opertum eum non consuluisse? Et potest sanè, ut mihi videtur, multò verisimiliore hic nodus ratione expediri. Nam, ut ad versiculum primum dicebam, cùm Josua, dudùm ante Mosis excessum, esset à Deo imperator populi designatus, dubium non est, quin illicò, postquàm illum obiisse intellexisset, totâ mente in istam expeditionem intentus, sedulò ea procuraverit, quæ facto opus esse putabat, exploratoresque istos inprimis emiserit, interea dùm populus lugendo Mosis funeri operam daret, ut credibile sit, quæ toto capite sequente memorabuntur de speculatoribus, et Rahab, ea ante istud edictum esse acta. Neque enim insolens res est, in historiâ sacrâ, τὸ ὕστερον πρότερον, hoc est, ut rerum gestarum series interrumpatur longiore quâpiam interpositione. Certè Josephus hoc primum caput cum tertio conjungit. Scribit enim, imperatorem, simulatque exercitum dè movendis castris per præcones monuisset, et triduum trajiciendo flumini præfinivisset, eduxisse copias de Sittim ad Jordanem, atque ibi tandem à reversis suis speculatoribus nuntium commodum sanè accepisse. Nimirùm ei, ut isti non tam citò rediissent, transponere tamen populum certum deliberatumque erat, divinis responsis freto; verùm ego existimare malo, reversos ad illum fuisse speculatores priusquàm in triduum pronuntiari trajectionem juberet; hoc autem eum fecisse die septimo mensis nisan statuo, cum plerisque Judæis. Et hæc mihi, ut simplicissima, ita verissima hujus loci explicatio esse videtur. Sed quàm potero paucis exponam Hebræorum sententias. Igitur R. Isaias, vir sanè doctus, sic scribit: « Narrantur, inquit, exploratores latuisse in monte « triduum; fuerunt ergo emissi ante edictum « de viatico comparando ad populum promulgatum, durante etiam tum luctu: quo demùm « finito, jussus est populus se comparare ad « transeundum flumen post triduum. Nam « alioqui quintus dies advenisset, priusquàm « Josua è Sittim castra ad Jordanem movisset, « cùm illi triduum in monte consumpserint, « et insuper diem unum eundo redeundoque, « ut minimum. »

R. David Kimhi verò sic ferè scribit: « Die « tricesimo post Mosis excessum, qui fuit « septimus mensis nisan, ait Dominus Josuæ: « Surge, transi Jordanem, » etc. Eodemque die mandavit Josua parari viaticum, quia esset die decimo nisan trajiciendum flumen. Speculatores autem emiserat priusquàm eluxisset populus Mosen: iique reverterant ad imperatorem die octavo nisan. Nono igitur summo mane surrexit ille, duxitque copias ad Jordanis ripam. Et jussit ut se expiarent ad crastinam trajectionem.

R. Levi Gersonis uno loco sic habet: « Censeo, inquit, hoc ab imperatore per præcones « edictum esse de viatico comparando, post« quàm exploratores ablegàsset, cùm isti tri« duum in monte scribantur se occultàsse. « Itaque die quarto et quinto, cùm illi jam « essent reversi, profectus est imperator cum « populo ad Jordanem; et postquàm illic per« noctâsset, trajecit. Quin et hoc, inquit, haud « absurdè dicas, eo ipso die, quo per præcones « ista edicebat, ablegâsse eum speculatores: « verùm eum diem haberi non debere pro « tridui parte. » Nam illud, בעוד שלשת ימים, significat, post triduum ab eo die. Itaque triduum finiebatur tandem quinti diei initio, ab illo die. Speculatores autem, eodem die quo emissi fuerant, ingressos Jerichuntem, divertisse ad Rahab. Jam verò, quod ait Rahab: *Latebitis triduum*, id esse, ac si diceret, usque ad tertium diem; quo die integrum ipsis erat continuato itinere ad Josuam reverti: hæc ferè illo loco R. Levi. Rursùs aliò de eâdem re sic scribit: « Redierunt ad Josuam duo explo« ratores die tertio, ex quo fuerant amandati; « isque erat dies secundus illius tridui de quo « loquebatur, cùm diceret: *Post triduum « transmittetis Jordanem istum.* Die verò tertio « hujus tridui surrexit Josua manè, profectus« que est cum populo ad Jordanem, ibique « pernoctârunt priùsquàm trajicerent. Postero « die, hoc est, exacto jam tum triduo toto, « transmiserunt flumen; isque dies erat de« cimus mensis nisan. » Sic ille. Exposui breviter quid præcipui Hebræorum magistri sen-

tiant. Nunc paucis conabor sacrorum verborum veritatem, quo ordine scripta habentur, tueri, atque defendere, hoc est, docere minimè absurdum esse, si existimemus, quo die imperator triduum istud per præcones præstituebat populo, eodem die exploratores eum amandâsse. Neque tamen è Sittim versùs Jordanem movisse, nisi postquàm isti ad se revertissent.

Mosen die septimo mensis ultimi, quem *Adar* vocant, è vitâ exivisse, ut et ortum esse, non solùm annalibus Hebræorum, quos *Seder olam,* hoc est, seriem seculi appellant, est proditum; sed etiam à Talmudicis, ubi de sponsaliis agunt. Is autem mensis, eo anno, dies habebat triginta, ut scribit Levi Gersonis, philosophus, et mathematicus insignis. Ergo dies sextus, ut nuper dicebamus, mensis nisan finem luctui imponebat. Igitur die septimo sit monitus populus de se comparando ad trajectionem post triduum, sint simul emissi speculatores Jerichuntem : facile fuit expeditis viris, sexaginta stadia è Sittim ad Jordanem usque (tantum enim intervallum esse scribit Josephus), et inde quinque passuum millia ad Jerichuntem, intra paucas horas conficere. Neque enim longius esse hoc spatium tradit Eusebius, atque ante vesperam sic satis speculari urbem. Diverterint igitur ad Rahab sub noctem, atque mox ab eâ per tenebras de muro demissi, ad diem usque tertium, ex quo die ad Rahab diverterant, hoc est, ad eam vesperam usque, quæ diem octavum mensis nisan sequitur, latuerint in montibus : præscripti enim temporis numerus apud Hebræos, quando nulla adest expressa præpositio, sæpè ita est accipiendus, ut postrema numeri pars secludatur : quod multis exemplis docet Levi F. Gersonis; ergo quod ad speculatores ait Rahab : *Latebitis in monte tres dies,* est, ac si dicat : Usque ad diem tertium, quo die vobis integrum erit pergere. Jam verò, eâ nocte, quæ, ut dixi, octavum diem mensis claudebat, et secundùm Hebræos, ad diem nonum pertinebat, redierint ad imperatorem in castra ad Sittim, et comperta perceptaque exposuerint. Is porrò accepto læto hoc nuntio, manè castra ad Jordanem promoverit; postero denique, hoc est, decimo die, trajecerit. Quid est hîc absurdi? aut quid narrationis cursum potest interpellare? Atqui Josephus, inquies, scriptum reliquit, hæsisse Israelitas biduum apud Jordanem, priusquàm trajicerent. Verùm Josephus aliam sententiam secutus est, putavitque exploratores rediisse ad imperatorem apud Jordanem morantem, totamque proximi capitis narrationem non suo positam esse loco, ut dixi; et tamen nihil vetat etiam ipsum fateri, eodem uno die speculatores abivisse Jerichuntem, et monitores viaticum populo imperâsse, triduumque præfinivisse trajiciendi in Chananæam : dicat enim ille, imperatorem, postridiè quàm edictum hoc promulgari jusserat, è Sittim movisse. Sed urges, absurdum esse, edici, ut viaticum sibi quisque comparet, nullum autem comparandi spatium dari. Sed responderi potest, illa verba, nihil aliud significare, quàm vasa colligere. Sic enim sentit Josephus; neque dissentit R. Salomon. Porrò si quis latinum nostrum interpretem defendere velit, qui non ante triduum post hoc edictum è Sittim discessisse, et ad ripam fluminis alterum triduum esse commoratos Israelitas ait, is parvi pendens quid plerique Hebræi scribant, suos illos annales, quos dixi, secuti, neque certos, neque probatos; cùm etiam Talmudici de die excessûs Mosis inter se ipsi dissentiant, multique eum non mense adar, qui nisan proximè præcedit, sed sebet, qui ante adar est, obiisse putent; quod etiam Kimhi commemorat; is, inquam, dicat, die tertio mensis nisan monitores apud populum egisse de parando viatico, et trajiciendo post triduum. Eodemque die emissos esse, qui specularentur urbem. Cùmque hi reversi essent, die sexto, productum esse populum è Sittim ad Jordanem, ibique tandem die nono esse monitum, ut se expiaret ad crastinam trajectionem. Illud verò, quòd intra triduum esse transmittendum Jordanem proclamabant, sic intelligi debuisse, ex illis castris intra triduum, aut post triduum esse versùs Jordanem abeundum, ut deinde cum primâ occasione transeatur in Chananæam. Sed hæc ita à nobis tractata disputataque existimet lector, ut primam illam sententiam sciat nobis maximè, et penè solam probari.

Porrò illud : *Parate vobis cibum,* de mannâ accipi non potest, quod non nisi in diem servare fas erat; et quantùm satis esset, quotidiè cadebat è cœlo, quòcumque se conferebat populus, usque ad diem decimum quintum mensis nisan, ut post dicetur. Neque enim fides Judaicis illis annalibus, quos modò dicebam, habenda est in quibus scribitur, manna cum Mosis vitâ desiisse. Sed, ut erat gens illa voluptatibus dedita, non contenta solo cœlesti illo cibo, delicatis obsoniis inhiabat, neque horum moderatè ferre potuit desiderium. Nam testata res est, Moabitas, et montis Seir ac-

colas, cibos illis pretio vendidisse, adeò maturè cœperat ipsos cœlestis cibi fastidium tantum, ut vilissimum etiam æstimarent.

Neque hoc dissimulat R. David Kimhi. Scribit enim, ipsis manna panis loco fuisse צידה verò obsonium esse. At R. Salomon, quò gentiles suos à gulæ voluptatibus alienos faciat, quasi solo mannâ contenti vixerint, scribit צידה hoc loco significare, quidquid ad iter esset opus, et ad instans bellum. A quâ sententiâ etiam Josephum non esse alienum dixi. Sed insolens est ista verbi ejus notio; quare magis ferendi videntur Talmudici, qui ubi de idolorum cultu tractant, ut ex Eliæ Thesbitis scholâ profectam, sententiam hanc commemorant. Cùm cibo nullo eguerint Israelitæ, cadente etiam tum mannâ, nihil hîc aliud verbo צידה, hoc est, cibi, debere intelligi, quàm malè actæ vitæ pœnitentiam, et adversùs Deum pietatem, itàque moneri hîc populum per apparitores, ut his virtutibus se dignos præstent, qui in terram promissam feliciter trajiciant. Cæterùm *Zeda*, quamvis ei propriè subjicitur is cibus, qui venatione, atque indagine captus sit, sæpè tamen pro quovis cibo usurpatur. Porrò voculam *Beod*, converti, *intra*, quia sic eâ utitur Jeremias, cùm ait cap. 15, v. 9 : *Occidit sol ejus cùm etiam tum esset dies.* Et in Davidis historiâ, 2 Reg. 12, 22, scriptum est : *Cùm puer etiam tum viveret, jejunabam.* Sed si, ut diximus, esse probabile, hæc acta fuisse statuamus die septimo mensis nisan, non fuerit hic ipse dies tridui pars, quod latinum interpretem dicere est necesse, qui reddidit : *Post triduum.* Certum est enim, die decimo transitum esse in Chananæam. Porrò illud, *quam Dominus Deus vester dat vobis,* ad informandos populi animos certâ fiduciâ, dictum est, atque alacritate. Nam nomine Jehovæ, pro quo de more, *Dominus,* reddimus, summa Dei potestas significatur : illo verò, *Deus vester,* benignissima, et plus quàm paterna voluntas, studium, tutela, cura. Jam verò, ubi voluntas cum potentiâ ac facultate est conjuncta, nihil tam difficile est, quod non facilè præstetur.

Ad hæc, quæ sequuntur, לרשת, et לרשתה, ad possidendum pro hæreditate, vel jure hæreditario, maximum habent ad permovendos populi animos momentum; quippe qui ex iis verbis intelligat, se non ire populatum modò, quâpiam felici excursione, hostiles agros, aut prædam actum, veluti cùm Madianitas debellaret. Nam illiusmodi expeditiones, quamvis secundæ, haud solent diuturnâ felicitate beare victores, sed sæpè sua commoda majoribus tandem pensant calamitatibus; verùm ire possessum quasi à majoribus sibi jure hæreditario relicta prædia, et veluti avita hæredia. Nam verbum ירש, non simpliciter possidere, atque occupare, sed hæredis jure tenere, propriè significat. Non igitur rectè à latino est præteritum illud לרשתה, quasi supervacaneum; sed ille, suo more, secutus est septuaginta Interpretes.

Vers. 12, 13, 14, 15. — Ad Rubenitas verò et Gaditas, etc. Non satis erat, populum universè per castra à præconibus monitum esse, ut se ad trajiciendum compararet, nisi duas istas tribus, et dimidiam privatim etiam, et propriè imperator commonefaceret, ut Mosis, aut Dei veriùs, mandati memores unà cum aliis trajicerent. Cùm enim hæ tribus sedes nuper commodas nactæ essent, regna Sehonis atque Og, et Galaaditidem universam, auctore Mose, cujus jam fatis functi indignationem non ampliùs revererentur; credibile est, non nisi seorsim monitos et propriè, non fuisse cum aliis spontè trajecturos flumen. Sed in dulci, et omnibus vitæ commoditatibus affluente nido, apud uxores, liberosque, ac rem suam familiarem mansuros; presertim cùm non ignorarent, eas suas possessiones novas, à vicinis, iisque potentissimis hostibus non esse satis tutas. Sed enim digna est observatione prudentissimi principis Josuæ modestissima in illis monendis ratio. *Memores,* inquit, *estote ejus rei, quam mandavit vobis Moses, servus Domini.* Potuisset quidem ipse, pro imperio, illos compellere, et nisi parerent, etiam jure acceptâ illâ à Mose hæreditate exuere; hic enim tum demùm ratam firmamque fore donationem voluerat, cùm ipsi subsidium, quod ultrò fratribus suis promiserant, prorsùs præstitissent. Potuisset etiam meritò hæc sua ipsorum promissa, in ipsos ingerere, et eorum commemoratione solâ, debiti ipsos officii acriter et duriter commonefacere. Sed ille mavult amicum monitorem, quàm severum imperatorem agere : contra sanè atque nunc magistratuum pars maxima assolet. Nunquàm enim isti imperio suo abutuntur insolentiùs, majoreque cum fastu, quàm cùm primùm imperare incipiunt. Nihil ille superbè mandat, sed Mosis mandatum ipsis revocat in memoriam; et ut id quoque durum, utpote hominis in homines, videri non possit, nominat illum Jehovæ, hoc est, Domini Dei servum; quasi dicat, non tam Mosis illud, quàm ipsius Dei præceptum

fuisse. Cùm porrò illa jussa ad rem accommodare pergit suis verbis, inquiens: *Deus vester dat vobis quietem*, et quæ sequuntur proximis duobus versiculis, initio statim quæ illis jucundissima gratissimaque auditu sint, commemorat, quò sibi ipsorum animos conciliet. Quid enim illis potuisset esse jucundius recordatione donatæ sibi ab ipso Deo nuper amplissimæ, et uberrimæ hæreditatis? Quid acceptius atque suavius quàm uxoribus parvulisque liberis, et pecudibus integrum posthàc fore optatâ diù quiete frui, domi suæ? ubi verò ulteriùs ad id ventum est, quod mordere ipsorum animos possit, hoc est: *Sed vos pergetis balteis succincti*, etc. Tam id absolvit paucis, tamque citò ad ea quæ acerbum hoc rursùs leniant, transvolat, ut veluti uno hiatu et ferire mentem ipsorum, et sanare videatur. Sic enim transeundum illis in Chananæam esse pronuntiat, ut simul ad perpetuam quietem redituros promittat. Hoc profectò est, leniter quidem, sed tamen cordatè imperio uti, tantâ cum suavitate parentes ad officium impellere. Cæterùm historia quæ hoc loco attingitur, perscripta est toto capite 32 Numerorum: illinc repetat lector. Non recitat quidem Josua hic ipsa Mosis verba, sed ex eis suam ipse monitionem, magno, ut jam ostendi, artificio contexit. Quare illud, *dicendo*, sive, *dicens*, quod versiculo decimo tertio scriptum est, non quidem loquentem Mosen facit; sed quæ deinceps sequuntur, ea ex Mosis sententiâ dici ostendit. Porrò infinitus modus זכור, pro mandativo זכרו positus est; quali figurâ sæpè utuntur Hebræi. Nomini טף subjiciuntur pueri puellæque minores annis viginti, ut scribit R. Abraham, filius Ezræ.

Usurpatur autem ferè numero singulari, ut collectivum, pro plurali. At Symmachus hoc loco φόρτιον, onus, est interpretatus; volens, opinor, significare, ea quæ impedimenta vocantur apud milites. Videor enim meminisse, Septuag. quoque sic aliquando esse interpretatos id verbum. Nomen, מקנה, pro quo dixi, *pecudes*, est ab acquirendo dictum, ac si opes, facultatesque partas dicas. Et quia veteres illi et prisci homines laboriosissimi frugalissimique has in re pecuariâ ferè habebant positas, ideò plerùmque pro pecudibus majoribus minoribusque usurpatur hoc nomen, cui prorsus simile est græcum illud κτῆνη, quod pro eo Septuag. reddiderunt. Parùm ergo plenè *jumenta*, dixit latinus. Hæc enim ea sola animalia esse videntur, quæ jugum subeunt, laboresque et molimina nostra adjuvant. Porrò quid *Hamusim*, quod interpretatus sum, *succincti*, significet, non eamdem habent Hebræi omnes opinionem. Plerique, cum Chaldæo, armatos dici existimant, ab *Homes;* quæ ea corporis humani pars est, in quâ costa quinta locatur; in historiâ Abner., Septuag. illic ψόαν, hoc est lumbum, sunt interpretati: arma enim, inquiunt illi, ad eam ferè partem usque tegunt corpus. Et sanè ab *Homes*, hoc est, lumbis, dici *Hamusim*, planè est credibile, cùm videamus *Halusim*, ei prorsùs geminum esse, si et formam, et notationem spectes, quod nomen à *Halazaim*, hoc est, lumbis, formari, certissimum est. Sed an ista, *Hamusim* dico, et *Haluzim*, armis contectos ad quintam costam, aut ad lumbos usque significent, an verò succinctos balteo militari, non satis possum constituere: Aquilæ prius placet; septuaginta Interpretibus posterius: ille enim ἐνοπλισάμενοι, isti εὔζωνοι, convertunt. Sed sanè εὔζωνοι, hoc est, succincti, magis mihi placet. Nam usitatissimum est in sacrâ historiâ, cinctis lumbis significare expeditum robur, atque alacre et paratum studium, strenuamque fortitudinem. Et unde, quæso, per tot annos miserâ oppressis servitute hominibus tanta armorum copia? Sed dicas fortassè, hostiles exuvias fuisse. Multis enim inde ex Ægypto victoriis fuerant potiti, et præsertim nuper adeò adversùs duos reges, Sehonem, et Og, atque adversùs Madianitas. Atqui non videntur mihi illi sacræ gentis existimationi satis consulere, qui eam tanto se studio loricâsse putant; debebat enim Dei præsidio satis fidere, ideòque ne equis quidem contra hostes uti ei licebat, ut post videbimus. Sed sit sua cuique libera sententia. Sunt etiam qui חמושים, sic interpretentur, quasi quinis viris ordines agminis densati fuerint. Sed hanc ego opinionem repudio prorsùs, propter nominis *Haluzim*, similitudinem, cùm hoc ab illiusmodi notione sit alienum. Illud לפני אחיכם, converti, *coram fratribus vestris*, potiùs quàm, *ante fratres vestros*. Non enim existimo, ut Septuag. et Latinus sensisse videntur, has duas tribus et dimidiam in primâ acie ubique adversùs hostes consistere debuisse, et fratrum suorum veluti propugnatores, et antesignanos fuisse, sed socios potiùs. Neque memini in omnibus bellis chananaicis id factum usquàm memorari. Et nihil usitatius in linguâ sacrâ, quàm ut לפני, non locum anteriorem, sed præsentiam significet. Ad hoc, videmus hic passim, *coram Domino*, et *coram fratribus ve-*

stris, pro eâdem re usurpari. Igitur, quod ait imperator : *Vos pergetis cincti coram fratribus vestris*, est ac si dicat : Vos aderitis vestris fratribus exped ti ad pugnandum, et socia arma cum illis conjungetis. Quod traduxi, *viri militares*, est hebraicè, *viri fortes*, et ad bellum gerendum idonei. Sed non est existimandum eos omnes qui militare possent, ex istis duabus tribubus et dimidiâ, nomen dare debuisse. Certum est enim ex nuperâ recensione, fuisse maturos militiæ, Rubenitarum quidem quadragies et ter mille, septingentos triginta; Gaditarum verò, quadragies mille et quingentos; denique Manassitarum, quinquagesies et bis mille, atque insuper septingentos. Et tamen non plures quadragies mille dicentur ex omnibus simul istis tribubus suppetias fratribus suis tulisse. Ergo illa universitatis nota, *omnes*, significat quidem, nullos nisi militares, in hanc expeditionem fratres comitari debere; verùm non eos omnes, qui sint militares, debere comitari. Quæ porrò versu 15 promittit imperator, ea videbimus, si volet Deus, suo tempore bonâ fide præstari. Illud : *Versùs ortum solis*, additur ad significandam Galaaditidem, sicut alibi, versùs occidentem, cùm Chananæa ostenditur; quia vox *trans*, ad utramvis ripam fluminis accommodari potest.

Vers. 16, 17. — Responderunt autem Josuæ dicentes : Omne id, etc. Apparitorum præconio monita fuerat universa multitudo, de movendis castris, trajiciendoque intra triduum Jordane. Propriè autem, et seorsim Rubenitas, Gaditas, et Manassenses imperator monuerat, ut jam audivimus. Itaque hoc responsum, ego certè, non istarum trium, sed omnium simul tribuum esse existimo : quem jam per suos tribunos, aut alios primæ auctoritatis viros Imperatorem allegatos, solemniter ipsi deferunt imperium, et suam obedientiam, atque obsequium; non in iis modò, quæ jam imperata sunt ab illo, sed in omnibus, in quibus æquum est parentes suo imperatori esse morîgeros. Planè enim constitutum omnibus esse, Mosis, hoc est, summi imperatoris loco illum habere, neque minùs, atque hunc ante, revereri. Nimirùm perspecta fuerat omnibus Dei voluntas in designando Josuam Mosi successorem : neque Dei solùm, sed ipsius etiam Mosis. Nam palàm pro concione, impositâ Mosis manu ejus capiti, fuerat dudùm, sic jubente Deo, consecratus imperator : tum quæ ad hoc munus pertinent mandata, ea ab ipso Deo, ex nube, populo inspectante, et responsa sacra audiente, acceperat, ut ante ex Numeris et Deuteronomio docuimus. Ad hæc, recordabantur procul dubio verborum Mosis, atque adeò Dei ipsius, cùm ille diceret Deut. 18, 15 et 19 : *Prophetam ex te, ex tuis fratribus, talem qualis ego sum, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ei obeditote;* hìc verò subjiceret : *Quisquis non obediverit verbis meis, quæ loquetur ille propheta meo nomine, ego vindicabo*, ut jam nullus ipsis relictus videatur fuisse tergiversandi locus. Etsi enim ista de Christo præcipuè dicta sint, tamen ad ipsum etiam Josuam ut Christi typum, formamque pertinere, docuimus ante ex Justino. Et tamen laudem non vulgarem meretur tantæ multitudinis tam concors obedientia, præsertim alacerrimo promptissimoque animo delata. Planè enim ex ipsis penè singulis responsi verbis hilarem ac lubentissimum parendi studium intelligi potest. Ubique enim notam universitatis, *omnia*, in ore habent, ut prorsùs nihil fore significent, in quo sint ipsius justum imperium detrectaturi. Et illius obedientiæ comparatio, quam Mosi præstiterant, non præcisum, et in quibusdam modò rebus parendi modum significat, sed magis perfectum, plenum, prolixum. Proponunt enim Mosis, tanquàm omnium maximi imperatoris exemplum, et quem nullus possit auctoritate anteire. Nam pro iis quæ in Deuteronomii extremo scripta sunt, nemo adhuc vixit apud Israelitas, Deo tam familiaris, tantâque præditus potestate, ac tot tantisque prodigiis editis clarus, atque Moses fuit.

Sed dices, illorum adversùs Mosen obedientia minimè fuit ἀνυπαίτιος, adeò ut aperta sæpè rebellio videri potuerit. — Atqui universa illa generatio contumax, ut loquitur sacra historia, jam interierat per solitudinem. Ad hoc, si quis unquàm vel digitum movebat, aut hiscebat contra Mosen, illicò noxæ pœna præstò erat. Cùm ergo nemo illi rebellàrit impunè, haud absurdè, obedientia ipsi integrè illibatèque præstita censetur. Neque verò hìc Israelitæ se de obedientiâ jactant, quod latina tralatio, mendosè profectò, expressit; sed potiùs quantam Mosi obedientiam debuerint ingenuè fatentur, ac tantam Josuæ pollicentur; debuerant autem illi summam, cùm, ut dixi, nisi summam præstabant, continuò dabant supplicium. Atque hanc istorum verborum esse veram sententiam, patefacit versiculus postremus, cùm aiunt : *Quisquis fuerit rebellis*, et quæ sequuntur. Cæterùm in his verbis : *Sit Dominus Deus*

tuus tecum, ut fuit cum Mose, votum est, meo judicio, nihil ad institutum de obedientiâ sermonem pertinens; sed quale animi læti affectio expressit abruptè, occasione nominati optimi omnibusque chari imperatoris Mosis, qui nuper è vivis excesserat. Et qualia alioqui vota fieri assolent à populis, cùm suis principibus imperia deferunt, ac si dicant : Cæterùm optamus, ut Deus tuus, qui te nobis principem dedit, qui te tam benignè nobis audientibus ex nube est allocutus; qui te spiritu sapientiæ amplificavit; cujus tu in hoc imperio es administer, Mosisque successor ; is Deus ita omnia prosperet tuo imperio, ut Mosis imperio prosperavit; cui cum nullo hoste res fuit unquàm, quem non, illius ope fretus, facilè devicit. Est autem hoc loco observanda optantis populi proba religio, qui Mosis omnem felicitatem, non ejus fortunæ, sed Deo acceptam referunt, neque Josuam porrò posse res prosperè gerere, nisi hujus ope adjutum, agnoscunt. Si quis autem ista ad propositam obedientiæ materiem attinere contendat, equidem cum eo non pugnavero. Neque enim à vero aliena fuerit sententia, si quis dicat, eos perpetuum obsequium Josuæ, quale ante Mosi præstiterant, polliceri, modò ut sic illius imperium à Deo dirigatur, ne quid aut imperare, aut aggredi in animum unquàm inducat, quod non sit legi voluntatique divinæ consentaneum, sicut Mosis actiones omnes à Deo gubernabantur. Itaque vocula רק, exceptivè, ut sic dicam, erit interpretanda. Promittunt enim, si istam sequimur sententiam, præcisè obsequium, quatenùs à Deo ipse imperator non desciverit : neque alia quàm recta atque utilia, et cum lege Dei conjuncta præscripserit. Et sanè hunc sensum amplexi videntur Talmudici, in eo tractatu, quem Συνέδριον appellant, capite decimo tertio; quos sequuntur R. R. David Kimhi, et Levi F. Gersonis. At objiciet aliquis : Notum est illud D. Petri, parendum esse non solùm bonis et æquis, verùm etiam pravis dominis. Et si parentibus permittatur in dominorum mores, vitamque inquirere, vix unquàm cuiquam defore quo suam excuset contumaciam. Verùm non jam agitur de vitâ principis privatâ, sed de ipso imperio. Illa enim qualis sit, parentium non interest; at hoc, si contra rempubl., contra religionem probam, et in summâ, contra jus fasque exerceatur, non debet aliorum hominum obsequio adjuvari. Sed hoc hactenùs. Parcissimè enim illiusmodi locos communes tractare constitui, ne videar otio abuti.

Sequitur in ordine verborum : *Quisquis rebellis fuerit ori tuo*, etc. Jam redeunt ad interruptum voto sermonem de obedientiâ. Quisquis, inquiunt, vel contra atque tu jusseris, egerit, vel aliquid eorum non egerit quæ tu mandaveris, occidatur. Ostendit ergo perspicuè hic locus, quantam ad parendum alacritatem præ se ferant : et simul illam à Mosis imperio prolatam similitudinem, significare summam, et, ut sic dicam, capitalem obedientiam. Tam enim certè, verè, atque ex animo obedientiam se promittere ostendunt, ut ultrò capitis periculum sibi statuant ipsi, si usquàm fallant; similiter atque Mose rempubl. gerente, capitalis fraus fuit, ei non paruisse. Discimus ergo, eos qui imperata non faciunt, multòque etiam magis qui contraria faciunt, imperiumque legitimum demutant, morte mulctari à justo magistratu posse. Sed neque hunc locum communem persequar longiùs, disputatum alioqui à multis copiosè.

Illud, *ori tuo*, transnominatio est, ac si dicas : Verbo tuo; ut redditum à Chaldæo est. Postrema illa pars : *Cæterùm esto fortis et firmus;* aut votum est; quale illud, quod nuper explicabamus; aut hortatio, quâ universa multitudo per suos allegatos, quamvis sponte suâ currenti principi, calcaria tamen subdit : aut potiùs, quâ se illius fortitudini, toto animo asservituram declarat, q. d. : Tu modò sis forti et fidente animo, in nobis nihil desiderabis; nos officium erga te, ut imperatorem nostrum, ubique conservabimus.

R. Levi F. Gersonis, sic explicat ista : Modò ut sis fortis firmusque in administrando imperio, secundùm legis Dei præscripta. Neque enim, inquit, si jussisset imperator ullam violare, obtemperandum ei fuisset, nisi si pro tempore res ita postulàsset. Et hìc rursùs ille Talmudicos sequitur. Ili enim eo, quem modò indicabam, loco, dum ista verba tractant, disputantque, statuunt, particulam רק, quæ hoc loco scribitur, exceptionem significare. Neque verò absurdum videri debet, quòd fortitudo in observandâ lege collocatur. Sic enim superiùs, vers. 7, ipsum etiam Deum loquentem audivimus, cùm diceret : *Prorsùs esto fortis et firmus, ut observes præstare universam legem quam imperavit tibi Moses*, etc. Nec est sanè privata illa, et veluti domestica fortitudo, quæ in cujusque animo vitiis obstat, virtutem defendit, militari fortitudine inferior, sed longè etiam superior existimanda, quippe sine quâ fortitudo illa bellica nunquàm fructuosa, sæpè

autem noxia est. Sed profert R. Levi alteram quoque sententiam, quasi jubeat populus imperatorem capessere rempubl., ne ea gubernatore orba, post Mosis excessum fluctuet. Et hactenùs explicata à nobis ea ferè sunt, quæ primo capite continentur. A quibus priùs quàm discedamus, persolvenda est subdifficilis, ut videtur, quæstio, quæ hoc loco existit, cur opus sit Rubenitas, Gaditas, et Manassenses, quibus sua jam hæreditas attributa cis Jordanem est, trajicere cum cæteris suis fratribus armatos, et tanquàm suppetias ferre ipsis, ad debellandum Chananæos : quos se profligaturum Deus ipse sæpè est pollicitus; et, ut audiemus, erit totius belli præsentis tum incœptor, tum confector. Ad ista responderi rectè posse puto, nihil illorum quidem viribus opus esse, ad exterminandos veteres terræ incolas, habitatoresque, qui divinis stratagematibus magis quàm armis superabuntur. Neque verò etiam ideò solùm voluisse Mosen, divinorum consiliorum interpretem, ut fratribus illi suis adessent, quia Deus, etsi per se ipse satis pollens potensque est, tamen humanas res opera ferè hominum administrare assolet; sed multò magis, quia antequàm et victoria bello, et respub. hæreditatis divisione, ac denique religio arcæ collocatione, sacrorumque rituum factis initiis constituta essent, dividi populus, absque magnis flagitiis, non potuit. Primùm enim ea res mutuos inter se animos plurimùm abalienâsset, si illæ tribus fortunas suas in communionem magnorum, ut videbantur, periculorum, quæ restabant, conferre noluissent, statuissentque nullam sibi societatem, communis utilitatis causâ, cum illis esse debere, quorum res nondùm satis certæ erant. Ea verò abalienatio sensim legum, et sacrorum communionem, quâ tanquàm unius ejusdem civitatis cives inter se omnes conjuncti fuêre, desolvisset : porrò hæc sublata prorsùs distraxisset Ecclesiæ unitatem, atque adeò Ecclesiam ipsam evertisset; quippe quæ nisi una est, nulla est. Deinde cùm sacra arca omninò in Chananæam inferri deberet, ob causas quas opportuno loco explicabimus, non potuerunt illi eam, tanquàm Deum ipsum, deserere, priùs quàm locum suum cepisset; in quo sibi Deus vellet sacrificari, cùm quia ipsis quoque nusquàm alibi sacris operari fas esset; tum maximè, quia cùm vera religio non legibus et judiciis, sed pietate hominum, et quâdam conjunctione, quæ ipsis cum Deo est, optimè conservetur, si illæ tribus, sui commodi causâ, Deum, veluti adhuc peregrinantem, et ad suos hostes transeuntem, deseruissent, fieri vix potuisset, quin ea res, quâdam neglecti officii opinione, ipsos desertores, paulatim à sacro illo delubro, et proinde à debitis ritibus, et cultu legitimo avertisset. Ita est enim ingenium hominum, ut quem suo peccato offenderunt, eum minùs amare, sæpè etiam fastidire, et porrò sensim odisse incipiant, præsertim si illiusmodi est peccatum, ut ejus non facilè ipsos possit pœnitere. Præter istas autem causas, hæc quoque afferri potest, verendum fuisse ne si in transeundo tergiversatæ fuissent istæ tribus, suâ illâ retractatione locum aperuissent totius populi diffidentiæ : ex quâ deinde nova occupandæ Chananææ dilatio, erroresque vel superioribus perniciosiores fuissent consecuti. Quamvis autem hoc in crimine magis poni debuisset illis, qui præ magnâ fiduciæ suæ inconstantiâ, tam facilè in alienâ culpâ fuissent offensi, tamen Moses hâc ratione potissimùm in istis tribubus objurgandis uti videtur, cùm hæreditatem sibi cis Jordanem assignari illæ postulant. Nimirùm Moses magno studio omnem ubique orationem ad vulgi captum, popularemque intelligentiam accommodavit. Hæc autem postrema causa quàm superiores magis perspicua est; imò verò ex illis, quæ nuper adeò cum omnium malo maximo acciderunt, planè evidens, et ante omnium posita oculos. Sed hæc quoque hactenùs.

CAPUT II.

1. Misit igitur Josue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito, et dixit eis : Ite, et considerate terram urbemque Jericho. Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis (1) nomine Rahab, et quieverunt apud eam.

(1) Vox hebræa זונה, juxta nonnullos hic copam, non meretricem significat. — Vox πόρνη apud Septuaginta utramque habet interpreta-

CHAPITRE II.

1. Josué, fils de Nun, *crut qu'avant de passer le Jourdain et d'entrer dans le pays ennemi il était de la prudence de le faire reconnaître.* Il envoya donc secrètement de Sétim, *où tout Israël était campé,* deux espions, et leur dit : Allez, et reconnaissez bien le pays et la ville de Jéricho. Ils partirent *du camp*, et *arrivés à Jéricho,* ils entrèrent dans la maison d'une femme débauchée, nommée Rahab, et se reposèrent chez elle.

2. Nuntiatumque est regi Jericho et dictum : Ecce viri ingressi sunt hùc per nòctem de filiis Israel, ut explorarent terram.

3. Misitque rex Jericho ad Rahab dicens : Educ viros qui venerunt ad te et ingressi sunt domum tuam ; exploratores quippe sunt, et omnem terram considerare venerunt.

4. Tollensque mulier viros abscondit, et ait : Fateor, venerunt ad me, sed nesciebam unde essent :

5. Cùmque porta clauderetur in tenebris, et illi pariter exierunt ; nescio quò abierunt : persequimini citò, et comprehendetis eos.

6. Ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domûs suæ, operuitque eos stipulâ lini, quæ ibi erat.

7. Hi autem qui missi fuerant secuti sunt eos per viam quæ ducit ad vadum Jordanis ; illisque egressis statim porta clausa est.

8. Necdùm obdormierant qui latebant, et ecce mulier ascendit ad eos, et ait :

9. Novi quòd Dominus tradiderit vobis terram ; etenim irruit in nos terror vester, et elanguerunt omnes habitatores terræ.

10. Audivimus quòd siccaverit Dominus aquas maris Rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Ægypto ; et quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus, qui erant trans Jordanem Sehon et Og, quos interfecistis.

11. Et hæc audientes pertimuimus, et elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum ; Dominus enim Deus vester, ipse est

tionem, ut probat Junius *in Epist. Jacobi*, c. 7, v. 5. — In Oriente, præter hospitia dicta *Caravanserais*, alia occurrunt minùs ampla, quæ quorumdam charitate instituta sunt in peregrinorum refectionem. Non rarò mulieres in his domibus hospitalitatem exercent. — Memorat Herodotus apud Ægyptios mulieres in diversoriis hospitas esse. (Drach, Bibl. de Vence, edit. 1828-1829.)

2. Le roi de Jéricho en fut averti, et on lui dit : Des hommes d'entre les enfants d'Israël sont entrés ici *un peu avant* la nuit pour reconnaître le pays.

3. Le roi de Jéricho envoya donc chez Rahab, lui faisant dire : Faites sortir les hommes qui sont venus vous trouver et qui sont entrés dans votre maison ; car ce sont des espions qui sont venus reconnaître tout le pays.

4. Cette femme, prenant ces hommes, les cacha, et *croyant devoir mentir pour leur sauver la vie, elle* répondit : Il est vrai qu'ils sont venus chez moi ; mais je ne savais pas d'où ils étaient ;

5. Et lorsqu'on fermait la porte de *la ville* pendant la nuit ils sont sortis en même temps *de chez moi*, et je ne sais où ils sont allés. Poursuivez-les vite, et vous les atteindrez ; *car ils ne peuvent être loin.*

6. Or, elle avait fait monter ces hommes sur la terrasse de sa maison, et les avait cachés sous des bottes de lin qui y étaient.

7. Ceux donc qui avaient été envoyés *de la part du roi*, les poursuivirent par le chemin qui mène au gué du Jourdain ; et aussitôt qu'ils furent sortis, les portes *de la ville* furent fermées *afin que ces espions ne pussent se sauver s'ils y étaient restés.*

8. Ces hommes qu'elle avait cachés n'étaient pas encore endormis lorsqu'elle monta où ils étaient, et que, *pleine de foi en la puissance du Dieu d'Israël*, elle leur dit :

9. Je sais que le Seigneur *votre Dieu* vous a livré ce pays, car la terreur de votre nom nous a tous saisis, et tous les habitants de ce pays sont tombés dans le découragement.

10. Nous avons appris qu'à votre sortie d'Egypte le Seigneur sécha les eaux de la mer Rouge aussitôt que vous y fûtes entrés, et de quelle sorte vous avez traité les deux rois des Amorrhéens qui étaient au-delà du Jourdain, Séhon et Og, que vous avez fait mourir.

11. Ces nouvelles nous ont épouvantés ; la frayeur nous a saisis jusqu'au fond de l'âme, et il ne nous est demeuré aucune force à votre arrivée ; car celui qui est le Seigneur votre Dieu est aussi lui-même le Dieu qui règne en haut dans le ciel et ici-bas sur la terre, *et*

Deus in cœlo sursùm et in terrâ deorsùm.

12. Nunc ergo jurate mihi per Dominum, ut quomodò ego misericordiam feci vobiscum, ita et vos faciatis cum domo patris mei; detisque mihi verum signum

13. Ut salvetis patrem meum et matrem, fratres ac sorores meas et omnia quæ illorum sunt, et eruatis animas nostras à morte.

14. Qui responderunt ei : Anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodideris nos; cùmque tradiderit nobis Dominus terram, faciemus in te misericordiam et veritatem.

15. Demisit ergo eos per funem de fenestrâ; domus enim ejus hærebat muro.

16. Dixitque ad eos : Ad montana conscendite, ne fortè occurrant vobis revertentes; ibique latitate tribus diebus, donec redeant, et sic ibitis per viam vestram.

17. Qui dixerunt ad eam : Innoxii erimus à juramento hoc quo adjurâsti nos,

18. Si ingredientibus nobis terram signum fuerit funiculus iste coccineus, et ligaveris eum in fenestrâ per quam demisisti nos, et patrem tuum ac matrem, fratresque et omnem cognationem tuam congregaveris in domum tuam.

19. Qui ostium domûs tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput ejus, et nos erimus alieni; cunctorum autem sanguis qui tecum in domo fuerint redundabit in caput nostrum, si eos aliquis tetigerit.

20. Quòd si nos prodere volueris et sermonem istum proferre in medium, erimus mundi ab hoc juramento quo adjurâsti nos.

21. Et illa respondit : Sicut locuti estis ita fiat. Dimittensque eos ut pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestrâ.

qui y dispose toutes choses comme il lui plaît;

12. Jurez moi donc maintenant par le Seigneur que vous userez envers la maison de mon père de la même miséricorde dont j'ai usé envers vous, et que vous me donnerez un signal assuré

13. Pour sauver mon père et ma mère, mes frères et mes sœurs et tout ce qui est à eux, et pour nous délivrer de la mort.

14. Ils lui répondirent : Notre vie répondra de la vôtre, pourvu néanmoins que vous ne nous trahissiez point; et lorsque le Seigneur nous aura livré ce pays, nous userons envers vous de miséricorde, *comme vous en aurez usé envers nous*, et nous exécuterons avec fidélité nos promesses.

15. Elle les fit donc descendre par une corde qu'elle attacha à sa fenêtre; car sa maison tenait aux murs *de la ville*.

16. Et *avant de les faire descendre* elle leur dit : Allez du côté des montagnes, *en vous détournant du chemin qu'ont pris ceux qui vous cherchent*, de peur qu'ils ne vous rencontrent quand ils reviendront; et demeurez là cachés pendant trois jours, jusqu'à ce qu'ils soient de retour ; et après cela vous reprendrez votre chemin.

17. Ils lui répondirent : Nous nous acquitterons du serment que vous venez d'exiger de nous,

18. Si, lorsque nous entrerons dans ce pays, vous mettez pour signal ce cordon d'écarlate, si vous l'attachez à la fenêtre par laquelle vous nous avez fait descendre, et que vous ayez soin en même temps d'assembler dans votre maison, votre père et votre mère, vos frères et tous vos parents.

19. *Après cela*, si quelqu'un est trouvé hors de la porte de votre maison, son sang retombera sur sa tête, et nous n'en serons pas responsables; mais si l'on touche à quelqu'un de ceux qui seront avec vous dans votre maison, leur sang retombera sur notre tête.

20. Si vous voulez nous trahir et publier ce que nous vous disons, nous serons quittes de ce serment que vous avez exigé de nous.

21. Et elle leur répondit : Qu'il me soit fait comme vous le dites. Et les laissant partir, elle suspendit *dans la suite* un cordon d'écarlate à sa fenêtre.

22. Illi verò ambulantes pervenerunt ad montana, et manserunt ibi tres dies, donec reverterentur qui fuerant persecuti; quærentes enim per omnem viam non repererunt eos.

23. Quibus urbem ingressis, reversi sunt, et descenderunt exploratores de monte; et transmisso Jordane, venerunt ad Josue filium Nun, narraveruntque ei omnia quæ acciderant sibi,

24. Atque dixerunt : Tradidit Dominus omnem terram hanc in manus nostras, et timore prostrati sunt cuncti habitatores ejus.

22. Eux s'étant mis en chemin marchèrent jusqu'aux montagnes, et y demeurèrent trois jours, jusqu'à ce que ceux qui les poursuivaient fussent retournés; car les ayant cherchés dans tout leur chemin ils ne les trouvèrent point.

23. Et après qu'ils furent rentrés dans la ville, les espions étant descendus de la montagne s'en retournèrent; et ayant repassé le Jourdain ils vinrent trouver Josué, fils de Nun, et lui racontèrent tout ce qui leur était arrivé.

24. Ils lui dirent : Le Seigneur a livré tout ce pays-là entre nos mains, et tous ses habitants sont consternés par la frayeur qui les a saisis, *à l'approche de l'armée du Dieu d'Israël.*

TRANSLATIO EX HEBRÆO.

1. Cæterùm miserat Josua filius Nun è Sittim duos viros exploratores, occultè, dicens: Ite, inspicite terram, et Jericho. Profectique venerant domum mulieris meretricis, nomine Rahab. et cubaverant ibi. — 2. Dictumque fuerat regi Jerichuntis, his verbis : En viri venerunt hùc, noctu ex filiis Israel, ad speculandum terram. — 3. Miserat igitur rex Jerichuntis ad Rahab, dictum : Producito viros venientes ad te, qui venerunt in domum tuam : qui explorandæ totius regionis causâ venerunt. — 4. Sed acceperat mulier ipsos duos viros, et occultârat utrumque : dixeratque : Ita est, venerant, ad me viri, sed nesciebam unde essent.— 5. Cùmque esset claudenda porta in tenebris, viri illi egrediebantur; verùm non novi, quò abierint viri; insequimini celeriter ipsos, comprehensuri enim estis eos. — 6. At ipsa illos subduxerat in solarium, et occultaverat ipsos in linis ligni, quæ disposita habebat super solarium. — 7. Itaque viri illi insecuti fuerant ipsos, viâ quæ est versùs Jordanem, versùs trajectum. Clauserant autem portam, postea quàm egressi fuissent, qui illos insequebantur. — 8. Cùmque isti nondùm dormirent, illa ascenderat ad ipsos in solarium. — 9. Dixeratque ad ipsos viros : Scio quòd dederit Dominus vobis terram. Et quia formido vestrì incidit nobis, et quia dissoluti sunt omnes incolæ terræ, propter vos. — 10. Audivimus enim, quòd exsiccavit Dominus aquas maris Rubri, vestrâ causâ, cùm egrederemini ex Ægypto, et quæ fecistis duobus regibus Amorrhæorum, qui erant cis Jordanem, ipsi Sehon, et ipsi Og, quos delevistis. — 11. Ac simul atque audivimus, liquefactum est cor nostrum; neque constitit deinde spiritus in quoquam, propter vos, eò quòd Dominus Deus vester sit Deus supra in cœlo, et subter in terrâ. — 12. Jam ergo jurate, obsecro, mihi Jehovam, quia usa sum erga vos pietate, vos quoque usuros esse erga domum patris mei pietate, et daturos mihi certum signum. — 13. Conservaturosque in vitâ patrem meum, et matrem meam, fratresque meos, et meas sorores, ac quidquid habent; erepturosque animas nostras morti.— 14. Viri verò ad illam dixerant : Anima nostra pro vobis ad moriendum; modò non detuleritis hanc rem nostram, et futurum est, ut quando tradiderit nobis Dominus terram, utamur erga te pietate et veritate. — 15. Itaque demiserat illos fune per fenestram, nam ipsius domus erat in muro mœnium, atque in mœnibus ipsa habitabat.— 16. Dixeratque ad illos : In montem abite, ne fortè occurrant vobis qui persequuntur. Et illìc latebitis triduum, usque dùm redierint qui persequuntur, post verò pergetis per iter vestrum. — 17. Viri verò dixerant ad illam : Nos innoxii ab hoc tuo jurejurando, quo nos devinxisti. — 18. Ecce, intrantibus nobis in terram, textum fili coccinei hujus alligabis fenestræ, quo nos demisisti : et patrem tuum, matremque tuam, tum fratres tuos, et omnem domum patris tui contrahes ad te in domum. — 19 Futurum est autem, ut quisquis exiverit ostium domûs tuæ foras, illius sanguis sit in caput ipsius, nos verò extra culpam. At quisquis tecum fuerit in domo, illius sanguis in nostrum caput, si manus eum tetigerit. — 20. Et si prodideris hanc rem nostram, erimus etiam innoxii ab jurejurando tuo, quo nos obligâsti. — 21. Responderat autem : Ut verba vestra, sic esto : simulque dimiserat illos; et abierant. Illa porrò alligaverat textum coccineum fenestræ. — 22. Profectique pervenerant in montem : et manserant illìc triduum, donec essent reversi qui perseque-

bantur ; vestigaverant autem qui persequebantur, per totam viam, verùm non invenerant. — 23. Reverterant itaque duo illi viri, et descenderant de monte, atque trajecerant. Et cùm pervenissent ad Josuam filium Nun, narraverant ei omnia quæ sibi acciderant. — 24. Dixerantque ad Josuam : Nam Dominus tradidit in nostram manum universam regionem : atque etiam liquefacti sunt omnes incolæ regionis propter nos.

COMMENTARIUM.

Vers. 1.—Cæterum miserat Josua filius Nun è Sittim, etc. Diximus superiore capite, planissimam esse historiæ seriem, si, quod hoc toto capite refertur, actum esse accipiamus, antequàm imperator constituisset populo triduum ad trajiciendum in Chananæam, edixissetque ut se ad illud iter compararent. Eâ igitur de causâ utimur in his convertendis, ferè verbis præteriti plus quàm perfecti temporis, ut vocant grammatici. Sed enim mirabile videri potest, quòd imperator speculatores in hostilem terram præmittit, postquàm ei Deus tam prolixè certissimam victoriam est recens pollicitus, ut confidere ei, atque in divinis verbis acquiescere potiùs debuerit, quàm per hujusce generis machinationum procurationem, suâ prudentiâ atque industriâ niti. Verùm enimverò, qui istam imperatoris sollicitudinem admirantur, haud illi profectò divina promissa cujusmodi sint, rectè existimant. Audivimus ante: Omnem locum, quem calcabit planta pedis vestri, eum vobis dedi. Et rursùs : Non consistet quisquam adversùs te. Atque in ipsis belli principiis videbimus Jerichunta clausam, atque exclusos Israelitas : Videbimus imperatorem in agro solum, quasi machinamentum quodpiam secum meditantem capiendæ urbis, neque capientem tamen, nisi novo quodam oppugnandi genere à Deo commonstrato ; videbimus Haienses deinde non nisi militaribus artibus superari. Sed quid multis opus est? Secordis planè et stulti est animi, quæ à Deo promittuntur, ea hiando in cœlum, et quod vetere adagio jactatum est, otiosis munibus implorando fortunam, exspectare. Debent illa quidem fide sanctissimâ et certissimâ sperari, ut ab eo, qui fallerene quit, sed interim nobis quoque sedulò est ad laborandum, ut ubique illius divinæ voluntatis rationem atque ordinem, pro viribus, sequamur ; quibus divina dona nobis dispensare æterno ipsius consilio visum est. Eò enim præclarissimâ illâ mentis vi, quam rationem vocamus, pollere nobis dedit ; tot artibus, tantâque rerum cognitione vitam nostram instruxit; tam multis, et quidem divinis præceptis gratam sibi religionem nostram formavit, denique in his omnibus liberâ nos voluntate uti concessit, ut ne otiosâ atque supinâ credulitate omnia ab illius paternâ benignitate esxpectaremus bona quasi ea nobis, aut nihil, aut aliud agentibus, juxta sint obventura : sed et actiones nostras omnes, et ipsam inprimis nostram voluntatem, congruenter illius divinæ beneficentiæ compararemus, præsertim cùm ipse in his omnibus etiam nostros conatus promptè, suo cœlesti favore et gratiâ, adjuvet. Mittit igitur imperator speculatores, qui situs habitusque locorum, ad quæ primùm ducendus est populus explorent ; non quòd hanc suam industriam promissæ à Deo victoriæ efficientem fore statuat, sed quò ritè Dei operationi obsequatur, et subserviat, suoque arbitrio eam quodam modo adjuvet. Sed verò in eo meritò miretur aliquis, non metuisse Josuam penè domesticum Mosis exemplum, cui malè cessit exploratores præmisisse.

Verùm existimandum est, nihil nisi consulto Dei oraculo, hîc fecisse Josuam. At instas, Mosen quoque, jubente Deo, infelicissimam illam instituisse legationem. Id enim disertè in Numeris 13, 3, scriptum est. Est quidem id illìc scriptum ; sed non tam ultrò jussisse Deum Mosi, ut speculatores præmitteret, quàm id importunè postulanti populo concessisse, dilucidè ostendunt ea, quæ in Deuteronomio habentur. Cùm enim Moses his verbis Deut. 1, 20, pro concione esset usus : *Pervenistis ad montem Amorrhæorum, quem Dominus Deus noster dat nobis. En proposuit tibi Dominus Deus tuus terram ; invade, posside,* et quæ sequuntur; populus malè memor, quàm præsentem adhuc Deum adjutorem esset expertus in transeundo mari Rubro, perdendoque exercitu Ægyptiorum, turpi diffidentiâ fidem verbis factisque Dei abrogavit, majoremque spem in suâ legatione, quàm in illius promissis posuit, cùm postularet uno ore, ut exploratores præmittere sibi liceret. De quâ re consultus à Mose Deus, annuit ille quidem, sed ut meritas illi pœnas suæ diffidentiæ darent. At hîc nulla neque in populo, neque in ipso duce ἀπειθία cernitur. Sed urges etiam nunc : Si satis fidente omnes animo erant, nihil fuit opus speculatu. — Atqui Deus nostræ nobis imbecillitatis intimè conscius, succurrit ultrò, modò ut nosmet nos

dociles præstemus. Ejus enim rei memorabile exemplum nobis proposuit sacra historia in Gedeone, admodùm profectò huic loco consentaneum. Postquàm enim illum de victoriâ adversùs Madianitas certissimum reddidisset Deus, pluribus ostentis, igne è petrâ excitato, qui madens sacrificium voraret, vellere nunc humido, nunc sicco ab rore, denique novo atque inusitato bibentium mihtum ritu, neque jam dubitaret ille ampliùs, sed fidenter planè, præter solos trecentos milites, cæteros omnes amitteret; tamen insuper confirmare ipsum ampliùs voluit, atque ad audienda etiam hostium somnia misit, quibus fieret certissimus, quid illi metuerent.

Quid igitur mirum, si post superiora, quæ audivimus, promissa, benignissimus Pater Deus suum imperatorem, ut hominem, hoc insuper speculatorum bono nuntio animare voluit? Cæterùm cur duo modò, non autem quot à Mose, hoc est, duodecim mittantur, causa non longè petenda est. Illi universam regionem pervidere debebant, urbesque omnes, et loca omnia observare; his non ultra pauca stadia est progrediendum. Illi, quamvis multi, facilè securos etiam tum incolas fallere potuerunt. Hi ne duo quidem perturbatam metu proximi exercitûs civitatem latere queunt.

Sed hoc sanè obscurius videri potest, cur eorum, quos Moses mittebat, nomina tribusque prodantur, at hi quinam fuerint, prorsùs sit prætermissum silentio. Verùm probabile est, quia illic non à solo Mose, sed à populo tributim creabantur, quibus id negotii mandaretur, ideò nomina ipsa, ut è quâque tribu data sunt, ita ex annalibus in hunc sacrum commentarium relata esse. Hìc verò, quos imperator suo arbitratu, et quantùm apparet, clam populo, neque eos, ut est credibile, viros primarios, quales illi fuêre, sed è vulgo cautos, et solertes, atque versutos amandat, mirum videri non debet, si haud nominentur. Ad hoc, digni erant illi, decem quidem, quorum detestanda inertia, mollitiaque animi; duo verò, quorum egregia fortitudo, et sancta fiducia monimentis annalium proderentur, propagarenturquè posteritati. At istorum nullum facinus magnoperè vel prædicandum, vel vituperandum apparet. Quid enim aliud, quàm mandanti imperatori suo parent; et quæ à mulierculâ audiverant, eâ fide bonâ, ut debent, referunt? Sed quamvis ipsa historia sacra istorum tacuerit nomina, vetustiores tamen Hebræorum scriptores, in commentario, cui ab auctoris sive compilatoris nomine, titulus est, *Tanhuma*, alioqui autem, *Jelammedem*, inscribitur, affirmare non dubitaverunt, alterum Phineen, Eleazaris pontificis filium, alterum Calebum fuisse. Verùm ego illis, cùm nullo probabili argumento id conficiant, prorsùs non assentior. Verisimilius enim puto, imperatorem, excitatis atque intentis jam tum hostium animis, non nisi vulgares aliquos viros summo periculo objecisse; sed quos tamen astu atque cautione versutos, animoque forti et impavido præstantes esse sciret, non molli et ignavo, quali fuêre Mosis exploratores; tametsi alioqui inter suos quisque tribules nobilitate excellerent. Nam qui stupido, atque servili ingenio contemptibiles sunt speculatores, ut Xenophon scribit, ii nihil, nisi quod apud omnes est pervagatum, rescire, atque referre possunt; at qui solertiâ agendi cogitandique pollent, præsertim si et dignitatem aliquam rectè simulare, et simulatæ existimationem sustinere possunt, etiam ipsa hostium arcana consilia sæpè explorant. Et hùc sanè spectare putat R. David Kimhi, quòd hi nostri vocantur אנשים, *viri*, ut sit pluralis numerus à singulari, איש, non ab, אנוש. Sicut enim apud Latinos, vir à vi, ita apud Hebræos, איש, quod virum significat, ab אשש, hoc est, à firmitate, sive fundamento, dici videtur. Et Septuag. νεανίσκους, reddiderunt; quo verbo, audaciam illorum hominum, et strenuitatem potiùs, quàm ætatem juvenilem significare eos voluisse existimo.

Porrò quòd scribuntur missi *occultè*, in ambiguo est, an ad exsequendum latenter officium spectet, an verò clam populo, neque sciscente speculatum, missos ab imperatore esse, significet. Mihi posterius placere solùm potest. Nam cùm ea sit omnium speculatorum vel præcipua conditio, ut sint taciti, neque effutiant quæ in mandatis habent, sed quidvis potiùs simulent, supervacaneum profectò fuerit, ne dicam ineptum, id monere. Ad hoc, si de ipsorum speculatorum taciturnitate ageretur, alia esset verborum constructio, pro linguæ hebrææ usu. Scriberetur enim, מרגלי חרש, hoc enim exploratores tacitos significaret. Existimo igitur hoc adverbio indicari antithesin inter hos, qui clam populo, et illos Mosis, qui populo sciscente sunt emissi. Sed R. Levi F. Gersonis longè diversam sententiam affert. Ei enim verbum, חרש, significat cogitationem animique machinationem, aut propositum. Nam verbum חרש, significat interdùm machinari, atque

agitare aliquid animo, ut in Proverb. 3, 29 : *Ne machineris malum adversùs amicum tuum.* Et rursùs 14, 22 : *Misericordia, et veritas iis qui machinantur bonum.* Explicat autem ille hunc locum in hanc sententiam : *Misit*, inquit, *Josua duos viros explorantes cogitationem, hoc est, qui dextri essent in explorandis iis, quæ animis volvebant hostes.* Nimirùm nullâ re magis hæsitant milites, quàm ignoratione consiliorum hostis ; nullâque rursùs animantur, juvanturque magis, quàm cognito adversariorum metu et trepidatione. Atque huic rei argumento esse, ait ille, quòd nulla usquàm exploratæ urbis mentio est ; quòd non situs locorum, non propugnacula, sed unum hoc, quod in obscuro meretricis gurgustio didicerant, civitatem universam consternatis esse animis ; id speculatores isti referunt. Nam si, inquit, aliud quàm quâ mente essent hostes, observare illi fuissent jussi, cùm præterea nihil renuntiarent, excusâssent saltem se sub noctem ingressos urbem, et paulò post, propter periculum, egredi coactos, nihil aliud observare quivisse. Hæc ferè Levi, non prorsùs profectò absurdè, nisi ea nominis חרש, notio, nisi fallor, exemplo careret, quamvis verbum ipsum חרש, ab illâ non sit alienum.

Jam verò quòd de situ urbis locorumque opportunitate, nihil neque referunt speculatores, neque percontatur imperator, credibile est, multa inter illos ultrò citròque habita esse verba, quæ non sunt hoc commentario perscripta. Nam ipsa, quæ expressa est, narratio, apertè abrupta est, ut in extremo hujus capitis videbimus, ubi pluribus ista explicanda erunt. Et alioqui memorantur omnia ad imperatorem retulisse, quæ sibi acciderant ; quod mihi videtur ad visa, auditaque etiam pertinere. Et verò quî se haberent cætera, haud multùm referre videbatur ; unum hoc cùm certum esset, fractis animis esse hostes. Nam vulgari verbo, eodemque in re bellicâ longè verissimo, fertur : *Qui animis cadunt, eos excidere omnibus bonis rebus.* Alius autem loci hujus sensus est proditus iis commentariis, quos nuper, *Tanhuma*, appellabam ; quem, quia insulsus atque ineptus mihi videtur, non referrem, nisi à R.R. Salomone et Davide Kimhi seriò citaretur. Sic igitur scriptum in Tanhuma est : *Quid sibi vult illud* חרש ? R. Juda ait : « Fabrilia instrumenta « habebant in manibus, ut fabri putarentur. » R. Nehemias ait : « Simulabant se figulos esse, « et fictilia per eam causam venalia proponebant, ne alicui essent suspecti. » Hæc scriptores veteres, quos laudat Tanhuma, ut sunt acuti ad comminiscendas nugas, quantùmvis absurdas. Nimirùm, quia illa positio, חרש, alia atque alia significat. Etenim quia ei etiam surditas subjicitur, existimàrunt scriptores vetusti commentarii in historiam Ruth, imperâsse suis speculatoribus Josuam, ut surditatem præ se ferrent, quò, quæ vulgò dicerentur, possent, nihil suspecti percipere omnia, quam opinionem laudare videtur R. David Kimhi, præ aliis, in suis Radicibus ; stultè sanè, quippe quam ipsa verborum constructio, ut de taciturnitate dicebamus, satis refellit. Sed mittamus excæcatorum hominum somnia veriùs, quàm judicia : illudque videamus, quo quæri solet : An tantæ probitatis, quantæ erat Josuæ, fuerit, speculatorum operâ uti, quæ fraudi affinis videtur, atque improbitati, ac non potiùs aperto marte, et virtute bellicâ rem gerere ? Habet quidem apud vulgus hominum laudem majorem victoria, quæ corporis viribus paratur, quàm quæ ingenii. Quippe imperita multitudo, quæ ad corporis robur attinent, faciliùs æstimat, quàm ea quæ in animi industriâ sunt posita. Sed profectò, ubi justum bellum geritur, ibi non magis hostium consilia explorare, quàm vires viribus frangere, in vitio est ponendum. Imò verò, quantò animus corpori præstat, tantò laudabiliùs illo, quàm isto, adversarium oppugnaveris. Et quâcumque ratione, modò ut ne fidem frangas, potiores tibi partes paraveris, gloriosum tibi fuerit. Nam prudenter Habradates apud Xenophontem existimabat, in bello potiores partes præoccupâsse, cùm salutare, tùm justum esse et felix ; atque ut consilio valere, sic suas artes tegere, hostium verò mentem cogitationemque inquirere, et consilia callidè præripere, summa est imperatorum virtus existimata semper à viris maximis. Estque illud Antigoni pervagatissimum, qui cùm rogaretur, quâ ratione hostis esset superandus, respondit, ἢ δόλῳ ἢὲ βίῃ, ἢ ἄμφαδον, ἢὲ κρυφηδόν. Quanquàm dolo malo uti, improborum esse ego certè dixerim, etiam adversùs hostem.

Porrò quis locus fuerit Sittim, unde mittuntur speculatores, sive Setim, aut Sattim, ut Græci et Latinus reddunt (mirè enim ubique vitiata sunt locorum nomina propria, quibus Hebræi utuntur, propter incertas vocales), divus Hieronymus descripsit commentariis suis in Joelem. Est, inquiens, Sittim locus juxta Liviadem, trans mare Mortuum, sexto ab illâ distans milliario, ubi quondam cum Madianitis

fornicatus est Israel. Cæterùm Livias locatur à Ptolomæo, trans Jordanem, supra Calliroen, memorabilem fontem, ad septentrionem versùs circiter 16 mill. pass., orienti verò propinquior ferè pass. millia quatuor. Idem ille in Michæam scribens, ait, Sittim esse locum cognominem celeberrimis illis sacrâ historiâ arboribus, quæ ejus etiam seculo per eremum montis Sinai nascebantur, spinæ, quam vocant, albæ simillimæ et colore, et foliis; cæteroqui magnitudine tam grandes, ut latissima tabulata (utor ejus verbis) ex ipsis cæderentur : materie verò firmissimâ, et incredibilis levitatis pulchritudinisque. Et tamen, tam pretiosæ materiæ arbores nusquàm ferè colebantur, sed per solitudinem nascebantur Arabiæ. Habuit igitur locus iste nomen hoc, *Sittim,* ab illo arborum genere, quarum credibile est, eum fuisse feracem. Cæterùm, quia planities erat, montium Abarim fastigio, ad Jordanem versùs, submissa, ideò in Numeris appellatus est, *Abel Sittim;* et apud Joelem, *Nahal Sittim,* quorum utrumque planitiem Sittim significat. In summâ, Sittim fuit is locus, ad quem usque pertinebant castra, quæ ultimâ mansione facta à Mose fuêre in campis Moabiticis : abfuitque ab Jordane, si vera scribit Josephus, stadiorum sexaginta intervallo, quod supra quoque diximus.

Sequitur in sacrâ narratione : *Ite, inspicite terram et Jericho.* Quorum verborum sententia, ut mihi videtur, aperta satis, atque exposita est; quâ autem ratione ea præcisùs interpretetur R. Levi F. Gersonis, modò diximus. In vetustis illis commentariis *Siphre,* quæ jam semel atque iterùm sunt à nobis citata, est annotatum, cùm universè datum illis esset in mandatis, ut terram explorarent, addi deinde speciatim, *et Jerichunta,* nimirùm, quia in eâ urbe capiendâ maximum victoriæ momentum esset positum. Taleque etiam illud esse loquendi genus : *Rex Salomon amabat multas feminas alienigenas, et filiam Pharaonis.* Et illud : *Liberavit* (Davidem) *Dominus de manu omnium hostium ipsius, et de manu Saülis;* præterea illud: *Desiderabantur è servis David novem decim viri, et Hasael.* Nimirùm Pharaonis filia præ cæteris amabatur à Salomone, et Saül inter hostes Davidis, Hasael verò inter ejusdem ministros facilè fuêre primi. Sed nos, quod de terrâ explorandâ præcipitur, id de proximorum locorum situ ad castra facienda, atque ducendum cautè populum, dici existimamus, quanquàm alioqui non repudiemus quod è Siphre est prolatum.

Nomen, *Jericho,* nos Hebræum secuti, per J litteram consonantem scribimus, et cum Stephano Bizantio aspirationem litteræ *Heth*, utcumque per, *ch*, repræsentamus; nam litteræ, K, sonus quâ Strabo lib. 16 utitur, parùm illi Hebræorum litteræ consentaneus est, ne dicam planè adversarius. Incertum est autem, an à lunæ nascentis formâ, quâ illa planities est, quæ Jerichuntem urbem habet, atque etiam Jericho interdùm appellatur, non solùm in sacrâ historiâ, sed à Strabone quoque; an verò à balsami suavissimo omnium odore, impositum illi hoc nomen sit. Certè balsamo, et palmetis apud scriptores adeò est nobilitata, ut Plinius ei soli balsamum concedat. Quanquàm Dioscorides, et nostri quoque seculi homines, qui ea loca peragrârunt, affirment, Ægyptum etiam id genus arbusculas ferre. Et Strabo Cavam quoque Syriam, quæ inter Libanum et Antilibanum jacet, non nulli etiam maritima Sabæorum loca producere balsamum dicant. Describunt quidem Jerichuntem et Josephus, et Strabo satis luculenter, ille libri quinti de Bello Judaico capite 4; hic libro 16. Verùm, cùm sit locus etiam evangelicâ historiâ nobilissimus, facere non possum, quin breviter de eo quædam in medium afferam.

Sita fuit Jericho in planitie, ut Josephus ait, longa spatio stadiorum circiter 70, lata verò 20, fertilitate atque amœnitate tantâ, quantâ non facilè alteram toto terrarum orbe conspicias. A septentrione enim (persequor Josephi, ut oculati testis, sententiam) oppositum habebat montem, qui inde ad Scythopolitanos agros, hoc est, propè urbem Bethsan usque porrigebatur, nimirùm eum, qui valli, quam vocant Illustrem, objectus ab occidente, montes excipit Ephraimiticos. Versùs austrum verò spectabatur ab Jerichunte mons, usque ad lacum Asphaltiten, sive mare Mortuum, protensus; imò verò hinc ulteriùs propè ad desertum Maon usque. Nam montes Enggadi tam longo jugo producti, occurrunt à tergo Jerichuntis illi monti, quem ei à septentrione oppositum fuisse modò dicebam. Ab oriente, hoc est, quà Jordanis rectà petitur, liber sic satis prospectus erat. Itaque ab eâ parte, ille quem dixi lunæ orbis, qui fortassè urbi nomen dedit, non coit, sed sua, quasi cornua distendit. Nam, quos illic Josephus commemorat montes, longiùs absunt trans Jordanem, in ipsâ Arabiâ, nimirùm quos vocamus, Abarim, Phasga, Nebo, etc., de quibus erit suus dicendi locus. In pede ejus montis, qui ab occidente Jerichunti propè

adjacet, vulgus Quarantanam vocat, à Christianis datâ appellatione, propter dies 40, quos in eo Christus memorabili suo jejunio consecravit: in ejus, inquam, montis pede, quâ parte orientem spectat, scaturit fons ille ab Elizæo nobilitatus, mutatis aquis deterrimis in salubres. Erat autem is quidem etiam olim extra veterem urbem, ut ipsa docet sacra historia, quæ vatem egressum memorat, cùm emendatum fontem iret; verùm propiùs multò aberat, quàm nunc ab illis abest ædiculis, quæ paucæ, in exigui pagi modum substructæ, pro Jerichunte visuntur. Est autem ille aquis tam uber, ut molam impellat, decurritque exiguo alveo versùs orientem, præteriens Galgala à dextris, hoc est, à meridie; ac tandem à Jordane excipitur. Sed olim ab incolis in varios paradisos per elices derivari solebat, et penè totus absumi. Præstantissimos enim, ut testatur Josephus, et densissimos locus ille hortos præbebat, palmetaque educabat nobilissima. Nunc loco deserto rivulum vix ullus interpellat hortus.

Abesse scribit Josephus Jerichunta ab Jerosolymis centum quinquaginta stadia, ab Jordane verò sexaginta; sed hæc via æquabilis facilisque est; illa acclivitate multâ et declivitate etiam difficilis et molesta. Sed Talmudici eo libello quo de die, quem propitiationis vocant, tractant, longius intervallum ab Jerusalem ad Jerichunta statuere videntur, si mendosi non sunt libri. Dicunt enim esse decem פרסאות, quasi parasangas dicas. Parasangam autem definit R. Salomon, Talmudis explicator apud Judæos primarius, quatuor millibus passuum, quantum spatium nostræ milæ germanicæ ferè continent. Græcis tamen videntur aliquantò breviores fuisse parasangæ; atque stadia duntaxat continuisse 29 et insuper aliquot pedes, si quis ea expendat quæ apud Xenophontem sunt, libro 5, de Cyri junioris ascensu in Persidem, si modò Xenophon ejus historiæ scriptor est, et rursùs in ejus operis extremo. Sed neque stadia Græcis Latinisque paria sunt. Quare non pergam ista disputare acutiùs. Nostri seculi homines certè consentanea Josepho magis, quàm Talmudicis, de eo spatio ad nos referunt, postquàm ea loca religionis ergo inviserunt. Si quis autem plura de Jerichunte aveat scire, is illos, quos nuper dicebam scriptores, inprimis Josephum dico et Strabonem, ipsos audiat.

Porrò in sacro contextu sequitur: *Et profecti venerant in domum mulieris meretricis*, etc. Nihil publici consilii principibus ad rem communem vel rectè constituendam, vel benè constitutam conservandam est utilius, quàm si iis quos sub imperio habent, ex animo parentibus utantur. Quâ in re Josuam nostrum, ut ubique, ita hîc quoque apparet mirificè fuisse felicem, cùm duo isti viri promptè capitalibus se periculis objiciunt, simul atque ab imperatore seorsim sunt moniti. Neque enim homines cordati, et perspicacis ingenii, quales speculatum mitti solent, potuerunt non existimare, intentissimos esse hostes, ad quos properabant, ut ne quis ab adversario exercitu, præsertim recentibus duorum regum maximorum eversionibus terribili, suas ipsorum res exploratum impunè veniret. Et tamen videmus illos ne hiscere quidem adversùs imperatoris jussa, sed et cautè, et fideliter, quod in mandatis acceperant, exsequi. Fidem enim ex iis, quæ reversi exponent, perspicere licebit. Ad cautionem pertinet, quòd se in obscurum abdunt locum, et ab hominum frequentiâ remotum. Hærebat enim domus Rahab ipsis mœnibus urbis, aut potiùs mædificata muro mœnium erat. Et solebant ganeæ, receptis unis amatoribus, liminis obseratâ tabellâ, ut Catullus testatur, haud patere aliis. Quare facilè illi se latituros inibi sperabant, usque eò, dùm aliquid rescirent earum rerum, quarum causâ venissent. Nam quod Judæorum plerique hoc loco vocabulum זונה *Zona*, non meretricem, sed mulierem hospitam interpretantur, valdè profectò falluntur, dùm se id chaldæo auctore putant facere. Convertit quidem ille, פונדקיתא quasi πανδοκίαν, aut πανδοκεύτριαν, dixisset (utuntur enim sæpè Chaldæi græcis vocibus), sed ut impurum meretricis nomen vitaret modò, pudicisque parceret auribus, non ut rem ipsam dissimularet, atque pro muliere meretrice, tabernariam induceret. Nam plerisque etiam aliis locis idem ab illo, verecundiæ gratiâ, factum esse constat. Ut enim hîc, פונדקיתא, ita alibi, נפקת ברא, quasi dicat *prostantem*, et quæ se intra ædes continere nequit, sed continuò pro foribus est; alibi טעיתא vagam, oberrantem; interdùm מטעיא fallacem, solet pro hebræâ voce, זונה *Zona*, dicere; at זניתא *Zanita*, hoc est, meretricem, vix semel, iterùmque. Cæterùm meretricem fuisse Rahab, testatum satis nobis est sacris litteris. Neque ipsa, dùm suis omnibus necessariis atque familiaribus salutem paciscitur, mariti meminit. Quin ipsi etiam Talmudici totis quadraginta annis, quibus Israelitæ, post relictam Ægyptum, oberrârunt in deserto,

corpus illam quæstui habuisse, prodiderunt, etquidem ex quo annos nata fuerat decem. Jam verò quinquagenariam tandem meliora consilia cepisse. Cujus rei fides penes illos sit. Certè si Salmoni aliquando nupsit Davidis abavo, quod nostrorum quidam opinantur, sed nominis solâ similitudine, conjecturâ non satis bonâ, ducti, ut multò natu minor fuerit est necesse. Sed enim cupiunt, opinor, Judæi, dùm à prostibulo abhorrent, vel speculatorum famæ consulere, quos turpe fuerit divertisse in ganeum; vel ipsam Rahab, tantâ prudentiâ, animique fortitudine ornatam feminam, ab illâ tali infamiâ vindicare. Atqui haud illi suæ libidinis explendæ causâ, sed ejus quod sibi datum erat negotii conficiendi, fornicem subierant; ista verò clementissimi Dei gratiam omnibus seculis tantò illustriorem reddidit, atque etiam ipsos cœlestes choros eò majore gaudio exhilaravit, quantò vitia impuriora cum virtutibus majoribus commutavit. Sed de Rahab mox plura.

Illud, *et cubaverant ibi*, significat ipsos illùc divertisse, tanquàm pernoctandi, quietisque capiendæ causâ. Aut eò spectat, quòd sub lino jacentes, ad somnum se composuerant. Verbum enim שכב et jacere, et quiescere significat. Illam sententiam secuti videntur Septuaginta, qui interpretati sunt κατέλυσαν ἐκεῖ, ut habent boni atque emendati codices, hoc est, illùc tanquàm in diversorium se receperant. Quanquàm κατέπαυσαν, quod in vulgatis libris habetur, haud absurdum est, si absolutè, pro ἀναπαύεσθαι, putemus esse scriptum. Neque enim illi interpretes admodùm sunt religiosi in verborum græcorum usu. Est quidem שכב concumbendi aliquando verbum, verùm in aliâ verborum collocatione junctioneque.

Vers. 2. — Et dictum fuerat regi Jerichuntis, etc. Boni atque industrii principis est, quovis quidem tempore passim habere suos oculos, suasque aures, non modò ut eorum quæ scire opus sit, certior fiat, et tanquàm deus aliquis omnia circumspiciat, intelligat, animoque et cogitatione expendat, et proinde omnia gubernare meliùs rectiùsque possit; verùm etiam vel multò magis, ut omnes ubique parentes, illum quasi præsentem revereantur, neque aliquid vel dicere, vel patrare audeant, quod publicæ rei sit damnosum, eo cuncta tanquàm vidente atque audiente. Sed in bello illud est cum primis necessarium, quando non minùs ab intestinis proditoribus, atque ab externis speculatoribus periculum esse sæpè solet. Verùm hoc interest, quòd, pace quidem, illiusmodi emissarii, quos Græci ὠτάκουστας, et κάτοπτας vocant, nisi privatâ principis liberalitate parentur, et certâ præmii propositâ spe, haud ferè multi, neque ii satis fidi, certique inveniantur. Nolim enim existimet aliquis, me de improbis calumniatoribus loqui, quos magnâ profectò pœnâ dignos censeo; tantùm abest, ut principis beneficentiâ sustentandos, aut invitandos putem. At bello, quia communis civium aut pernicies agitur, aut salus, pro se quisque ultrò, quæ suspecta vel videt, vel audit, ea ad magistratum studiosè diligenterque refert. Non est ergo, quòd Jerichuntii reguli laudemus hìc industriam, quem ne in abditissimo quidem recessu latere diù potuerint hi speculatores nostri. Credibile est enim ipsum, ut Balthazarem illum Babylonium, in consuetis deliciis etiam tum, per summam vecordiam, securè versantem, cœlesti decreto, atque impendenti sibi suisque exitio minimè obstitisse; sed continuò magis magisque Dei adversùs se iram provocâsse; illos verò à civium trepidâ sollicitudine proditos esse. Nam si quid in rege ipso sanæ mentis, aut vigilis curæ fuisset, profectò dispositis custodibus, nulli suspecto aditum permisisset ad urbem, cùm ex professo Chananæis infensus exercitus, præsertim multis tum victoriis, tum miraculis formidabilis, tam propè abesset. Deinde etiam flumen transeunti multitudini suas, sociorumque suorum copias opposuisset. Nuntiantur autem noctu advenisse, quia credibile est, sub noctem tandem, aliquo indicio cognitum esse ipsorum adventum, atque è vestigio quidem rem ad regem fuisse delatam : sed hujus socordiâ, quam modò dicebam, evenisse, ut Rahab illos occultandi tempus haberet, cùm ipse in medio luxu iterùm atque iterùm interpellatus, vix tandem, ut apud Rahab quærerentur, suis satellitibus et ministris mandaret.

Vers. 3. — Educito viros venientes ad te, qui venerunt in domum tuam. Septuaginta interpretes, prius illud, *venientes ad te*, ut vitarent, opinor, ταυτολογίαν, omiserunt. Ego suspicor id à superbis aulæ ministris, et contumeliosis, vel ab iratis etiam civibus, de venereo congressu dici, atque in mulierem, cæteroqui famosam, ingeri. Sic enim *veniendi* verbo utuntur Hebræi. Talis namque etiam est illa oratio 2 Reg. 3: *Quare venisti ad concubinam patris mei?* et aliæ non paucæ in sacrâ historiâ. At objicis mihi ipsam Rahab quæ mox iisdem verbis respondet: *Venerant ad me viri;* neque enim est verisimile eam, quamvis mere-

tricem, tam apertè turpitudinem fateri. Atqui cùm ambiguum, ut dixi, verbum veniendi, apud Hebræos sit, muliebris verecundiæ erat, quod à petulantibus nebulonibus turpiter dictum fuit, simulare ut non turpiter dictum se id accepisse. Si quis tamen existimare malit, usitatam alioqui in sacris litteris, ταυτολογίαν esse, non contendam contra. Nam participia illa, quæ Hebræi vocant *Benonim*, cujusmodi est hìc *Baim*, venientes, sæpè nominum vicaria sunt, nullâque præsentis temporis significatione determinantur, ut jam hoc loco pro, *venientes ad te*, reddere, *hospites tuos*, possis.

Vers. 4. — Sed acceperat mulier ipsos duos viros, etc. Ipsa narrationis series non obscurè indicat, exploratores, paulò postquàm ad Rahab divertissent, fuisse ab eâ subductos in tectum, atque occultatos sub lino. Quippe mulier, vel ex mussitantibus vicinis, vel alio indicio, conjiciens delationem, cùm metueret inquisitionem, eos viros ex quorum salute suam quoque, et domûs suæ universæ salutem pendere, cœlesti impulsu permota augurabatur, conservandos sibi aliquâ esse ratione statuebat. Itaque cùm impendens periculum ipsis patefecisset, facilè persuasit, ut in solarium subirent, instratoque lino tegi se paterentur, atque interea se confirmat ipsa, comminisciturque, quo astu fallat inquisitores, si veniant.

Sed cur non illicò emittebat per fenestram? Neque enim aliâ quibat extrudere, jam tum obseratis urbis portis. Responsio expedita est: verebaturne subito inquisitorum interventu oppressa, priusquàm demitti ambo possent, et sibi, et illis certissimum crearet exitium. Cæterùm, accipere, Hebræi sæpè, pro, secum ducere, dicunt. Id ergo hìc est, *acceperat*, quod paulò post, *subduxerat*. Quod reddidi, *occultârat utrumque*, est hebraicè, *occultârat ipsum*. Eum autem numerum singularem putat R. Salomon et mulieris in occultando festinationem, et loci, quo abdebantur, angustiam significare. RR. verò Kimhi et Levi, non eodem uno illos loco, sed seorsim quemque collocatum esse, ne vel ambobus instratum linum exstaret altius, essetque suspecta ipsa eminentia, vel simul ambo detegerentur. Quàm sint ista firma, judicet lector: hoc certum est, hujuscemodi numerorum enallages sacris litteris esse usitatas, et plerùmque ab Hebræis interpretari solere de utroque eorum, quorum mentio est. Nam quod commentario, quem *Tankuma* diximus vocari, proditur, judaicum est somnium: Nempe, ut Calebum abdidisset mulier, alterum Phineen ad illam dixisse: *Ego sacerdos sum*. Sacerdotes verò, quippe angelorum similes, si volunt, aspectabiles sunt; si nolunt, non cernuntur, itàque illum solum, non autem hunc ab eâ abstrusum esse.

Sed expendamus cautissimum, summoque artificio contextum mulieris responsum, quo et inquisitores elusit, et sibi hospitibusque suis vitam servavit. Primùm: *Ita est*, inquit, *venerant ad me viri*. Simpliciter et apertè, nihil tergiversata, nihil secum dubia mussans, aut perplexa hæsitans (nam dubitatio cogitationem significâsset mendacii fraudisque), id quod intelligebat se consciis suis vicinis negare non posse, fatetur: eâque tam liberali, ingenuâ, promptâque confessione fidem sibi maximam præstruit, ut ea quæ deinde est dictura, persuadeat faciliùs. Jam verò quod addit: *Sed nesciebam unde essent*, non proditorum atque delatorum hospitum culpam, cùm primùm ad se fuissent ingressi, ab se amolitur. Nam hostium et maleficorum hominum receptatores occultatoresque jure illorum crimina sustinent, sed ita demùm, si conscii fuère. Quid enim illud culpes, qui probum virum quem putabat, excepit improbum, aut quem amicum, hostem? Postquàm verò et clarâ veritatis professione fidem et conscientiæ dissimulatione civis probæ opinionem de se illis fecit, pergit audacter ad cætera, in quibus totius cardo actionis versatur.

Vers. 5. — Cumque, inquit, claudenda esset porta in tenebris, viri illi egrediebantur. Facilè intelligebat, illos, in nullâ tam angusti gurgustioli sui parte, diù latere posse, si quærerentur: hoc igitur agit, ut ab suâ domunculâ inquisitionis periculum amoliatur, atque hìc ne vicinorum redargui possit testimoniis, suam tenebris involvit, obtegitque fallaciam. Et verò quid credibilius dici queat, quàm viros speculatores è mediis se hostibus per tenebras proripuisse? Sed enim illud observandum est, quod ambiguè dicit, egressos esse, neque addit, an suâ domo, an urbe; cæterùm temporis claudendæ portæ mentionem facit, ut quæsitorum animis opinionem afferat, urbe illos profugisse, ad suos versùs. Cur autem ista sic dicat mulier cautissima explicabo, ubi admonuero, latinum non satis apertè, ut videtur, convertisse: *Cùm porta clauderetur in tenebris;* in quo secutus est septuaginta Interpretes. Neque enim hoc dicit Rahab, tum illos exivisse cùm porta clauderetur. Sic enim in janitores, qui claudebant, incidissent. Verùm,

ubi tempus claudendæ portæ adesset, ut explicatè Chaldæus est interpretatus.

Jam verò pergit Rahab, aitque : *Verùm non non novi quò abierint viri ;* hîc igitur patefacit, cur ambiguè dixisset, egressos esse. Perseverat enim quod ante dixerat : *Sed nesciebam unde essent,* hoc est, se illos ne per suspicionem quidem pro speculatoribus, aut Israelitis habuisse, ut quos neque pro foribus suis, nedùm ad urbis portam usque sit prosecuta oculis. Nam in quos talium rerum suspicio convenit, eorum solemus actiones viasque omnes observare. Ad hoc, credibile est, ut est istius feminæ acumen admirabile, vel ideò quoque incertos relinquere eam voluisse inquisitores, quo illi se convertissent, ut eò faciliùs simul omnes ab suâ domo ablegaret, dùm divisi, alius hùc, alius illùc Hebræos insequerentur. Tandem verò suam fallaciam eo fine concludit, quò non aptior utiliorque alius excogitari queat, cùm ait : *Insequimini celeriter ipsos; comprehensuri enim estis eos.* Nullâ enim ratione aliâ se meliùs omni societatis et conscientiæ suspicione absolvere atque expedire poterat, quàm si captos, ut communes patriæ hostes, cupere vehementer se simularet. Neque acrioribus stimulis quæsitores procul à suis ædibus abigere, quàm si illorum assequendorum comprehendendorumque spe incenderet. Atque hæc quidem fuit cautissimæ astutissimæque feminæ ad eos, qui ab rege missi erant, responsio, per quam responsionem an et proditionis, et mendacii culpam in se admiserit, disputare paucis non erit abs re. Videtur enim eos, per mera mendacia occulere, quos patriæ civibusque suis exitium machinari non nescit. Sed proditionis quidem accusari meritò posse, mihi certè non videtur, quæ nihil aliud, quàm quos exceperat hospites, eos, non ut patriæ per injuriam noceant, sed quò salvi ad suos queant reverti, non dedendos regi, sed dimittendos sibi statuit, cùm intelligeret, illorum ut neque vitam exitio, ita neque mortem saluti patriæ futuram; quippe cœlesti afflatu præsagiens urbis excidium, quod ei impendebat, quidquid tandem istis hominibus fieret. Hoc enim illud est quod dicit : *Scio quòd tradiderit Jehova,* hoc est, verus Deus, vobis terram. Imò verò si hospites istos suos illa indicâsset, turpique tyranno objecisset, tum certè proditionis culpâ gravissimâ se devinxisset, qualis Moabitas acerbè accusat Deus apud Isaiam c. 16, v. 2, 3, dùm ironicè ad illos hujusmodi verba facit : *Absconde eos qui expelluntur; profugum ne prodas; maneant apud te exules mei ; ô Moab, esto latibulum adversùs populatorem.* Cùm enim jam tum sciret, certaque esset, gentem suam à Deo ipso esse proscriptam, atque Israelitis cum suis possessionibus deditam, non debuit, neque potuit etiam, nisi improbè, vel patrocinari causæ injustæ, vel justæ adversari. Neque enim ullum necessitudinis vinculum esse tam magnum potest, quod adversùs probitatis officia peccare virum bonum rectè cogat. Aliud esset statuendum, si illa mercedis gratiâ eos hostes suo regi, civibusque suis eripuisset, quos patriæ intellexisset fraudem moliri ; neque tam bonæ causæ, Deique voluntati, quàm suis commodis subservivisset. Tantùm de proditione, à quâ ego Rahab tam abfuisse longè censeo, ut si contra fecisset, civiumque suorum causam, quam malam esse sciebat, juvisset, tum verò ei crimini obnoxiam fuisse dicerem. Cæterùm mendacium, quo usam esse perspicuum est, plerique ut officiosum excusant, in quo Lyranum, post Origenem, à se habent. Sed quia hic locus est à divo Augustino ad Consent. cap. 15, prolixè et accuratè explicatus, atque pertractatus, quæ sit ejus tanti viri sententia expediam ejus ipsius ferè verbis, sed contractis atque adstrictis.

Illud, inquit, utrùm sit aliquando pro cujusquam salute mentiendum, cùm quæstio sit, in quâ solvendâ etiam doctissimi fatigantur, longè illarum muliercularum (de obstetricibus hebræis in Ægypto, et de nostrâ Rahab loquitur), in illis populis degentium, et illis moribus assuetarum, excedebat ingenii modum. Itaque hanc earum ignorantiam Dei patientia sustinebat. Nam Rahab, cùm illud officium, pro ejus vitæ conditione laudabile, exploratoribus præstabat, nondùm erat talis, ut ab eâ exigeretur illud, Matth. 5, v. 37 : *Sit sermo vester: Est, est; non, non.* In obstetricibus autem illis hebræis, quamvis nondùm reipsâ, at tamen spe jam atque indole animus erat laudandus; qui non nisi eo proposito mentiebatur, ut prodesset alicui, noceret autem nemini. Sed cùm quæritur : Sitne boni hominis aliquando mentiri, non de eo quæritur, qui adhuc ad Ægyptum aut Jerichuntem, vel Babyloniam pertinet, aut ad Jerusalem terrenam, quæ servit cum filiis suis, sed de civitatis illius civibus, quæ libera est mater nostra in cœlis, respondeturque, omne mendacium non esse ex veritate, atque de filiis hujus civitatis scriptum esse : *Non est inventum in ore ipsorum mendacium.* Itaque hos filios si quando ipsis, ut hominibus, obrepat qualecumqne mendacium po-

scere humiliter veniam. Cæterùm neque illas obstetrices, neque Rahab, quia mentitæ essent, ideò beneficiis esse affectas à Deo, sed quia in Dei servos fuissent misericordes, neque fallaciam, sed benignitatem esse mercede compensatam. Neque iniquitatem mentientium, sed liberalitatem mentium. Hæc ferè Augustinus, et plura alia, eo opere, quod ad Consentium scripsit, propè totum hujus argumenti.

Rursùs Quæstionibus in Exodum, de obstetricibus, et ipsarum mendacio verba faciens; « In conservandis, inquit, infantibus opus misericordiæ exercuerunt, at mendacio pro se utebantur, ne nocereti psis Pharao, quod potuit, non ad laudem quidem, sed tamen ad veniam pertinere. » Neque hìc auctoritatem mentiendi propositam puto iis, de quibus scriptum est Apoc. 14, 5 : *Non est inventum in ore ipsorum mendacium.* Quorumdam enim vita longè inferior, quàm pro sanctorum professione, si habeat ista mendaciorum peccata, provectu ipso, et indole, feruntur; præsertim si adhuc circa terrena occupantur. Quorum autem conversatio est in cœlo, non existimo eos linguæ suæ modum, quantùm ad veritatem attinet, illarum obstetricum exemplo debere formare. Fuit igitur, ut mihi videtur, Augustino ea opinio, ut existimaret, hominem perfectè probum nullo mendacio uti debere; omne enim mendacium esse in vitio ponendum, cùm Deus ipsa sit veritas. Et tamen, quia officiosè mentiri, hoc est, ut per mendacium prosis alicui, noceas nemini, maximam habet probitatis speciem, quam facilè humanus animus misericordiâ permotus, sibi sequendam statuit, præsertim quando ex contrariâ veritate certum cuipiam periculum, aut incommodum iri creatum videt, ideò facilè à Deo ignosci, iis maximè, qui ad consummatam virtutis illius exactissimæ sapientiam nondùm poterunt pertingere. Adversùs hanc acutissimi simulque sanctissimi viri sententiam, etsi nihil dicendum putem, tamen variæ illæ artes, quibus religione pietateque insignes homines sæpè in sacrâ historiâ usos legimus, aut ad Dei voluntatem exsequendam, aut ad pietatem exercendam, nullam verò cuiquam mortalium injuriam inferendam comparatæ, neque veri doli, neque mendacii nomine, mihi quidem certè, videntur appellandæ quandoquidem sinceræ simplicitati veritatique usque adeò non adversantur, ut planè ad has ipsas virtutes vindicandas, obtinendasque, nullo fallendi quemquam animo, usurpentur. Dùm enim eorum, quibuscum res est, ejuscemodi est animus, ut ad id quod rectum est, non possint directò induci, si ipsos nemini noxiâ circuitione, atque anfractu, aut ad rectum perducimus, aut certè à pravo avertimus, non intelligo, quì magis adversùs simplicitatem veritatemque peccemus, quàm si incurvatam arborem in partem diversam reflectamus, ut deinde recta evadat. Et profectò illis talibus artibus ita plerùmque sanctos homines simpliciter et ingenuè usos esse videmus, ut dubitare non possis, quin cœlesti impulsu ad eas sint adducti. Quod autem Deo auctore suscipitur, id cum ipsâ veritate, probâque simplicitate pugnare non potest. Quale illud est, quod Israelitæ commodati speciem opponere, atque ita Ægyptios suâ supellectile spoliare jubentur; quam tamen fallaciam omnium detestabilissimam esse apparet. Sed de mendacio, doloque hactenùs. Nam exempla passim in sacris litteris obvia sunt.

Vers. 6. — At ipsa illos subduxerat in solarium, et occultaverat ipsos, etc. Ædes illis regionibus ita fuisse, constructas, ut solario integerentur quale apud Italos vulgò *altana* vocatur, perspicuum est etiam ex Evangelii historiâ. Græcè δῶμα id dicitur etiam hoc loco à Septuaginta, hebraicè *Gag*. In eâ igitur domûs parte Rahab sua lina ad solem exposuerat, quibus jam contegit hospites. Talibus enim usibus commodè partes illæ ædium serviunt. Sed quæ vocentur lina ligni, non est satis certum. Fortassis enim id linum sic appellatur, quod crudum adhuc et lignosum est, hoc est, de quo cortices et stipulæ nondùm sunt stupario malleo, atque carminatione decussæ depexæque. Solent enim lina, autequàm tundantur, insolari. Nam et Septuaginta vocabulo λινοκαλάμη quo hìc utuntur, linum à suo calamo nondùm detusum, videntur significare voluisse. Quod enim Latinus, non linum ipsum, sed lini stipulas interpretatur, vix ferri potest. Non enim scriptum est, עץ פשתן, quod Latinus reddidit, hoc est, *lignum lini*, sed *lina ligni*. Neque verò cortices decussi solent reponi, sed in clibanos et furnos abjici, ut ait Plinius. Verùm neque illud absurdum sit, si ad linum significari existimemus, quod xylinum, quasi ligneum dicas, vocatur. Certum est enim eo fructice Syriam, Assyriamque abundare, quem alii gossipion, alii xylum appellant, ut ait Plinius, lib. 19, cap. 1. Sed ut-ut est, aut mirum videri debet, si nomen עץ lino attribuatur, aut aliis plantulis, quæ in ulmum modò ascendunt, neque arborescunt,

quando ipse etiam juncus aliquando arboris vocabulo appellatus est, ut ait R. David Kimhi in radicibus : Et hyssopus, qui nascitur in parietinis, inter עצים hoc est, ligna aut arbores nominatur, in Regum historiâ. Cæterùm iste versiculus, quod strictim quarti versûs initio dictum fuerat, id explicat dilucidiùs.

Vers. 7. — Itaque viri illi insecuti fuerant ipsos, etc. Non indicaverat quidem Rahab, an urbe, nedùm quâ portâ exivissent sui hospites; verumtamen ita inquisitorum animos spe illos assequendi incenderat, ut nullam sibi interponendam putarent moram, quin persequerentur, cùm urbe profugisse, ex eo, quod illa indicabat, tempore conjicerent, atque ad suos versûs revertisse. Erat autem, quantùm apparet, fluminis certus locus, ad quem trajiciebant, qui ultrò citròque commeabant inter Jerichuntem et campos moabiticos. Chaldæus pro : *Versùs trajectum*, reddidit, *usque ad trajectum.* Idque approbat R. David Kimhi; contenditque τὸ על interdùm vicarium esse τοῦ עד. Quod ut verum sit, non tamen satis ab illo adductis exemplis confectum puto. Est interim credibile, ad trajectum usque esse insecutos, ut vel illic tandem ab navibus imparatos assequerentur. Quod sequitur : *Clauserant autem portam,* stultè David Kimhi, vel ipsis speculatoribus, vel familiaribus Rahab attribuit. Cur enim illi portam clauderent, quibus eâ re nihil posset accidere incommodius? Est igitur hoc absque ullâ personâ dictum, quodam loquendi genere Hebræis usitato; rectèque cùm à Septuaginta, tum à Latino, per verbum patiendi redditum. Nimirùm emissis aulæ ministris qui persequerentur, clausâ obseratâque est porta à janitoribus. Cæterùm quia id constructionis genus, quod est in אחרי כאשר : *Id autem et postquàm,* insolens est, ideò Aquilas Ponticus sic interpretatur, ut suggerat pronomen, quasi quod desit in hebræo, post illud, אחרי. Sic enim convertit hunc locum : Καὶ τὴν πυλὴν ἔκλεισαν ὀπίσω αὐτῶν, ὡς ἔξηλτον οἱ καταδιώκοντες ὀπίσω αὐτῶν, etc. Verùm R. Isaias, vir sanè doctus, litteram, כ, *Caph,* in כאשר supervacaneam esse censet, et ut opinor, rectè. Nam nugas, quas David Kimhi adfert in medium, piget referre. Spectat autem hæc occlusæ illicò post egressos persequentes portæ mentio. ad insequentem de fenestrâ narrationem. Nihil enim opus fuisset iis angustiis, si totâ nocte patuissent urbis fores. Simulque illustrat Rahabæ fidem sanctam, quâ ejus muliebris alioqui animus sustentatus, etiam tum, ut apparet, perturbabatur. Expediverat quidem feliciter primam, si ita fas est dicere, fallaciam; atque inquisitionem eluserat, quam sibi propositam habuerant regis allegati; verùm ita, ut in multò jam majus inde periculum venisse videri posset, cùm neque sibi, neque hospitibus ullum pateret effugium. Verùm cordata femina, nihil ullis difficultatibus commovetur; sed ut certissima de illorum hominum salute, quos Deo omnipotenti curæ esse intelligebat, suam ab ipsis sibi salutem sedatè atque otiosè paciscitur. Nam ita habet historia.

Vers. 8. — Cumque hi nondum dormirent, illa ascenderat ad ipsos. Voculam טרם interpretatus sum *nondùm.* Sic enim sæpè usurpatur, præsertim cum verbo temporis futuri constructum, ut Genesi 2, 5 : *Et nulla planta agri adhuc erat in terrâ; nec ulla herba agri adhuc germinabat.* Et in Regum historiâ, lib. 1, cap. 3, v. 7 : *Et Samuel nondùm agnoscebat Dominum; neque adhuc patefactum ei fuerat verbum Domini;* cæteroqui solet reddi, *priusquàm,* vel græcè, πρὶν ἤ. Diximus ad quartum versiculum, existimare nos, in solarium esse subductos à Rahab speculatores, paulò postquàm ad eam divertissent, cùm illa jam tum præsagiret impendens periculum; videntur ergo illi omnium adhuc ignari, quæ cum regis ministris mulier egerat, sollicitè eventum exspectare vigiles. Eos igitur illa, ne diù sinat esse in metu, simulque ne rei maturè gerendæ occasionem amittat, atque à recurrentibus in urbem quæsitoribus opprimatur : illicò adit, demissura, in tempore, per fenestram, nocte intempestâ. Non facit quidem historia narrantem illis Rahabam quæcumque acciderant. Sed quis non intelligit multa insuper alia esse omissa? Certè illa verba : *Quia usa sum erga vos pietate,* tectè significant, rem actam omnem, atque adeò ipsum etiam demittendi consilium illis fuisse jam tum ab ipsâ explicatum. Nam historia orditur apertè à medio sermone, cùm sic habet :

Vers. 9. — Dixeratque ad ipsos : Scio quòd dederit Dominus, etc. Continent enim ista mulieris verba causam rei ab eâ actæ, ac si dicat : Jam verò quòd ego regis mei, meorumque civium partes deseruerim, vestramque vitam cum meæ vitæ summo periculo tutata sim, ideò est à me factum, quòd meos populares malâ, vestros bonâ causâ niti, certissimis indiciis cognoverim; quippe cùm nos ab ipso vero Deo, qui cœli terræque Dominus est, proscripti simus; vos contra, nostris possessionibus donati. Sed enim observanda est mulieris san-

cta fides pietasque, cùm Dei singulare illud in Israelitas beneficium donatæ illis Chananææ, tantâ animi firmitudine complexa agnoscit, quantâ ipsi Israelitæ vix unquàm potuêre, quamvis certissimâ doctrinâ à majoribus ad se propagatum, atque tum à Deo, tum à Mose toties inculcatum. Neque enim cum Lirano sentio, qui verbum, *dederit,* per temporis enallagen, pro, daturus, sive traditurus sit, positum esse putat. Porrò reliquâ hujus versiculi parte affert Rahab causas duas, cur ita credat, hoc est, donatam esse Israelitis terram, proscriptis Chananæis, cùm inquit : *Et quia metus,* sive, *formido vestri incidit nobis. Et quia dissoluti sunt,* etc. Earum prior ab ipsis Israelitis potissimùm, posterior à Chananæis sumpta est. Ac si dicat : Quia vos divinitùs terribiles, nos contra pavidi sumus. Divinitùs enim ista accidere, facile erat ex virium utriusque partis comparatione existimare cuivis, nisi stupidissimæ fuissent turpissimorum et sceleratissimorum hominum mentes. Quæ enim alioqui causa esse potuisset, cur Chananæi, gens et numerosissima et ferocissima, atque in locis munitissimis habitans, Hebræos, homines extorres, omniumque rerum egenos, et quadraginta annorum miseriis insuper fractos atque enectos timerent? Nimirùm illud erat, quod apud Mosen dixerat Deus Exod. 23 : *Terrorem meum mittam ante te, et perturbabo omnem populum, in quem venturus es,* etc. Eum autem Dei terrorem divino afflatu illustratâ mentis acie videbat Rahab, neque eam cœlestem gratiam aut per vecordiam negligebat, aut per impietatem repudiabat, aut denique per stultitiam, vel Pani deo, vel Fortunæ adscribebat; sed rectè apud suum animum inde colligebat, ratiocinabaturque, cujus numinis vi atque potentiâ Israelitæ tanto essent gentilibus suis Chananæis terrori, quamvis armis viribusque longè præstantibus, ut se ipsi per metum, quasi quodam præjudicio jam condemnarent, ejusdem numinis consilium voluntatemque esse, ut hi possessionibus suis cedant, illi potiantur. Sed verendum profectò est, ne ad Dei tribunal illud postremum egregia ista Rahabæ fides multos condemnet impietatis adversùs Deum, qui ne per sacrosancti quidem Evangelii præclarissimum lumen satis cernere, atque apud suum animum statuere possunt, fortunarum suarum omnium et lætum, et adversum successum, ex Dei arbitrio pendere, qui cùm sit terræ cœlique Dominus, omnium possessiones in suâ manu habet, proque suo nutu justè aliis largitur, aliis aufert, atque omninò ut æterno suo consilio visum est, dispensat; cùmque solus in hominum etiam animis dominetur, alios fiduciâ erigit, alios metu prosternit. Et proinde quidquid acciderit, in illius esse divinâ voluntate acquiescendum.

Vers. 10.— Audivimus enim quod exsiccavit Dominus aquas maris Rubri, etc. Duo hic commemorat Rahab, quæ tantus ille popularium suorum metus est consecutus, alterum, siccatum mare Rubrum : et hoc quidem, quia naturæ modum excesserat, Deo apertè adscribit, non quidem ex eorum deorum numero cuipiam, quos gentiles sui colebant, sed Jehovæ, hoc est, vero Deo, à quo pendet rerum omnium, ut sic dicam, essentia. Hoc enim nomen proprium Dei, Jehova, significat, cùm respectus ad res creatas habetur; cæteroqui Deo ipsi impositum est, quia is unus per se ab æterno existit, ipseque sibi essentia est. Alterum, devictos deletosque duos reges Amorrhæorum, Sehonem et Og. Sed hoc Israelitarum viribus attribuere videtur quidem, verùm reipsà etiam Jehovæ assignat, cùm eum esse Israelitarum Deum, et in cœlo terrâque dominari profitetur.

Atqui dicebamus modò, Rahabam animadvertisse, gentilium suorum animos divinitùs fuisse consternatos metu; jam verò videtur non arcanam quamdam, et à Deo effectam mentium permotionem, sed conspicua miracula ejus tanti pavoris causas afferre. Verùm commemorat quidem mulier, quæ propalàm facta fuerant miracula, tanquàm principia et antecessiones quasdam, atque etiam, si ita vis, quâdam ex parte causas illius animorum consternationis; sed quis non intelligat ex iis, quæ proximo versiculo facit, verbis, eam sentire, unà cum illarum rerum gestarum famâ, insolitum quemdam et mirificum, longèque quàm pro illo nuntio, et pro Chananæorum strenuitate atque fortitudine, vehementiorem timorem animos omnium perculisse totâ regione? quippe ex quo non solùm conciderint, verùm usque eò prorsùs tanquàm liquefacti diffluxerint, ut colligere se denuò, sibique constare non possent. Erant quidem res illæ, quas commemorat hoc loco, maximæ, et quæ meritò hostibus terrorem afferrent, magnum quidem illum, at non prorsùs implacabilem, qualem describit Rahab. Nam nisi simul divina quædam vis illorum mentem intùs arcano metu tanquàm stupore quodam non solùm labefecisset, sed etiam abjectam pertinaciter tenuisset, multa

erant quibus se colligere, metumque tantùm aut prorsùs deponere, aut certè moderari quibant. Nam quod ad siccatum mare attinet, in quo natura ipsa ab adversariis superata videri poterat, quàm facilè homines omnibus dæmonum superstitionibus atque artibus assueti, et exercitati, hoc miraculum magi cujuspiam precationibus attribuere potuêre, aut existimare, Ægyptiorum deos vel tum non ritè placatos, vel Hebræorum diis forte quâdam inferiores fuisse, atque interim in suis diis Baalim, Astaroth, Dagone, Chamos, aliis hujus farinæ commentis, quæ plurima colebant, bonam spem collocatam retinere, ac proinde ægyptiacæ illius cladis exemplo parùm permoveri? præsertim cùm ejus memoria annorum 40 intervallo propè exolevisset. Quin etiam, si metùs istius divini ratio rectè subducatur, haud potest ille ex miraculo siccati maris natus videri, quippe qui post annos demùm circiter triginta octo post illud, sit ortus, cùm fluvium Arnonem transmitterent Israelitæ. His enim tum verbis apud Mosen Deut. 2, v. 25, usus legitur Deus : *Hoc ipso die incipiam immittere formidinem tui et metum tui in gentes*, etc. Nam quòd Rahab etiam illud miraculum repetit, eò hominum morem repræsentat, qui simul atque metu vehementiore conturbantur, eum sibi conquisitis undequàque causis sive falsis, sive remotissimis, ipsi augent. Jam verò plures etiam fuerunt humanæ ratiocinationes, quæ ipsis illorum duorum regum subversionem, etsi recentem, minùs tamen reddere potuerunt terribilem. Nam sunt in omni bello momenta occasionum varia. Et qui victis favent, quamvis potiùs victoriæ causam, quâ eam elevent, ipsi fingere sibi solent, quàm hostium virtutem admirari. Verumenimverò majus quiddam erat divinus ille terror, quo Chananæorum omnium mentes stupebant, quàm vel ex maris siccati, vel captæ Galaaditidis auditione nata formido. Si enim Israelitas, ut victoriosos, et proinde acerrimos hostes, timuissent modò, cur Jordanem trajicientibus non opposuissent obstaculum? Imò verò disertis verbis narrabitur, in capitis quinti initio, tum demùm seriò metuere ab Israele Chananæos cœpisse, cùm flumen illi transmisissent sicco alveo. Nam ante, ut miseros, imbelles, profugos, quantùm certè apparet, contempserant, neque existimaverant unquàm fore tam audaces, ut se in illas Jordanis Mediterraneique maris angustias conferrent. Et interim tamen, cœlesti quodam pulsu agitabantur ipsorum mentes, afficiebanturque desperatione mirificâ rerum omnium, quoties de Israelitis seriò cogitabant. Eumque animi motum sola Rahab, qualis esset, quidque sibi vellet, et quorsùm esset evasurus, rectè expendit; eòque inducta est, ut crederet Jehovam, Israelitarum Deum, esse Deum cœli et terræ, ut mox explicabimus.

Mare Rubrum vocant Hebræi mare Suph, à cujusdam herbæ genere, quâ littora illius abundant. Nam quod divus Hieronymus putat, סוף rubrum significare, ego ut refellere nolo, ita approbare nequeo. Stephanus qui de urbibus scripsit, citat Uranium, scriptorem Punicum, dicentem, ideò rubrum illud mare vocari, quòd montium, quibus cingitur, præcipuum ruborem, quem radiorum solis objectu reciprocatum undæ excipiunt, repræsentare videatur; atque insuper defluentem cum pluviâ montes eos abluente colorem, re quoque ipsâ, bibat, indeque rubescat. Neque ab Uranio longè videntur dissentire nostri homines, qui per illa loca vagati, referunt, per intervalla rubram ex littore arenam maris conspici, iisque ferè locis curallium quoque reperiri. Et certè curallium in eo sinu gigni auctor est Plinius. Sed hæc hactenùs.

Historia deletorum duorum regum repetatur ex Deuteronomio, quanquàm à nobis quoque post de illis multa erunt dicenda. Cæterùm verbum, חרם, quod converti, *delere*, ferè id significat quod Græcis ἀναθεματίζειν. Nam interdùm est, Deo consecrare, ut Levitici 27, v. 28 : *Omne anathema, quod quis consecraverit Domino*, etc. Aliàs, omnium detestationi, exsecrationi, injuriis devovere atque exponere, et planè, quantùm fieri potest, occisione occidere, prorsùsque abolere. Quare Chaldæus hoc loco rectè est interpretatus, *confecistis, perdidistis omninò*. Translatio cordis liquefacti, et spiritùs sive animi non constantis, quæ à cerâ sumitur, aperta satis est, atque etiam ab aliis interpretibus explicata. Nam Septuag. *Liquefactum est cor nostrum*, dixêre: *Mente nostrâ emoti sumus*. Et Chaldæus Latinusque pro, *constare*, reddiderunt, *manere*, aut reliquum esse. Illud porrò, *propter vos*, est hebraicè, *à facie vestrâ*, hoc est, vestrâ causâ, vel propter vestram præsentiam. Non quidem quòd ipsorum præsentia, ut hominum, tam esset Chananæis genti fortissimæ formidabilis; sed quia is Deus, quem colerent, et à quo diligerentur, esset Deus in cœlo, et Deus in terrâ. In cœlo quidem, ut qui cœlestes ho-

minum animos pro suo nutu regat, dùm alios pavore consternat, alios audaciâ atque fortitudine firmat. In terrâ verò, ut qui terrena omnia pro suo arbitrio dispenset, aliis auferat, aliis assignet. Hæc enim est divina illa Rahabæ sapientia, hæc fides, quâcum ejusdem illius Dei potentiam, majestatem, benignitatem denique sic complectitur, ut non solùm ipsum, sed ejus etiam cultores ex animo amet; et quâ potest pietate charitateque prosequatur, meretur incredulorum hominum numero calamitateque eximi, ut ait divus Paulus, atque in Abrahamitas referri.

Nam Abrahamo etiam ante prædicatum Christi Evangelium, nata per fidem ex gentibus soboles est, quales numerant Talmudici feminas novem, Hagar, Aseneth, Sephoram Mosis uxorem, Sephoram obstetricem, Phuam obstetricem, Pharaonis filiam, Rahab, Ruth, Jael. Erat procul dubio etiam cæteris Chananæis, si, non omnibus, at certè multis, magna opinio, de unius summi Dei in cœlo terrâque imperio, vel ex ipso naturæ instinctu nata. Nam legimus aliarum quoque gentium illiusmodi sententias, qualis ista Rahabæ videtur esse, cùm dicunt: Πατὴρ ἀνδρῶντε θεῶντε. Et:

O qui res hominum Deùmque,
Æternis regis imperiis, etc.

Verùm illi, ut Apostoli verbis dicam, cùm Deum cognovissent, non ut Deum laude, animique pietate prosequebantur, sed eam ipsam, quam videbant, veritatem, suâ injustitiâ impediebant. Dixerat Petrus, inquit divus Augustinus: *Tu es Christus Filius Dei vivi;* audivitque illicò à Domino: *Beatus es, Simon.* Dixerant et dæmones: *Tu es Filius Dei,* et tamen non pronuntiabantur beati; quare? quia hi dixerant præ timore, ille amore. Dæmones ergo, inquit, habuerunt quidem fidem, sed non eam quâ justus vivit, hoc est, quæ per dilectionem operatur, ut ait Apostolus ad Galatas. Hanc enim habent soli servi Dei, soli fide filii Abrahæ. E quorum numero fuisse Rahabam diximus. Itaque cùm neque illud naturæ lumen, neque audita de Israelitarum Deo miracula, neque denique angor ille conscientiæ, quo divinitùs omnium animi exagitabantur, illos à suâ impietate abstinere possent, nec amorem pietatemque adversùs verum Deum mentibus ipsorum ingenerare, nihil eis profuit illa opinio. Sed quantò æternam Dei potentiam atque divinitatem propiùs cognoscebant, tantò majore supplicio digni evadebant. At Rahab et cognitum Deum gloriosè prædicabat, iis quæ nunc tractamus verbis, et quâ adhuc potuit ratione, charitatis officiis fidem suam ornabat, fructuosamque præstabat, cùm receptos ad se illius nuntios, aliâ viâ emitteret, ut ait Jacobus. Chaldæus hunc locum paraphrasticè sic reddidit: *Eò quòd Dominus Deus vester sit Deus, cujus divinitas est in cœlo supra, et dominatur super terram subter.* Sed eadem una est sententia, quâ Rahab fictitiis divis omnibus omnem cujusvis beneficentiæ facultatem detrahit, omnemque illorum cultum, atque etiam opinionem prorsùs pessumdat, et unum Jehovam, hoc est, verum Deum, et rerum omnium parentem, pro Deo agnoscit, et cœli terræque domino: qui bonos præmio, malos pœnâ remuneret. Quâ fide atque professione quid ipsa promeruerit, diximus Apostoli verbis. Veteres Hebræi autem in vetustis commentariis in Exodum, quæ Mechilta vocant, scriptum reliquerunt, hoc promeritam esse, ut octo prophetæ et sacerdotes ex ejus stirpe procrearentur: Jeremias, Helcias, Sarias, Maasias, Baruch, filius Neriæ, Hanameel et Sellum; fuit autem iste Hanameel filius Sellum, patruelis Jeremiæ prophetæ. Quin et Ezechielem, et Huldam quoque vaticinatione celebres viros referunt iidem illi in album posteritatis Rahab; eamque aiunt quinquagesimo demùm vitæ suæ anno, per hanc sacram professionem, judaismo nomen dedisse, cùm, abdicato turpi quæstu, quem adhuc à primis pueritiæ annis corpore fecisset, veniam à Deo flagitaret, et ante actæ vitæ flagitia, per contrarias virtutes emendaret. Ante enim exceperat impuros amasios: nunc veri Dei cultores, et nuntios. Ante occultaverat alienos maritos, nunc divini consilii procuratores. Ante ad se mœchos funibus per fenestram subduxerat; nunc fune per eamdem Chananaicæ turpitudinis vindices emittit. Sed hæc hactenùs.

Vers. 12, 13. — Jam igitur jurate, obsecro, mihi Dominum, etc. Superiori præclarissimo illi elogio, quo professa est Rahab, Jehovam esse verum, et quidem solum Deum, planè est consentaneum, quòd eum ipsum jurari velit. Nam, præter Deum, jurare rem ullam quæ usquàm sit, sive in cœlo, sive in terris, nefas esse, lege divinâ sancitum est. Nam quidquid dejeras, ei divinum numen vel imprudens, attribuis. Sed hoc alio disputabitur prolixiùs loco.

Cæterùm quàm certâ fide statuerit Rahab, ut ante diximus, donâsse Deum Israelitis Chananæam, eosque jam in possessionem missum ire, ex iis perspicuum fit, quæ nunc sibi ab

exploratoribus ipsa depaciscitur, non aliter quàm si illi in re jam præsente versentur, oppidoque potiti, in cives vitæ necisque exerceant potestatem, cùm interim illorum salus in ipsius manu adhuc esse magis videri possit, et credibile sit, eos etiamnùm trepidos, usque adeò se non jactâsse, ut etiam supplices mulieri fuerint. Verùm ipsa haudquaquàm præsentem hospitum suorum fortunam corporis oculis, sed Dei consilium fidei sensu intuebatur; in quo cùm toto animo acquiesceret, ipsum jurari poscebat, ut certissimum vindicem futurum, si illi fallerent. Atque ut hoc jusjurandum impetret, suum illis ponit ob oculos in ipsos beneficium; sed modestissimè, ut ab exprobratione aliena. Bono enim viro nefas est, beneficium non reddere, si modò reddere possit sine injuriâ, ut ait Cicero Offic. lib. 1. Neque ullum est officium referendâ gratiâ magis necessarium, præsertim si hæc magna fuit. Fuisse autem Rahabæ in illos maximam, nemo negaverit : quippe quæ cum præsentissimo vitæ suæ periculo illorum vitæ consulebat. Sed tamen modestissima femina verbulo nullo officii sui magnitudinem effert, sed admonet modò simpliciter. Deinde, ut singularem ipsius pietatem agnoscas, non tam sui capitis, quàm parentum, fratrum, sororum denique curam habet. Nam inepta est, meo judicio, argutiuncula Davidis Kimhi, existimantis, de se nihil ipsam dicere, quia id officii jus postulabat, ut eam servarent, à quâ essent servati ipsi. Meliùs fortassè dicatur, de suis eam necessariis fuisse sollicitam maximè, quòd sciret illos nondùm in eo Deo, qui solus posset servare, spem habere collocatam. Sed illud notandum, de marito nullam esse mentionem, neque de prole, quorum prima alioqui habenda videbatur ratio. Nam prima societas, ut rectè dixit Cicero loc. cit., in ipso est conjugio, proxima in liberis; deinde tandem in unâ domo, quæ in nos solos spectat, neque aliud ullum potest habere refugium. Verùm, quod ante quoque est à nobis dictum, mulier corpore quæstum facere consueta, neque maritum habebat, neque liberos. Porrò pietatem, sive benignitatem quâ se usam dicit, ego non solùm pertinere autumo ad elusos regis allegatos et inquisitores; verùm ad ipsam quoque evadendi rationem, jam tum ab eâ illis commonstratam atque promissam, ut nuper existimabamus. Perexiguum enim alioqui illud officium videri potuisset, cùm ipsi adhuc clausâ urbe hostili, quasi carcere, retinerentur. Nomen חסד in sacris litteris frequens, quod clementiam, pietatem, benignitatem interpretamur, Judæi dicunt significare officium, quod planè gratuitò fit, ubi scilicet nulla sunt merita. Signum veritatis, sive certum signum, vocat tesseram, quâ in urbis excidio, quod sibi per fidem quasi ante oculos statuebat, et rerum omnium perturbatione, ac promiscuâ clade, ipsa se suosque adversùs victoris militis insolentiam, et temerarium inconsideratumque furorem, posset tutari. Porrò illud : *Et quidquid habent,* ad fratrum sororumque liberos etiam pertinere, constat ex versiculo 23 capitis 6. Animæ verbum, ut apud Græcos et Latinos, ita et Hebræos, pro vitâ accipi satis certum est.

Vers. 14. — Viri verò ad illam dixerant : Anima nostra pro vobis, etc. Hæc est jurisjurandi formula, quâ exploratores, coram Deo ipso, in eam se obligationem deducunt, illumque obtestantur, ut à se juris pejerati pœnam capitalem sumat, si fefellerint in eo, quod Rahab est stipulata. Insulsa autem est, meo certè judicio, interpretatio R. Davidis Kimhi, quâ sic locum hunc explicat : Nos nosmet trademus interficiendos pro vobis, iis qui vos volent occidere. Non est quidem in ipsâ formulâ sacrum Dei nomen Jehova scriptum. Nimirùm satis erat illud in Rahabæ stipulatione fuisse, cui plenè perfectèque respondent viri. Ad hoc, religio est piis viris, sacrosanctum Dei nomen in illiuscemodi detestationibus, ut sic dicam, adhibere. Atque ob eam causam, si illud positum est, ipsâ illâ malè ominatâ, et dira verba in talibus jurandi formulis subticentur. Velut in illis : *Sic faciat mihi Dominus, et sic addat : Vivit Dominus;* et quæ sunt his similes. Et verò quis in vulgi etiam verbis, cùm dicunt : *Emoriar, peream, malè sit mihi, nisi hoc illud præstitero,* non continuò intelligat, Dei vindictam eos imprecari sibi si fraudem committant? Pronomen *vobis* ad Rahabam, et familiam ipsius paternam spectat.

Porrò illud : *Nisi detuleritis hanc rem nostram,* sive, hoc verbum nostrum, significat, ut RR. David Kimhi, et Levi F. Gersonis autumant, neque tesseram, quam sint daturi, neque colligendæ in Rahabæ ædes familiæ paternæ consilium prodi debere. Nam ista si rescivissent cæteri cives, in ipso rerum discrimine, quotquot in mœnibus habitâssent, similibus fuissent signis usi; ahi in ædes Rahab irrupissent. Sanè id mihi hâc exceptione videntur velle speculatores, facturos se planè quod illa petit, nisi ejus ipsius proditione obstaculum

opponatur. Nam se speculatum venisse, sciebant minimè jam esse clam rege populoque, ut stultè hoc celari postularent. Verùm enimverò admonemur istâ illorum exceptione, ut ne ad jurandum, nisi summâ cum cautione, atque religione deduci nos patiamur, postquàm diligenter explorata usquequàque omnia habuerimus, an etiam præstare jurata possimus.

Quod porrò sequitur : *Et futurum est, ut quando tradiderit nobis,* etc., illud ipsum est, quod jurejurando promittitur. Nam exceptio, quam modò explicavimus, per interpositionem dicta est; hoc verò rectè continet, quidquid proximo versiculo mulier est stipulata. Cæterùm uti pietate, vel beneficentiâ, aut clementiâ erga aliquem, et simul veritate, est optimâ fide beneficum, sive benignum, aut pium in quempiam esse. Itaque τὸ *pietas* aut beneficentia ad ipsum beneficium, τὸ *veritas,* ad præstandi beneficii certam fidem spectat. Sæpè autem duo ista sic conjunctè posita in sacris litteris reperias. Nam, ut unum locum ostendam, Abrahæ servus in Genesi cap. 24, v. 27, ad Deum hæc facit verba : *Benedictus Dominus Deus heri mei Abrahæ, qui non prohibuit suam beneficentiam et veritatem ab hero meo.* E pauló post ibid. v. 49, ad Rebeccæ parentes : *Jam verò si utimini beneficentiâ et veritate erga herum meum, facite me certiorem,* etc. R. David Kimhi verò existimat חסד eo differre, ab אמת quòd illud sit gratuitum beneficium, hoc verò quod justum æquumque est ut præstetur. Itaque illud spectare parentes cognatosque Rahab, quorum nulla erant in exploratores merita; hoc verò ipsam Rahabam, cui æquum erat salutem pro salute rependere.

Vers. 15. — Itaque demiserat illos fune per fenestram, etc. Hic versiculus et proximus videntur non suo positi loco esse, sed ad vicesimum primum locum usque differendi. Neque enim credibile est, nondùm datâ tesserâ demissos esse à Rahab exploratores. Neque insolens est in sacris litteris, perturbata confusaque narrationum series. Dici tamen posset, sic ista esse accipienda, quasi Rahab se jam comparet quidem ad demittendos, atque cum ipsis de totâ effugii ratione disceptet, nondùm tamen demittat. Quo loquendi genere Josua memorabitur ad Galgala revertisse, profligatis ad Gabaonem hostibus, multò antequàm reverà revertit. Sed dices : Si nondùm demittuntur, quid est, cur mox dicant : Textum fili coccinei alligabis fenestræ, per quam nos demisisti? Verùm facilis atque expedita est responsio, temporum enallagen esse usitatissimam apud Hebræos, itàque *demisisti,* pro *demiseris,* positum esse, aut demittere paras. Sed neque illud fortassis absurdè dicatur, sollicitissimam de hospitum salute mulierem, solâ jurisjurandi religione contentam, salutis verò illud suæ signum commodiore tempore expectantem, properè illos urbe emisisse : ipsos verò jam securiores, ea quæ proximis versibus memorabuntur verba, pro mœnibus ad illam fecisse, cùm per fenestram auscultaret, ut quod dedissent jusjurandum, id pluribus atque explicatioribus cautionibus exceptionibusque circumscriberent; quò ostensâ ratione omnis rei conficiendæ simul et illam de suâ suorumque salute certiorem facerent, et se ab errore atque culpâ removerent.

Sequitur porrò in sacro textu : *Nam ipsius domus erat in muro mœnium.* Nam alioqui ex privatâ mulieris domo non potuissent urbe emitti, clausis undequàque portis. Quippe solent in oppidis populosissimis, qualis erat inprimis Jericho, fortunæ tenuioris cives, et præsertim, qui artibus quæstum faciunt ab hominum frequentiâ abhorrentibus, ædiculas habere, in ipsos inædificatas immolitasve urbis muros, aut etiam in mœnium fornicatis habitare parietibus. Quomodò cùm habitaret Rahab, essetque eadem una et mœnium et ejus gurgustii fenestra, quâ extra urbem spectabat, cùm illàc emissi essent viri, liberum ipsis erat abire quòvis. Parùm ergo consideratè Josephus, contra atque sacra verba habent, domunculam Rahab, non in muro, sed propè murum urbis locat. Vocatur autem hoc loco, חומה ipse muri ambitus, quem mœnia, à muniendâ urbe dicimus. Veteres enim mœnire, pro munire videntur dixisse : quod verbum in vetustis Fabii exemplaribus ego scriptum reperi. קיר verò ipse est murus. Sed ista vocabula sæpè confunduntur.

Vers. 16. — Dixeratque ad ipsos : Ad montem abite, etc. Jerichuntem et ab aquilone, et ab austro montes habere, qui utrinque versùs Jordanem porriguntur, diximus; utros horum subire jubeantur, neque certum est, neque scire refert. Hoc enim modo suadet Rahab, ne rectum iter teneant trajectum versùs, neque citò se illùc recipiant, sed totum diem proximum abditi jaceant in monte quopiam, dùm persequentes in urbem reversi, tutum iter reliquerint, quod postero die futurum conjiciebat ex viæ spatio, quod ab urbe ad trajectum usque erat circiter quinque millium passuum,

ut Eusebio placet, aut paulò longiùs, ut aliis. Nam etsi multò majus eundo redeundoque conficere potuissent illi nocte dieque continuato itinere, præsertim cùm eos gratiæ regis ambitio incitaret, tamen inquisitioni non parùm quoque temporis deputandum erat. Neque enim rectà redituros esse, sed passim dumeta, recessus, latebras omnes rimaturos facilè cogitabat prudens femina. Neque abs re. Nam ita eos fecisse constat ex versiculo 22. De triduo enim, quod ad latendum statuit, id ita esse accipiendum, ut is etiam dies in rationem veniat, quo die speculatores ad illam diverterant (nam eam noctis partem, quæ ante somnum captum agitur, solet vulgus præcedenti diei adscribere); perendinus verò dies, hoc est, tertius, excludatur; eoque abire integrum sit, ante est à nobis explicatum. Talmudici verò, quos, ut solet, sequitur R. Salomon, opinantur, Rahabam, non conjecturâ, triduum hoc præscripsisse, sed divino afflatu; quod neque nos refellendum putamus.

In commentariis, quæ Genesis magna vocantur, ubi hic locus est à veteribus Hebræorum magistris tractatus, scriptum legimus, tribulationes et res adversas sæpè triduo definitas esse in sacris litteris, ut in illo : *Restituet nos vitæ post biduum; tertio die suscitabit nos, et vivemus coram ipso.* Et in illo : *Ait ad ipsos Joseph die tertio : Hoc facite et vivetis.* Et in illo : *Fuit Jonas in visceribus piscis triduum.* Et in illo : *Factum est die tertio, ut vestiret se Esther regali veste.* Cæterùm eam tertii diei velut prærogativam adscribunt, partim mysterio ejus diei tertii, quo lex è cœlo data proditur ; alii illius, quo Abraham sacrificaturus Deo filium, memoratur oculos suos sustulisse. Sed nos, quibus Deus ipse, pro æternâ suâ misericordiâ, certissimam divinorum mysteriorum veritatem per unigenitum Filium suum servatorem nostrum patefacere dignatus est, quidquid eximium et singulare tertiis diebus in sacrâ historiâ attribuitur, id omne ad festam illam et auspicatissimam lucem tertiam, quâ vita nostra Christus revixit, referendum jure statuimus.

Quod convertimus : *Ne fortè occurrant vobis,* rectè etiam reddatur : Ne fortè incurrant in vos, aut vos invadant. Nam hâc quoque sæpè notione usurpatur verbum, פגע. In verbo modi infiniti שב, posita est quarta vocalis loco quintæ. In verbo verò, נחכתם, desideratur tertium positionis elementum, sive illud sit Aleph, quod est usitatius, sive He; successitque in primâ syllabâ Patah, in locum Hireck, propter litteram Heth, quæ ex intimo gutture est pronuntianda.

Vers. 17. — Viri verò dixerant ad illam : Nos innoxii ab hoc, etc. Hic ego explicatiùs dici puto illud ipsum, quod decimus quartus versiculus breviter et strictim continebat. Nam ex diversis compositâ annalibus sacrâ historiâ, ut alibi à nobis disputatum est, sæpè fit ut rem eamdem iterùm atque iterùm repetat, aliis aliisque verbis, et narrandi modis. Sin autem quis malit existimare, illa ab exploratoribus nondùm per fenestram emissis, hæc verò demissis esse dicta, non pugnabo. Cavent autem, providentque illi his verbis, ne se perjurio obstrinxisse videri possint, si quid, non suâ culpâ mulieri, aut ejus propinquis eveniat mali, cùm ea non fecerint scilicet, quæ ipsi præscribunt. Est autem oratio illa : *Nos innoxii ab hoc tuo jurejurando,* curta, debentque suggeri ista aut similia verba : Esse volumus. Est enim sententia versiculi : Nos planè præstare volumus, ne perjurii crimen faciamus; atque ideò hisce conditionibus, quasi cancellis, nostram obligationem circumscribimus.

Monemur autem hâc tam accuratâ istorum virorum cautione atque provisione, non solùm colendum sedulò esse grati animi officium, cùm ingrato nihil detestabilius sit; verùm etiam, non temerè, neque prolixè jurandum esse, sed summâ cum religione, et præcisè, ut ne plus affirmatè, Deoque teste promittas, quàm rebus omnibus diligenter consideratis, effectum te posse dare cognoveris. Maxima enim fuit semper apud omnes gentes jurisjurandi religio. Ejusque rei vel unus Cicero testis est satis locuples, cujus hæc sunt in Officiis verba : « Nullum, inquit, vinculum ad « adstringendam fidem majores nostri jureju- « rando arctius esse voluerunt. Id indicant le- « ges in 12 tabulis; indicant sacra, indicant « fœdera, quibus etiam cum hoste devincitur « fides; indicant notationes animadversiones- « que censorum, qui nullâ de re diligentiùs, « quàm de jurejurando judicabant, » etc. Quin credidit antiquitas, non eum solùm qui pejerâsset, daturum Deo pœnas, verùm ejus etiam posteritatem tantum scelus luituram esse. Unde est illud Juvenalis de Spartano quodam, qui perjurium animo conceperat modò, reipsâ nondùm admiserat :

Spartano cuidam respondit Pythia vates,
Haud impunitum quondam fore, quòd dubitaret

Depositum retinere, et fraudem jure tueri
Jurando; quærebat enim quæ numinis esset
Mens, et an hoc illi facinus suaderet Apollo.
Reddidit ergo metu, non moribus: et tamen omnem
Vocem adyti dignam templo, veramque probavit,
Extinctus totâ pariter cum prole domoque;
Et quamvis longâ deductis gente propinquis.
Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.

Sed est de jurejurando et perjurio dicendi campus amplissimus : atque argumentum hoc à multis est tractatum copiosè. Et Deus ipse testatus prolixè est, quàm iniquè ferat, temerè sacrosanctum suum nomen à mortalibus usurpari. Quare de his hactenùs.

In verbo, השבעתנו, positum est sub litterâ *Tau*, vocalis Kametz, pro Zere, propter accentum, qui solet versuum finem occupare, ut opinor. Est enim secundæ personæ generis feminini, ut loquuntur grammatici.

Est et generis quoque enallage in illis verbis, השבועה הזה. Nam demonstrationis pronomen masculinum jungitur nomini feminino. Cæterùm jurandi hoc verbum putant Cabbalistæ à septenario numero dictum esse, nimirùm, quia ea affirmatio tam rata certaque esse debet, quàm si coram testibus septem esset facta. Et hanc notationem, atque insuper alia, de hoc verbo profert Bahaiaus commentariis suis in Genesim, cùm de Abrahæ jurejurando disserit, quo se ille, in sacrâ historiâ, omnium primus obligabat Abimelecho. Sed ista nos alio loco explicabimus opportuniùs, si vita suppetet.

Vers. 18. — En intrantibus nobis in terram, etc. Pro, *in terram*, reddiderunt Septuag. εἰς μέρος τῆς πολέως, in partem civitatis, volentes, opinor, significare, cùm primùm irruptio fieret in urbem, illa procurari debere. Sed *terram* fortassè dicunt, vicina urbi loca, ex quibus illa circumsidebatur; difficile enim fuisset, captâ urbe, in tantâ omnium trepidatione et perturbatione, cognatos omnes in unam domunculam convocare. Vocabulum, תקיה, quod cum Judæis *textum* interpretamur, sæpè spem fiduciamque significat : ut non absurdè quis existimare posse videatur, per translationem sic appellari hoc signum, in quo salutis spem omnem, humano more loquendi, mulieri erat collocata. Septuag. et eos secutus Latinus, atque etiam Aquilas, et Symmachus, signum sunt interpretati, magis opinor pro sensu orationis, quàm vocabuli notatione. Cæterùm quid Chaldæum moverit, ut *fimbriam*, converteret, quæ hebraicè שפה vocatur in Exodo, non possum satis assequi conjecturâ. Neque enim, *fimbriam*, aut vestis oram significare usquàm alibi existimo.

Rabbi David Kimhi putat, hoc dicere voluisse Chaldæum : Conspectam fortè in mulieris domunculâ fimbriam è filis coccineis contextam alligare fenestræ illos jussisse. Sed hoc divinare est. R. Isaias à positione, קיה, quæ collectionis habet notionem, deductum nomen, תקוה, funem significare censet, quòd in fune multa fila contorta componantur. Mihi verò verbum, קוא, quod Chaldæis textorem significare animadverti, persuadet, ut credam, τὸ, קוה, Hebræis, non solùm colligere, verùm etiam contexere, olim significâsse. Sunt enim cæteræ Orientis linguæ ex Hebræâ natæ. Ab eoque verbo et קו, lineam, funiculum, et hoc nostrum תקוה, descendere. Porrò ambiguum est in Hebræo, an dicant : Per quam fenestram; an verò : Per quem funiculum, sive textum, nos demisisti. Aptè tamen cadere videtur, ut quo fune mulier suos hospites servârat, eodem ipsa quoque ad salutem utatur, præsertim propter arcanum sensum, quem multi adumbratum hâc re esse censent, ut explicabimus opportuno loco.

Vers. 19. — Illius sanguis sit in caput ipsius, etc. In hujuscemodi orationibus, *sanguis*, culpam fusi sanguinis significat, quod Chaldæus hoc loco explicatissimè dixit. Judæos igitur et se, et suam posteritatem impiâ et nefariâ Christi cæde obstrinxisse intelligimus, cùm immani voce inclamarent : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros*. Itaque exploratores hîc sese extra omnem culpam ponunt, si quid patiantur, qui se intra fornicem illum non continuerint, eamque avertunt in ipsos. Et rursùs, non solùm mortis, verùm etiam, omnis damni, incommodi, injuriæ, quæ iis acciderint qui intùs manserint, sese, ut capitalium rerum, faciant reos. Plus ergo promittunt, quàm stipulata fuerat Rahab. Vitam enim modò sibi suisque servari, non etiam pugnos cæterasve id genus injurias prohiberi illa poposcerat, cùm sic diceret : *Conservabitis in vitâ patrem meum*, etc., nisi si putemus, verbum חיה, perfectam vitæ incolumitatem significare, ut sanè videtur. In summâ, apertè ostendunt hâc tam accuratâ, tamque præcisâ officii sui explicatione, cùm propter datum jusjurandum, tum pro referendâ gratiâ, summâ se cupiditate studioque salutis Rahabæ, et ejus familiarum teneri; quâ re procul dubio ejus animum singulariter confirmant. Nam quantò quis id, quod se facturum recipit, plu-

ribus conditionibus atque exceptionibus præcidit, tantò plus sibi curæ esse, ne fallat, ostendit. Qui enim temerè multa promittunt, iis plerùmque nihil pensi est, ut promissi munus conficiant; sed vani futilesque homines nullo unquàm honesti sensu, cogitationeve tanguntur.

Vers. 21. — Et responderat: Ut verba vestra, sic esto, etc. Accipit mulier conditiones, quibus sua illi promissa circumscripserant, quippe æquissimas. Sed observandum est hîc scriptum esse, *dimiserat illos*, non autem demiserat. Est enim verbum שלח, hoc loco positum, quod sæpè, pro valedicere, atque à se dimittere usurpatur. Supra verò erat, הוריד, ac si dicas: Fecerat descendere, hoc est, demiserat, sive submiserat, aut deorsùm miserat. Putat ergo Rabbi David Kimhi, jam valedicere mulierem exploratoribus, eosque dimittere, cùm superiora verba ex inferiore loco pro mœnibus fecissent, ante demissi fune. De quâ re nos supra satis multa diximus. Nihil enim aliud affirmare hîc possumus, nisi sententiam et opinionem nostram; imò vix eam, in re incertissimâ. Porrò quòd jam mulier memoratur alligare signum suæ fenestræ, id per prolepsin accipit idem Kimhi, quasi narretur id quidem hoc loco, ut intelligamus, minimè ab illâ esse neglectum, cæteroqui tam demùm factum ab illâ fuerit, cùm urbem hostis obsidione cinxisset; verùm ego nullam satis probabilem video causam, cur non illicò id facere mulier sollicita potuerit.

Vers. 22. — Profectique pervenerant in montem, et manserant illic triduum, etc. De triduo satis multa sunt à nobis supra disputata. Sed quis latentibus significabat persequentium in urbem reditum, post quem conficere iter reliquum perrexerint? Neque enim credibile est, Rahabam tanti periculi rem internuntio credidisse cuipiam. Sed fortassè hujusmodi locum in monte ad latendum cœperant, ut inde possent ultrò citròque commeantes observare. Verùm ego existimo, Rahabæ conjecturam secutos, præstitutum tempus latuisse, ac deinde iter continuâsse. Porrò illud: *Vestigaverant autem per totam viam*, etc., muliebre consilium vehementer commendat: quo uno factum est, ut non sint speculatores deprehensi, cùm de viâ in montem secessissent, et simul periculi magnitudinem illustrat, quòd quò majus illi evasêre, tantò fiduciam majorem rei benè gerendæ animo concipere imperator debebat, cùm secum reputaret, nulla hominum studia, conatus, machinationes adversùs Dei consilium valere quidquam, nullaque esse posse pericula tam præsentia, è quibus mediis non facilè suos Deus eripiat.

Vers. 23. — Reverterant itaque duo illi viri, etc. Declinaverant, ut diximus, ab recto itinere; redire ergo in viam, trajectum versùs oportebat. Cæterùm quòd imperatori exposuisse memorantur omnia, quæ sibi acciderant, hoc est, quæ perceperant, in magnâ speculatorum hominum laude ponendum est. Nam, ut sunt res bellicæ, in minimis sæpè, et, ut videntur, relatu indignis rebus, momenta versantur maxima; de quibus imperatoris et ducum debet esse existimatio, judiciumque, non exploratorum. Quare prudentis imperatoris est, suos ipsum exploratores seorsim primum audire, et de tacendis dicendisque ante monere, quàm in concionem producat, ne et variis ingeniis anceps mobilisque, et judicio præceps multitudo, temerè ex illorum relatione majorem quàm oportuit aut confidentiam, aut metum concipiat: quorum illa animorum elationem intolerabilem, hîc stupidum pavorem parere solent, cùm magnas hominum copias invasêre. Quæ animorum perturbationes in exercitu juxta utræque solent imperatoribus accidere intractabiles, atque implacabiles. Et de formidine quidem exstat clarum et memorabile exemplum in Numeris. Simul atque enim, auditis propalàm speculatoribus, trepidare atque in motu metûs esse cœperat multitudo, usque adeò nihil Mosis, Aaronis, Calebi, Josuæ denique verba apud eam efficere potuêre, ut nisi subitò Deus suam declarâsset omnibus præsentiam, per immensum gloriæ majestatisque suæ splendorem, monitores illi lapidibus obruti pro salutari consilio pœnam capitalem perturbato atque æstuanti populo dedissent. Ita enim ferè fit, ut quantò majore conatu, pluribusque rationibus consternatam multitudinem à metu revocare, fiduciamque afferre niteris, tantò illa se in majoribus positam esse periculis putet, tantòque confusiore trepidatione concitetur. De confidentiâ verò, si ea exercitûs animos occupaverit, quantam etiam ipsa secum perniciem facilè trahat, monebit nos Haiensium excidium, qui cùm ex felici eventu nuperæ victoriolæ temerariâ audaciâ immodicè exsultarent, obliti omnis militaris disciplinæ, tam cæcâ persequendi hostis cupiditate simul omnes urbe effundebantur, ut eam omni nudatam præsidio, adversariis proderent. Credibile est ergo prudentissimum imperato-

rem Josuam, speculatores, quos non conscio, nedùm sciscente populo emiserat, seorsim etiam ad se reversos audivisse, atque ad utrumque spectare voculam חרש, de quâ diximus multa ad versiculum primum hujus capitis. Certè illi hîc jam narrantur ad Josuam, filium Nun, revertisse, Josuæ omnia exposuisse. Populi verò nulla est mentio, contra atque in Numeris fit, ubi qui emissi fuerant, non modò ad Mosen et Aaronem, sed ad universum cœtum Israelitarum reversi locutique memorantur.

Vers. 24. — Dixerantque ad Josuam : Nam Dominus tradidit in nostram manum, etc. Hæc narratio curta est; quod etiam R. David Kimhi annotavit. Multa enim præmissa videntur, quibus respondeat illa particula, *Nam*. Efficit enim ea, ut apparet, totius hortationis extremam partem. Verumtamen negari non potest, ut Græcis ὅτι, ita Hebræis כי, supervacaneum esse. Sed quando addunt : *Atque etiam liquefacti sunt omnes incolæ*, etc., planè videntur alias quoque ante exposuisse facilis victoriæ conjecturas, quibus hanc insuper adjiciant, quam didicerant à Rahab, et quæ longè omnium certissima erat. Nam, ut est verè ab Euripide dictum, τοῦτο δὲ τὸ στρατηγεῖν ἐγὼ κρίνω καλῶς γνῶναι τὸν ἔχθρον, εἰ μάλιστ' ἀλώσιμος. Sed enim videmus quàm sit istorum exploratorum dissimilis oratio ad illorum, quos Moses, aut populus veriùs, emiserat, à Cades-Barne. Illi enim clamabant : *Non poterimus invadere populum*, hoc est, Chananæos, *quia fortior nobis est*. Hi verò clamant : *Tradidit eum Dominus in manum nostram; planè enim jam animos despondet*. Et tamen illi nulla passi pericula memorantur, quæ istos præsentissima circumvallârant. Nimirùm est illud longè verissimum quod Paulus Romanis, cap. 8, scribebat : *Iis qui Deum diligunt, quidquid accidat, id cedere in bonum*. Itaque isti, quantò majora discrimina evaserant, tantò certiorem sibi suisque opem divinam adversùs hostem pollicebantur. Neque enim suas, ut illi, vires cum adversariorum viribus contendunt; sed quid Deus possit, quidque velit, id verò expendunt atque considerant, cùm aiunt : *Dominus dedidit illos nobis, qui admirabili formidine omnium animos prostravit*.

Lubet hîc paucis jam auditam de Josuâ historiam ad verum Josuam nostrum, hoc est, Jesum Christum, ab illo, ut diximus, adumbratum anagogicè accommodare. Igitur Dominus, et servator mundi Jesus Christus, traducturus per Jordanem, hoc est, baptismi sacramentum, populum suum in beatissimam illam terram viventium, emittebat duos exploratores, id est, tum Apostolos, tum qui hos secuti sunt, sacri verbi doctores, in Jerichunta, perditissimum vitiis omnibus mundum, quos cùm excepisset Rahab meretrix, hoc est, profanus gentium populus, qui variis se deorum simulacris prostituerat, est tum à consuetâ illâ suâ turpitudine abductus, tum in populum Dei ascitus et conservatus, et quidem per pendentem è cruce, tanquàm sublimi fenestrâ, et totius mundi speculâ, funem coccineum, ipsum Jesum Christum, qui torcular illud omnium laboriosissimum cùm calcâsset solus, rubebat indumentum, id est, corpus ipsius. Verùm cùm mystica ista à multis sint piè pertractata, non persequar ego longiùs, ubi addidero, illud meo judicio etiam aptissimè in evangelicam historiam cecidisse, quòd paupercula Rahab in suum gurgustiolum Josuæ nuntios exceperit, non sapientes, non potentes, vel claro generi nati Jerichuntii, similiter atque Jesu Christi nuntiis accidisse, monet Paulus apud Corinthios. Atque insuper nomen Rahab, quod latitudinem significat, mirificè congruere typo Ecclesiæ Christi, non modò quia hæc infinitis partibus dilatata est, præut fuerat Mosis Ecclesia, de quâ re præclarè vaticinatus est Isaias capite 49 et 54, verùm vel multò magis, quia, ut ait D. Paulus, priusquàm veniret fides, custodiebamur sub lege conclusi, in eam fidem quæ revelanda erat, etc. Homines enim sub Mosis lege viventes, et necdùm per fidem in Jesum Christum consecuti promissionem Spiritûs, hoc est, nondùm adepti charitatem et justitiam, lege illâ non aliter atque carceris cancellis circumdati coarctabantur, et tanquàm à pædagogo prohibebantur ab iis agendis, quæ maximè cupiebant. Verùm ubi per fidem in Christum consecuti sunt à Spiritu sancto charitatem, per quam fides operatur, atque inde justitiam, non jam cohibentur legis suæ cancellis, sive minis, à vitiis, sed per amorem, ut filii, observant æterni Patris mandata animo prompto, soluto, libero, hoc est, corde dilatato, per charitatem scilicet, quam in id Spitus sanctus infundit. Quod divinus vates his verbis cecinit : *Per viam mandatorum curram, cùm dilataveris cor meum*. Nam, ut ait D. Augustinus, dùm hunc sacri poetæ locum tractat, cordis dilatatio, justitiæ est delectatio : quod munus est Dei, ut in præceptis ejus, non timore pœnæ coarctemur, sed dilectione dilatemur.

Sed ista attigisse leviter satis est, piisque

animis earum rerum jucundissimâ meditatione sese exercendi, quantulamcumque occasionem dedisse. Porrò cujus rei sacrum sit symbolum, quòd Rahab intra suos parietes continere debet, quos salvos cupit, audiat lector ex D. Cypriano, cùm ad Magnum scribit. Et rursùs cùm adversùs Novatianum tractat de simplicitate Prælatorum. Ego enim, etsi sic sentiam, nullam anagogam, quæ salutarem doctrinam explicet, animosque nostros secum in cœlum sublevet, esse repudiandam, etiamsi longiusculè petita atque accersita, pro sacrorum verborum notatione, videri possit; cùm meminerim Paulum dicere : *Omnia ea quæ Israelitis olim evenerunt, typos fuisse, easque adumbrâsse res, quibus hæc postrema mundi ætas, hoc est,* אחרות הימים, *et Christi regnum institueretur ad salutem.* Et simul quædam eum ex Mose ad certas doctrinæ christianæ partes, scilè, atque adeò divinè accommodare, quas tamen illa minimè adumbrâsse alioqui existimes : etsi, inquam, sic sentiam, tamen constitutum habeo, anagogas, quoad ejus facere possum, parcissimè tractare, conscius et mihimet ipsi meæ mediocritatis ingenii, et plerisque doctis hoc seculo sui ipsorum fastidii, si paululùm à sacris verbis digrediare.

CAPUT III.

1. Igitur Josue de nocte consurgens movit castra, egredientesque de Setim venerunt ad Jordanem ipse et omnes filii Israel, et morati sunt ibi tres dies.

2. Quibus evolutis transierunt præcones per castrorum medium,

3. Et clamare cœperunt : Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri et sacerdotes stirpis leviticæ portantes eam, vos quoque consurgite et sequimini præcedentes ;

4. Sitque inter vos et arcam spatium cubitorum duûm millium (1), ut procul videre possitis, et nôsse per quam viam ingrediamini, quia priùs non ambulâstis per eam ; et cavete ne appropinquetis ad arcam.

5. Dixitque Josue ad populum : Sanctificamini, cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.

6. Et ait ad sacerdotes : Tollite arcam fœderis, et præcedite populum. Qui jussa complentes tulerunt, et ambulaverunt ante eos.

7. Dixitque Dominus ad Josue : Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel, ut sciant quòd sicut cum Moyse fui, ita et tecum sim.

8. Tu autem præcipe sacerdotibus qui

(1) Duo cubitorum millia ferè idem sunt ac undecim kilometri. — Ex hoc loco inducunt Pharisæi die sabbato cæterisque festis nemini licere longiùs à domicilio suo progredi quàm duo cubitorum millia. Quòd si verò longiùs progredi sit necessarium, en effugium quod nobis Rabbini suppeditant : Pridiè frustum panis in viâ, duobus cubitorum millibus à domicilio, deponendum : sic in eo ipso loco domicilium esse censetur, et circumcirca duo cubitorum millia peragrare fas est salvâ conscientiâ (Drach, loco cit.).

CHAPITRE III.

1. Josué étant donc levé avant le jour décampa *avec toute l'armée ;* et étant sortis de Sétim, lui et tous les enfants d'Israël, ils vinrent jusqu'au Jourdain, où ils demeurèrent trois jours.

2. Après ce temps expiré, les hérauts passèrent par le milieu du camp,

3. Et crièrent : Quand vous verrez *marcher* l'arche de l'alliance du Seigneur votre Dieu, et les prêtres de la race de Lévi qui la porteront, levez-vous aussi vous *autres* et marchez après eux, *mais de loin, par le respect que vous devez avoir pour le Seigneur.*

4. Et *ainsi* qu'il y ait entre vous et l'arche un espace de deux mille coudées, *et non davantage,* afin que vous puissiez *la* voir de loin, et connaître le chemin par où vous irez, parce que vous n'y avez jamais passé ; et prenez garde de vous approcher de l'arche, *de peur que vous ne mouriez.*

5. Josué avait dit au peuple : Sanctifiez-vous, *et préparez-vous à recevoir de nouvelles faveurs du Seigneur,* car le Seigneur fera demain des choses merveilleuses parmi vous.

6. Et il dit aux prêtres : Prenez l'arche de l'alliance, et marchez devant le peuple. Ils firent ce qu'il avait commandé, et ayant pris l'arche ils marchèrent devant eux ;

7. Car le Seigneur avait dit à Josué : Je commencerai aujourd'hui de vous élever devant tout Israël *par de nouveaux prodiges,* afin qu'ils sachent que je suis avec vous, comme j'ai été avec Moïse.

8. Donnez donc cet ordre aux prêtres qui

portant arcam fœderis, et dic eis : Cùm ingressi fueritis partem aquæ Jordanis, state in eâ.

9. Dixitque Josue ad filios Israel : Accedite hùc, et audite verbum Domini Dei vestri.

10. Et rursùm : In hoc, inquit, scietis quòd Dominus Deus vivens in medio vestrî est, et disperdet in conspectu vestro Chananæum et Hethæum, Hevæum et Pherezæum, Gergesæum quoque et Jebusæum et Amorrhæum.

11. Ecce arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Jordanem.

12. Parate duodecim viros de tribubus Israel, singulos per singulas tribus.

13. Et cùm posuerint vestigia pedum suorum sacerdotes qui portant arcam Domini Dei universæ terræ, in aquis Jordanis, aquæ quæ inferiores sunt decurrent atque deficient; quæ autem desuper veniunt in unâ mole consistent.

14. Igitur egressus est populus de tabernaculis suis ut transiret Jordanem, et sacerdotes qui portabant arcam fœderis pergebant ante eum.

15. Ingressisque eis Jordanem, et pedibus eorum in parte aquæ tinctis (Jordanis autem ripas alvei sui tempore messis impleverat),

16. Steterunt aquæ descendentes in loco uno, et ad instar montis intumescentes apparebant procul, ab urbe quæ vocatur Adom usque ad locum Sarthan; quæ autem inferiores erant, in mare solitudinis (quod nunc vocatur Mortuum), descenderunt, usquequò omninò deficerent.

17. Populus autem incedebat contra Jericho; et sacerdotes qui portabant arcam fœderis Domini stabant super siccam humum in medio Jordanis, accincti; omnisque populus per arentem alveum transibat.

portent l'arche de l'alliance, et dites-leur : Lorsque vous serez au milieu de l'eau du Jourdain, *qui s'ouvrira dès que vous y aurez mis le pied*, arrêtez-vous là.

9. Alors Josué dit aux enfants d'Israël : Approchez-vous, et écoutez la parole du Seigneur votre Dieu.

10. Puis il ajouta : Vous reconnaîtrez à ceci que le Seigneur, le Dieu vivant, est au milieu de vous, et qu'il exterminera à vos yeux les Chananéens, les Héthéens, les Hévéens, les Phérézéens, les Gergéséens, les Jébuséens et les Amorrhéens.

11. *C'est que* l'arche de l'alliance du Seigneur de toute la terre marchera devant vous au travers du Jourdain, *et vous le passerez à pied sec.*

12. *Or, pour conserver la mémoire de ce miracle que Dieu fera en votre faveur*, tenez prêts douze hommes des douze tribus d'Israël, un de chaque tribu, *qui feront ce que je vous marquerai dans la suite.*

13. Et lorsque les prêtres qui portent l'arche du Seigneur, le Dieu de toute la terre, auront mis le pied dans les eaux du Jourdain, les eaux d'en bas s'écouleront et laisseront le fleuve à sec; et celles qui viennent d'en haut s'arrêteront et demeureront toutes suspendues.

14. Le peuple sortit donc de ses tentes pour passer le Jourdain, et les prêtres qui portaient l'arche de l'alliance marchaient devant lui.

15. Et aussitôt que ces prêtres furent entrés dans le Jourdain, et que l'eau commença de mouiller leurs pieds (*or* c'était au temps de la moisson *des orges*, auquel le Jourdain regorge par-dessus ses bords),

16. Les eaux qui venaient d'en haut s'arrêtèrent en un même lieu, et, s'élevant comme une montagne, elles paraissaient de loin, depuis la ville qui s'appelle Adom jusqu'au lieu nommé Sarthan; mais les eaux d'en bas s'écoulèrent dans la mer du désert, qui est appelée maintenant *la mer* Morte, jusqu'à ce qu'il n'en restât point du tout.

17. Cependant le peuple marchait vis-à-vis de Jéricho, et les prêtres qui portaient l'arche de l'alliance du Seigneur se tenaient *toujours* au même état sur la terre sèche, au milieu du Jourdain, et tout le peuple passait au travers du canal, qui était à sec.

TRANSLATIO EX HEBRÆO.

1. Igitur surrexit Josua diluculo, profectique sunt è Sittim, et pervenerunt ad Jordanem, cùm ille, tum omnes filii Israel, ibique pernoctârunt priusquàm trajicerent. — 2. Post finem verò tridui transibant monitores per medium exercitum. — 3. Et mandabant populo, dicendo : Cùm videritis arcam fœderis Domini Dei vestri, et sacerdotes Levitas portantes eam, vos discedetis de loco vestro, et sequemini ipsam. — 4. Sed esto intervallum inter vos et inter illam, circiter bis mille cubitorum, in mensurâ. Ne appropinquetis ad illam, quò sciatis viam eam, quâ estis ituri. Neque enim ivistis illâ viâ ab heri et nudius tertius. — 5. Dixerat autem Josua ad populum : Expiate vos. Nam cras faciet Dominus in medio vestrî res admirabiles.— 6. Ait itaque Josua ad sacerdotes, dicens : Tollite arcam fœderis, et præite populo. Illi verò tollebant arcam fœderis, et præcedebant populum. — 7. Porrò Dominus dixerat ad Josuam : Hoc ipso die incipiam te magnificare in oculis universi Israelis, ut sciant me tecum esse, sicut fui cum Mose. — 8. Tu verò imperato sacerdotibus bajulis arcæ fœderis dicens : Ubi veneritis usque ad extremitatem aquarum Jordanis, in Jordane subsistitote. — 9. Dixeratque Josua ad filios Israelis : Accedite horsùm, et audite verba Domini Dei vestri. 10. Et dixerat Josua : Per hoc cognoscetis, quòd vivat Deus fortis in medio vestrî, et expellendo expulsurus sit è vestro conspectu Chananæos, et Hetthæos, et Hevæos, et Pherezæos, et Gergesæos, et Amorrhæos, et Jebusæos. — 11. En arca fœderis, Dominus universæ terræ præit vobis in Jordanem.— 12. Nunc ergo legite vobis duodecim viros, è tribubus Israel, singulos ex quâque tribu. — 13. Et futurum est, ut simul atque quieverint plantæ pedum sacerdotum gestantium arcam Domini, dominatoris universæ terræ, in aquis Jordanis, aquæ Jordanis exscindantur, aquæ ex supero descendentes, et subsistant acervo uno. — 14. Factum itaque est, dùm discederet populus è tentoriis suis, ad transmittendum Jordanem, et sacerdotes bajuli arcæ fœderis ante populum: — 15. Dùmque pervenissent bajuli arcæ usque ad Jordanem, et pedes sacerdotum bajulorum arcæ mergerentur in extremitate aquarum (Jordanis autem inundat super totas ripas suas per omnes dies messis) ; — 16. Ut consisterent aquæ descendentes ex supero, subsisterent, inquam, acervo uno, longo admodùm tractu ab Adam urbe, exstante ad latus Sarthan. Quæ verò descendebant versùs mare planitiei, mare Salis, absumerentur, exscinderentur. Trajiciebat autem populus è regione Jerichuntis. — 17. Itaque sacerdotes bajuli arcæ fœderis Domini stabant in sicco, intra Jordanem parando, et omnes Israelitæ transibant per siccum, donec finivissent omnis gens trajicere Jordanem.

COMMENTARIUM.

Vers. 1. — Igitur Josua surrexit diluculo, etc. Ex hujus versiculi parte postremâ apparet, noctem modò unam esse transactam apud Jordanem, ante trajectionem. Nam Latinus, quod ipse sentiret, non quod esset in Hebræo, expressisse videtur. Fuit ergo, ut ego certè opinor, dies iste, nonus mensis nisan, sive primi, hoc est, illius nuper præfiniti tridui postremus, cujus dubiâ adhuc luce cùm surrexisset imperator, castra è Sittim promovit ad Jordanem, sexaginta stadiorum spatio, teste Josepho, ut postridiè, id est, finito triduo illo, populum omnem transponeret in Chananæam. Existimant quidem RR. David Kimhi, et Levi F. Gersonis, exploratores, pridiè hujus diei, hoc est, octavo die nisan, revenisse ad imperatorem, perceptaque exposuisse : et his animatum eum surrexisse postridiè benè manè; nimirùm, quia ipsa narrationis series, si capitis superioris postremos duos spectes versiculos, hunc sensum præ se ferre videtur. Verùm, ut ante est à nobis explicatum atque etiam Josephi testimonio comprobatum, nihil vetat dicere, illos ante reversos fuisse, quàm imperator per suos apparitores populum trajectionis præmoneret ad triduum; atque cum Rubenitis, Gaditis et Manassensibus seorsim, de trajiciendo unà cum fratribus ageret. Sed sunt ista prolixè à nobis disputata capite superiore.

Cur autem illud מבקר *diluculo*, interpretatus sit Latinus, de nocte, non satis intelligo. Certum est enim, בקר, lucem significare, sed primam diei; à, בקר, quærendi verbo, ut volunt Hebræi, sicut ערב, extremam, atque à vicinâ nocte caliginosam. Significat ergo illud, non noctem, sed matutinum crepusculum, ut hoc, yespertinum : quibus duobus temporibus, illo quidem domo prodeundum esse, hoc verò domum revertendum, monent veteres Hebræi in commentario Mechilta, multis ex sacrâ historiâ propositis exemplis; adduntque illud : *Et surrexit diluculo,* quia de patriarchis, prophetisque, Abrahamo, Jacobo, Mose, Josuâ, Samuele, aliis sanctis viris scriptum exstat, qui actiones suas omnes secundùm Dei voluntatem instituerunt, confici argumento à minore ad majus, reliquis mortalibus idem esse faciendum; et talium virorum exemplo suum quem-

que torporem ad virtutum officia obeunda debere discutere, præsertim qui publicæ rei procurationem habent. Sic illi. Certè mirificam illis verbis proponi nobis Josuæ vigilantiam, dubium non est; atque ostendi, magis eum actuosâ, quàm imperiosâ sollicitudine populares in officio continuisse, neque minùs exemplo, quàm jussibus imperatorem egisse. Surrexit ergo ipse diluculo, ut nemini suorum excusationem ignaviæ ullam faceret reliquam. Quippe imperator præstantissimus somno utebatur, non ad corporis voluptatem, sed ad naturæ necessitatem; cuique non parebat ipse, sed per vitæ actiones imperabat. Dispiciebat enim nocte, quæ facto opus forent cùm dies esset, suosque non mollitie, sed tolerantiâ excellebat.

Porrò illud, *Ibi pernoctârunt,* posset quidem etiam reddi, ibi manserunt. Sic enim sunt interpretati Septuag. Nam verbum לון, ferè illud est, quod Græci κατάλυσιν, dicunt; verùm quia est ubi præcisè pro pernoctare positum est, in sacris litteris et hîc unius modò noctis moram significare videntur illa quæ adduntur verba, *priùsquàm trajicerent*, volui ego pernoctandi verbo hanc sententiam repræsentare. Moneo autem ista, ut intelligat lector, Latini translationem, etsi is, de suo, tridui mentionem addiderit, non temerè, quasi absurdam prorsùs, esse repudiandam : quod quidam gloriosi ostentatores nimis libenter, et temerè facere solent, ut hebraicè scire videantur. Finitum jam quidem erat, inquit Levi Gersonis, illud triduum, incipiente istâ nocte, quæ ad diem mensis decimum cùm pertineret, præstituta videri poterat trajectioni; verùm lucem esse expectatam, inquit, monent nos ista verba : *Et ibi pernoctârunt, priusquàm trajicerent.* Cur autem in lucem dilata sit trajectio, has ferè affert causas : ut hoc tam insigne trajiciendi miraculum, ab omnibus, tam Hebræis quàm hostibus, clarè perspectum exploratumque fieret, et illis quidem religionem pietatemque majorem adversùs Deum, et reverentiam erga suum ducem Josuam; his verò pavorem vehementiorem incuteret. Tum ut vel unam noctem haberet populus ad expiandum sanctitatis cultu quodam divinum numen, pro felici trajectione, bellique auspicio. Denique ut ipsâ hâc expiatione permoti omnium animi attentiores essent ad considerandum expendendumque, quod factum ibatur, miraculum. Hæc ille. Sanè si per tenebras transpositus in Chananæam fuisset populus, præterquàm quòd nemini satis perspecta fuisset siccati fluminis ratio, et consistens aquarum incredibilis moles, illa quasi furtiva, et præ hostis metu tenebris tecta trajectio, non dubium quin plurimorum animos consternâsset. Semel autem in motu metûs posita multitudo, mirum quàm difficiliter sedetur, confirmeturque rursùs.

Vers. 2, 3. — Post finem verò tridui transibant monitores, etc. Latinus de eo triduo dici ista existimavit, quòd post mota à Sittim castra, ad ripam fluminis sit tritum : nos verò, qui putamus hîc unius modò noctis moram ad trajiciendum esse interpositam, dicimus, de illo agi triduo, cujus facta mentio est versiculo 11 superioris capitis; de quo satis prolixè disputatum à nobis illîc est, ut de verbo, שטרים, quod interpretamur *monitores.* Cæterùm narrationis ordo admodùm perturbatus, meo certè judicio, est hoc loco. Nam est verosimillimum, quæ à versu 7 ad 14 usque narrantur, ea omnia esse acta priusquàm ista edicta, quæ versiculus 3 et 4 continent, promulgarentur. Dico credibile esse, Josuam primùm à Deo certiorem esse factum de transmittendi fluminis ratione : id quod versu 7 et 8 explicatur; deinde verò ipsum, quam à Deo acceperat trajectûs rationem, eam populo patefecisse, ut memorare videntur versiculi 9, 10, 11, 12 et 13; ac tum demùm esse populo edictum, ut simul atque viderent præferri sibi arcam, sequerentur, ut habet versiculus 3 et 4. Moxque jussos esse sacerdotes, sublatâ arcâ, præire populo, quod versiculus 6 narrat. Atque deinceps eam succedere narrationem, quæ vers. 14 inchoatur. Nam versiculum 5, non ad hunc decimum diem mensis nisan, quo trajicitur in Chananæam, sed ad nonum, hoc est, hesternum, pertinere, ipsis sacris verbis explicata res est. Si quis tamen contendat, neque sacerdotibus præituris, neque subsecuturo populo, imò verò ne imperatori quidem ipsi, nisi tum demùm, ubi omnes ad trajiciendum in procinctu constitissent, patefactum à Deo esse inusitatum illum, quo transituri essent, modum, sed expectatione mirandi eventûs, in tantâ omnium rerum non difficultate modò, sed planâ desperatione; si res humanas spectes, suspensos omnium simul animos, solâ Dei fiduciâ sese sustentâsse, et promissis, equidem non repugnabo; sed vehementer laudabo præclaram fidei constantiam in populo, præut fuerat majorum ejus mira, atque adeò detestabilis diffidentia, sub Mose. Eam enim fidem esse sanctissimam, quæ prodigiosissima est quæque verbis Dei habetur,

iis, quæ quod prorsùs fieri non posse videtur, id tamen aut fieri, aut fore posse dicunt, et ipsa nostra salus Jesus Christus docuit, cùm ambiguam Thomæ fidem castigaret; et D. Paulus, ut memorabile illud Abrahæ, aliorumque sanctissimorum hominum exempla omittam. Atque utinam hoc nostro seculo nulli infinitam Dei potentiam cum eo quod ipsis sua dictat humana ratiocinatio, contenderent; neque nimiò plus quàm oportuit curiosè inquirerent, quî fieri possint ea, quæ ipse Dei Filius fieri disertè atque explicatè pronuntiavit; imò verò sceleratâ audaciâ, fieri ea posse negarent. Sed revocetur oratio ad sacra verba, unde hùc declinavit, arcam vocari fœderis certum est, à lapideis duobus tabulis Dei digito scriptis, quæ fœdus, quo sibi ille populum apud montem Sinæum obligârat, continebant: eæ enim tabulæ in illâ capsâ servabantur.

Et quia hoc fœdus interdùm appellatur testimonium, hoc est, עדות, quippe quòd testificationem voluntatis divinæ sempiternam contineat; ipsa etiam arca, testimonii arca est nominata sæpè. Cæterùm epitheta illa, *Domini Dei vestri,* ideò adjecta sunt, ut venerationem arca majorem habeat apud populum, eòque lubentiùs is illam sequatur. Est enim ac si Deum ipsum præsentem, viamque aperientem ostendant; quippe ille ex hoc suo sacrario tam perspicuè suam sæpè præsentiam Israelitis declarare solebat, ut viri sanctissimi ipsam capsam, quasi Deum, affari non dubitaverint, sicut Moses, cùm nunc promovendam alloquitur his verbis: *Surge, Jehova,* hoc est, *Domine Deus, et dispergantur hostes tui*, nunc reponendam istis: *Revertere, Jehova, ad myriadas millium Israelis.* Sicut David, cum piis votis optans illam aliquando in sacram aliquam ædem inferri, nominat regem gloriosum, Deum fortem, Deum validum, Deum Sabaoth. Non illi quidem, quasi à simulacrorum cultu non essent alienissimi. Ne eos quoque tanti criminis insimulent nostri εἰκονόκλασται, sed ut præsentissimum Dei numen significarent apud arcam esse, eâque re populi animis religionem offerrent majorem, qui cùm Deum in solo versari cœlo facilè statuit, ibique tanquàm otiosum obambulare, nec per tantum intervallum, et quasi ex caligine, ut ait Job, judicare res humanas, aut etiam cernere; neque ullam ad illum pietatem adhibet. Neque aliquâ regione à quovis scelere atque maleficio impeditur. Sed cur ad capsam illam voluerit Deus à superiore illâ Ecclesiâ præstò semper esse existimari magis, quàm aliis in locis quibusvis, non obscuræ sunt rationes. Primùm enim volebat ipse fœderis à se scripti custos videri, quod in illâ servabatur. Magnam enim auctoritatem et pondus id ei legi adjungebat, cujus observationi perpetuam Israelitas dare operam jusserat. Ad hoc, cùm mirifica semper esset Hebræorum propensio ad idolorum cultum, more cæterarum nationum, instituit ille hoc veluti sanctum illis fanum, apud quod externo, ut vocant, cultu religionem exercerent, et divinam potentiam præsentissimam experirentur; unde est illud Mosis: *Quæ enim gens ulla magna est, quæ habeat deos sibi tam præsentes, quàm est Dominus Deus noster* (*nobis*) *quoties ipsum invocamus?* Itaque hâc veluti sacrâ suâ æde populum electum prorsùs à gentium cæterarum omnium multifariæ et nefariæ religionis communione secrevit, avertitque, et simul ut ne ipse inter se diversis colendi Dei ritibus scinderetur, sed uniter eamdem religionem retineret coleretque, effecit, cùm ad hoc unicum sacrarium, è quo solo, tanquàm suo operto, responsa dare, et potentiæ suæ signa potissimùm patefacere volebat, omnium spem bonam, quasi affixam, retineret: non quidem tanquàm arca ipsa aut beneficii, aut damni dandi facultate polleret, aut per se venerationem illam ipsa haberet, cùm ex quâ esset composita materie testatum consignatumque ante sacris litteris esset; sed ut se Deum, tanquàm qui inibi præstò semper esset, illîc præcipuè adirent; illîc cultus, honores, preces ipsi ritè adhiberent. Habet enim profectò mortalium animus, tantisper dùm hoc terrenum corpus ei cœlestium rerum veluti caliginem offundit, opus illiuscemodi aspectabilibus adminiculis, et cæremoniis externi, ut appellant, cultûs, quibus subinde admonitus, atque etiam adjutus, se et faciliùs, et studio majore in cœlum vertat; atque vel ipsâ permotus pompâ, Dei verbum, et sacramenta majore cum reverentiâ observet, penitùsque in eâ suam aciem intendat. Denique, quia in priore illâ mosaicâ Ecclesiâ, quæ agebantur, pleraque omnia typi erant; eaque adumbrabant, quæ in hâc christianâ sunt deinde reipsâ expressa; ideò benignissimus Deus suæ divinitatis præsentiam luculentissimam in illâ voluit patefacere capsâ, ut eâ re nobis personam unigeniti filii sui Jesu Christi, quam culturi essemus novâ lege, quadamtenùs repræsentaret. In hâc enim habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ut ait divus Paulus. Hæc de arcâ

eò sum persecutus hoc loco longiùs, quia crebra ejus erit mentio. Cæterùm accuratissimam ejus fabricationem explicavit Moses in Exodo, unde peti facilè potest.

Quod sequitur in ordine sacrorum verborum : *Et sacerdotes Levitas,* ut Septuag., ita et Chaldæus copulâ interpositâ legit, *et sacerdotes, et Levitas;* verùm haud rectè, ni fallor. Hærent enim inter se illa nomina, eâ verborum compositione, quam grammatici appositionem vocant, rectèque expressit sententiam Latinus, cùm diceret : *Sacerdotes stirpis leviticæ.* Erant quidem sacerdotes nulli, nisi Levitæ : verùm quadragies quinquies modò in sacrâ Scripturâ hoc adjectivo esse appellatos sacerdotes observatum est in libro, quem Genesin magnam vocari diximus. Fuerat quidem Cahatitis hoc munus assignatum, ut arcam bajularent ; ii verò non erant sacerdotes, sed Levitæ solùm. Verùm propter miraculi magnificentiam et pompam quod factum ibatur, non Cahatitis, sed Aaronitis, hoc est, sacerdotibus, hoc jam onus imponitur, quod ter omninò esse diversis locis temporibusque factum, annotârunt Talmudici in Suta, dùm de uxore ad alienum virum divertente disceptant : hîc, et in oppugnandâ Jerichunte, et in reportandâ à Davide, Absalonem fugiente, in urbem arcâ ; sed R. David Kimhi quartum addit, quando in exædificatam, et jam dedicandam ædem Salomonis illa inferebatur è civitate Davidis. Illud porrò, *Sequimini ipsam,* non satis consideratè Latinus videtur interpretatus esse, *Sequimini precedentes.* Non enim sacerdotes, sed arcam sequi jubetur populus, nimirùm quæ, ut dixi, Christum adumbrabat. Quanquàm enim sacerdotes sint administri verbi, et sacrorum Dei mysteriorum interpretes, tamen haudquaquàm in illos ipsos, sed in munus quod sustinent, est nobis intendendus animus. Cæterùm Talmudici, quo nuper dicebam loco, observârunt etiam, longè diversum in promovendo exercitu ordinem nunc, atque ante, institui. Nam adhuc, vivo certè Mose, columna nubis de die, ignis de nocte itineris duces fuêre populo : arca verò mediam occupavit aciem, in locum recepta tutissimum. At nunc, imperante Josuâ, hæc, nube remotâ, omnibus præit ; nempe non jam oberrantibus per invium, senticosum, inhospitale desertum, sed rectà se in promissam patriam inferentibus. Postquàm enim populus Dei, ut paucis eam, quæ se ipsa offert, ἀναγωγήν explicem, diù multùmque in horridâ duris præceptis lege mosaicâ oberrâsset, neque ad caliginosum et fumo multo mixtum illud nubis lumen, quod sacri vates subinde præferebant, satis certam salutis viam, quâ in cœlestem patriam evaderet, invenire potuisse : tandem vera illa arca Jehovæ, hoc est, Jesus Christus, et homo, et Deus, discussâ caligine, populum suum ipse ducere, atque iter certissimum per baptismi sacri Jordanem non solùm commonstrare, sed facere dignatus est. Meminerimus igitur, hanc nos quoque arcam perpetuis animi nostri oculis observare, et vitæ actione, quoad certè possumus, sequi debere. Neque fas esse, ut aliò spectemus, aut alia ad beatissimam illam terram compendia, vel alios duces, quæramus. Nam simul atque illa nostræ mentis obtutum non ampliùs rexerit, in summâ viæ vitæ ignoratione ut versemur necesse est, verendumque ne mox rapidis aquarum vorticibus, hoc est, hujus mundi procellis implicati, prono cursu in mare Mortuum deferamur. Sed ista hactenùs. Mandatur ergo, in summâ, hoc versiculo, ut populus omnis, cùm viderit arcam à sacerdotibus, è mediis castris, ubi quiescebat, auferri, atque gestari ad flumen versùs, relictis illicò tuguriis, se quisque ad iter comparet, illamque suo ordine locoque sequatur ; nemo verò præcedat, ut ante fieri solebat per desertum, cùm divisæ tribus, aliæ præire, subsequi aliæ jussæ essent, ut scriptum est in Numeris.

Vers. 4. — Sed esto intervallum inter vos, et inter illam, etc. Unica erat populo illi hebræo transeundi in terram promissam ratio, si eam tenerent viam, quam sacra arca ostendisset, quamque ipsa illis aperuisset, et præivisset. Nobis quoque una sola ratio constat in cœlestem patriam nostram evadendi, si arcæ nostræ Jesu Christi, in quo habitat absoluta divinitas corporaliter, ut ait Paulus, insistamus. Frustrà illi, nec sine certo suo exitio, vel propriâ natandi peritiâ, vel portitoris alicujus operâ freti, transmittere flumen fuissent conati. Frustra nos, et perniciosè, vel nostræ, vel aliorum hominum justitiæ plus quàm oportuit confidentes, neque unius Christi justitiæ omni fiduciâ pertinaciter inhærentes, hujus vitæ undis superatis, in beatam illam viventium terram evadere studebimus. Illos imperatoris edictum longo intervallo à præeunte arcâ sejungebat ; nos nostræ carnis infirmitas multò longiùs abesse à Christi vestigiis, quæ sequimur, facit. Sed ista hactenùs.

Ad sacra verba quod attinet, videtur hoc præscripsisse imperator duorum circiter mil-

lium cubitorum intervallum, ut ne quis se in fluminis alveum inferret, priusquàm arca ad ripam usque adversam, per medium fluvium, translata, vadum universum, quà futurus erat transitus, exsiccâsset, iterque patefactum oculis omnium subjecisset, ne quis temerè aliâ contenderet: hoc enim, præterquàm quòd omnium animos à viæ rectæ liberabat errore, ipsis etiam miraculum istud maximum, quod omnibus fiduciam certissimam de præsentiâ, atque potentiâ Dei afferre debebat, evidentius, perspicuumque magis faciebat, cùm ante oculos aquas superiores incredibili mole pedetentim suspendi, quatenùs sacerdotum humeris portata progrediebatur in alveo arca; inferiores verò continuò delabi, vadumque siccum relinquere, viderent, priusquàm aliorum hominum quisquam aut pedem intulisset, aut machinam ullam admovisset. Nam circiter duorum millium cubitorum spatio patuisse tunc redundantis fluminis latitudinem, bona conjectura, etiam ex eorum hominum relatione, qui nostro seculo illa loca videre, potest capi. Cæterùm de eo agi intervallo potissimùm, quo arca in ipso alveo eos præcessisse debebat, qui ex ordine proximi subsequebantur, est à R. Davide Kimhi rectè annotatum, atque ipsa quoque dictat castrorum ratio, quæ in fluminis jam ripâ facta cùm essent, arcam non nisi trans flumen sequi potuerunt. Sed enim, non fuerit fortassè insulsum planè atque ineptum, dicere, circiter bis mille cubita, quæ præstituuntur à Josuâ, adumbrare annos circiter bis mille, quorum intervallo ille tum populus à verâ divinitatis arcâ Jesu Christo aberat. Sed ad institutum. Litteram *caph*, in verbo, כאלפים, nos *circiter* sumus interpretati. Septuag. et Latinus, quasi certam definiat mensuram, accepisse videntur; sed illa ejus magis propria notio est, et probabile est, non tam definitè spatium illud præscribi potuisse, quod oculorum modò conjecturâ, non cubitis erat metiendum. Cæterùm illud כמדה, *in mensurâ*, videntur et Septuag., et Latinus, ut supervacaneum, præteriisse, nisi illos ejus loco legisse putemus, עמדו, cùm reddant, στήσεσθε, quanquàm fieri certè potest, ut hoc de suo addiderint, ut sæpè alia solent, rerum explicandarum gratiâ.

Equidem facere non possum, ut hîc non prodam veterum Hebræorum commentationem, quam ipsis injecit demonstrationis pronomen, in verbo, בינו, per vocalem eam, quæ pluralis est numeri, scriptum. Quod enim nos convertimus, *inter illam*, si pronominis vocalem inspicias, dicendum erit, inter illas. Commentati sunt igitur illi, duas fuisse arcas, unà incedentes: alteram divinitatis, alteram Josephi. Equidem putarem Josephi arcam hîc vocari ab eis, loculos, quibus condita Josephi ossa ex Ægypto asportabantur in Chananæam, ut in sacræ istius historiæ extremo dicetur. Verùm quia non solùm stultitia, sed etiam impietas fuerit, eos loculos, ex æquo cum Dei sacrario, hoc est, divinitatis arcâ, ut illi appellant, incedentes facere, suspicor commentum hoc illi geminum planè esse, quo duos Messias fecêre; Davidis filium victoriosum alterum, alterum Josephi, occidendum ab hoste. Nimirùm vel imprudentes ex sacris litteris docti, Messiam et Deum, et hominem fore: diximus enim, sacram arcam, Christi prorsùs typum fuisse. Eum autem Josephi esse filium existimabant Judæi. Cæterùm vetus traditio, quam מסרת appellant, bis omninò in universâ Scripturâ sacrâ, verbum hoc בינו, litteris quidem quæ numerum singularem, sed vocalibus quæ pluralem præ se ferunt, esse scriptum, prodidit: id quod in aliis quoque verbis sæpè factum in sacrâ historiâ videmus, cùm de Deo agitur, ut apud Oseam 12: *Et contumeliam ipsius reddet ipsi Domini sui*, pro *Dominus suus*. Ut apud Isaiam: *Sic ait Jehova effectores tui*, pro *effector tuus*. Ut apud eumdem: *Quia heri tui factores tui*, pro *herus tuus factor tuus*. Sed sunt hujusmodi tam multa, ut supervacaneum sit omnia persequi. Quæ ego haud temerè sic esse scripta arbitror, quando nullus apex frustra positus est in divinis litteris; sed partim ad sacrosanctam Trinitatem, alia ad duplicem Christi naturam spectare. Sequitur in ordine verborum: *Ut sciatis viam eam, quà estis ituri.* Nimirùm longo promissæ terræ desiderio incensi omnes et incitati, studio admirabili alius alium antevertere conati fuissent, ægrèque passi sacerdotes decoro incessu cum arcâ præcedere. Nunc autem patefactam ante viam, et perspicuè videre, et ex ordine tenere omnes potuerunt. Illud porrò, *Ab heri et nudius tertius*, idem est ac si dicas, *pridem*, aut *nuper*. Chaldæus plerùmque convertit, *ad heri et ante*. Planè nimirùm est græco illi homerico geminum, χθισάτε καὶ πρώιζα, quo vates utitur de plurium etiam annorum tempore cùm ait: Χθισάτε καὶ πρώιζ' ὅτ' ἐς Αὐλιδα νῆες Ἀχαιῶν Ἠγερέθοντο; jam tum enim novem circiter annos circumsederant Trojam Græci, cùm ea verba faceret Ulysses. Et nescio an non alludant ista nostra verba, ad illud iter, quod per exsiccatum mare Rubrum fecerant Israe-

litæ, ante annos quadraginta, q. d. : Neque enim per exsiccata divinitùs aquarum vada nuper ambulâstis. Multi enim etiamnum superstites erant, qui mare illud transierant. Nam pernicies illa, et labes ex rebellio nata, ad eos non pertinuit qui minores annis viginti erant; neque, ut multorum est opinio, ad Levitas.

Vers. 5. — Dixerat autem Josua ad populum : Expiate vos, etc. Monebamus nuper, ista ad diem nonum mensis nisan pertinere, quo die populum imperator, motis castris è Sittim, ad Jordanem duxerat. Ideòque reddidi verbum per præteritum, ut vocant, plus quàm perfectum. Memorantur autem ista hoc loco, ut intelligamus ad hanc trajectionem Israelitas purè, castè, religiosè processisse. Nam, ut hoc admirandum Dei opus interrupti fluminis apud eos eorumque posteros in perpetuum justam haberet et reverentiam, et celebritatem, necesse erat illius modi expiatione, atque apparatione sanctimoniæ, omnium animos ad religiosam mirationem ante informari. Admiratio enim quò est vehementior, eò majora diuturnioraque rerum, quas admiramur, vestigia animis nostris imprimit. Nam quæ res simpliciter et usitatè, ac minimè insignitè fiunt, gerunturque ita, ut in ipsis mens nullâ cogitatione insistat, aut moretur, earum rerum aut nullam retinemus memoriam, aut certè non diuturnam. Pridiè igitur quàm trajiciendum esset, edixerat imperator, ut quisque per sanctitatis exercitium sese expiaret, quia Deus esset postridiè facturus rem admirabilem. Nimirùm ut dùm animos suos variis cogitationibus inusitatæ trajectionis, quam expectabant, pertrectarent, ipsos quàm maximè acuerent, atque intentissimos efficerent, ad Dei machinationem percipiendam, et perceptam æternâ deinde memoriâ conservandam. Præterea, ut eâ novi et insignis miraculi sollicitâ expectatione, et meditatione mentes ipsorum majore adversùs Deum religione tangerentur, dùm secum ipsi reputarent illius immensam et insuperabilem potentiam facultatemque suos juvandi, vindicandique, et omninò mortalium res omnes divino suo imperio moderandi. Talium enim rerum persuasio, fidei species est, quæ animos hominum, ut sic dicam, sanctificat, comparatque, ut in ipsos charitas Dei per Spiritum sanctum infundatur, atque inde bonis operibus fœcundi fiant illi, et Dei sociorumque suorum amantes. Quapropter neque inepta est Chaldæi sententia, qui, ut alibi, ita hîc, verbum, התקדשו, interpretatus est : *Comparate vos, nimirùm ad trajectionem, per operum et potentiæ Dei piam religiosamque meditationem.* Atque hæ, ut ego certè existimo, sunt causæ, cur dùm magni quippiam et inusitati patratum aut à Deo, aut coram Deo, itur, sanctitas atque expiatio ferè edicatur populo, quibus hæc vel præcipua rectè addatur. Cùm ipsa nos nostra vitiosa natura quotidiè peccatis sordidet, admonendi sumus, ut culpas nostras vitæ sanctimoniâ expiemus, præsertim quoties rebus divinis danda nobis opera est. Earum enim capax animus, nisi purus sanctusque esse non potest.

Loquitur quidem lex vetus, ut videtur, de corporis castimoniâ modò. Sed hoc intelligi oportet, cùm multùm animus corpori præstet, observeturque ut casto corpore ad Deum adeatur, multò esse in animis id servandum magis. Nam corporis labes vel aspersione aquæ, vel tempore tollitur, animi verò nec diuturnitate vanescit, nec manibus elui potest. Cæterùm istas expiationes, aut, ut vocant, sanctificationes, credibile est iis modis fieri consuevisse, qui in Exodo præscribebantur, cùm legem suam promulgatum iret è monte Sinæo Deus, hoc est, vestis lotione, et secubitu. Nam in sacræ aquæ aspersione, qui ritus alibi sancitus est, certo dierum spatio est opus : hîc autem una sola nox interponi ad trajiciendum potuit. Vestis autem lotio, ea procul dubio, apertè satis significabat universum animi habitum et cultum debere purum esse, ejus qui coram Deo vellet apparere. Secubitus verò, res sacras et divinas esse ejusmodi, ut totum sibi hominis animum mancipatum, atque in se defixum esse postulent. Sunt quidem qui Chaldæi, quam dixi, translationem, non ad religionem spectare putent, sed ad vasorum collectionem, ut trajecturi parata expeditaque omnia habeant; atqui hunc sensum apertè refellit, quæ subjungitur expiationis causa : nempe rei gerendæ magnitudo et admirabilitas, non autem ipsa trajectio. Porrò an ista ad populum, cùm promulgaret imperator, simul admirabilem illum futuræ trajectionis modum ipsis significârit, aut etiam ipse noverit, non satis certa res est. Nos autem supra nonnihil de illo disseruimus, et plura dicendi locus erit ad versiculum 7.

Vers. 6. — Ait itaque Josua ad sacerdotes dicens : Tollite arcam, etc. Diximus nuper, videri nobis hunc versiculum hærere versiculo 4, narrationis filo. Nempe cùm monitus esset populus arcam observare, quam essent prælaturi sacerdotes, tum hi jussi sunt eam tollere,

populoque præire. Hanc ergo narrationis consequentiam ut aliquâ ratione declararem, reddidi copulam, per causalem voculam, *itaque*. Cæterùm populo præire se debere, monendi ideò erant sacerdotes, quòd adhuc in medio agmine processerint. Consuetus enim ordo, ut dixi, jam mutatur, cùm, nisi Deo præeunte, qui solus hanc viam potest mortalibus aperire, nemo omnium in beatam illam terram penetrare possit. Sed enim magnam profectò et admirabilem fuisse sacerdotum fidem, quam Deo habebant, necesse est, qui nihil cunctantes, aut tergiversantes, Dei potentiâ et promissis freti, intrepidè se ad vastum, plenissimoque alveo redundantem fluvium conferunt cum arcâ, pedesque in aquas inferunt, quæ tum demùm cedere cœperunt, cùm essent calcatæ. Sed de his mox plura.

Illud, *et præcedebant populum*, sic est accipiendum, quòd arcam è mediis castris protulerint ad Jordanis ripam, aquasque primi pedibus attigerint, et transmiserint alveum. Neque enim potuit ab illis duci populus versùs flumen, cùm castra pridiè ad ipsum flumen posita fuisse, supra dictum sit.

Sed non levis quæstio, neque ab his temporibus aliena, moveri hoc loco potest: quo jure Josua, cùm sacerdos non esset, sed populi imperator, sacerdotibus imperaverit, ut arcam populo præferrent, ut in Jordane insisterent, ut ex alveo in terram denique ascenderent. Contra enim, ritus isti sacri à sacerdotibus institui debuisse videntur. Et, cùm horum tantò præcellentior sit dignitas imperatoris dignitate, quantò præstantius est munus divinarum rerum, quàm humanarum procuratio functioque, eorum ipsum jussa expectare et capessere, non illis jubere æquum fuisse, meritò existimet aliquis. Sed nos ista longiùs persequi, quàm præsentis loci ratio postulat, non constituimus; tum quia ab illiusmodi argumentis prolixè tractandis abstinere semel nobis est decretum, tum quòd nostræ non esse mediocritatis agnoscimus, ut in talibus concertationum plenissimis disputationibus judices in partem alterutram sedeamus. Igitur quod ad præsens Josuæ in sacerdotes imperium attinet, aperta res est, non tam Josuæ id esse, quàm ipsius Dei, cujus diserta jussa, ut versiculus 8 patefaciet, ille hîc exsequitur. Nefas enim profectò alioqui fuisset, eam, quæ ante à Deo fuerat portandæ arcæ præscripta ratio, ipsum suâ auctoritate mutare, aut etiam in eâ cæremoniâ, cujus nullum erat ad rempublicam rectè gerendam, quam ille habebat procurationem, momentum, quippiam sacerdotibus præscribere, quod non esset expresso Dei verbo, aut sacrosanctæ Ecclesiæ bono usui consentaneum. At verò, si sacerdotes, vel sacris legibus, vel usu sancitum approbatumque colendi Dei ritum, et sacra, aut negligenter, aut non ritè conficiant, aut etiam violent, aut denique improbis actionibus reipublicæ statum conturbent, lædantve, non alienum esse à profani principis munere, ipsos sui officii admonere, atque etiam si opus sit, ab eo quod improbè faciunt, suo imperio refrenare, videtur sacrarum litterarum testimonio atque exemplis confici posse. Cæteroqui utros alteris præmonstratores velit esse, luculenter testatum reliquit Deus, cùm et imperatori Josuæ, et universæ Israelitarum multitudini, tanquàm loquentem legem daret pontificis Eleazaris os, à quo in omnibus suis illi penderent actionibus. Quanquàm non est, quòd ob id sese nimiùm jactent pontifices, cùm ea modò Eleazarus illis præscribere debuerit, quæ ipse, consulto Dei oraculo, fieri oportere percepisset: hoc est, quæ, ut sanctissimus interpres verbi atque consilii divini, intellexisset, ad conservandam religionem, pietatemque colendam, atque ad felicem reip. statum, communemque Ecclesiæ salutem necessaria esse, non autem quæ ipsi sua animi affectatio dictavisset. Cæterùm quantâ amplissimæ dignitatis auctoritatisque moderatione usus sit imperator Josua, quàmque se nihil in tantâ potestate extulerit, vel inde conjicias, quòd etsi disertissimis explicatissimisque Dei oraculis proditum esset, ipsum esse ducturum Israelitas in terram illam optatissimam, in eâque re summâ, et immortalis gloria esse posita videretur, tamen ille nusquàm antecessionis honorem captâsse memoretur, sed ut unus è multis sacram arcam subsecutus sit. Quis ergo possit existimare, illum in Dei sacerdotes imperium arrogantiùs exercuisse?

Vers. 7. — Porro Dominus dixerat ad Josuam: Hoc ipso die incipiam te, etc. Hæc Dei ad imperatorem verba esse die decimo facta, nemo dubitaverit, qui modò versiculum 14 sequentis capitis cum his contulerit. Nondùm tamen vel populus prælatam arcam observare, vel sacerdotes eam populo præferre jussi fuerant. Cæterùm ista honoris dignitatisque amplitudo, haudquaquàm Josuæ ambitionis fructus esse est existimanda. Fuit enim ille vir omnium modestissimus, ut neque Pauli servie-

bat ambitioni curatio pedum Lystrii hominis, etsi divinos illi honores pareret. Sed ut quæ mox subjicitur causa, et quæ explicatiùs etiam versu 14 scripta habetur, patefacit, pertinent ista ad parentium obedientiam, atque obsequium : sine quo obsequio nihil efficere potest vel maxima cujusquam imperatoris virtus, et industria ; verissimè enim apud Xenophontem Chrysantas dixit, τὸ πειθαρχεῖν μέγιστον εἶναι ἀγαθὸν εἰς τὸ καταπράττειν τ' ἀγαθά, καὶ εἰς τὸ διασώζειν, hoc est, nihil esse præstantius ad res magnas aut patrandas, aut conservandas, subjectorum obedientiâ atque observantiâ. Nihil autem est quod homines efficiat suis principibus obsequentiores, quàm si ipsos intelligant se esse meliores, atque ad ea prospicienda, procurandaque, quæ sint salutaria, prudentiores. Quomodò autem ille imperator non omnium optimus atque prudentissimus existimetur, cui Deus in rebus omnibus præstò adesse perspicuè cernitur ? Eò igitur spectat ista amplificatio, ut comparetur imperatori præclara, et sancta apud suos cives existimatio. Quippe quem intelligant, à Deo veluti in sinu gestari, et continuò alio atque alio dignitatis suæ fructu cumulari ; bona verò existimatio reverentiam obsequiumque pariat. Etenim similiter Deus, quos novâ lege latâ, populi sui magistros ad Evangelii doctrinam propagandam esse voluit, eis optimam existimationem per varia miracula conciliavit : et per ostenta declaravit, muneris, cui illos præposuisset, veritatem atque constantiam, ut in Actis Apostolorum est perscriptum. Et cùm unigenæ filii sui mandata et imperium nobis quàm commendatissima efficere vellet, tum Spiritu sancto corporatâ specie demisso, tum cœlesti voce testificabatur, eum esse filium suum charissimum, quo mirificè delectaretur. Nimirùm admirabili bonitatis, atque amoris abundantiâ benignissimus Pater noster Deus gratuita sua beneficia, ut nobis fructuosa sint, talibus modis efficere conatur. Cæterùm loqui videtur hîc Deus de exsiccando redundantis fluminis alveo, quasi in gratiam imperatoris id faciat. Planè enim eâdem ratione Mosen ante amplificaverat, populi ducem nuper factum, exsiccato maris Rubri sinu. Quanquàm libenter opinor, arcano etiam modo illum à Deo in populi oculis angustiorem esse redditum, similiter atque Homerus suum Ulyssem fingit, à propitiâ Pallade, formosâ et illustri, ac propè divinâ specie subinde esse informatum ; qui etiam reges alios quodam majestatis splendore à divino numine decorari existimat, cùm sic scribit : σκηπτοῦχος ἔασιλεὺς ᾧ τε Ζεὺς κῦδος ἔδωκεν. Nam et suos sic sacerdotes se despicatos apud populum reddere velle ait Deus apud Malachiam, cùm minatur, se stercore festorum conspersurum facies ipsorum. Hoc enim profectò occultam aliquam efficiendi contemptûs rationem significat. Fuerat quidem Josua pridem, atque etiamnùm vivo Mose, magnis honoribus divinisque donis auctus à Deo, ut cùm simul cum Mose propalàm è nube tabernaculo circumfusâ ipsum alloqueretur, cùm Moses hujus jussu ipsum manu impositâ consecraret, suæ gloriæ participem faceret, spiritu sapientiæ imbueret. Verùm si ipsam imperii functionem spectes, jam nunc primùm admirabilis illius transvectionis gloria cohonestatur à Deo. Quare illud rectè dictum est : *Incipiam te magnum facere.* Posthàc enim non solùm sapientiæ, atque amicitiæ Dei gloriâ, verùm aliis atque aliis imperii, et amplitudinis suæ fructibus continuò amplificatus ab illo, florebit. Porrò illud, *ut sciam me tecum esse* interpretatur Chaldæus : *Ut sciant sicut verbum meum fuit auxilio Mosi, ita verbum meum esse, auxilio tibi.* Cujus interpretationis explicata à nobis supra est ratio.

Vers. 8. — Tu verò imperato sacerdotibus bajulis arcæ fœderis, etc. Audivimus versu 6 Josuam sacerdotibus imperantem, ut arcam præferrent populo : jam igitur, ut intelligamus, eum id, non ostentatione imperii gloriosâ, sed magnâ ratione fecisse, explicatur, quâ auctoritate, quâque fiduciâ eis illud imperaverit. Est autem existimandum, plenè hîc Deum edocuisse rem omnem, ut esset agenda. Nam de 12 saxis, quæ ex Jordanis alveo sumi, et ad Galgala ferri voluit, mandata eum dedisse imperatori, patefaciet versiculus 8 proximi capitis; cujus tamen rei nulla apparet usquàm mentio. Ad hoc, ipse imperator, inter Dei verba, quæ mox populo referet, trajectionis modum omnem explicabit. Non igitur hoc loco verba Dei quæ ad imperatorem fecit, plenè perscripta sunt, sed ea modò particula, quæ præ cæteris necessaria videbatur, ut ex quâ constaret, imperatorem haudquaquàm suâ, sed Dei auctoritate jussuque sacerdotibus sacræ cæremoniæ modum præscripsisse ; cætera verò, quæ ad narrationis filum contexendum pertinent, ea hinc inde colligi facilè possunt. Quæ narrandi ratio sæpè sanè in utriusque Testamenti libris est servata. Porrò de extremitate Jordanis, quod ait, sic puto esse accipiendum, ac si dicat : Ubi ad ripam usque ad-

versam pertigeritis, emensi totam fluminis latitudinem, tum in alveo insistite, neque evadite in continentem, usque eò, dùm jussero. Nam eâ arcæ morâ cohibendus erat aquarum cursus, et suspendendus, tantisper, dùm omnes trajicerent : קצה enim et extremitatem sive oram significat, et partem. Sed de his mox plura. Septuag. pro ואתה, *et tu*, legerunt, ועתה *et nunc*. Ain pro Aleph.

Vers. 9. — Dixeratque Josua ad filios Israel : Accedite horsum, etc. Edoctus à Deo imperator, ut superiore versiculo vidimus, omnem rationem transponendæ multitudinis in Chananæam, è vestigio eam patefaciebat populo, atque sacerdotibus. Hactenùs enim satis explorata fuerat et probata Deo omnium fidei constans modestia, quâ, etsi ab rebus omnibus ad trajiciendum essent imparatissimi, tamen neque de Dei promissis atque potentiâ desperaverant, neque in ejus consilium curiosè inquisiverant, sed imperatorem suum usque ad fluminis ripam obedienter secuti, adhuc expectaverant religiosè, quo tandem modo immensa Dei potestas multitudinem tam numerosam, et cujus, ut est credibile, pars longè maxima erat infirma puerorum et feminarum turba, trans rapidum et turbidum flumen, qualia sunt quæ novis undequàque aucta aquis redundant, in terram hostilem esset portatura. Sunt igitur ista cum versiculo secundo sic aptanda, ut cùm ipsa pro concione ab imperatore exposita essent, monitores deinde per media castra edixerint illa : *Cùm videritis arcam*, et quæ sequuntur in tertio quartoque versiculo. Neque enim unius hominis ulla vocis contentio tanta esse potuit, quæ per amplissimam multitudinem ab omnibus exaudiretur. Nam ad concionem quod attinet, cujus hoc versu mentio est, probabile est, permissum quidem fuisse cuivis interesse, verùm solos senatores, et insuper ex unâquâque tribu delectos à tribulibus viros quosdam primarios esse citatos, de quâ re infra, 7, 14. Cæterùm illud *horsùm*, sive hùc, locum ostendit, opinor, in quo sacra arca stabat posita in medio agmine. Erat enim solemne, cœtus ad tabernaculum convocare, ut nihil, nisi Deo veluti spectante et conscio, agi cùm populo existimaretur. Et sanè qui in sacris concionibus verba vel faciunt, vel audiunt, deberent non minore id religione agere utrique, quàm si præsentem, animosque ipsorum penitùs perspicientem Deum oculis cernerent. Quod autem dicit imperator : *Verba Domini Dei vestri*, tum attentam cupidamque facit audientiam, tum fidem conciliat iis quæ dicturus est, ab auctoritate simul, et potentiâ, benignitateque personæ Dei. Nam si sunt verba *Domini*, hoc est, Jehovæ, et summi numinis, non possunt non esse et certissima, et de rebus auditu dignissimis. Si autem *Dei vestri*, hoc est, qui vos sibi peculiarem populum delegit adoptavitque, et qui vestrî curam semper, ut benignissimus pater filiorum suorum, gessit maximam, quique, utpote Deus, facilè quod vobis commodum atque utile sit, præstare queat, fieri non potest, quin sint, in hâc omnium rerum summâ difficultate, vestrâque tantâ sollicitudine, omnis consolationis plenissima, et planè rebus vestris peropportuna. Cæterùm, quòd ea quæ divino afflatu intellexit, aut ex sacro edita oraculo percepit, tam planè Deo, ut debet, adscribit; non autem quasi profecta ex sui animi perspicacitate atque prudentiâ, jactat, id animi ejus in summâ potestate moderationem singulariter commendat, nobisque exemplo esse debet, ne propter abundantiorem Dei adversùs nos benignitatem, nosmet efferamus, aliisque præferamus, sed candidè, quidquid est, quo cæteros mortales excellimus, illi acceptum referamus, nostræ laudi non assumamus.

Vers. 10. — Per hoc cognoscetis, quòd vivat Deus fortis in medio vestri, etc. Jam his quatuor deinceps versiculis exponit Josua Dei consilium in transponendo populo, quod ab illo perceperat; sed capita duntaxat narrationis commemorata sunt sacris verbis, ut nuper quoque factum ostendimus. Pronomen *hoc* demonstrat id, quod parcè versibus 11 et 13 indicatur miraculum, q. d. : Ex hoc tam admirabili ostento, quo vestrâ causâ modò Deus ipsam rerum naturam, cæteroqui perpetuam, fixam, stabilem, commutabit, intelligere potestis perspicuè, ipsum omnipotentem vobis præstò adesse, et cum quidem vivum, hoc est, non otiosum, et veluti lentum, languidum, segnem, nihilque magnoperè curantem, sed planè vegetum, acrem, intentum in omnium earum rerum procurationem, quæ vobis utiles sint et commodæ, atque ad ea omnia præstanda conficiendaque, quæ vobis antehàc sæpè est pollicitus, ut jam nulla dubitatio hæsitatione in vestris animis reliqua esse debeat, quin sit profligaturus ante vos eas gentes, quarum ditionem occupatum nunc pergitis. Cùm enim divinorum miraculorum omnium, præsertim insignium et inusitatorum, ea sit vis atque efficacitas, sicut et scopus quoque, ut mentibus

hominum religionem afferant majorem, istud autem miraculum et maximum fuerit, atque admirabilissimum, et prorsùs accommodatum ad summam eorum promissorum, quæ antehàc Deus Israelitis sæpissimè promiserat, de obtinendâ terræ Chananææ possessione, fieri profectò non potuit, ut neque debuit etiam, quin ex ipso statim plerique omnes intelligerent, Deum sibi adesse præsentem, et ea jam effectum ire, quæ toties pollicitus fuerat. Sed quamvis sua cuique ratiocinatio superiores illas Dei pollicitationes cum hoc admirando opere conferenti persuadere facilè potuit, ut ista apud suos animos sic statuerent, judicarentque, tamen cùm mirifica sit in nostris mentibus semper stupiditas, tantisper dùm carne sumus circumdati, et humi strati, ad æstimandam ex veritate divinam in nos benignitatem, seriemque consilii Dei prospiciendam observandamque, quo ille consilio nostram salutem procurat, ideò haudquaquàm supervacanea fuit ista imperatoris admonitio, imò verò planè opportuna, ut excusso illo mentium torpore, omnes ex hoc tam miro faustoque auspicio certissimam animis spem conciperent, facilis adversùs Chananæos, acerrimos, ut videbantur, hostes, victoriæ; non aliter atque si Deum omnipotente illâ manu, quâ incitati fluminis aquas sublimè suspendentem visuri sunt, hostes quoque illos suos sternentem conspiciant. Nam alioqui facilè evenire potuisset fortassè, ut in tantâ hominum turbâ, ex aliquorum perversis cogitationibus, rumores sinistri improbique dissipati, increbrescerent, Jordanem transmittere, gentemque fortissimam adire, undequàque mari, montibus, fluminibus circumdatam, unde nullum pateret semel victis effugium, nihil aliud esse, quàm se in potestatem hostium dedere. Qui rumores quantas subitò daturi fuissent turbas, ex eâ animorum imbecillitate atque desperatione æstimare licet, quæ capite septimo memorabitur, cùm semel vel minimum quid adversi, paucis è populo apud Hai accidisset.

Sed enim videntur ista parùm esse consentanea præclaræ illi fidei, quam superioris versiculi initio tantoperè laudabamus in populo. Si enim ex ipso tandem miraculo cognituri sunt, Deum à se stare, hostesque profligaturum esse, effici videtur, adhuc ipsos dubitâsse. — Imò verò minimè id conficitur. Jam enim id eos reipsà esse cognituros dicit, quod adhuc solâ fide persuasum sibi habuerunt.

Deinde, potest istud de fidei augmento dictum accipi. Nam pauci, opinor, nostrûm, ne dicam nulli, eò perfectionis in fide progressi sumus, ut non sentiamus, vel maximos ultra progressus nos continuò facere posse, si Deum ritè pergamus precari, cum Apostolis, ut fidem nobis adaugeat.

Denique in numerosissimâ illâ turbâ probabile est fuisse non parùm multos, qui partim hæsitarent, alii etiam planè diffiderent, tametsi communem multitudinis disciplinam factis colerent, et fidem specie præ se ferrent. Josua autem indiscriminatim loquitur. Nam qualescumque ante fuêre, certè non potuit fieri, ut hoc tanto miraculo ipsorum animus non vehementer promoveretur; et qui ante planè crediderant, plurimùm confirmarentur, cæteri diffidentiam cum fidentiâ commutarent.

Sed jam expendamus ipsa sacra verba. Illud, *cognoscetis*, ita accipi potest, quasi sit futurum modi finiti, pro mandativi, *cognoscitote*, aut modi potentialis, ut vocant, *cognoscatis*. Sed ista aut nullam aut minimam afferunt ad sensum variationem. Illa autem Dei epitheta, *El Hai*, hoc est, omnipotens, sive fortis, et vivus, vel vivit, ad præsentem locum sunt accommodatissima. Erat enim imperatori hâc oratione propositum, fidem et spem populi affirmare de victoriâ adversùs septem, quæ enumerantur, gentes obtinendâ, quippe in quâ persuasione et fide, cardo omnis læti successûs vertebatur. Quæ causa est, cur id tanto studio ab omnibus, qui aliquando apud Israelitas cum imperio fuêre, inculcatum ipsis sit. Etenim quotiescumque toto animo in Dei ope et præsidio illi acquiescebant, ejusque et potentiâ et benignitate freti hostes suos invadebant, toties victoriam reportabant lætissimam; at quando suas ipsorum vires cum hostium viribus contendebant, vel turpiter cædebantur, vel fœdas perniciosasque pactiones cum illis facere cogebantur, quibus deinde obstricti, paulatim à probâ religione ad cultum falsorum deorum abducebantur, eâque impietate suâ moram moliebantur, quantùm in se erat, cùm cæteris omnibus lætissimis Dei promissionibus, tùm generis humani etiam salutis dispensationi, victoria autem parari solet fortitudine; est ergo aptissimum illud epithetum, *El*, fortis, potens, pollens. Sed quando frustra est omnis potentia, si desit prompta voluntas, atque industria, additur, *Hai*, vivus, sive qui vivit (perinde enim verbum atque nomen est) quod agilem Dei industriam, atque actuosam providentiam curamque significat, quâ semper opem maturè

suis fert, succurritque in tempore ipsorum saluti. Vita enim, ut ait Aristoteles, actio est, atque ex motu potissimùm cognoscitur. Et quorum nulla actio motusque apparet, ea mortua, aut certè languida torpentiaque esse censentur. Deus igitur cùm suâ efficientiâ gubernet moderetur que omnia, et inprimis suorum cultorum sollicitudini subveniat, rectissimè, חי, vivus, agilis, vegetus appellatur, quod divinus vates significabat, cùm caneret psalm. 121, v. 3 et 4 : *Non permittet, ut pes tuus labascat; non dormitabit, qui custodit te; ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israelem.* Nam etsi ideò quoque vivus, imò vita ipsa rectè nominetur, quia per ipsum omnia vivunt, et moventur, et existunt, ut ait Paulus, tamen ea, quam dixi, notatio præsenti loco servit.

Multa disputata sunt etiam ab Hebræorum philosophis, quos Cabalistas, quasi qui à majoribus traditam per manus doctrinam acceperint, appellant, de istis Dei nominibus, *El Hai,* cùm multis in locis aliis, tùm in eo etiam libro, quem *Portam lucis* inscripserunt. Hic enim scribunt, Jehovam, quem nos Deum Patrem dicimus, invocatum appellatumque hoc nomine, *El Hai,* largiri per, *Adonai,* hoc est, per Dominum, quem nos appellamus Filium, benignissimè cùm cætera, quæ opus sunt, tùm vitam incolumem, et ab hostibus tutam, adduntque, ideò imperatorem Josuam, hoc loco nomen istud, אל חי, usurpâsse, ut suorum animos ejus commemoratione redderet de ferocissimis hostibus, quos adibant securos.

Sed revertamur ad contextum. Illud, בקרבכם, quod convertimus, *in medio vestrî,* rectè etiam reddatur, *apud vos.* Nam, קרב, à verbo, קרב, propinquitatem propriè significat. Quæ porrò sequitur verbi geminatio, *expellendo expellet,* continuatas alteram post alteram victorias promittit. Est autem observatum, verbum hoc, ירש, si subjicitur ei, מפני, hoc est, *à facie,* sive è conspectu, tum significare, possessione depellere atque dejicere; cæteroqui verò, possidere, aut si forma hiphil inflectatur, mittere in possessionem. Sed enim ista de expellendis septem gentibus Dei promissa esse aliquando ad rem collata, docet hoc nostrum commentarium, et testatur Paulus, cùm Antiochiæ Pisidiæ sic loquitur pro concione Act. 13, 19 : *En deletis septem gentibus in terrâ Chananæâ, hæredes terræ illarum fecit ipsos* (Israelitas).

Sed dicat aliquis : Abrahamo promiserat Deus decem gentium possessiones; non ergo promissorum munus plenè conficitur expellendis gentibus septem. — Verùm expedita est responsio, Josuam de iis agere possessionibus, quas ipse esset Israelitis distributurus, hoc est, quæ ultra Labo Hemath non jacebant. At in illis liberalioribus promissis loca omnia esse, ad Euphratem usque, de quâ re memoriâ repetat lector, quæ sunt à nobis prolixè disputata ad versiculum quartum capitis primi. Præterea septem istæ gentes aliquando pluribus, aliquando paucioribus nominibus significantur, ut suis locis monebimus. Nam in populosissimâ regione familias habitâsse diversas plurimas, est credibile. Neque verò easdem semper iisdem esse appellatas nominibus, certum est. Qui enim in Abrahamico fœdere dicuntur *Raphaim,* videntur à Josuâ jam vocari *Hævei.* Quarum appellationum rationem alibi explicabo.

Vers. 11. — En arca fœderis, Dominus universæ terræ præit, etc. Latinus, Græcos secutus, ut solet libenter, convertit hunc locum sic : *Arca fœderis Domini universæ terræ.* Quin Aquila quoque, et Symmachus casu gignendi sunt usi; ille enim, κυριεύοντος, hic δεσπότου, reddidit, verùm appositivè, ut loquuntur grammatici, hærere nomen, אדון, Dominus, cum præcedentibus, patefacit accentus, aut interpunctio, זקף, Zakeph, insistens verbo ברית, fœderis, lectionisque cursum sistens. Habet enim inter eos accentus, qui regum nomine dignantur, vim pausæ maximam, post Sophpasuc, et Athnachtam. Neque verò insolens esse, ut arca sacra Deus vocetur, satis multis est à nobis, supra, v. 3, confectum. Verumtamen si quis Latinum et Græcos sequi malit, is cum Davide Kimhi existimet, nomen *Aron,* hoc est, *Arca,* ἀπὸ κοινοῦ, repetendum esse, quasi sic scriptum sit : *Ecce arca fœderis, arca Domini universæ terræ,* aut si mavult, putet verbum, ברית, esse ipso sensu iterandum : *Arca fœderis, quod fœdus est Domini universæ terræ.* Quanquàm tanti esse nobis accentus non debent, quos priscis temporibus nullos fuisse etiam Judæi fatentur, ut veterum interpretum, bonas alioqui, et probas sententias, verbisque sacris consentaneas satis refellant. Cæterùm appositissimè ad rem nominat imperator arcam, Dominum universæ terræ, ut penitùs omnem ex animis populi non dicam diffidentiam, sed hæsitationem eliminet. Quis enim dubitet eum, qui omnium rerum Dominus est, omniaque habet in manu, atque gubernat, et moderatur, posse ipsam quam condidit aquæ naturam, quamque ei imposuit legem, ad breve tempus, vel mutare, vel certè suspendere?

Vers. 12. — Nunc ergo legite vobis duodecim viros, etc. Hic versiculus interrumpit narrationis miraculi ordinem cursumque, essetque illa dilucidior, si proximum is versiculum sequeretur. Significat autem, Deum, cùm imperatori patefaceret traducendi populi rationem, simul id jussisse quoque, quod initio proximi capitis memorabitur explicatiùs.

Vers. 13.— Et futurum est, ut simul atque quiescent plantæ pedum, etc. Supra dixit arcam, sive Deum, quem arca, ut aspectabile signum, repræsentabat, præituram in Jordanem populo. Jam verò quid tum postea futurum sit, exponit, nempe simul atque arcam portantes humeris sacerdotes institerint in aquis, eas quæ infra sunt, excisum iri, hoc est, ablatum ex alveo, sive, defecturas. Nam superiores subsistent in acervum collectæ, et tanquàm utre contentæ. Itaque dùm inferiores prono cursu labentur in mare Mortuum, necesse erit vada illicò nudari. De inferioribus enim accipienda sunt illa verba : Aquæ Jordanis *exscindentur*, sive deficient. Copula autem, quæ verbo יעמדו præposita est, sensu ipso collocatur ante nomen, חמים, aut est, ut opinatur Rabbi Isaias, supervacanea. Esset quidem, ut videtur, haud incommoda interpretatio loci istius, hæc : *Aquæ Jordanis discindentur*, aquæ, inquam, illæ, *quæ ex supero descendunt, et subsistent cumulo uno*. Idem enim prorsùs efficitur, nempe alveum inferiorem exsiccari. Nam dùm superiores aquæ, tanquàm mole impositâ, dividuntur ab inferioribus, hæ verò libero cursu defluunt in Asphaltitem, planè consequens est, ut inde à subsistentibus superioribus, ad lacum usque denudentur vada. Verùm verbum, כרת, hic non secari, aut discindi, sed exscindi, hoc est, auferri, perdi, aboleri, sive deficere, ut reddidit Chaldæus, significare ostendit versiculus decimus sextus, apud quem de his plura sumus dicturi.

Vers. 14, 15, 16. — Factum igitur est, cum discederet populus è tentoriis, etc. Quæ post versum sextum adhuc dicta sunt, quasi interpositio quædam, interruperunt narrationem, ea autem jam continuatur, ad hunc modum : Cùm sacerdotes, receptâ in humeros arcâ, per mediam multitudinem sese conferrent versùs ripam Jordanis, populus, ut erat jussus, relictis suis tuguriolis, sese comparabat ad sequendum, suo quisque ordine, arcam, fluviumque transmittendum. Ubi porrò illi cum arcâ ad fluvium pervenissent, qui id temporis plenissimo alveo inundabat, simul atque pedes mergere in aquas cœpêre, quatenùs procedebant, eatenùs illæ quæ supra erant, quasi aggere cohibitæ, sistebantur, atque usque eò coacervabantur, ut magno cumulo retrò, ad urbem Adam usque exstarent. Quæ verò infra erant, ea facili et pronâ fluxione abripiebantur in mare Salsum. Itaque paulatim evadentes sacerdotes propè ad oppositam ripam usque, sensim superiorum aquarum sistebant cursum, et delabentibus inferioribus, vada paulatim exsiccabant. Ac tum denique, cùm illi, quàm latè patebat alveus, vada, pedetentim progressi, denudâssent, et juxta oppositam ripam institissent, jamque circiter bis mille passibus populum præcessissent, hìc, quo solebat ordine, iter facere per desertum, subsequi sacerdotes per siccum flumen cœpit, atque in Chananæam transire, et quidem è regione urbis Jerichuntis, hoc est, quà erat ad Jerichuntem ab Jordane brevissima via. Solent quidem plerique, et in iis etiam Talmudici, opinari, sacerdotes, qui arcam sustinebant constitisse apud eam ripam, ex quâ in flumen descenderant ; quidam etiam progressus fecisse ad medium usque alveum, atque ibi institisse. Sed nobis, quod modò diximus, et similius vero, et universæ narrationi congruentius esse videtur, cùm ob alias causas, quæ proximo capite afferentur, tùm maximè quia illi præcedere populum circiter bis mille passuum intervallo jussi fuerant, quod de alvei latitudinis spatio esse accipiendum, supra conficere sumus conati.

Cæterùm hìc sese factis ostendit egregia illa sacerdotum fides, quam ad versiculum sextum laudabamus, cùm non dubitant, plenum rapidumque amnem pedibus tentare, solâ promissorum Dei fiduciâ, quæ non quidem ipsi audierant, cùm ex oraculo sacro ederentur, sed ab imperatore modò relata perceperant. Simul etiam, quale sit sacerdotum non ignavorum munus, declaratur ; nempe arcam fœderis divini, hoc est, cœlestem illum thesaurum sacræ doctrinæ, et verbi Dei, præferre profano populo, cùm sincerâ interpretatione explicationeque, tùm probæ vitæ exemplo. Neque ab his rebus agendis deterreri ullis quantùmvis altis aquis, hoc est, rebus tristissimis, atque tribulationibus, sed obstacula omnia fortiter perrumpere, divinarum promissionum fiduciâ, et populo viam ad cœlestem hæreditatem adeundam patefacere. Porrò illa interpositio : *Jordanis autem inundat super totas ripas suas per omnes dies messis*, cùm miraculum ipsum, tùm eam, quam modò dicebam, sacerdotum fidem con-

stantiamque non mediocriter amplificat atque illustrat. Nam quò auctiora sunt flumina, eò et rapidiora et turbidiora fluunt; ac proinde difficiliùs ullis machinamentis cohibentur, periculosiùsque ipsorum vada cæca, et non aspectabilia tentantur. Sed Dei consilio vis nulla obsistere potest; et sancta fides in turbidissimis rebus sese sustentat; atque in obscurissimis maximè illucet.

Dies messis cum primo mense incipiunt; quod propter ille mensis *spicæ maturescentis*, vocatus est in Exodo. Nam in Paralipomenis scriptum exstat, Jordanem mense primo inundare solere super ripas suas. Voco autem mensem primum, quem Hebræi appellant *Nisan*, hoc est, eum, quo Pascha quotannis celebrare, ob felix auspicium relictæ Ægypti, sancitum lege divinâ erat. Eum enim mensem Deus ipse pro primo, et anni initio habere jussit, ut sanctior esset memoria beneficii, quo ille Israelitas è durissimâ servitute ægyptiacâ asseruerat in libertatem; quæ libertas ipsis quasi vitæ initium esse videbatur, cùm ante servitutem vel ipsâ morte graviorem servivissent Barbaris.

Cæteroqui primum mensem vocant Judæi, qui ab hoc septimus est, cùm eum putent conditi orbis fuisse principium. Unde et verbo Chaldaico *Tisri*, eum appellant; est enim, *Tisri*, Chaldæis, initii vocabulum, à verbo, שרה. Inchoat autem mensem *Nisan* nova luna ea, quam nos martio nostro attribuimus; *Tisri* verò, quam septembri. Cæterùm martio mense calidioribus illis regionibus maturescere solere fruges, testata sacris litteris res est. Jubetur enim populus, in Levitico, quotannis, dùm Pascha facit, messis arvis, novarum spicarum offerre manipulum sacerdoti, vetaturque ante frugibus hornis vesci, quàm iis primitiis oblatis, atque coram Deo religiosè à sacrificio agitatis, universè fruges omnes, quasi communicatâ cum omnibus primitiarum illâ consecratione, Deo veluti dedicatæ sint. Sed cur eo tempore inundare solitus sit Jordanis, credibile est, liquescentes, verno tempore, in vicinis montibus nives in causâ esse. Nam idem Euphrati Tigridique accidere, in scriptis reliquit Jesus Sirach. Eccl. 24.

Porrò observandum est, pro eo, quod versu decimo tertio dicebatur: *Simul atque quiescent plantæ pedum sacerdotum in aquis Jordanis*, hoc loco scriptum esse: *Dùm mergerentur pedes sacerdotum in extremo aquarum.* Nimirùm illic semel et strictim, atque unâ complexione ob oculos ponebantur et nudatum inferiùs vadum, et tanquàm obice uno repulsæ è supero affluentes aquæ, cùm jam tum constitissent juxta ripam ulteriorem fluminis sacerdotes; hic verò, ut paulatim à proximâ ripâ in adversam usque superiores aquæ in cumulum cogi, inferiores verò curriculo auferri, vadaque exsiccari cœperint, quatenùs proximam quamque fluminis partem pedetentim procedentes illis pedibus suis contingerent, describitur.

Illud porrò, *acervo uno*, aliter redditum ab aliis est. Chaldæus enim, *utre uno*, dixit, atque etiam Symmachus, ἄσκωμα ἓν, quasi scilicet ab inflato distentoque utre similitudo ducatur, aut ita coactæ aquæ constiterint, tanquàm magno utre fuissent conclusæ. Sed mihi ista positio, cùm utrem significat, per quartam ferè vocalem scribi visa est, נאד, *Nod*; cùm autem cumulum, per secundam, נד, *Ned*. Quanquàm non ignorem esse, ubi, נד, *Ned*. Septuag. ἄσκωμα sunt interpretati. Sed illi vocalium observationi operam nullam dedisse videntur, quarum fortassè nullæ erant eo tempore notæ.

Quod sequitur: *Longo admodùm tractu ab Adam urbe, sitâ ad latus Sarthan*, sive, in Adam urbe (nam utroque modo in exemplaribus scriptum invenitur), id hanc habet, meo certè, judicio, sententiam quòd repulsæ ab arcæ Dei præsentiâ aquæ è supero affluentes, tantâ mole coacervabantur, cùm continuò novæ prioribus supervenirent, ut ea moles ad urbem Adam usque, quæ propè Sarthanam sita erat, hoc est, ad usque Genesaram continuo tractu exstaret, sive, quod perinde est, ab urbe Adam, usque ad hunc trajectionis locum. Sed aliter interpretantur Judæi, Chaldæum, ut libenter solent, secuti, nempe aquas eas quæ supra erant, ita in cumulum unum, proximè ad eum locum, ubi trajiciebant Israelitæ, fuisse collectas, ut procul inde ab oppido Adam, vicino Sarthanæ, remanerent: neque propiùs illud alluerent quàm tùm, cùm usitato cursu intra alveum suum delaberentur; quod oppidum alioqui facilè, tantâ mole restagnantes, inundâssent, si non cumulatim congestæ constitissent, sed pro liquidi naturâ, diffluxissent. Atque ab hâc sententiâ haud abhorrere videtur translatio Septuag. interpretum, nisi, quòd ea longum constituat inter urbes Adam et Sarthanam intervallum; quas urbes hebræa verba inter se vicinas collocant, atque adeò Adam, ut ignobile oppidum, Sarthanæ confinio designant. Nimirùm illi interpretes pro voce, עיר, quæ urbem significat, videntur legisse עד, cùm ἕως, hoc est, *usque ad*, reddiderint. Nam montis vocabulum, ὄρος, quod apud eos quoque

nullo sensu, legitur, equidem opinor olim ab homine non minùs temerario quàm imperito in margine scriptum, qui putabat priorem syllabam verbi, הרחק, montem significare; tandem librariorum errore in ordinem sacrorum verborum esse relatum. Esse autem mendum hoc pervetustum, argumento est, quòd et Latinum, et eo longè antiquiorem Syrum fefellerit. Atqui aquas è supero adlabentes non consurrexisse in altissimam unam molem quasi in montem angustum, aut murum in cœlum ædificatum, quæ moles proximè ad trajiciendi locum extiterit modò, atque inde quàm longissimè spectabilis fuerit, ut opinatur Latinus, aut procul abfuerit ab urbe Adam, ut Judæi putant, sed inde repulsas aversasque retrò per arcæ sacræ præsentiam, sensim crevisse usque ad Genesaram lacum, propè quem sita erat urbs Adam, sic tamen, ut quamvis altè supra riparum crepidines exstarent undæ, tamen non dispergerentur, sed tanquàm gelu concretæ coactæque, non ampliùs quàm alvei sui spatium occuparent, atque ita fuisse unam continuam aquarum molem, non quidem latam, sed longam, à loco, in quo trajiciebatur, usque ad oppidum Adam, cùm ipsa verborum simplicissima, eòque verisimillima compositio ostendit, tum sacri vatis est verbis consentaneum, quibus canit Jordanem aversum retrò esse.

Cæterùm Adam esse Tiberiadi stagno vicinam urbem, ostendit Sarthan, apud quam collocatur. Erat enim Sarthan in ultimis finibus agri Bethsanitici, aut Scythopolitani, qui fines ad Tiberiadem pertinebant. Nam in Regum historiâ, ubi in Banæ, filii Ahiludis præfecturâ describendâ limites Scythopolitanæ ditionis undequàque designantur, opposita est Jezrael Sarthanæ. Jezrael autem Scythopoli erat ab occidente : conficitur ergo eidem Sarthanam fuisse ab oriente ; jam verò quòd lacus ille Scythopolitanam regionem ab oriente terminaverit, aperta res est. Sed adscribam ipsa ex Regum historiâ verba quàm potero explicatissimè; sunt enim alioqui obscuriora. « Bana, « inquit, filius Ahilud (hìc suggere, præfectum « agebat in) Taanach et Megiddo, atque per « universam Bethsanis regionem, quæ porrigi- « tur usque ad Sarthanam, ex eo loco, qui est « sub Jezrael : et rursùs à Bethan usque ad « Abel-Meolam, et usque ultra Jecmaam, » etc. Erat igitur Scythopolis veluti media inter Jezraelem ab occidente, et Sarthanam ab oriente, atque inter Abel-Meolam meridionalem, et Jecmaam aquilonarem. Sed de istis urbibus erit alius disserendi locus. Quid autem in mentem venerit illis viris, qui sacra biblia in germanicam linguam traduxerunt, et Lutheri nomine inscripserunt, ut verbum אדם, hìc non urbem, sed homines significare existimarent, nescio. Certè per grammaticorum leges id illis minimè licebat.

Sequitur porrò in sacrâ historiâ, quid factum sit illis aquis, quæ trajicientibus sacerdotibus erant à sinistris, nimirùm illæ cùm prono alveo decurrerent in mare Mortuum aut Salsum, neque ex supero ullæ succederent in defluentium locum, mox prorsùs absumptæ atque ablatæ sunt in illum lacum ; et quidem, ut ego certè opinor, celerrimæ, cùm earum cursus naturalis divinâ potentiâ, ob arcæ præsentiam, vehementer incitaretur, atque id significatum etiam esse verbo illo, *exscindi*, arbitror ; tam enim eas subitò defluxisse, ut quasi terrâ dehiscente absorptæ atque ablatæ viderentur. Cæterùm illud ים הערבה, quod nos traduximus, *mare planitiei* cum Chaldæo, interpretatus est Symmachus, Mare solitudinis, hoc est, τῆς ἀοικήτου, eumque secutus est Latinus; at Septuag. et Aquilas hebraicam vocem *araba*, quasi propriam loci appellationem retinuerunt. Potest autem à planitie nomen habere, quia quæ nunc occupat loca, fuêre olim campi amœnissimi, et quæ cum Paradiso Dei poterant comparari. A solitudine verò, quia post memorabilem omnibus seculis quinque urbium deflagrationem, loca circumquàque vicina, tetro virosarum aquarum vapore et halitu, quali illæ perpetuò fumant, ita continuò inficiuntur, ut penitùs sterilia, atque hominibus simul et pecudibus alendis infesta, sola maneant. Mare autem Salis, vel Salsum dicitur, propter salsilaginem, quam gustata habet. Nam igneum illum imbrem, quo Dominus sceleratas civitates perdebat, non ex solo ardente sulphure, verùm etiam admixto sale compositum fuisse, sacris litteris proditum est. Legimus enim in Deuteronomio, cap. 19, v. 23 et seq. : *Et videbunt clades terræ illius, atque morbos, quibus ipsam afflixit Dominus, sulphur, et sal urens per universam terram. Non seminabitur, neque proferet quidquam, aut ulla herba in ipsâ exsurget, qualis fuit eversio Sodomæ et Gomorrhæ*, etc. Et verò uxor Loth, dùm vitiosâ curiositate pluviam illam non effugeret, in salis statuam est conversa. Si quis tamen existimare malit, à fodinis salis, quæ illis locis mansêre, mare ipsum Salis esse vocatum, non pugnavero contra. Nam memini va-

tem Sophoniam cap. 2, v. 9, dicere : *Quoniam Moab ut Sodoma erit, et Ammonitæ ut Gomorrha; promptuarium spinarum et fodinæ salis, vastitasque æterna*, etc. Sed de hujus lacûs magnitudine et naturâ, cùm multa scripserint multi, tum inprimis accuratè et diligenter Josephus de Bello judaico, lib. 5, c. 5, et Tacitus Annalium libro 21, nonnulla etiam Strabo lib. 16, apud quem tamen in vulgatis certè libris Sirbonis, pro Asphaltite, librarii errore, legitur, et nobis quoque erit alio loco de isto sive mari, sive lacu disserendum, quapropter hoc unum modò monebimus, ex istis sacris verbis apertè refelli eorum dicta, qui Jordanem negant laudatissimas suas aquas cum fœtidis hujus lacûs commiscere; ante enim sub terram se condere, tam insuavem conjunctionem confusionemque dedignatum. An autem subterraneis meatibus se rursùs inde subducat, atque in Elaniticum Rubri maris sinum penetret, quod à nonnullis proditum est, equidem obscurissimum esse puto, et cognitionem habere difficillimam. Certè propalàm non effluere, id argumento est, quòd eum Israelitæ, cùm ex Cades versùs torrentem Jared contendentes, inter Elaniticum sinum et Asphaltiten iter facerent, nusquàm transivisse memorantur. Sed revertamur ad miraculum exsiccati fluminis, idque cum divisi maris Rubri miraculo conferamus.

In Exodo scriptum est, per mare Rubrum Israelitis iter patuisse, cùm excitato ab oriente vento vehementiore ejus aquæ fuissent diductæ atque disjectæ; at hìc nulla flantis venti mentio est. Neque enim dividere fluminis undas opus erat, cùm cohibitis superioribus, inferiores suâpte naturâ delaberentur. Illìc (nondùm enim habebatur sacra arca) extenta, quam Deus Mosi dederat, virga aquas à dextris et sinistris altis molibus, tanquàm fluxæ suæ naturæ oblitus, cogebat consistere, et veluti suspendebat, neque dilabi, nisi transmisso populo Dei, patiebatur; hìc sacræ arcæ præsentia solas eas, quæ à dextris erant, sistebat cohibebatque; alteras, cùm per se ipsæ cederent, per declivem alveum decurrentes, tum celeriore cursu incitatas subitò et raptim removebat. Sed utrobique non quæ oculis aspectabilia erant virtutis Dei instrumenta, verùm ipsa illius divina potentia, nobis est consideranda, et grato animo amplectenda bonitas, quæ tam benignè nos per illiuscemodi ostenta, ad se admirandum, amandum, colendum, hoc est, nostræ ipsorum felicitati et saluti consulendum, invitat et allicit. Et sanè nisi mirificè nostra nos vitiositas occæcaret, et quibusvis rebus potiùs, quàm Dei operibus perpendendis judicandisque distringeret, animadverteremus quotidiè nihilò illis minora miracula, quæ nos meritò ad suspiciendum, reverendumque cœlestem nostrum parentem inducerent. Ecce enim quotidiè suspensas sublimè in æthere aquas videmus, nec nisi guttatim distillantes, nimirùm ut terram fœcundent, non obruant. Quotidiè vastissimâ mole mare impetu fremente littus ferit humile, neque id firmum, atque solidè compactum, sed ex arenâ modò tenuiter leviterque congestum, et tamen tanquàm à præsentis Dei numine frenatum, ibi in seipsum reciprocatur, quantùmvis furens, atque tumultuans, sistiturque. Sed, quæ nostra est vesania! faciliùs ista naturæ ipsi, quàm naturæ parenti atque opifici Deo adscribimus.

Sequitur in ordine sacrorum verborum : *Trajiciebat autem populus è regione Jerichuntis.* Nempe postquàm sacerdotes cum arcâ ad ripam usque adversam progressi essent, jamque patefactâ per aquas, quàm latus erat alveus, viâ, institissent, cœpit populus subsequi, inque Chananæam trans siccatum flumen ire, ut proximo versu dicetur explicatiùs. Septuag. interpretes, pro *trajiciebat*, reddiderunt, *stabant*, nimirùm illi aut pro verbo, עבר, quod trajicere est, legerunt, עמד, quod, *stabant*, significat, litterarum quâdam similitudine errantes, aut, quod ego credere malo, trajicere, pro intentum ad trajiciendum stare, acceperunt, eò quòd animadverterent, ipsum trajectum proximo commemorari versu. Cæterùm illud, *è regione Jerichuntis*, significat trajecisse populum omnem per eam Jordanis partem, quæ proximè erat Jerichunti objecta, quam equidem partem opinor deinde appellatam esse ab hâc trajectione, *Bethabara*, nimirùm ubi divus Joannes baptizabat; mendosè enim *Bethania*, locus ab aquis remotus, in quibusdam exemplaribus, meo certè judicio, scriptus est. Et profectò aptissimè in rem cecidisse existimandum est, neque sine nutu consilioque divino ut quo loco sacer Baptismus primùm, isto trajectu, fuerat adumbratus, eodem quoque primùm perficeretur. Memorantur autem ideò trajecisse Israelitæ è regione Jerichuntis, ut intelligamus, quamvis vada inde ad mare Mortuum usque delapsis aquis nudata fuissent, tamen multitudinem omnem, non tumultuosè et temerè, ubi cuique lubitum esset, verùm servato ordine transivisse, quà arca præcesserat.

Vers. 17. — Itaque sacerdotes bajuli arcæ fœderis Domini stabant in sicco, etc. Non satis erat viam fuisse patefactam, nisi aperta mansisset, usque eò dùm universi trajecissent. Igitur iste versiculus ostendit, bajulos arcæ sacerdotes, cùm suo, ut diximus, progressu à proximâ ripâ ad oppositam usque aquas superiores suspendissent, atque delapsis inferioribus, alveum usque ad mare Mortuum exsiccâssent, tum intra ipsum alveum, juxta ripam adversam, institisse, neque in eam conscendisse, priusquàm multitudo universa evasisset in Chananæam. Nimirùm tantisper dùm in fluminis alveo arca manebat, allabentes ex supero undæ, tanquàm Deum præsentem conspexissent, retrocedebant, ut canit sacer Vates psalm. 114; simul atque verò flumine illa fuit elata, quasi remoto obice, redierunt ad naturam, consuetamque fluxionem, ut proximo dicetur capite.

Septuaginta et Latinus sic interpretantur illud hebraicum verbum בתוך, quasi in medio Jordanis institerint sacerdotes, in trajectu; atqui תוך Hebræis, non mediam rei partem significat, sed quod intùs in re ipsâ est, sive in medio, sive in orâ aliquâ, atque extremitate hæreat. Talmudicos verò, qui juxta priorem ripam mansisse cum arcâ sacerdotes somniant veriùs, quàm judicant, proximo capite refellendi locus erit. Porrò illud *parando,* perinde est ac si dicat, parando multitudini commodam trajectionem. Suâ enim illi morâ, ut diximus, refrenabant superiores aquas. Sumus autem infinitum verbum הכן sic interpretati eò lubentiùs, quòd proximo capite planè eam habeat notionem. R. Isaias, vir sanè doctus, interpretatur, *figendo,* pedes suos videlicet, nec absurdè; at cæteri Judæi, Chaldæum, ut solent, sequentes, quasi patiendi illud verbum sit, explicant in hanc sententiam : *Stabant fixi firmique, et certâ stabilique ratione dispositis pedibus nisi.* Aquilas quoque, et Symmachus ἕτοιμοι converterunt, hoc est, *parati;* quos videtur imitatus Latinus, cùm, *accincti,* diceret. Nam à Septuag. est illud verbum omissum. Atqui insolens est, ut forma tertia, quam hiphil vocant, patiendi notione verba afficiat. Quod subjicitur : *Donec finivissent omnis gens trajicere Jordanem,* hæret verbo *stabant.* Latinus, nisi mutilus est hic locus, hoc planè præteriit, quod sanè minimè oportuit. Efficit enim, ut intelligamus, ex tantâ hominum multitudine, nullum vel infimæ atque abjectissimæ sortis, quique Israelitæ nomine vix dignus censeri posset (hoc enim גוי, hoc est, *gentis,* vocabulum significat, opinor, quod alioqui haud temerè de Israelitis solet dici) nullum, inquam, omnium esse relictum; sed patientissimè omnes ab arcâ, quasi Deo ipso, esse exspectatos, ne ab incurrentibus Jordanis undis cujusquam transitus in optatissimam felicissimamque terram impediretur. Quippe tantus est Dei erga humanum genus amor atque benignitas, ut nullum omnium perire velit, sed omnes salvos esse cupiat, neque alacres modò conatus adjuvet nostros, sed etiam admirabili patientiâ nostram socordiam ignaviamque toleret.

Quapropter tam longâ saltem, et prolixâ patriâque indulgentiâ invitatos pudeat aliquando nos neglectæ propriæ salutis. Properemusque, dùm trajiciendi in terram viventium via nobis patet, dùm tempus est *acceptum,* ut vocat Paulus 2 Cor. 6, 2, hoc est, dùm nos Deus benignè adhuc respicit, et dies durant salutis. Ne ille nostræ tandem moræ pertæsus, benignum vultum suum subducat, et suo simul discessu, suspensas adhuc maximas gravissimasque peccatorum nostrorum undas in nos ingruere sinat, quibus deinde mersi atque obruti in fœdissimum inferorum lacum abripiamur.

Sed enim operæ pretium est, hic paucis explicare, quàm luculenter in istâ Josuæ historiâ adumbratus sit Jesus Christus. Mortuo Mose lugent Israelitæ dies triginta. Nempe cùm jam tempus adesset ultimorum dierum, hoc est, אחרית הימים, ut vocant sacræ litteræ, et Messiæ tempus, ut interpretantur Talmudici, Mosisque lex, quæ Mosis nomine sæpè significatur, tanquàm sepulta, jaceret, negligereturque, neque ferè alia doctrina, quàm humanæ traditiones, et ineptissimæ δευτερώσεις in Ecclesiâ Dei audirentur, lugebat populus Dei, nullius sacri vatis consolatione recreatus, donec tandem misertus suæ Ecclesiæ, clementissimus Pater Deus, Filium suum unigenam surgere jussit, et ducis Jesu personâ sumptâ, populum unà secum per Baptismi Jordanem in promissam cœlestem patriam trajicere. Tum mox Joannes divinus præco, et monitor populi strenuissimus, omnes ut se compararent ad transeundum cum Jesu Jordanem, hoc est, omnes ad eum baptismum, quo Jesus per spiritum suum sanctum ipsos erat baptizaturus, hortabatur. Porrò triduo deinde præconii Joannis elapso, Jesus ad Jordanem à Deo Patre honore tanto, in oculis universi Israelis

amplificabatur, ut intelligerent omnes, eum cum ipso esse, et quidem multò conjunctiùs quàm fuisset cum Mose, cùm sic eum alloqueretur è cœlo Matth. 17, 5 : *Tu es filius meus charissimus, quo unicè delector.* Quamvis enim divinâ gloriâ ex æquo cum Patre abundâsset ille ab æterno, ante conditum orbem, tamen oportebat eam gloriam nostrâ etiam causâ patefieri, ut ipsius imperio atque præceptis essemus obsequentiores, ut de nostro Josuâ quo-

que diximus. Itaque per ejus arcæ præsentiam, in quâ habitabat tota divinitas corporaliter, consecratæ deinceps aquæ, aditum cuivis ad promissam illam cœlestem hæreditatem dederunt, quem modò Jesu imperio parentem, trajicere illùc non pigeret. Sed hæc hactenùs. Facile enim erit piis philosophis ab his rudimentis profectis commentari meditarique prolixè cætera eòdem pertinentia.

CAPUT IV.

1. Quibus transgressis dixit Dominus ad Josue:

2. Elige duodecim viros, singulos per singulas tribus :

3. Et præcipe eis ut tollant de medio Jordanis alveo, ubi steterunt pedes sacerdotum, duodecim durissimos lapides, quos ponetis in loco castrorum ubi fixeritis hâc nocte tentoria.

4. Vocavitque Josue duodecim viros quos elegerat de filiis Israel, singulos de singulis tribubus,

5. Et ait ad eos : Ite ante arcam Domini Dei vestri ad Jordanis medium, et portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris, juxta numerum filiorum Israel,

6. Ut sit signum inter vos. Et quando interrogaverint vos filii vestri cras dicentes : Quid sibi volunt isti lapides ?

7. Respondebitis eis : Defecerunt aquæ Jordanis ante arcam fœderis Domini cùm transiret eum : idcircò positi sunt lapides isti in monimentum filiorum Israel usque in æternum.

8. Fecerunt ergo filii Israel sicut præcepit eis Josue, portantes de medio Jordanis alveo duodecim lapides, ut Dominus ei imperàrat, juxta numerum filiorum Israel, usque ad locum in quo castrametati sunt, ibique posuerunt eos.

9. Alios quoque duodecim lapides posuit Josue in medio Jordanis alveo, ubi steterunt sacerdotes qui portabant arcam fœderis ; et sunt ibi usque in præsentem diem.

CHAPITRE IV.

1. Après qu'ils furent passés, *on exécuta ce que* le Seigneur *avait* dit à Josué *en ces termes :*

2. Choisissez douze hommes, un de chaque tribu ;

3. Et ordonnez-leur d'emporter du milieu du lit du Jourdain, où les pieds des prêtres se sont arrêtés, douze pierres très-dures, que vous mettrez dans le camp, au lieu où vous aurez dressé vos tentes cette nuit.

4. Josué appela donc douze hommes qu'il avait choisis d'entre les enfants d'Israël, un de chaque tribu ;

5. Et il leur dit : *J'ai défendu au peuple d'approcher de l'arche ; pour vous néanmoins,* allez devant l'arche du Seigneur votre Dieu au milieu du Jourdain, et que chacun de vous emporte de là une pierre sur ses épaules, selon le nombre des enfants d'Israël,

6. Afin qu'elles servent de signe *et de monument* parmi vous. Et, un jour, quand vos enfants vous demanderont : Que veulent dire ces pierres ?

7. Vous leur répondrez : Les eaux du Jourdain se sont séchées devant l'arche de l'alliance du Seigneur, lorsqu'elle passait au travers de ce fleuve : c'est pourquoi ces pierres ont été mises en ce lieu, pour servir aux enfants d'Israël d'un monument éternel, *qui leur rappelle le souvenir de cette merveille que Dieu a faite en leur faveur.*

8. Les enfants d'Israël firent donc ce que Josué leur avait ordonné. Ils prirent du milieu du lit du Jourdain douze pierres, selon le nombre des enfants d'Israël, comme le Seigneur le lui avait commandé, et les portant jusqu'au lieu où ils campèrent, ils les y posèrent.

9. Josué mit aussi douze autres pierres au milieu du lit du Jourdain, où les prêtres qui portaient l'arche de l'alliance s'étaient arrêtés, et elles y sont demeurées jusqu'aujourd'hui.

10. Sacerdotes autem qui portabant arcam stabant in Jordanis medio, donec omnia complerentur quæ Josue ut loqueretur ad populum præceperat Dominus et dixerat ei Moyses. Festinavitque populus, et transiit.

11. Cùmque transîssent omnes, transivit et arca Domini. Sacerdotesque pergebant ante populum.

12. Filii quoque Ruben et Gad et dimidia tribus Manasse armati præcedebant filios Israel, sicut eis præceperat Moyses;

13. Et quadraginta pugnatorum millia, per turmas et cuneos, incedebant per plana atque campestria urbis Jericho.

14. In die illo magnificavit Dominus Josue coram omni Israel, ut timerent eum sicut timuerant Moysen dùm adviveret.

15. Dixitque ad eum :

16. Præcipe sacerdotibus qui portant arcam fœderis ut ascendant de Jordane.

17. Qui præcepit eis, dicens : Ascendite de Jordane.

18. Cùmque ascendissent portantes arcam fœderis Domini, et siccam humum calcare cœpissent, reversæ sunt aquæ in alveum suum, et fluebant sicut ante consueverant.

19. Populus autem ascendit de Jordane decimo die mensis primi, et castrametati sunt in Galgalis contra orientalem plagam urbis Jericho.

20. Duodecim quoque lapides quos de Jordanis alveo sumpserant posuit Josue in Galgalis,

21. Et dixit ad filios Israel : Quando interrogaverint filii vestri cras patres suos, et dixerint eis : Quid sibi volunt lapides isti?

22. Docebitis eos, atque dicetis : Per arentem alveum transivit Israel Jordanem istum,

23. Siccante Domino Deo vestro aquas

10. Or les prêtres qui portaient l'arche se tenaient au milieu du Jourdain jusqu'à ce que tout ce que le Seigneur avait commandé à Josué de dire au peuple, et que Moïse lui avait dit, fût accompli ; et le peuple, *effrayé de voir ces eaux suspendues,* se hâta et passa *le fleuve le plus vite qu'il lui fût possible.*

11. Et après que tous furent passés, l'arche du Seigneur passa aussi, et les prêtres du Seigneur allèrent se mettre devant le peuple.

12. *Les plus braves d'entre* les enfants de Ruben et de Gad et *ceux de* la demi-tribu de Manassé allaient aussi en armes devant les enfants d'Israël, selon que Moïse le leur avait ordonné ;

13. Et *ces braves, au nombre de* quarante mille combattants, marchaient sous leurs enseignes en diverses bandes, au travers de la plaine et des terres *dépendantes* de la ville de Jéricho.

14. En ce jour-là le Seigneur éleva beaucoup Josué devant tout Israël, afin qu'ils le respectassent comme ils avaient respecté Moïse pendant qu'il vivait.

15. Et *le Seigneur* avait dit à Josué : *Quand tout le peuple aura passé,*

16. Ordonnez aux prêtres qui portent l'arche de l'alliance de sortir du Jourdain.

17. Josué leur donna *donc* cet ordre, leur disant : Sortez du Jourdain *dès que tout le peuple sera passé.*

18. Et les prêtres qui portaient l'arche de l'alliance du Seigneur étant sortis du fleuve, et ayant commencé de marcher sur la terre sèche, les eaux du Jourdain revinrent dans leur lit, et coulèrent comme auparavant.

19. Or, le peuple sortit du Jourdain le dixième jour du premier mois, et ils campèrent à Galgala, vers le côté de l'orient de la ville de Jéricho.

20. Josué mit aussi à Galgala les douze pierres qui avaient été prises du fond du Jourdain ;

21. Et il dit aux enfants d'Israël : Quand vos enfants interrogeront un jour leurs pères, et leur diront : Que signifient ces pierres?

22. Vous le leur apprendrez, et vous leur direz : Israël a passé à pied sec au travers du lit du Jourdain,

23. Le Seigneur votre Dieu en ayant séché

ejus in conspectu vestro donec transiretis,

24. Sicut fecerat priùs in mari Rubro, quod siccavit donec transiremus;

25. Ut discant omnes terrarum populi fortissimam Domini manum, ut et vos timeatis Dominum Deum vestrum omni tempore.

les eaux devant vous jusqu'à ce que vous fussiez passés,

24. Comme il avait fait auparavant en la mer Rouge, dont il sécha les eaux jusqu'à ce que nous fussions passés;

25. Afin que tous les peuples de la terre reconnaissent la main toute-puissante du Seigneur, et que vous appreniez vous-même à craindre en tout temps le Seigneur votre Dieu.

TRANSLATIO EX HEBRÆO.

1. Jamque absolverant omnis gens trajectionem Jordanis. Dixerat autem Dominus ad Josuam, inquiens : — 2. Legite vobis è populo viros duodecim, ex unaquâque tribu singulos. — 3. Et imperate ipsis, dicendo : Tollite vobis hinc ex Jordanis alveo, ex statione pedum sacerdotum parantium, lapides duodecim, et eos transfertote vobiscum, atque reponitote eos in diversorio eo, in quo nocte diversabimini. — 4. Igitur Josua vocavit duodecim viros, quos paraverat ex filiis Israel, singulos ex unaquâque tribu. — 5. Et ait eis Josua : Procedite ante arcam Domini Dei vestri, intrò in Jordanem, et sustollite vobis unusquisque lapidem unum in humerum suum, pro numero tribuum filiorum Israelis. — 6. Ut sit hoc signum apud vos. Quando interrogabunt filii vestri cras, dicendo : Quid vobis isti lapides? — 7. Dicetis illis : Quia excisæ sunt aquæ Jordanis, propter arcam fœderis Domini, dùm transiret illa per Jordanem, defecerunt aquæ Jordanis. Et isti lapides erunt pro monimento filiis Israel usque in seculum. — 8. Itaque filii Israelis fecerunt, ut jusserat Josua ; et tulerunt duodecim lapides è Jordane, sicut fuerat locutus Dominus ad Josuam, pro numero tribuum filiorum Israel, et traduxerunt illos secum ad diversorium. Ibique ipsos reposuerunt. — 9. Duodecim insuper lapides statuit Josua intra Jordanem in loco stationis pedum sacerdotum sustinentium arcam fœderis, et fuerunt illic usque ad hunc diem. — 10. Cæterùm sacerdotes sustinentes arcam stabant intùs, in Jordane, donec finita esset omnis res, quam jusserat Dominus Josuam ad populum loqui, secundùm ea omnia quæ præceperat Moses Josuæ ; populus verò festinaverant, et transierant. — 11. Cùmque absolvisset omnis populus trajectionem, transiit et arca Domini, et sacerdotes ante populum. — 12. Transierant etiam Rubenitæ et Gaditæ, atque dimidia tribus Manassis armis succincti ante filios Israel, sicut fuerat ad ipsos locutus Moses. — 13. Circiter quadragies mille succincti militari more transierant ante Dominum, ad bellum, versùs campos Jericho. — 14. Illo die amplificavit Dominus Josuam in oculis universi Israelis, et reveriti sunt eum, sicut reveriti fuerant Mosen, omnibus diebus vitæ ipsius. — 15. Dixerat enim Dominus ad Josuam, inquiens : — 16. Jube sacerdotibus bajulis arcæ testimonii, ut ascendant è Jordane. — 17. Mandaveratque Josua sacerdotibus, dicens : Ascendite extra Jordanem. — 18. Et acciderat, ut ascendentibus sacerdotibus bajulis arcæ fœderis Domini extra Jordanem, simul extraherentur plantæ pedum sacerdotum in siccum, et reverterentur aquæ Jordanis in locum suum; irentque ut heri et nudius tertius, per omnes ripas illius. — 19. Porrò populus ascendebat ab Jordane, decimo mensis primi, et castra faciebat in Galgalis, in eâ parte quæ Jerichunti est ad orientem. — 20. Statuitque Josua in Galgalis duodecim lapides illos, quos sumpserat è Jordane. — 21. Et ait ad filios Israel, dicens : Quando interrogabunt filii vestri cras patres suos, dicentes : Quid isti lapides? — 22. Erudietis filios vestros, dicentes : Per siccum transivit Israel Jordanem istum. — 23. Quia exsiccaverat Dominus Deus vester aquas Jordanis vestrâ causâ, donec trajecissetis, sicut fecerat Dominus Deus vester mari Rubro, quod nostrâ causâ exsiccaverat, donec transmisissemus. — 24. Ut agnoscerent omnes populi terræ, manum Domini, quòd valida sit, quo timeretis Dominum Deum vestrum, omnibus diebus.

COMMENTARIUM.

Vers. 1, 2, 3. — Jamque absolverant omnis gens trajectum Jordanis, etc. Hoc capite commemorantur ea, quæ post trajectionem, cùm apud Jordanem, tùm in Galgalis, ubi castra sunt posita, gerebantur uno illo ferè die. Et primò quidem de sublatis è fluminis alveo duodecim saxis agitur, quæ rem mirabiliter actam æternæ memoriæ mandarent. Mox de aliis 12 quæ in illorum locum in ipso alveo sunt posita. Deinde sacerdotum exitus è Jordane, et

aquarum ad suam naturam reditus describitur, et interim in totam narrationem confunduntur ea, quibus imperator populi animos religione atque pietate adversùs Deum perfundere laborat. Jam verò ne monumentum illud 12 lapidum in Galgalis ponendorum, quasi inani quâdam superstitione, aut gloriæ ambitu constitutum ab imperatore videri possit, exponitur initio, ejus rei agendæ auctorem fuisse Deum, ut qui Josuæ, cùm eum cætera, quæ ad trajectum attinebant, edoceret, id simul in mandatis dederit. Existimandum est igitur, cùm imperator trajiciendi rationem modumque populo explicâsset, atque hoc etiam de lapidibus consilium Dei exposuisset, delectos illicò esse viros duodecim, à suis quemque tribulibus, simul imperatore approbante, qui hoc munus exsequerentur, cùm jussi ab imperatore essent, cujus deberent nutum ad eam rem expectare atque observare. Cur autem suus cuique tribui lapis statueretur, non est obscurum; suam enim quamque tribum statuere trophæum de superato mirabiliter flumine erat utile, ut unaquæque ad suos posteros rei memoriam tantò certiùs posset propagare. Ad hoc, erat illud monumentum, quasi scriptura quædam, quâ tribus omnes et singulæ hæredes terræ Chananeæ scribebantur à Deo, aut, si mavis, singuli lapides tanquàm divinæ illiusmodi scripturæ sigilla. Quâ ratione Moses quoque, cùm sacras leges divinitùs in monte Sinai accepisset, conscriptasque jam populo recitaret, atque imponeret, duodecim statuebat saxa, quibus scilicet, quasi sigillis, tribus singulæ leges illas obsignabant, comprobabant, sanciebant et tanquàm jurabant in ipsas. Quanquàm enim duabus tribubus et dimidiæ sua hæreditas obvenisset citra Jordanem, tamen sicut eamdem una omnium tribuum communis manebat religio, ita et hæreditatis quoque communicatio atque societas minimè per interlabentem fluvium interrupta censeri debebat. Quis enim unquàm existimavit, illas tribus promissionum divinarum fructu prorsùs caruisse, quæ promissiones Chananææ hæreditatem electo populo pollicebantur? Sed an Galaaditis ad Chananæam pertinuerit, et actum supra paucis est, et copiosiùs disputabitur à nobis alio loco.

Porrò מוצב, statio, hoc est, locus, in quo stabant pedes sacerdotum, vocatur procul dubio hîc, non ipsa vestigia, quibus sacerdotes insistebant; credibile est enim eos magnâ religione se non movisse loco, ut semel fixissent pedes, usque dùm efferre arcam jussi essent, ne proximè impendens cervicibus aquarum illa ingens moles moveretur etiam ipsa. Ad hoc, videbimus mox imperatorem alia saxa in eorum, quæ ablata fuerant, loca supponentem; quæ sanè sacerdotum plantis subjicere non potuit, nisi scrupos potiùs quàm saxa fuisse putemus. Stationem ergo pedum sacerdotum vocat sacra narratio, non quem locum pedes illorum circumscribebant vestigiis, sed propinquum, intra alveum fluminis tamen.

Vers. 4. — Igitur Josua vocavit duodecim viros, quos paraverat, etc. Hîc luculenter apparet verbi illius, הכן, de quo nuper multa, notatio. Significat enim, non fingere, aut fingi, sed parare. Paraverat autem eos duodecim viros imperator, quia paratos adesse jusserat ad suum nutum, ut diximus, cùm eos tribules ipsi designâssent, vel quia eas designationes ipse approbâsset, et quodammodò unà designâsse videri poterat. Jam, ut diximus, emensi erant omnes flumen, evaserantque in oppositam ripam, hoc est, in Chananæam, præter bajulos arcæ, cùm imperator, memor jussorum Dei, istis viris mandat, ut redeuntes in alveum apud arcam, quisque lapidem sustollat in humeros, atque inde asportet. Hæret igitur iste quartus versiculus narrationis filo, cum primo; secundus verò tertiusque parenthesis sunt; quod à R. Davide Kimhi quoque est annotatum. Epitheta illa: *Domini Dei vestri,* rursùs religionis causâ dicta sunt, ne rem non maximè seriam agere se existiment delecti isti viri. Eòdem spectat illa quoque clausula: *Pro numero tribuum filiorum Israel.* Intelligunt enim se reipublicæ totius munere fungi, in quo sacrum aliquod mysterium versetur. Piget me profectò referre Talmudicorum nugas, de lapidum istorum magnitudine, quos Rabbinos quosdam suos esse dimensos fabulantur, eo libro quem סוטה vocant. Quid enim hoc aliud est quàm in rebus seriis pueriliter ludere? Illud certum est, non majores eos fuisse, quàm quos viri singuli asportare inde ad Galgala usque possent.

Vers. 6. — Ut sit hoc signum apud vos, quando interrogabunt, etc. Explicatur jam quæ fuerit asportandorum, atque in Galgalis ponendorum lapidum causa, sed paucis, atque præcisiùs, quippe potissimùm ad duodecim viros modò, prolixiùs autem pleniùsque in hujus capitis extremo. Sed lubet admirari hoc loco immensam Dei erga humanum genus benignitatem, qui cùm nostræ nos salutis, quæ

in ipso agnoscendo, amando, colendo tota est posita, plurimis quotidiè, maximisque beneficiis admonet, atque ad se animos nostros revocat, adeò ut nisi essemus mente obstinatissimâ, atque in carnis nostræ voluptatibus affirmatissimâ, nunquàm aliò cogitationes nostras averteremus; insuper etiam adminicula commonstrat ultrò, quæ præclarissima quæque sua in nos beneficia, nobis ne negligentissimis quidem excidere patiantur. Erat profectò tam insigne hoc transvectionis beneficium, quo perpetuam naturæ legem perfregerat, ut populo suo commoditatem crearet, ut meritò absque aspectabilibus monumentis, ad sempiternam posteritatis memoriam grato animo propagari debuerit; verùm ille conscius suis, humanæ incuriæ atque vecordiæ, jubet rem tantam duodecim notari saxis, quorum quotidianus aspectus ab oblivione eam vindicaret saltem. Sic pro memorabilissimo illo fœdere recordando cogitandoque, quod post orbem submersum, cum humani generis reliquiis inibat jam tum placatior, arcum suum in nubibus observare jussit. Monumentum sacrosanctæ pactionis, quam cum Abrahamo fecit, circumcisionem esse voluit. Liberationis ægyptiacæ ne quando Israelitas caperet oblivio, sacrum Pascha instituit μνημόσυνον.

Sed ne vetera persequar (sunt enim plurima), ab eâdem causâ esse profecta existimandum est, quæ sacrosancta, atque amabilissima nostra mater Ecclesia nobis proposuit, sive in anniversariis festis, sive in imaginibus et statuis, atque simulacris Christi Jesu, et reliquorum sanctissimorum hominum monimentis. Nempe ut quæ ille salutis nostræ gratiâ et fecit, et passus est, ea assiduo et grato animo recolentes, ipsius amore inflammemur magis magisque, et tanquàm unicum salutis nostræ auctorem adoremus. Quæ verò divorum quisque per virtutem, et in Christum fidem patravit observantes, ad eorum exemplum vitam nostram instituamus componamusque. Quapropter in nefario crimine ponendum ego certè existimo, quòd quidam ista sacrarum rerum monumenta, non religiosè, sed rabiosè, non piè sanctèque, sed petulanter et protervè è sacris ædibus non removent modò, sed cum contumeliâ et ludibrio ejiciunt. Quod facinus, quanta in moribus licentia, in Deum impietas, adversùs magistratum rebellio, et, ut semel dicam, in omni genere deformatio reipublicæ consequatur, non solùm ipsâ experientiâ acerbum et triste, sed cogitatione etiam luctuosum est piis, et antiquæ probitatis hominibus. Sed est illicò in ore Ezechias à pietate atque religione laudatus rex, qui æneum serpentem, à Mose divino conflatum consilio, confregit. Atqui id ille faciebat, ut sacra narrat historia, quia Israelitæ ei serpenti adolebant, barbaro ritu, proque Deo eum colebant, quem Nehustan, quasi æneum Deum dicas, nominatim compellabant; at idem ille à Mose ipso, à Josuâ, à Davide, ab aliis sanctissimis imperatoribus et principibus viris, non confractus, sed conservatus fuerat. Quare similiter id cautum potiùs etiam nunc, per sacras conciones admonitionesque oportuit, ne benè, et pro reipublicæ salute constitutis rebus, pauci quidam malè uterentur, quàm in commune omnibus tam commoda pietatis adminicula, tantâ cum petulantiâ, nullâ auctoritate bonâ, ire ereptum. Sed revocanda est oratio ad institutum.

Particulam כי interpretatus sum, *quando*, quod etiam Septuaginta fecerunt. Posset tamen æquè commodè accipi, ut causam ostendat ponendi monumenti, quo sensu esset retinenda exprimendaque conjunctio, quæ in proximi versûs initio est scripta. Nam ea alioqui, ut supervacanea, potest omitti. Adverbium *cras*, ut hoc loco, ita alibi sæpè, omne tempus quod futurum est, significat Hebræis ἀορίστως, q. d.: Quandocumque posteris temporibus interrogaturi sunt qui è vobis nascentur.

Vers. 7. — Et dicetis illis, quia defecerunt aquæ Jordanis, etc. Hæc doctrinæ ratio, quâ præclara Dei opera parentes inculcent filiis, legumque et constitutionum, atque cæremoniarum sacrarum rationes ipsis exponant, atque explicent, tam crebrò in sacris litteris jussa legitur, ut locos indicâsse nullum sit operæ pretium. Nimirùm cùm nihil mortalibus debeat esse antiquius verâ religione, quæ sola ad immortalitatem aditum dare potest, et beatos efficere, nulla potest à parentibus hæreditas potior utiliorque liberis relinqui, quàm si ipsos probâ religione ac pietate adversùs Deum informari, sanctisque colendi numinis ritibus institui curent. Ut neque contra, ullius rei melioris exhæredes facere filios suos, aut ipsos negligere perniciosiùs illi possunt, quàm si istarum rerum expertes educari sinant. Observanda est autem hoc loco sanctissima Josuæ pietas, dùm gratissimum animum suum, in Dei majestate, simul et beneficentiâ, qui suâ præsentiâ flumen exsiccaverat, ita defixum habet, ut iterùm iterùmque repetitis verbis

rem tantam commemorando, magnâ suavitate recordationis perfundi, seque vix satiare posse videatur. Quare non satis rectè, ut à Septuaginta, ita et latino verborum repetitio, tanquàm περισσολογία non est repræsentata, sed silentio dissimulata. Quòd porrò lapides dicuntur monimentum fore Israelitis, usque in seculum, significat eam tam insignis beneficii Dei, quo patres affecerat, propagationem ad omnem posteritatem, usque in seculum, esse veluti vinculum quoddam, quo universum Israelis genus, quotquot per omnes futuras ætates essent nasciturî, conjunctos se atque consociatos esse beneficentiarum Dei communione intelligere possent, atque ad numerum filiorum Dei, quos ille semel gratuitâ benignitate adoptâsset, se pertinere. Rectè ergo Augustinus monet, illud, *usque in seculum,* aut, ut ipse ex Septuag. convertit, usque in æternum, ad rem per lapides significatam pertinere, cùm ipsi æterni non essent. Quanquàm certè τὸ *Olam,* Hebræis non semper æternum est, ut neque Græcis αἰὼν, sed sæpè seculum, atque etiam temporis spatium seculo brevius significat.

Vers. 8. — Itaque filii Israel fecerunt ut jusserat Josua, etc. Filii Israel vocantur, per synecdochen, duodecim illi viri, ad ferenda duodecim saxa delecti, quia suam quisque tribum, à quâ fuerat designatus, repræsentabat, ac proinde simul omnes, populum universum, quem filios Israel solent sacræ litteræ nominare. Sed cur septuag. Interpretes illam sacrorum verborum comprehensionem: *Pro numero tribuum filiorum Israel*, sic redderent: Ἐκ τῆ συντελείᾳ τῆς διαβασέως τῶν υἱων Ἰσραὴλ, hoc est, *cùm absolverent trajectum filii Israel,* ego certè causam justam nullam videre possum. Nam ut demus, ipsam trajectionem, veluti recensionem quamdam populi fuisse, atque pro verbo, מספר, quod alioqui numerum significat, illos reddidisse διάβασιν, trajectionem, certè Deus ista non mandârat imperatori, postquàm absolvissent, sed priusquàm auspicati essent Israelitæ trajectum.

Sed referunt, dices, illi interpretes eum verborum ambitum, non ad id tempus, quo Deus mandata illa Josuæ dederat, sed quo viri ea conficiebant; conficiebant autem peracto trajectu. Atqui nuperrimè, versu 5 scilicet, rectè converterant, κατὰ τὸν ἀριθμὸν τῶν φυλῶν τοῦ Ἰσραὴλ, eadem prorsùs verba; quæ ergo erat ratio, cur nunc ea sensu tam diverso interpretarentur, quæ minimè sunt ambigua? Sed ego existimo, quod semel dictum fuerat, neque alioqui magnoperè dictu necessarium videbatur, cùm res ipsa per se satis esset perspicua, id ab illis interpretibus hoc loco esse præteritum, et pro eo aliud redditum, quod narrationem faceret dilucidiorem, nempe, tum demùm sublatos asportatosque à viris esse è Jordane duodecim lapides, cùm universa multitudo trajectionem absolvisset. Ego verò de his prolixiùs jam disserui, quàm instituta ratio mea postulabat; sed volebam ostendere, eos interpretes nonnunquàm certo consilio, non errore, aliud quàm Hebræum habet, reddidisse. Id enim compluribus in locis, ab illis esse factum, visus mihi sum animadvertere. Cæterùm an delecti illi, simul atque suum quisque lapidem in humeros sustulissent, depositum onus ad Galgala properârint, quam R. David Kimhi opinionem habere videtur; an verò arcæ pompam, suo quisque ordine locoque prosecuti sint, quod ego esse verisimilius puto, neque satis explicatum est, neque scire magnoperè refert. Sed imperatorem saxa in Galgalis spectabili situ statuisse, et veluti dedicâsse, id verò ad versiculum vicesimum ostendemus.

Vers. 9. — Duodecim item lapides statuit Josua intra Jordanem, etc. Quin à Deo mandatum istud habuerit imperator, equidem dubitare neminem debere, arbitror, cùm in rebus omnibus ab ore Eleazaris pontificis, tanquàm interpretis et administri Dei, totus pendere semel jussus fuerit. Sed mirum profectò videri potest, quorsùm isti in fluminis fundo lapides! Scitè quidem, ut videtur, Augustinus, sepultos illos per baptismum Jordanis, interpretatur, veteris esse legis Patriarchas; asportatos verò, atque in Galgalis servatos, legis novæ Apostolos. Sed quando præter anagogen, ipsa, quam sacra verba præ se ferunt, historia quoque rationibus non absurdis conservanda est, equidem existimo notatum istis saxis esse, tanquàm æterno monimento, locum, in quo insistens sacra arca, inundantem rapidumque amnem suâ præsentiâ interrupit. Institisse autem eam in extremâ alvei orâ, diximus supra. Itaque in eâ extremitate, quæ rarò, nisi inundante flumine, aquis obruebatur, saxa illa plurimâ anni parte fuisse aspectabilia. Nam cùm illud flumen altiùs quàm latiùs fluat, quod referunt oculati testes, quis existimet vel in medio lapides illos fuisse positos alveo, ubi nunquàm apparerent, vel tam fuisse magnos, ut supra profundissimi fluminis aquas exstarent? Neque enim penitùs latuisse, argumento

est ille, qui subjicitur, verborum ambitus : *Et fuerunt illic usque ad hunc diem.* Jam verò illud quàm est absurdum, quod tamen Judæis quibusdam placet, situ quidem ipso obscuros fuisse, sed famâ nobiles? Atqui quem admoneat monimentum quod appareat nunquàm? aut quid omninò opus sit, si sola fama memoriam rei posteris abundè prodat? Porrò illa verba : *Et fuerunt illic usque ad hunc diem*, sic interpretatur quidem divus Augustinus, quasi id modò significent, eo esse proposito à Josuâ collocatos in flumine lapides illos, ut perpetuò inibi manerent. Sed ille ea verba Josuæ esse existimat, qui sua ipse gesta conscripserit, quod est profectò longè secùs. Quis enim eum audire posset, qui cùm aliquod monimentum statueret, simulque ejus memoriam litteris consignaret, diceret id suo statu mansisse usque ad eum diem, quo statuisset? Sed sunt ista à nobis aliis locis disputata.

Vers. 10. — Cæterum sacerdotes sustinentes arcam stabant intus in Jordane, etc. Quæ jusserat Deus imperatorem loqui ad populum, ea erant, inquit Rabbi David Kimhi, quæ ad bis duodenos lapides, alteros asportandos è fluminis alveo, alteros ibidem reponendos attinebant. In iis autem jussis fuisse etiam, ut ad populum concionaretur de tanti beneficii memoriâ ad omnem posteritatem propaganda, est credibile. Nihil enim neque fecisse, neque locutum esse Josuam, divinum planè virum, existimo, nisi cœlesti afflatum Spiritu. Sed illa, *quæ præceperat Moses Josuæ*, cujusmodi tandem fuerint, non perinde facile explicatu esse videtur. Nusquàm enim commemoratum est, Mosen verbum unum fecisse, Josuamque edocuisse, de trajectûs ratione, aut lapidum vel asportandorum vel ponendorum modo. Igitur idem ille R. David Kimhi, ea dici Mosis mandata existimat, quæ de statuendis duodecim saxis calce oblitis in monte Hebal, scripta sunt in Deuteronomio, nimirùm nullo judicio secutus Talmudicorum errorem, qui in סוכה, scriptum reliquerunt, ea omnia, quæ capite octavo hujus commentarii, post deletam urbem Hai, memorabuntur, acta esse hoc ipso trajectionis die, qui fuit mensis nisan decimus. Verùm hoc quàm sit, non modò absurdum, sed stultum, ostendemus suo loco. Neque verò est, quòd Kimhi excuses, quasi opinantem, sacerdotes non mansisse quidem usque eò intra alveum, dùm longâ illâ cæremoniâ defunctus esset populus apud Hebal, sed donec eam verbis populo exposuisset imperator, cùm illud, עד תסכל הדבר, de rebus ipsis confectis, non de verbis, etiam Kimhi interpretetur, ut nos. Quare mihi probabilius videtur, nulla hìc singularia Mosis jussa significari, sed ea monita, quibus ille Josuam sub extremum vitæ actum ad se vocatum erudiebat universè, ad morigerandum magnâ animi fortitudine præeunti Domino, qui se nunquàm esset deserturus, ut hujusmodi sit istorum verborum sensus, Josuam fortiter exsecutum esse ea omnia, in traducendo populo, quæ à præsente Deo acceperat esse facienda; planè ut Moses eum magno esse animo jusserat, cùm Deum esset habiturus in rebus omnibus monitorem, præmonstratoremque. Sed enim laudabamus supra sacerdotum fidem, qui amnem profundum, turbidum, rapidum tentare pedibus, solâ verbi Dei fiduciâ nisi, non dubitârunt. Hìc verò prædicanda etiam proponitur illorum incredibilis patientia, cùm æquissimo animo sustinent, non solùm maximæ multitudinis diutinam trajectionem, verùm etiam lapidum deinde tum excipiendorum, tum subjiciendorum cæremoniam, et insuper imperatoris conciones; neque vel evadendi unà cum cæteris in Chananæam desiderio, neque impendentis suis cervicibus immensæ aquarum molis metu dimoventur ab officio.

Neque verò dubium est, quin præclarissimum sacerdotibus omnibus exemplum in istis sacræ arcæ bajulis statuere voluerit Spiritus sanctus, quantâ debeant patientiâ uti, ut omnium saluti consulant. Cujus etiam vel maximè insigne illud exemplum est, quòd optabat Paulus anathema esse, atque abalienari à Christo, pro suis fratribus. Quod sequitur in sacrorum verborum ordine : *Populus verò festinârant, et transierant*, R. David Kimhi præcisè accipit de duodecim viris delectis. Opinatur enim ille, imperatorem cum istis mansisse cis flumen, tantisper dùm cæteri omnes in Chananæam transivissent, ac tum demùm ipsis imperâsse, ut in alveo progressi ad arcæ usque stationem, saxa inde tollerent, hocque ab eis prosperè festinanterque esse factum. Sed populum universè dici, patefacit qui insequitur versiculus. Quare superiorem nostram sententiam tenendam censeo.

Festinârant igitur omnes evadere è fluminis alveo, quamvis sicco, in continentem, quia verebatur pro se quisque, ne horrificum illum aquarum montem à dextris exstantem non satis citò subterfugeret. Nam etsi fide transirent Jordanem, ut ante Rubrum mare, quod attestatur Apostolus ad Hebr. 11, 29, tamen

quàm soleat mutare fides nostra, præsertim in manifestariis discriminibus, neminem esse opinor, qui in seipse non sæpè experiatur. Et verò etiam Petrus, cùm per fidem aquas Genesaræ calcaret, simul atque ventum flare vehementiùs animadvertebat, cœpit hæsitare et mergi. Properemus igitur etiam nos, fratres. Neque improbo aut diffidente animo absistamus ab eo, quod nobis noster Josua, sive Jesus Christus proposuit, itinere; sed exhortemur incitemusque nos mutuùm, dùm durat dies hodiernus, quò patet via, tantisper videlicet dùm nos expectat intra hujus mundi alveum arca illa, in quâ habitat ipsa divinitas corporaliter, neque dùm fluxa corporis nostri moles dilapsa dissolutaque nos à progressu arcuit, festinemus, inquam, intrare in terram illam nobis promissam, terram felicem et beatam, quam Deus ipse suam vocat requiem, apud sacrum vatem, ad præsentem narrationem alludentem, ne dùm obstinatè ad carnis nostræ ductum nos applicamus, prætermissâ intrandi occasione, frustrati in posterum, concidamus per diffidentiam, ut Israelitæ olim; prostratique in horrìdâ illâ et tenebricosâ infernorum solitudine, perpetuò pereamus.

Vers. 11. — Cumque absolvisset omnis populus trajectionem, etc. Videntur quidem ista in hanc sententiam dicta, sacerdotes cum arcâ juxta priorem illam ripam, è quâ flumen primò attigerant, adhuc institisse in fluminis alveo, nunc verò demùm per transversum evadere in Chananæam. Unde natum est Talmudicorum commentum, quod illo, quem nuper citabam, loco scriptum reliquerunt, cùm jam universus populus transivisset in Chananæam, sacerdotes retulisse arcam in eam ipsam ripam è quâ primùm in aquas descenderant, cùm proximè ad eam institissent, cùmque subitò diffusâ aquarum illâ mole, quæ adhuc fuerat arcæ præsentiâ cohibita, repletus fuisset alveus, tum demùm tranavisse, per interlabentes aquas, arcam in Chananæam, spectante ex adversâ ripâ populo, atque suos bajulos secum transvexisse, ut jam ipsa portaret à quibus fuisset nuper portata. Sed insulsum hoc commentum, etiam Kimhi exagitat. Nimirùm isti homines quidvis potiùs comminiscuntur, quàm ut patiantur se non ineptos videri. Atqui arcam et sacerdotes transire ante populum, non est, flumen trajicere, sed eos, qui adhuc fixis vestigiis institerant, è fluminis alveo jam in continentem ascendere, atque in Chananæam transire. Sed illud, *ante populum*, anceps est; commodè enim sic interpretetur, ut significet, arcam se denuò itineris ducem præbuisse, atque per expectantem apud transmissum flumen populum, ad principia penetravisse. Rursùs non minùs aptè, ut *ante populum*, sit, populo spectante, nimirùm ut intelligamus, multitudinem populi oculis observâsse atque notâsse, aquas è vestigio cursu consueto fluere iterùm cœpisse, cùm ex alveo exportaretur arca. Id enim miraculi non minima pars erat, atque ad amplificationem gloriæ imperatoris mirificè erat utile, ut mox explicabimus. Nam illa Kimhi interpretatio, sacerdotes, et unà arcam, qui ante populum, primique in alveum descenderant, ultimos excessisse, quamvis quod res est dicat, extorta tamen est, neque sacris verbis satis consentanea. Atque hìc rursùs proborum antistitum munus quale sit, ostenditur: debent enim illi in procurandâ communi salute populi, et primos se atque antesignanos præstare, et stationem locumque suum non deserere, nisi à Deo jussi, aliòque vocati.

Vers 12, 13. — Transierant etiam Rubenitæ, Gaditæque, etc. Quæ ad hanc narrationem attinent, ea sunt à nobis pertractata capite primo. Si quis tamen, aliter atque nos, existimare malit, istas duas tribus et dimidiam in primâ acie fuisse, reliquamque multitudinem omnem procedendi ordine antevertisse, is verbum, ויעברו, reddat per præteritum perfectum, et transierunt, sive processerunt Rubenitæ, etc. Illud verò, *ante Dominum*, interpretetur cum Chaldæo, *ante populum Domini*. Neque enim probabile est, illos proximè ante arcam incessisse. Ego tamen in meâ sententiâ maneo, atque hoc, *ante Dominum*, sive *coram Domino* (est enim hebraicè, לפני יהוה, ac si dicas, *in conspectu Domini*), planè eo sensu accipiendum arbitror, quo illud de Nemrod, *robustus venator coram Domino*, nimirùm ut, κατ' ἐξοχήν, insignis præstantia roboris, et militaris alacritatis illorum sociorum commendetur, aut, si id malis, spectabilis ordo, aciesque instructissima, quâ illi procedebant, notetur; quod Latinus sensisse videtur, cùm diceret, *per turmas et cuneos*. Neque enim alioqui cuneorum, aut turmarum ulla est in sacris verbis notatio. Et in Regum historiâ Gabaonitæ narrantur, suspendisse septem Saülis nepotes in monte לפני יהוה, *coram Domino* quod profectò est, ac si dicatur, illustri loco, et excelso atque celebri. Porrò quod nos convertimus, *campos*, est hebraicè ערבות. De quo

verbo disseruimus ad versiculum 16. Aquilas rursùs, ut loci proprium nomen, non mutat. Symmachus verò, ut ante, solitudinem, hoc est, τὴν ἀοίκητον convertit, sed absurdè profectò; neque enim ullus, opinor, locus totâ Chananæâ erat amœnior Jerichuntis agro, quamvis etiam tum aquas haberet insalubres. Cæterùm in planitie atque æquabili loco sitam fuisse eam urbem, diximus ante. Theodotion autem, cur pro campis redderet πόλιν, *urbem*, nullam, opinor, justam causam ipse afferre potuisset.

Vers. 14. — Illo die magnum fecit Dominus Josuam in oculis, etc. Jam videmus, quæ causa Deo fuerit, ut Josuæ honorem amplificaret, nempe, ut cum honore cresceret auctoritas apud populum. Cùm enim Deus in gubernandis suis, atque ad ea quæ sint suo divino consilio consentanea, ipsis verò salutaria, dirigendis, hominum administrorum operâ utatur, pro admirabili suâ benignitate eos administros augustiores omnium existimatione reddit, quò his illi lubentiùs obsequantur, tanquàm se melioribus, quibus alioqui suæ utilitatis gratiâ spontè morigerari, ut ad felicitatem ducibus, deberent. Tanta enim vecordia hominum mentibus insidet, ut pauci aliis hominibus, quantùmvis justa, æqua, utilia, salutaria monentibus, parere animum facilè inducant. Quare prudenter Cyrus censebat, non satis esse si imperatores reipsà essent parentibus meliores, sed debere insuper affectato cultu elegantiore, quasi præstigiis quibusdam, curare, ut augustiores videantur. Sed sanè quovis cultu efficacior est sancta illa veneratio, quam illis divina conciliat occultè providentia.

Cæterùm quantoperè interfuerit reipublicæ Israelitarum, ut Josua, cùm hoc miraculo, tùm aliis deinceps rebus gestis, et inprimis arcanâ illâ majestate, quâ ipsum afflavit divina benignitas, tam esset universo populo venerabilis, perspicuè declarant res turbulentissimæ, et tempestates maximæ, quæ mox, ut ille è vitâ excessisset, sunt consecutæ. Ut in hujus sacri commentarii extremo audiemus. Quare summæ beneficentiæ loco amplecti populus debet, et tanquàm ex singulari erga se Dei amore profectum existimare, si sibi contingat venerandus gravitate, atque majestate verendus magistratus, eumque ut singulariter sibi à Deo commendatum, meritis honoribus et debitis, atque omnis obsequii cultu prosequi. Contra verò, si vel lenitate ineptâ, vel secordi negligenteque ingenio, vel pravis moribus, vel rerum imperitiâ atque imprudentiâ, aut totius denique vitæ cultu contemptus et despectus detur gubernator, debet quidem eum, ut à Deo sibi præfectum, revereri, sed interim apud animum suum existimare, judicareque, eam principis sui socordiam, cœlestem iram, magnumque communis rei infortunium portendere, ac proinde assiduis precibus divinum numen placare, orareque, Sapientis illius exemplo, qui Sapient. 9 sic deprecatur: *O Deus patrum et misericors Domine, qui hunc populo tuo prafecisti, et judicem filiorum tuorum, filiarumque constituisti, manda è sancto cœlo, et à solio gloriæ tuæ assistentem tibi sapientiam, ut illi præstò adsit laborum socia, eaque illi suggerat quæ tibi sint grata et accepta, nobis verò salutaria, et omninò ipsius actiones prudenter dirigat, quò gratia tibi fiant opera ipsius, nosque tuum populum justè legitimèque gubernet. Imbue illum, Domine, sanctissimo tuo atque cœlesti Spiritu, ut nostros mortalium mores corrigat; quò edocti quæ tuæ sint voluntati consentanea, servemur per tuam, quâ illum informaveris, sapientiam*, etc. Cætera quæ ad hunc versiculum explicandum pertineant, sunt à nobis dicta partim ad versiculum decimum septimum primi capitis, alia ad septimum hujus.

Vers. 15, 16, 17, 18. — Dixerat enim Dominus ad Josuam hæc verba: Jube sacerdotibus, etc. His quatuor deinceps versiculis explicatiùs narratur, quod undecimo versiculo inchoatum fuerat. Quoniam autem mirificè illustrat miraculum, quod imperatoris jussu sacerdotes, ut ante ingressi in aquas, subitò eas divisêre, ita egressi rursùs committunt, similiter atque in trajectu maris Rubri, Moses suâ virgâ ut aquas ante diduxerat, ita eadem cùm vellet, denuò conjungebat; ideò copulam sumus interpretati quasi causalem conjunctionem, *enim*. Quippe non dubitamus, quin ideò, ut ante in aquam pedes mergere, atque in alveo insistere, ita nunc egredi disertè à Josuâ esse sacerdotibus imperatum memoretur, quo res tam admirabiles, dico aquas refrenatas atque cohibitas, et rursùm laxatas, ipsius auspiciis adscriberentur, tanquàm divino nutui consentaneis, ac proinde ipsum omnes, ut Dei consiliarium atque administrum revererentur. Nam tum quoque demùm Israelitas credidisse Deo et Mosi, narrat sacra historia, cùm hic denuò, protensâ manu, aquas maris, quas ante diviserat, consociâsset. Nisi enim et illic Rubri maris, et hic fluminis undæ, quorum

nutu repressæ coactæque adversùs suam ipsarum naturam in cumulos constiterant, pro eorum rursùs arbitrio solutæ usitato more fluxissent, ingrati homines, et ad detrahendum Dei, ministrorumque ejus laudibus, et gloriæ nimis proni, facilè rerum illarum eventum, vel ad fortuitum casum, vel ad occultas quasdam naturæ causas retulissent potiùs, quàm ad Dei immensam potentiam, et erga suos munificentiam, studium, providentiam. Nam cùm in fretis etiam, marinisque æstibus accessus et recessus aquarum admirabilitatis maximæ fieri videamus, quos tamen ideò non vehementer miramur, quia usitati sunt, statasque observant vices, in istis novis quasi æstibus causarum ignorationem, et rei novitatem fecisse mirationem dixissent. At nunc erepta cuivis omnis calumniæ ansa videri debet, posteaquàm in utriusque manu fuisse cognitum est, ut diducere aquas, ita, quo visum esset momento, rursùs contrahere. Cæterùm ponitur hîc iterùm nobis ante oculos, et sacerdotum et imperatoris Josue consultissima modestia, dùm neutri temerè properâsse, sed hic Dei, illi principis sui jussa patienter exspectâsse memorantur.

Cur autem arca vocetur *arca testimonii*, diximus supra. Septuaginta Interpretes uberiùs hunc locum reddiderunt, *arcam testamenti*, sive fœderis, *testimonii Domini*, quia, ut ait divus Augustinus, ipsa Mosis lex, quæ eâ capsâ servabatur, testimonium erat justitiæ Dei, quæ per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes credentes successit.

Porrò illud *ascendentibus sacerdotibus*, sive, dùm ascenderent sacerdotes, explicatè redditum à Chaldæo est, *dùm vellent ascendere sacerdotes*, nimirùm ut divinum monumentum in sacerdotum pedibus positum, qui arcam sustinebant, exprimeret apertiùs, à quibus ut vix dùm contactæ aquæ substiterant ante, ita nunc vix ab iisdem liberatæ, profluunt. Siccum autem, cujus hîc est mentio, continentem significat, hoc est, eam terræ extremitatem, quæ alveo proxima, ab inundante flumine non obruebatur, tegebaturque. Nam alioqui in ipso etiam alveo institerant in sicco, ut supra vidimus. Sed enim, quando jubentur jam sacerdotes, relictâ statione suâ, ascendere è Jordane, non autem transire Jordanem, quis non videat, ipsos in extremâ chananaici lateris orâ stetisse, ut vel primo passu prolato, primoque facto vestigio novo extra alveum in Chananæam evaderent? quod ante contendebamus. Porrò cùm dicuntur *revertisse aquæ in locum suum, atque fluxisse, ut ante, alveo pleno*, verisimile est, ita moderatum esse Deum immensam illam congestarum aquarum vim, ut ne cum impetu prolaberentur, sed vel paulatim decrescente illo ingente cumulo, vel alioqui Dei nutu sensim evanescente, aut per occultos terræ meatus diducto, nulla admodùm major copia apparuerit, quàm ante inchoatum miraculum. Etenim si semel tanta moles laxata prorupisset, seque profudisset, procui dubio minimè contenta fluminis alveo, omnia longè latèque loca obruisset. Quòd autem dicuntur revertisse aquæ ad locum suum, significat, eas per prona vada descendisse ad Asphaltiten versùs; eò enim tendere ante solebant. Nisi existimare malis, hoc dici, priùs retrorsùm actas ab arcæ præsentiâ, quod Davidem canere diximus, nunc prorsùm illùc, quo suâpte naturâ dicebantur revertisse.

Vers. 19. — Porrò populus ascendebat ab Jordane decimo mensis, etc. Hoc est, populus, cùm trajecisset universus, relicto Jordane secutus est arcam usque ad Galgala, atque ibi castra fecit, eodem illo die decimo primi mensis, quem diximus nisan vocari. Quod commodum sanè accidit Dei providentiâ, ut tempus superesset quo se ad Pascha faciendum, per circumcisionem compararent, quod festum die decimo quarto ejus mensis agere divinâ lege erat sancitum; nefas enim fuit, non circumcisos Pascha facere, et, nisi sacris illis ritibus expiato numine, bellum chananaicum auspicari, ut proximo capite dicemus. Ad hoc, agnus ad paschale sacrificium erat hoc decimo die deligendus è grege; quod per iter fieri vix potuisset. De mense primo multa sunt à nobis disputata supra, quibus hoc modò addam, ad primi istius mensis rationem, omnia quæ sacrâ lege sancita sunt, festa celebrari solere atque etiamnum à Judæis celebrari, quæ quidem celebrantur in exilio, præter jubilæi, et anni septimi cæremoniam. Nam, ut temporum omnium rationem supputant ad mensem, quem ab hoc septimum tisri vocant, ut diximus supra, quòd eum conditi orbis fuisse initium putent, ita et jubilæi quoque, et anni septimi; quod quæstûs et compendii causâ est à Talmucidis sancitum. Nam si jubilæus, et annus septimus, terræ quieti dicatus, à nisan numeraretur, necesse esset multos frugum duorum annorum proventu mulctari; quando in plerisque regionibus ante eum mensem, quo tempore metenda esset messis anni sexti, illæ

haud essent maturæ ; septimo verò toto anno neque metere, neque sementem facere fas esset. Solebant autem veteres Hebræi nulla habere mensium suorum nomina, sed eos ex ordine, primum, secundum, tertium, atque ita deinceps, dicere. Sed quibus nunc ferè utuntur Judæi nominibus, ea à Persis, Medis, Babyloniis in exilio accepêre. Quæ causa est, ut in sacris litteris nusquàm, nisi in eorum historiis qui post memorabile illud exilium celebres vixêre, nova ista nomina appareant, ut apud Zachariam, Danielem, Esdram, Esther. Galgala locus erat ab Jordane versùs occidentem remotus stadiis quinquaginta, ut ait Josephus, decem verò citra Jerichuntem positus. Erant ergo Galgala, ut est in sacris verbis, *in finibus orientalibus Jerichuntis*. Mansêre autem illic castra multis annis, ut sæpè dicetur. Erat enim locus perappositus, et aquis, ob vicinos undequàque montes, atque etiam Jordanem, et fructibus abundans. Nomen autem, Galgal, unde loco manserit, audiemus proximo capite. Nunc enim per anticipationem sic appellatur, ut *Lavina littora*, à Poetâ, Æneid. 1, vers. 2.

Vers. 20. — Statuitque Josua in Galgalis duodecim lapides illos, etc. Tertullianus opinatus est, lapides istos in ipsâ sacrâ arcâ conservatos esse. His enim usus est adversùs Marcionem verbis. Et duodecim, inquit, lapides ab Jesu de Jordane lectos, et in arcam testamenti conditos deprehendo ; totidem enim Apostoli portendebantur. At R. Levi F. Gersonis existimat apud arcam quidem, perpetuò esse asservatos, ut cùm ter, ut minimum, Israelitæ quotannis ad eam convenirent, hoc enim lex jubebat, memoriam rei gestæ monimenti præsentia omnibus renovaret ; cæteroqui in ipsâ arcâ apud manna, et Aaronis virgam minimè fuisse locatos contendit. Neque enim id dicere sacram narrationem, neque etiam consentaneum fuisse, ut ista monimenta consimili cum illis mosaicis honore dignarentur, omnium divinissimis. Ad hoc, in mannâ atque illâ virgâ perpetuum fuisse miraculum, cùm illud nullâ solis vi aut temporis diuturnitate dissiparetur, aut computresceret, hæc semper amigdalis fœcunda esset ; at lapidibus nihil miratione dignum ipsis quidem accidisse, sed admirabilis rei monimenta eos fuisse modò. Denique majora fuisse illa duodecim saxa, quàm pro sacræ capsæ spatio. Sic ferè Levi Gersonis. Ego verò, quia statuisse eos imperator memoratur in Galgalis, non apud sacrarium Dei, puto esse verisimillimum, in Galgalis positos mansisse, ut loco et celeberrimo, et flumini vicino, ad quod illa maximæ admirabilitatis res, cujus ipsi memoriam conservare debebant, patrata à Deo fuerat. Et verò divus Hieronymus in Paulæ Epitaphio dicere videtur, eos etiam tum in Galgalis visi solere. Et quod unum satis magno debet esse argumento, perspicuè apparet ex sacris verbis, illos non temerè esse in Galgalis depositos modò ex humeris bajulorum, sed ab ipso deinde imperatore statutos, nimirùm spectabili quodam situ, quali statuas statuere est moris, atque ut primo quemque aspectu admonerent, insignis alicujus se rei notas esse. Quin religiosam quoque veluti dedicationem consecrationemque esse adhibitam, probabilis conjectura ex concione ducitur, quam imperator, cùm illos statueret, habebat ad populum. Sequitur enim in sacro textu

Vers. 21, 22, 23. — Et ait ad filios Israel, dicens : Quando interrogabunt, etc. Etsi non dissimilis sit ista conciuncula, à superiore illâ, quam versiculo sexto et septimo commemorari audivimus, diversa tamen est. Nam illa, dùm tollerentur lapides, et potissimùm ad ipsos duodecim bajulos habebatur ; hæc verò cùm ab imperatore illi statuuntur, et ad populum universum. Sed quando utriusque adhortamenti eadem una est sententia, nihil opus est explicare denuò. Vetat quidem sacra lex, statuas ponere, sed ita ut divinam apud populum habeant venerationem, eamque ille ad ipsas adhibeat reverentiam, quæ uni Deo debetur, et adoratio à theologis vocatur. Sed de sacrarum rerum monimentis satis multa diximus supra. Cæterùm ex iis verbis, quæ ad populum facit imperator, apparet, saxa ista, præcipuè quidem exsiccati Jordanis, propter similitudinem tamen atque convenientiam, siccati etiam maris Rubri fuisse monimenta, cùm hujus ostenti, quod tamen omnibus seculis esse celeberrimum oportebat, nullum exstaret usquàm aliud signum, nisi illud signum, quod Moses divino suo carmine posuerat, quo sanè nullum neque illustrius, neque diuturnius cujusquam hominis industria potuisset efficere. Cur autem nullum apud mare illud saxeum poneretur monimentum, diximus, nisi me fallit memoria, ante. Nempe illa loca erant mansura sola, cùm Ægypti etiam nomen deberet Israelitis triste ac detestabile videri, nedùm ut illùc sæpè redirent.

Porrò quod de mari Rubro ad præsentes loquitur illis verbis, *quod nostrâ causâ*, sive, à facie nostrâ, *exsiccaverat, donec transivissemus*, quorum, ut credibile est, pars longè maxima

non transmiserat exsiccatum mare Rubrum cùm post nati essent in deserto, illi verò qui transmiserant plerique concidissent, nefario rebellionis crimine obstricti; quod, inquam, sic loquitur, ideò facit, quia intelligebat divinus homo, Dei beneficia non ad eos solos pertinere, qui illorum temporum æquales iis præsentes afficiuntur, verùm ad omnem ex æquo posteritatem. Hoc enim ita esse, quis non videat, cùm jubet populum his uti olim verbis apud suos nepotes : *Exsiccavit Dominus Deus vester aquas Jordanis, propter vos, donec trajecissetis?* Neque enim nondùm nati, nisi in parentum lumbis, ut alibi in sacris litteris est, trajicere potuerunt. Ea igitur ratio est, cur nullo discrimine, nunc primæ personæ, nunc secundæ utatur pronomine. Parùm enim plenè, mihi certè, sensa sacræ Scripturæ videntur exponere, qui censent, de Jordanis trajectu dictum esse *vestrâ causâ,* sive propter vos; de Rubri maris verò, *nostrâ causâ,* quia Jordanem siccatum transmiserant omnes, ad quos ista verba fiebant; mare verò Rubrum, patres, in quorum numero is erat, qui verba faciebat. Sed pergamus.

Vers. 24. — Ut agnoscerent omnes populi terræ manum Domini, etc. Duplicem ostendit divini consilii, in patrandis miraculis, atque ostentis, scopum : alterum, ut omnes mortales agnoscant propiùs veri Dei inevitabilem potentiam, eòque ad credendum in illum inducantur; alterum, ut credentes religionem pietatemque adhibeant ad illum majorem. In utroque autem abundantia duarum præcipuarum Dei virtutum cernitur, misericordiæ, et justitiæ, quæ in divinâ illius procuratione salutis hominum primas partes agunt. Nam quòd omnes homines ille cupit, agnitâ veritate, salvos fieri, est id quidem ejus divinæ misericordiæ. Sed cùm eam veritatem, atque adeò semetipsum, quatenùs quidem à mortalibus cognosci potest, hoc est, sempiternam suam potentiam, divinitatemque, omnibus semel patefecerit, per contemplationem videlicet hujus rerum universitatis, quam et condidit, et deinceps certis et perpetuis naturæ legibus gubernat, eòque satis magnam suî amandi colendique (in quo absoluta justitia et radix immortalitatis, atque omninò beata vita est posita) ansam omnibus dederit, non potest profectò non censeri summa misericordiæ abundantia, quòd insuper usitato illo, et perpetuo conditarum à se rerum cursu subinde mutato, aut flexo, socordes mortalium animos excitare, atque ad suspiciendum vel sic tandem in cœlum compellare ipsos dignetur. Jam verò ex contrario, cùm ignorationis excusationem non habeant, quâ meritas pœnas effugiant ii qui ex illâ mundi creatione, gubernationeque cognitum Deum, non dignâ ipso gloriâ, gratâque pietate prosequuntur, sed quos creatori debebant honores, eos rebus ab illo creatis reddunt, quomodò non longè justissimæ ejus iræ supplicium dare eos existimabimus, qui ne per hujuscemodi quidem inusitata et insignia miracula, atque ostenta expergefacti, insipientis sui animi cæcam caliginem discutere, Deique cognitione illâ rectè uti, in animum inducunt? Neque verò non eadem ratio est eorum, qui afflatu atque illustratione Spiritûs sancti, bonum Dei verbum sunt jam fide semel amplexati. Nam etsi ejus verbum vivum sit, atque efficax, et omninò ejusmodi, ut per occultam, quæ in eo est, cœlestis Spiritûs efficientiam, ipsum abundè satis esse illis deberet, ad affirmandam stabiliendamque fidem in Deum (hoc enim illud est quod canit sacer vates psal. 119 : *Profitebor te sincerâ mente, cùm didicero leges justitiæ tuæ*), tamen inusitatis sæpè prodigiis, atque miraculis insuper sua illa effata comprobare, et credentium fidem fulcire atque adaugere non desinit. Nimirùm ut pro immensâ suâ clementiâ illos sibi arctiùs atque arctiùs conjungat, obligetque. Sin autem istâ etiam tam paternâ benignitate spretâ, aut certè neglectâ, fidem fallant, justiore indicio damnentur. Porrò quod reddidi, *timeretis,* est in Hebræo præteritum modi finiti, *timuistis.* Sed talis enallage et temporum, et modorum frequens est in sacris litteris. Timoris autem vocabulo, cultum omnem atque religionem adversùs Deum significari in veteri Testamento, alibi à nobis explicatum est.

CAPUT V.

1. Postquàm ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum qui habitabant trans Jordanem ad occidentalem plagam, et cuncti reges Chanaan qui propinqua possidebant Magni maris loca, quòd siccâs-

CHAPITRE V.

1. Tous les rois des Amorrhéens qui habitaient au-delà du Jourdain, du côté de l'occident, et tous les rois de Chanaan qui possédaient le pays le plus proche de la *mer Méditerranée, appelée la* grande mer, ayant appris que le Seigneur avait séché les eaux du Jour-

set Dominus fluenta Jordanis coram filiis Israel donec transirent, dissolutum est cor eorum, et non remansit in eis spiritus, timentium introitum filiorum Israel.

2. Eo tempore ait Dominus ad Josue : Fac tibi cultros lapideos (1), et circumcide secundò filios Israel.

3. Fecit quod jusserat Dominus, et circumcidit filios Israel in colle Præputiorum.

4. Hæc autem causa est secundæ circumcisionis : omnis populus qui egressus est de Ægypto generis masculini, universi bellatores viri, mortui sunt in deserto per longissimos viæ circuitus ;

5. Qui omnes circumcisi erant : populus autem qui natus est in deserto

6. Per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis circumcisus fuit, donec consumerentur qui non audierant vocem Domini, et quibus ante juraverat ut non ostenderet eis terram lacte et melle manantem.

7. Horum filii in locum successerunt patrum, et circumcisi sunt à Josue, quia, sicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in viâ aliquis circumciderat.

8. Postquàm autem omnes circumcisi sunt, manserunt in eodem castrorum loco donec sanarentur.

9. Dixitque Dominus ad Josue : Hodiè abstuli opprobrium Ægypti à vobis. Vocatumque est et nomen loci illius Galgala, usque in præsentem diem.

10. Manseruntque filii Israel in Galgalis, et fecerunt phase, quartâ decimâ die mensis, ad vesperum, in campestribus Jericho.

(1) Videtur cultros lapideos ad circumcisionem aptissimos esse, eò quòd inflammationem non moveant (Exod. 4, 25). His Æthiopica tribus Almajab utitur in circumcidendo. Vid. Ludolf., *Hist. Æthiop.*, lib. 3, cap. 1, § 21.— Ovid. Fast. l. 4, v. 237 : « Saxo corpus (scilicet pudenda) laniavit acuto. » Juvenal., Satyr. 11, v. 116 et 4, v. 513. (Drach, loc. cit.)

dain devant les enfants d'Israël jusqu'à ce qu'ils fussent passés, leur cœur fut tout abattu, et il ne demeura plus en eux aucune force, tant ils craignaient que les enfants d'Israël n'entrassent dans leur pays.

2. En ce temps-là *donc* le Seigneur *voulut que les Israélites profitassent du repos que leur procurait la consternation où étaient leurs ennemis, pour recevoir dans leur chair le sceau de l'alliance qu'il avait faite avec eux. Ainsi il* dit à Josué : Faites-vous des couteaux de pierre, et circoncisez *ceux d'entre ce peuple qui n'ont point été circoncis, renouvelant* une seconde fois *par cette circoncision générale de tous* les enfants d'Israël, *ce que fit Abraham lorsqu'il circoncit en un même jour toute sa famille.*

3. Josué fit ce que le Seigneur lui avait commandé, et il circoncit les enfants d'Israël sur *une colline appelée depuis* la colline de la Circoncision.

4. Et voici la cause de cette seconde circoncision. Tous les mâles d'entre le peuple qui étaient sortis d'Egypte en âge de porter les armes, et qui moururent dans le désert pendant les longs circuits du chemin qu'ils y firent,

5. Avaient tous été circoncis ; mais le peuple qui naquit dans le désert

6. Pendant les quarante années de marche dans cette vaste solitude, n'avait point été circoncis, *les mouvements continuels où ils étaient n'ayant pas permis qu'on leur donnât la circoncision. D'ailleurs, Dieu avait ordonné que cela fût ainsi, et qu'ils ne portassent point dans leur chair le caractère de peuple du Seigneur et le sceau de son alliance,* jusqu'à ce que ceux qui n'avaient point écouté la voix du Seigneur, et auxquels il avait juré auparavant qu'il ne leur ferait point voir la terre où coulaient le lait et le miel, fussent morts.

7. *Mais après cela,* les enfants de ceux-ci prirent la place de leurs pères, *pour recevoir l'effet des promesses du Seigneur. Ils entrèrent de nouveau dans son alliance,* et furent circoncis par Josué, parce qu'ils étaient demeurés incirconcis comme ils étaient nés, et que pendant le chemin personne ne les avait circoncis *de peur de les faire mourir.*

8. Après donc qu'ils eurent tous été circoncis, ils restèrent au même lieu sans décamper, jusqu'à ce qu'ils fussent guéris.

9. Alors le Seigneur dit à Josué : J'ai enlevé aujourd'hui de dessus vous l'opprobre de l'Egypte, *en vous séparant par la circoncision de ce peuple incirconcis. C'est pourquoi* ce lieu fut

11. Et comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes, et polentam ejusdem anni.

12. Defecitque manna postquàm comederunt de frugibus terræ, nec usi sunt ultra cibo illo filii Israel, sed comederunt de frugibus præsentis anni terræ Chanaan.

13. Cùm autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, et vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium; perrexitque ad eum, et ait : Noster es an adversariorum?

14. Qui respondit : Nequaquàm, sed sum princeps exercitûs Domini, et nunc venio.

15. Cecidit Josue pronus in terram. Et adorans ait : Quid Dominus meus loquitur ad servum suum?

16. Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis; locus enim in quo stas sanctus est. Fecitque Josue ut sibi fuerat imperatum.

appelé Galgala, *c'est-à-dire, Enlèvement,* comme on l'appelle encore aujourd'hui.

10. Les enfants d'Israël demeurèrent à Galgala; *et ayant été purifiés par la circoncision,* ils y firent la pâque le quatorzième jour du mois, sur le soir, dans la plaine de Jéricho. *Ce fut la seconde fois qu'ils célébrèrent cette fête depuis leur sortie d'Egypte.*

11. Le lendemain ils mangèrent des fruits de la terre, des pains sans levain, et de la farine d'orge de la même année, *qui était séchée au feu.*

12. Et après qu'ils eurent mangé des fruits de la terre, la manne cessa, et les enfants d'Israël n'usèrent plus de cette nourriture, mais ils mangèrent des fruits que la terre de Chanaan avait portés l'année même.

13. Lorsque Josué était sur le territoire de la ville de Jéricho, il leva les yeux, et, ayant vu devant lui un homme debout et tenant à la main une épée nue, il alla à lui, et lui dit : Êtes-vous des nôtres ou des ennemis?

14. Il lui répondit : Non, *je ne suis point de vos ennemis,* mais je suis le prince de l'armée du Seigneur, et je viens ici maintenant *à votre secours.*

15. Josué se jeta le visage contre terre, et dit en l'adorant : Que dit mon Seigneur à son serviteur, *et que lui plaît-il de m'ordonner?*

16. Otez, lui dit-il, vos souliers de vos pieds, parce que le lieu où vous êtes est saint; et Josué fit ce qu'il lui avait commandé.

TRANSLATIO EX HEBRÆO.

1. Porrò factum est, cùm audirent omnes reges Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem versùs mare, et omnes reges Chananæorum, qui ad mare erant, Dominum exsiccâsse aquas Jordanis, in gratiam filiorum Israelis, donec transivissemus, ut liquefieret cor ipsorum, neque esset ipsis spiritus reliquus, propter filios Israelis. — 2. Eo tempore aiebat Dominus ad Josuam : Facito tibi gladiolos saxeos : et iterando circumcide filios Israel, secundò. — 3. Fecit ergo Josua sibi gladios saxeos, et circumcidit filios Israel, ad collem Præputiorum. — 4. Est autem hæc res, ob quam circumcidit Josua. Omnis populus egressus Ægyptum, masculi omnes, viri bello apti mortui erant in deserto, in viâ, inter proficiscendum ab Ægypto. — 5. Nam fuerant quidem circumcisi omnes, quotquot erant egressi; verùm nullum eorum, qui nati fuerant in deserto, in itinere, inter proficiscendum ab Ægypto, circumciderant. — 6. Quadraginta enim annis ambulaverant filii Israel per solitudinem, donec consumeretur omnis gens virorum militarium, qui excesserant ex Ægypto, eò quòd non obtemperâssent voci Domini quibus juraverat Dominus, se non ostensurum ipsis eam terram, quam jurejurando promiserat Dominus patribus illorum, se nobis daturum, terram affluentem lacte et melle. — 7. Verùm liberos ipsorum substituerat in ipsorum locum, hos circumcidit Josua, cùm essent præputiati, eò quòd non circumcidissent ipsos in viâ. — 8. Porrò cùm jam circumcisa omninò esset gens universa, manserunt loco suo in castris, donec convaluissent. — 9. Dixitque Dominus ad Josuam : Hodiè devolvi opprobrium Ægypti à vobis; et vocatum est nomen loci illius, Galgala, usque ad hanc diem. — 10. Igitur dùm castra haberent filii Israel in Galgalis, faciebant Pascha, die decimâ quartâ mensis, in vesperâ, in campis Jerichuntis. — 11. Edebantque de frumento terræ prostridiè Paschæ, azyma et tostum, eo ipso die. — 12. Cessavitque manna postridiè, dùm ederent de frumento terræ, neque habuerunt deinde filii Israel manna, et

ederunt de proventu terræ Chananææ in illo anno. — 13. Accidit porrò dùm esset Josua in Jericho, ut sustolleret oculos suos, et videret, et ecce vir stabat ei ex adverso, cui gladius erat strictus in manu; accessit autem Josua ad illum, dixitque ipsi : Num noster tu? an hostium nostrorum? — 14. Et ait : Non. Sed ego princeps exercitûs Domini ; modò veni. Ceciditque Josua in faciem suam humi, et incurvavit se, ac dixit illi : Quid Dominus meus loquitur ad servum suum ? — 15. Et ait princeps exercitûs Domini ad Josuam : Detrahe calceamentum tuum de pede tuo. Quia locus in quo insistis, res sancta est, fecitque Josua sic.

COMMENTARIUM.

Vers. 1. — Porrò factum est, ut cum audirent omnes reges Amorrhæorum, etc. Capite secundo, ad versiculum decimum audivimus, Rahabam meretricem cùm diceret, omnium animos fuisse præ metu liquefactos, simul atque allata esset fama exsiccati maris Rubri, et profligatorum deinde duorum regum Galaaditidis annuntiata clades; et tamen neminem vidimus arma ad Jordanem trajicientibus hostibus opponentem. Nimirùm, quamvis non solùm tantarum rerum auditione perterriti, verùm multò etiam acriùs, divino quodam terrore occultè percussi ipsorum animi mirabiliter intùs vexarentur, tamen insatiabiles voluptates in iis tam potenter regnabant, ut sanis consiliis nullus esset locus, tantâque liquescebant fluebantque mollitiâ, ut non facilè ullius periculi cogitatione ad virilia possent revocari, aut potiùs mentis suæ vitiis omnibus occæcatæ, stupore, pericula quamvis vicina non sentirent. Cùm porrò ne nunc quidem se movent, postquàm hostis Jordanem transmisit, neque vicinus modò est, sed ipsis inhæret cervicibus, quis non intelligat admirabilem Dei erga suos benignitatem, atque beneficentiam, cujus numine non modò vires adversariorum superantur, sed omnes planè motus conatusque tantisper prohibentur, dùm illi in regione, alioqui prorsùs incognitâ, pæululùm consueti, et captæ etiam, nullo defendente, urbis unius victoriâ confirmati, auderent hostis conspectum ferre, pugnâque cum eo decertare? Cæterùm Chananææ gentes omnes duobus hîc nominibus subjectæ sunt, quæ capite tertio septem appellationibus distinguebantur. Nam cùm illa inter Jordanem, et mare Mediterraneum, à septentrione ad meridiem versùs, obliquo tractu in longum porrecta angustè jaceat, Amorrhæi nunc vocantur, quicumque propiùs absunt ab Jordane ; Chananæi verò, qui mari sunt viciniores. Etenim illo, *trans Jordanem, versùs mare,* sive, versùs occidentem, ut Latinus et Chaldæus exponunt, excipiuntur modò ii Amorrhæi, qui cis Jordanem, in Galaaditide habitaverant, atque nuper, cum suis regibus Sehone et Og fuerant debellati. Usitatum enim est, Chananaicum Jordanis latus istis verbis significare, ut Galaaditicum dicere, trans Jordanem ad orientem.

Sed enim Chananæos esse vocatos peculiariter eos, qui oram illam maritimam habuerunt, quæ etiam est Phœnicia dicta, conficitur ex speculatorum Mosis relatione, cùm dicunt Num. 13, v. 30 : *Chananæus habitat juxta mare,* quod propter Septuaginta interpretes hoc loco, pro *regibus Chananæorum,* reddiderunt, *reges Phœniciæ.* Eâdemque ratione mulier, quæ apud Matthæum Chananæa, apud Marcum est Syrophœnissa vocata. Nam, ut profani scriptores Phœnicum vafritiem, atque industriam in mercaturâ navigatione faciendâ celebrant, ita sacræ litteræ Chananæorum. Homerus enim scriptum reliquit Odyss. 15 :

Ἔνθαδε Φοίνικες ναυσίκλυτοι ἦλυθον ἄνδρες
Τρῶκται, μυρι' ἄγοντες ἀθύρματα νηῒ μελαίνῃ.

Et alibi :

Δὴ τότε Φοῖνιξ ἦλθεν ἀνὴρ ἀπατήλια εἰδώς
Τρώκτης, ὃς δὴ πολλὰ κάκ' ἀνθρώποισιν ἐώργει.

Oseas verò de Chananæis sic ait, cap. 12, v. 7 : *Chananæus in manu habet trutinam fallacem,* amat injuriam facere. Et Isaias, cap. 23, v. 8, testatus est, *negotiatores Tyri* esse *principes, Chananæosque ejus,* esse *viros in terris præclaros,* hoc est, Tyri mercatores. Denique Salomon Proverb. ult. v. 24, mulierem frugi laudans : *Linteum,* inquit, *fecit, ac vendidit, et cingulum tradidit Chananæo,* hoc est, mercatori aut negotiatori. Quin, ut planè intelligas utriusque vocis inter se notationis convenientiam, sicut apud Hebræos præcisè sunt Chananæi, maris accolæ illi qui supra Palæstinos, hoc est, supra פלשתים recedunt ad septentrionem, sic apud Græcos Φοίνικες. Rursùs, ut interdùm apud illos Palæstini etiam, usque ad Ægyptum, subjiciuntur Chananæorum nomini, veluti in Genesi cap. 10, et in præsente etiam, opinor, loco; sic Græci Phœniciam ad Ægyptum usque producunt aliquando; Dionysius enim Afer Gazam in Phœniciâ locare non dubitavit, neque Moses in Chananæâ. Estque hoc etiam à Strabone criptum libro 16. Est igitur prorsùs eadem

una gens, si propriè loquamur, Chananæorum apud Hæbreos, et Phœnicum apud Græcos, faciendâ navicularîâ, καὶ ἐμπορικῇ τέχνῃ celebris, propter portuosum mare, quod accolunt. Sed progrediamur ad reliqua.

Reges vocantur singularum ferè civitatum domini. Priscis enim illis temporibus, cùm nondùm ex orbe terrarum profligata esset modestia, cujus imperio se quæque civitas ob præcellentioris prudentiæ opinionem, submiserat, is eam suo dominatu tenere contentus, in ipsâ solâ regnabat, sed moderatior ille temperantiorque dominatûs, deinde gloriæ, ne quid pejus dicam, facibus inflammatus, exardescere cùm occœpisset ad latiùs regnandi cupiditatem, mox circumquàque vicinos etiam hominum cœtus corripuit, regesque non urbium modò, sed regionum cœpere dici; ac tandem etiam provinciarum, cùm non ad vicinos solos, sed ad exteros quoque protulisset homines imperium immensa dominandi libido. Cor vocata est ea pars animi, in quâ fortitudo atque constantia est posita. Spiritus verò, hoc est, animi illa vis, quâ sapimus, et quâ quid agendum, quid omittendum dispicimus deliberamusque, hoc est, τῶν ποιητέων καὶ οὐ ποιητέων διαγνωστικὴ δύναμις, quam Septuaginta nominant φρόνησιν. Nam corde liquescente, videlicet cùm per metum labascit fortitudo, perturbari simul et sapiendi facultatem necesse est. Cæterùm iterùm atque iterùm gratiâ Israelitarum esse facta ea quæ contigerunt, commemoratur, ut illustrior appareat benignitas Dei, et studium, atque providentia, quâ suos complectitur, tutatur, amplificat; dùm ipsorum causâ naturæ perpetuum cursum interrumpit, ordinemque invertit, et ipsorum humilitatem, ut sic dicam, celsissimæ aliorum dignitati atque amplitudini reddit formidabilem.

Vers. 2 et 3. — Eo tempore aiebat Dominus ad Josuam : Fac tibi gladiolos, etc. Id tempus significatur, cùm primùm ad Galgala esset perventum. Nam pauci admodùm dies, neque plures quatuor, supererant ad eum usque diem, quo Pascha fuit faciendum, et debebat interea circumcisionis plaga sanari. Cohærent ergo ista cum iis quæ extremis versiculis superioris capitis, sunt narrata; illa verò de regulorum omnium maximo pavore, per digressionem sunt interposita.

Sed priusquàm sacra verba exponamus, duæ sunt pertractandæ quæstiones, quæ plerosque interpretes hoc loco exercere solent. Earum altera est, quæ causa esse potuerit Israelitis, cur totis triginta octo annis, aut eo pluribus, circumcisionis cæremoniam omitterent, sanctâ lege sic sibi imperatam diligenter, ut capitalis pœna esset, intra dies octo non obtemperâsse, aut capitali pœna longè gravior, exemptio nominis de tabulis divini fœderis, obtemperâsse autem, præmium Chananææ possessio. Nam, ut pœnam omittamus, quâ sæpè non satis deterrerentur flagitiosi homines à peccando, cùm jam rectà in possessionem promissæ terræ proficisci se intelligerent, debebant profectò ejus ritus observationi operam inprimis dare, in quo divinæ illius promissionis cardinem versari non ignorabant, ex pacto et fœdere Dei cum Abrahamo inito. Altera quæstio est, quid sibi velit illud, circumcidere Israelitas secundò, quando neque ipsa rei natura, neque divina religio permittit, ut idem homo circumcidatur iterùm. Neque enim præsectum semel præputium succrescit, neque sacramentum hoc sine flagitio iterari potest. Quod ad priorem attinet, equidem existimo, eam omissæ circumcisionis veram esse causam, quæ vulgò afferri solet, nempe quia ad Dei nutum, quem nube motâ ipse annuebat, proficiscendum continuò esset, nullius certæ quietis spe. Atque hanc causam opinor ipsi quoque Deo probatam sic fuisse, ut in crimine illis non poneret præputium. Nec enim posuisse memorat usquàm sacra historia. Neque verò illi negligebant circumcisionem, sed profectionis continuæ necessitate ab eâ excludebantur, retinebantque interim circumcidendi propositum, cum primâ opportunitate datâ. Ad hoc, quòd filii non circumciderentur, pœnæ species fuisse videtur, quâ Deus non tam ipsos plectebat filios, quàm impiorum parentum urebat animos, cùm viderent liberos suos sacrosancti fœderis symbolo carere. Hùc enim, mihi certè, videntur spectare illa in Numeris Dei verba, cùm dicit Num. 14, 33 : *Vestra ipsorum corpora cadent per desertum istud. Filii verò vestri erunt pastores in deserto annis quadraginta, et ferent pœnam defectionis vestræ, tantisper dùm vos consumpti fueritis in deserto*, q. d. : Quia abdicâstis vos à meâ familiâ per rebellionem, filii quoque vestri adoptionis notâ carebunt, quamdiù vos in vivis eritis. Quin ipsum etiam Pascha, non minùs severâ rigidâque lege mandatum, atque circumcisio, ut statuto die quotannis celebraretur ab omnibus, differre tamen licuisse, itineris faciendi causâ, respondit ipsum Dei oraculum, à Mose consultum.

Sed objiciat nobis Mosen quispiam, qui in

vitæ periculum incidit, cùm filium circumcidisset per iter, et quidem non ejus ipsius voluntate, sed Dei jussu institutum, atque susceptum. — Atqui dudùm ante oportebat circumcisum esse à Mose filium, quàm iter illud invaderet. Neque enim tum natus ei recens fuerat Eleazarus, ut videtur. Et ut fuerit ille non ante dies octo editus, certè nullà Mosen Deus festinatione usque adeò urgebat, ut non posset vel triduum circumcidendo curandoque infanti dare, cùm esset absurdissimum, legislatorem atque imperatorem populi futurum, ne in exiguâ quidem familiâ suâ divinæ religionis jura coluisse. Sed quid opus multis? ipsa verba sacra, cùm quoties ferè omissæ circumcisionis, toties et itineris faciunt mentionem, satis apertè causam videntur attribuere continuæ profectioni. Neque verò dubitans dixerim, in stativis illis ad montem Sinam, in quibus, cùm ob legem divinitùs accipiendam, tùm ob construendum sacrarium Dei et tabernaculum, fuit morandum diù, ut Pascha de more agitârunt Israelitæ, ita et circumcidisse quoque suos liberos, quotquot vel illis quadraginta septem diebus, quibus ex Ægypto illùc pervenerant, vel interea dùm illic hærerent, fuerant editi in lucem; illa verò verba, quæ memorant, neminem fuisse circumcisum inter proficiscendum ab Ægypto per desertum, præcisè accipienda esse de eâ profectione quam auspicati sunt die vicesimo mensis secundi, anno eo qui ipsis fuit à libertate adeptâ secundus, cùm monte Sina relicto ad nubis momentum sunt profecti ulteriùs. Quanquàm alioqui illud, *inter proficiscendum*, et rursùs illud, *in itinere*, non patiuntur sanè ista verba cum nostrâ sententiâ pugnare. Nam quod in stativis est actum, neque inter proficiscendum, neque in itinere, actum censeri debet.

Dignum profectò Talmudicis, hoc est, ad tractandas litteras sacras absurdissimis hominibus, est commentum, quod tractatione de jure Leviri scriptum ipsi reliquerunt. Per omnes illos quadraginta annos non spirâsse boream, ventum nubibus inimicum, ne illa sanctuario familiaris nubes dissiparetur, scilicet, atque ideò abstinuisse Israelitas à circumcisione, cùm eum ventum sibi putent observandum, ut qui plagis medeatur. Sed nugacissimas istas nugas silentio tegerem, nisi R. David Kimhi benè multis verbis eas esset persecutus, cujus commentarii sunt in omnium manibus; putavi enim locum esse indicandum ex quo ille tam præclaram doctrinam scilicet accepisset. Posset fortassis suspicari quispiam, homines præfractæ cervicis, postquàm per flagitiosum illud rebellium, quo, auditis speculatoribus, reditum in Ægyptum fuerant moliti, indignos se promissis Dei fecissent, atque propalàm ab eo judicati damnatique fuissent, præ impietatis obstinatione, sanctum illud fœderis divini monimentum, cùm sibi deinde prodesse non posset, etiam posteris suis invidisse, ideòque eos non circumcidisse. Sed profectò ea immanior fuisset pravitas, quàm quæ in populo Dei tam diù hæsisse existimari debeat. Et, ut ante dixi, filiorum præputium dolori illis, non voluptati fuisse videtur. Ad hoc, scelerati parentes illi ante transmissum torrentem Zared perierant omnes, et tamen neque suos liberos postmodùm natos circumciderunt illi, quantùm certè sacra verba præ se fuerunt, qui minores, aut certè non majores annis duodeviginti Ægyptum cùm reliquissent, neque rebellionis scelere obligati, neque à Deo damnati fuerant, nisi nunc demùm per otium in Chananæâ. Sunt quidem magnæ apud me auctoritatis scriptores, qui statuunt, circumcisione opus non fuisse, quamdiù solitudo ipsa populum hebræum ab aliis populis satis secernebat. Sed mihi sanè probari id non potest, qui persuasum habeo, ponendi præputii insigne, non solùm ad segregandum populum selectum à reliquis gentibus, inter quas versaretur, institutum à Deo fuisse, in priscâ illâ Hebræorum ecclesiâ, ut neque sacri baptismi ritum in nostrâ; verùm inprimis, ut corruptæ depravatæque ab ipsâ origine hominum naturæ mysterium, simul et expiatio esset, moneretque, opus esse ad salutem alio divino quodam nascendi modo, quem regenerationem vocant sacrarum rerum scriptores. Deinde verò, ut gratiæ divinæ, sacræque professionis et religionis probæ signum esset, quo adoptatus gratis à Deo ad cœleste regnum peculiaris populus, ab aliis dignosceretur nationibus. Sed sunt ista alterius loci.

Progrediamur ergo ad alteram quæstionem, cur secundò circumcidere Israelitas jussus sit Josua. Certa, et sacris verbis explicata res est, eosdem viros iterùm circumcidi non debere, sed illos qui ante circumcisi non essent. Est enim in sacro textu : *Liberos ipsorum substituerat in eorum locum; hos circumcidit Josua, cùm essent præputiati*, eò quòd *non circumcidissent ipsos in viâ*. Illud igitur videndum est, quò spectet adverbium, *secundò*. Memoratum est in Geneseos historiâ, Abrahamum, cùm jussus esset masculos omnes suæ familiæ, liberos,

servos, vernas, emptitios circumcidere, è vestigio eodem illo die circumcidisse simul omnes. Erat autem tum universa peculiaris populi Dei, hoc est, Ecclesiæ, ut vocamus, summa in unâ Abrahami familiâ posita. Semel igitur tunc universè populus Dei est circumcisus ab Abrahamo, cùm hoc insigne, tanquàm pignus certissimum promissæ possessionis Chananææ à Deo institueretur. Nunc verò secundò circumciditur populus Dei universè à Josuâ, cùm promissa illa, quorum circumcisionem fuisse pignus diximus, ad rem à Deo conferuntur, hoc est, cùm idem ille, origine quidem, populus, at ob extinctam nuper universam patrum multitudinem, quodam modo novus, in possessionem Chananææ mittitur. Dicam, si potero, explicatiùs : Deus olim per circumcisionis insigne, peculiarem sibi cœtum, sive, ut appellamus, ecclesiam, constituerat; is cœtus cùm fuisset continuâ parentum et sobolis successione, eorumdemque rituum et sacrorum observatione, ad Mosen usque propagatus, nunc tandem, occisis semel omnibus, quorum in solemnibus recensionibus ratio habebatur, cæteris verò qui totis triginta octo annis editi fuerant, non circumcisis, illa consociationis atque conciliationis ratio quodam modo intercidisse videtur. Imperat igitur Josuæ Deus, ut eam denuò instauret. Et verò præsentem populum, quasi cœtum novum, videri, atque consociationis communionisque illud vinculum circumcisionem, tanquàm intercidisse nunc, ex illis potest perspicuè intelligi verbis, quæ superiùs commemorabam, præsertim si paulò altiùs repetantur, ex istis dico : *Omnis populus egressus Ægyptum, masculi omnes, viri bello apti, obierant in deserto; verùm liberos ipsorum substituerat in eorum locum; hos circumcidit Josua, cùm essent præputiati,* etc. Credibile quidem est, vixisse etiam tum plurimos, qui in Ægypto nati circumcisique fuerant. Neque enim flagitiosæ illius rebellionis crimen, quod anno, qui à libertate ægyptiacâ secundus erat, apud Cadesbarne admissum, labem illam maximam, et perniciem reipublicæ israeliticæ intulerat, ad eos pertinuit, qui annum vicesimum nondùm attigerant. Et eximunt ab eâdem culpâ Judæi tribum quoque Leviticam universam. Sed ex eorum conditione æstimatur populus, qui ejus pars longè maxima erant. Nam simpliciter, periisse in deserto masculi omnes Ægypto egressi, qui quidem militari erant ætate, memorantur; et tamen certo certius est, si non alios plurimos, at Calebum, Josuam, Eleazarum saltem non periisse.

Sed unum est huic nostræ, quam modò explicavimus, sententiæ acriter, ut apparet, adversarium. Non enim Abraham olim filios Israel semel circumciderat, cùm ne natus quidem tum fuisset Israel; haud ergo possunt à Josuâ circumcidi secundò filii Israel. — Verùm est profectò expeditissima responsio, non insistere Spiritum sanctum in Israelis appellatione, sed filios Israel vocari simpliciter, cœtum atque Ecclesiam Dei, cui hoc nomen, post Jacobi ætatem, ad Christum usque, datum ferè est in sacrâ historiâ.

Præterea, si hic argutiis in arguendo locus est, hoc quoque argutè responderi possit, filios Israel per Abrahamum fuisse olim circumcisos, similiter atque Levitas decimatos fuisse, ut sic dicam, à Melchisedech, scripsit Apostolus ad Hebr. 7. Sed enim divus Augustinus, nihil reipsà, opinor, à me dissentiens, iterationem istam excusat schemate, quod synecdochen vocant. Populus enim, inquit, ante circumcisus erat, quia nonnulla ejus pars carebat præputio, ut Calebus, ut Josua, ut Eleazarus, et fortassis Levitæ omnes, et qui apud Cadesbarne nondùm fuerant viginti annorum. Circumciditur autem populus jam iterùm, quia ejus maxima pars circumciditur. R. Levi F. Gersonis autem, cum plerisque Judæis, hunc locum sic exponit, ut existimet, Mosen, cùm in Ægyptum revertens, futurus gentilium suorum dux, periculo suo didicisset, quàm ægrè ferret Deus adoptionis illud insigne negligi, illicò multitudinem universam circumcidisse, quæ durissimæ atque laboriosissimæ servitutis causâ jamdiù id facere non curârat. Neque enim Pascha celebrare, non deposito præputio, potuisset, neque in possessionem Chananææ proficisci, quæ circumcisis fuerat promissa. Cùm porrò, quos ille sic in Ægypto circumciderat, longo errore per iter essent plerique omnes exstincti, et qui interea editi fuêre, non circumcisi, jam opus esse iterùm circumcidere multitudinem universè. Hæc ferè ille, et multi quoque cum eo Judæi.

Fuisse autem in Ægypto neglectam circumcisionem, et à Mose illùc reverso instauratam opinatus est etiam Tertullianus noster. Utitur enim adversùs Judæos his ferè verbis : Providens, inquit, Deus, quòd hanc circumcisionem in signum, non in salutem esset daturus populo Israel, idcircò filium Mosis ducis futuri instigat circumcidi, ut cùm cœpisset per eum populo dare præcepta circumcisionis, non aspernaretur populus, videns exemplum istud in judicis

filium jam celebratum. Sed. R. David Kimhi longè aliud est commentus effugium, verùm acutius argutiusque, meo judicio, quàm sacrorum verborum simplicitati, et usitatæ significationi congruentius. Ait enim verba illa שוב et שנית quæ iterationes significant, non ad ipsam circumcisionem, sed ejus procurationem spectare, idque mandari Josuæ, ut iterùm atque iterùm, ultrò citròque per castra commeans, omnesque et singulos adiens curet, ne quis omnium maneat præputiatus. Positionem enim שנה à quâ illa formantur, non bis modò, sed sæpè iterare aliquid, significare; itaque שנית non, secundò, sed, crebrò, esse convertendum. Sed hoc profectò est extorquere Scripturam, atque ad suam interpretari sententiam.

Denique Talmudici, eo quem nuper indicavi loco, et prolixiùs quoque in capitulis Eleazaris, non insulsè modò, sed etiam impiè, si ipsorum nuda verba intueare, fingunt, non absolutum circumcidendi præputii ritum fuisse Abrahamo traditum à Deo, et proinde illud, *secundò*, ad cæremoniæ perfectionem, quæ jam tandem Josuam doceatur, pertinere. Hunc enim eos etiam qui Abrahami ritu ante fuerant semel circumcisi, debuisse curtare secundò, perfectiore modo. Verùm ista fortassis à veteribus Hebræis tectè dicta sunt, qualia in Talmude multa passim reperias, non de adumbrato Josuâ filio Nun, sed de expresso Jesu Christo, à quo vetus illa circumcisio perfecta est, cùm homines per eum circumciderentur circumcisione non factâ manu, et quæ præputium carnis solùm deponeret, sed quæ peccatorum exueret corpus; quippe spiritu peracta, non litteris descripta, quâ quidem circumcisione eos etiam debuisse circumcidi, qui Abrahami ritu semel fuissent initiati, quid attinet ostendere rationibus, quando satis est Christi exemplum? Afferunt Talmudici illic alias etiam secundæ circumcisionis causas et rationes, sed quas, ut verecundis auribus parcam, consultè prætereo. Facere tamen non possum, quin earum unam proferam, quia puto rem in hominum eruditorum vulgus non esse pervulgatam.

Aiunt enim, illis temporibus fuisse multos, qui, etsi à suis parentibus fuissent in tenellâ ætate ritè circumcisi, tamen iterùm circumcidi debuêre, si modò sacrorum communione consociari cæteris Judæis vellent, nimirùm, qui immanitate ægyptiacæ servitutis pressi, arte quâdam medicâ, subductâ atque distentâ pelliculâ, novum sibi præputium comparaverant, glandemque eo iterùm contexerant. Appellant autem eos tales Talmudici, משוכים quasi ἐπισπαστικούς dicas, ab attractâ pelliculâ scilicet: similiter, inquiunt, atque cùm Romani rerum in Judæâ potiti, templum funditùs iterùm evertissent, plurimi Hebræi hostium injuriis exagitati et vexati, eâdem illâ ratione religionis suæ professionem dissimulârunt, qui Barchuzibæ jussu postea denuò sunt circumcisi, cùm ille occupatâ urbe Bitter, annis duobus et dimidio apud eam gentem dominaretur; et maximâ libertatis spe omnium animos excitavisset. Erat autem id nomen impudentissimæ audaciæ nebuloni, qui Messiæ sibi nomen assumebat atque arrogabat, cùm suo appositissimo nomine Barchuziba, *mendacii filius* diceretur. Sed dedit miser temeritatis suæ pœnas Ælio Adriano, qui expugnatâ Bitter, quadragies centena Hebræorum millia cecidisse memoratur, apud Talmudicos, ubi de libellis repudii disserunt.

Et ne quis fidem Talmudicorum dictis nullam putet adjungendam, planè illis consentanea sunt, quæ Epiphanius Constantiæ Cypri episcopus, doctor singularis, scripta reliquit, cùm de sacrarum litterarum interpretibus græcis dissereret. Affirmat enim illic, quisquis Judæorum ad Samaritanos, aut horum ad illos deficeret, eum novo præputio comparato, novâ circumcisione initiari solere; idque Symmacho quoque, cujus inter græcos sacræ historiæ interpretes celebre nomen est, inter alios, accidisse, imperatore Severo, cùm ob affectatum regnum ille apud suos Samaritanos odio maximo laborans, se ad Judæos contulisset, atque his nomen dare constituisset.

Et quis non existimet Paulum quoque illam creandi præputii rationem spectâsse? cùm diceret primâ ad Corinthios suos cap. 7, v. 18: Περιτετμημένος τίς ἐκλήθη, μὴ ἐπισπάσθω· ἐν ἀκροβυστίᾳ τίς ἐκλήθη, μὴ περιτεμνέσθω, hoc est: *Vocatus est aliquis à Deo, cùm esset circumcisus, ne paret sibi attractione præputium. Vocatus est aliquis præputiatus, ne circumcidatur.* Sed jam nimis multa de secundâ circumcisione fortassis.

Addenda tamen est paucis, scitâ sanè, et sacris sensis perappositâ anagoge, quâ hanc narrationem ad nostram religionem accommodat Justinus Martyr apud suum Tryphonem. « Memoratur, inquit, Josua populum circum- « cidisse alterâ circumcisione, et quidem lapi- « deis gladiolis; nimirùm, ea res prænuntia « erat hujus circumcisionis, quâ ipse Jesus

« Christus circumcidit nobis saxeas statuas, « aliaque idola. Sunt enim ea præputia, hoc « est, mundi hujus deliramenta, amputata la- « pideis gladiolis Jesu Domini nostri verbis, « et passim coacervata in cumulos. » Et paulò post : « O beatos, ait, nos, qui lapideis gladio- « lis sumus secundà vice circumcisi ! Ad vos « enim (Judæos alloquitur) pertinebat prior « circumcisio, quæ ferro fiebat, atque etiam- « num fit. Duri enim pertinacesque manetis. « At ea circumcisio, quæ secundùm vestram « illam est instituta, nostra est ; hæc acutissi- « mis lapidibus, verbis videlicet lapidis angula- « ris, et sine manibus cæsi, Apostolorum operâ « per orbem terrarum divulgatis, abstulit à « nobis omnem cultum idolorum, et planè « omnem improbitatem. Sunt enim à nostris « mentibus sic amputata vitia, ut præ gaudio « gestiamus si vel mors oppetenda sit pulchri « illius atque amabilis lapidis gratiâ, ex quo « lapide vitales aquæ effusè profluunt in pecto- « ra eorum, qui per illum ducuntur in amorem « parentis rerum omnium, potumque præbent « affluenter omnibus qui bibendæ aquæ vivæ « desiderio tenentur. » Hæc divinus ille philosophus. Sed revertamur ad sacra verba.

Illud חרבות צורים quod nos convertimus *gladiolos saxeos,* interpretatur Chaldæus, *acutos gladiolos,* aut *novaculas.* Eumque sequitur vulgus Judæorum, ut solet. At veteres, *novaculas saxeas,* dicendum esse putaverunt, in eo commentario qui *Genesis magna* est appellatus, atque ille Chaldæus qui Mosis libros convertit, quem Onkelum vocant, illud צור, quo Mosis uxor filio præcidebat præputium, *silicem* convertit, non aciem. Quin ego affirmare ausim צור, nusquàm in sacris litteris *aciem* significare, sed *silicem,* aut saxum ubique. Nam, ut dem in illo Davidis versu, אף תשיב צור הרבו, aciem esse צור, tamen dicam id translatitiâ significatione, à silicis duritie, non ex vi ejus verbi propriâ intelligi. Neque verò aut Græci aut Syri, *aciem* ibi sunt interpretati cum Judæis, sed *auxilium.* Saxum enim et rupem, sive silicem sæpè dicunt sacræ litteræ propugnaculum et auxilium. Sed et Moses Maimonius quoque, singularissimus apud Judæos doctor, duris silicibus usum esse Josuam, non acutis gladiolis, opinatur. Et verò non præcidi etiam modò præputia, sed amputari etiam posse testes ipsos acuto silice, proditum à scriptoribus profanis est. Catullus enim, in elaborato illo carmine de Berecynthiâ et Atti, scripsit de Cybeles sacerdote : *Devolvit ipse acuto sibi pondera silice.* Et Juvenalis satirâ sextâ, de similis vesaniæ sacrificio dixit :

Mollia qui ruptâ secuit genitalia testâ.

Ego verò hanc sententiam, et verbi צור notionem eò pertinaciùs tutandam mihi putavi adversùs Judæos, propter scitam illam atque aptissimam anagogen, quâ petra Christus dicitur 1 Cor. 10. Pro verbo, שוב, videntur septuaginta Interpretes legisse, שב, cùm pro, *iterando,* reddiderint, *sede,* quanquàm שוב et ישב, etiam aliàs non nusquàm confunduntur, ut solent simillimæ inter se positiones.

Collis præputiorum dictus est locus ille hìc per anticipationem. Ex re ipsâ enim hoc tandem nomen accepit. In commentario antiquo, qui inscribitur *Leviticus Rabbæ,* scriptum est, ex veterum Hebræorum sententiâ, tantam fuisse objectorum in locum unum copiam præputiorum, ut collem repræsentarent loco cæteroqui plano, et æquabili. At Chaldæus existimat, colliculum qui ante fuit, ex re istâ nomen hoc accepisse. Nam convertit ille hebraica verba explicatiùs : *Et circumcidit filios Israel* in colle quem nominaverunt *Collem præputiorum.* Sic enim habent boni libri.

Vers. 4. — Omnis populus egressus Ægypto, masculi omnes, etc. De iis igitur, qui ante rebellionem illam, quæ in tertiis castris, post relictam solitudinem Sinai, accidit, annum vicesimum ætatis attigerant. Hæc enim ætas bello primùm apta censebatur. Neque alii rebellionis à Deo sunt damnati. His enim utitur ille verbis in libro Numerorum cap. 14, v. 29 : *In solitudine istâ cadent corpora vestra. Et quotquot vestrùm numerati estis, per universam multitudinem, ætatis annorum viginti, et supra, qui murmuràstis adversùs me,* etc. Etsi autem universè dicantur omnes illi periisse, debet tamen, ut supra probavi, id de iis solis accipi, qui illo rebellii et defectionis scelere se astrinxerant, auditis exploratoribus.

Vers. 5. — Nam fuerant quidem circumcisi omnes quotquot erant egressi, etc. Eo ferè ingenio sumus mortales, perverso sanè, ut in malis, religionis divinæ rationem pietate colamus majore, quàm cùm res secundæ sunt. Neque dubium est, quin nonnulli, quantò duriore servitute opprimebantur in dies ab Ægyptiis, tantò ardentioribus votis exorandam sibi esse divinam misericordiam statuerent, tantòque colendum religiosiùs illud fœdus, quo Chananææ promissio sancita fuit, ut ante dixi, id est, ipsam circumcisionem ; hoc enim satis luculenter, opinor, testantur illa verba Exodi

2, v. 24 : *Exaudivit Deus gemitus eorum, qui in Ægypto intolerabili servitute oppressi gemebant ; et recordatus est fœderis sui, quod pepigerat cum Abrahamo, Isaac et Jacob.* Verùm fuisse omnes sacræ illius legis tam observantes, ut suos liberos circumciderent, antequàm rediisset Moses ex Madian cum imperio, nuntiâssetque adesse jam libertatis tempus, speque certiore hæreditatis promissæ omnium animos excitâsset; id verò minimè est credibile, neque gravissimis aliis sceleribus consentaneum, quæ Ægyptiorum consuetudine infecti admiserant multi. Nam, ut sunt qui cœlestibus plagis emendantur, ita rursùs invenias qui callum obducant, et, tanquàm asini verberibus assueti, contumaciores reddantur, tandemque aut detestabili diffidentiâ, omnem felicioris vitæ spem abjiciant, aut certè à probâ religione cultuque Dei se ad alias superstitiones facilè traduci patiantur. Quare probabilis videtur ea sententia, quam supra exponebam, Mosis tandem admonitionibus et iis, quæ per eum fiebant, prodigiis inductam esse populi partem maximam, ut in tam propinquæ libertatis expectatione, se suosque liberos compararent per fœderis Dei illud insigne, ad possessionem felicissimæ terræ sibi olim promissæ. Porrò an per desertum, istâ tantâ pietate subitò cum majore impietate commutatâ, circumcisionem neglexerint contemptim, an verò fas ipsis fuerit, ob iter, differre fœderis symbolum, similiter atque anniversariam Paschatis cæremoniam, disputatum satis est à nobis supra. Ubi hoc etiam constituebamus, neminem per desertum fuisse circumcisum post relicta stativa montis Sinai, hoc est, post duodecima castra, in quibus et Pascha celebratum fuerat, et lex è cœlo data, arca item, tabernaculum, cætera vasa sacra fabrefacta.

Vers. 6. — Quadraginta enim annis ambulaverant per solitudinem, etc. Desertum istud, quasi suo nomine, appellant Septuaginta interpretes, μαδβαρίτιδα : fortassis vulgus eo seculo quo hi scripsêre, hebræum verbum *Midbar*, quod desertum significat, ei solitudini, ut proprium ejus nomen, attribuerat, quodam loquendi usu, nisi imperiti hominis audaciâ adscriptum hoc nomen olim in illâ editione græcâ putemus. Iidem interpretes supra quadraginta annos, addunt duos. Nimirùm habuerunt, ut videntur, illi eam opinionem, ut existimarent, eos quadraginta annos, quos Deus in Numeris cap. 14, v. 33, præfiniebat soboli impiorum parentum agitandos in deserto, ab illo ipso funesto die numerandos fuisse. Jam tum enim duos à relictâ Ægypto, et insuper pauculos menses in solitudine egerant. Et profectò, si quis illa Dei minacia et fatidica verba simpliciter intueatur, hæc dico : « Filii vestri « erunt pastores in solitudine annis quadragin- « ta, pro numero dierum, quibus speculati « estis terram, singulis diebus in annos singu- « los relatis, hoc est, annis quadraginta ferent « pœnam defectionis vestræ ; » si quis, inquam, ista per se, neque curiosè legat, facilis in eam illorum veniat sententiam. Atqui quadraginta non ampliùs annos computat ipse Moses, ad campos usque Moabiticos; nisi putes eum non à relictâ Ægypto, sed à progressu è Sinai supputare tempus. Sed erit de his disputandi locus etiam capite undecimo, ad versiculum 18.

Porrò animadvertendum est, scelestos illos, et defectionis reos, non populum, sed gentem hoc loco vocari, verbo odioso scilicet, et quod plerùmque profanos homines, atque ab Abrahami sacro illo fœdere alienos significat. Meritò sanè, ut qui se per detestabile flagitium ab eo fœdere abalienâssent. Nihil enim profuit ipsis esse circumcisis, cùm Deo neque fiderent, neque morigerarentur. Nam, ut divus Paulus rectè Galatis cap. 5, v. 6, scripsit : *Neque circumcisio aliquanti est, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur, et nova creatura.* Sequens verborum ambitus, hunc dico : *Quibus juraverat Dominus non ostensurum se ipsis eam terram,* et quæ eòdem pertinent cætera, ea, inquam, verborum complexio implicatior est; habet autem hanc sententiam : « Quos « dico periisse per desertum his annis qua- « draginta, quia non obtemperâssent voci « Domini, illi ipsi sunt, quibus jurejurando « Dominus affirmaverat, propter ipsorum fla- « gitia, se non daturum ipsis beatissimam « illam terram, lacte melleque affluentem, « quam alioqui olim semini Abrahami, Isaaci, « Jacobi juratus promiserat se concessurum; « quorum illi semen quidem et filii fuêre; sed « ipsi sibi per sua scelera obstitêre, seque ab- « dicavêre, et promissis illis indignos fecêre; « ac proinde priùs per desertum exstincti pas- « sim sunt, quàm ad illam terram possent « pertingere, nedùm in possessionem ejus in- « gredi. » Latinus hoc loco minimè expressit, quod est in hebræo, siquidem integra superest scriptura, et nisi conjecturâ fallor à priore verbo *juraverat*, errore transiliit ad posterius. Cæterùm personæ mutatio, quâ dictum est,

daturum se nobis, pro, daturum se ipsorum semini, explicandæ antitheseos gratiâ videtur facta esse, quæ est inter eorumdem patrum eos posteros, qui ab illis per vitia degenerant, et eos qui illorum vestigiis insistunt, virtutemque et pietatem imitantur. Quippe gratuita Dei adoptio, quâ Abrahæ genus facta est gens sancta, ad eos non pertinet, qui se ipsi suâpte voluntate abdicaverunt, beneficiumque divinum repudiârunt. Quò minùs mirum est, si cum cæteris filiis paternam hæreditatem isti non adeant. Atque hâc ratione exagitat Christus Judæos apud Joannem, cùm se de sanguine Abrahami jactarent, cæteroqui verò ejus facta non imitarentur, sed diaboli cupiditatibus libenter operam darent. Cæterùm sacræ narrationes, quæ hoc loco attinguntur, altera quidem de exitio rebellium, cùm in Numeris, tùm in Deuteronomio, altera verò de divinis promissis passim in Genesi scriptæ sunt.

Vers. 7. — Verum liberos ipsorum substituerat in ipsorum locum, etc. Sunt ergo isti, qui in promissam terram introducuntur, tanquàm novus populus, ut ante diximus, qui cùm essent plerique præputiati, circumcisio quasi de integro instituenda fuit. Illustrat autem hic locus veritatem atque constantiam verbi Dei, cùm ea jam esse facta memorat, quæ facturum se promiserat Deus in Numeris, cùm diceret cap. 14, v. 28 : *Parvulos vestros, quos dixistis prædæ futuros, introducam noscentque terram illam quam vos contempsistis; sed vestra ipsorum corpora concident in deserto isto.*

Sed enim mysterio non vacat, ut cùm à multis aliis, tùm à Theodoreto est annotatum, quòd circumcisi sub Mose patres, per suam ipsorum diffidentiam perierunt, impengentes in lapidem ad offensionem positum; at ipsorum successores, non à Mose, sed à Josuâ sive Jesu circumcisi, sunt potiti divinis illis promissis. Quis enim non intelligat, adumbratum esse eâ re, quòd gentes olim in Hebræorum successuræ essent locum, duce Jesu, cùm illæ promissum Dei Filium, in quo æternæ hæreditatis fructus est positus, amplecterentur per fidem, isti verò repudiâssent. Sed ista sunt à divo Paulo multis locis luculenter explicata et pertractata.

Vers. 8. — Porro cum jam circumcisa omnino esset gens universa, etc. Rursùs appellat eos qui circumcidebantur *gentem*, nimirùm quia adhuc barbarorum modo præputiati fuêre. Magno autem ex circumcisionis vulnere affici homines dolore, exemplum maximè insigne est clades illa universæ civitatis Salem à duobus solis patrata viris. Quò magis mirum est, ne per hanc quidem tam commodam occasionem movisse Chananæorum regulos arma adversùs jam intrò receptos, et undequàque cinctos, atque insuper etiam gravissimè saucios hostes. Sed divino perculsæ metu illorum mentes stupebant, atque à nocendi Israelitis consilio, tanquàm Dei manu, prohibebantur.

Discamus ergo nullius, vel maximi periculi, nedùm levium rerum metu atque expectatione adduci ad ea omittenda, quæ nobis sunt à Deo imperata. Eaque dùm exsequimur, securè recumbamus in hujus tutelâ, illa Davidis nobis ipsi occinentes psal. 118, v. 6 : *Dominus à me stat, nihil metuam quid faciat mihi homo*, et psal. 27, v. 1 : *Dominus lux mea, et salus mea, à quo metuam?* et quæ sequuntur in eam sententiam.

Sed enim moveri hoc loco potest difficilis quæstio, cur non potiùs in campis Moabiticis, vel Israelitæ celebrandam à se esse hanc circumcisionis cæremoniam ipsi statuerint, vel Deus, ut illic celebrarent, jusserit, ubi devictis duobus potentissimis regibus, otium et securitatem satis commodam nacti fuerant; præsertim cum religioni et sancto fœderi congruere atque convenire magis videretur, ut in sacræ terræ possessionem, nisi ante circumcisi, pedem non ponerent. Equidem Israelitis causam fuisse opinor eamdem, quam per solitudinem fuisse satis justam diximus. Semper enim in expeditione atque itinere fuerunt, incertique, quantulam essent uspiam habitaturi moram, tantisper dùm trajecissent Jordanem. Quod verò ad Dei consilium attinet, quod nulla humanæ mentis acies conjecturâ satis certâ consequi, nedùm explicare unquàm potest, præstituerat ille annos quadraginta, quibus ferrent filii pœnam defectionis parentum in solitudine, ut anni responderent dierum numero, quibus diebus impii speculatores versati per Chananæam fuerant; solitudinem autem vocabat, ut videtur, loca quævis, quæ inter Ægyptum et Chananæam jacebant, quippe in quibus, tanquàm in alieno solo vivendum ipsis esset. Tantisper igitur dùm expiata nondùm esset illa defectionis culpa, circumcisio celebrari non debebat, quæ erat gratiæ divinæ reconciliatio quædam. Ad hoc, consentaneum erat, ut, cùm jam de integro esset veluti instituenda circumcisio, id in Chananæâ fierit, terrâ om-

nibus sacris cæremoniis dicatâ, in quâ et prima circumcisio fuerat divinitùs instituta celebrataque. Præterea sic meliùs adumbratio cum perfectione congruebat, cùm Josua in Chananæâ, non Moses in campis Moabiticis, secundam istam circumcisionem faceret. Verus enim Josua, qui fuit Jesus Christus, populum suum, cùm imperator et dux factus esset, initiare cœpit circumcisione non manu factâ, intra Chananæam. Quod autem dictum est, non circumcisos religione prohiberi debuisse à terræ sacræ possessione, est id quidem verissimum. Nam ut ante diximus, promissio tam beatæ terræ ex circumcisionis fœdere pendebat. Atqui Chananææ possessionem tum demùm usurpârunt Israelitæ, cùm, facto Paschate, ejus terræ frugibus vescerentur, ut mox sumus dicturi explicatiùs. Sed in iis quæ modò diximus, Rubenitas, Gaditas, et Manassensium dimidiam tribum excipio. Istos enim instaurâsse circumcisionem credibile est, cùm primùm suas adepti peculiares possessiones, extra solitudinem atque etiam reatum illum esse judicarentur. Nisi, si quis existimare malit, illorum res ex cæterorum rebus planè pependisse, cùm Moses eâ conditione possessiones illas ipsis attribuisset, si fratribus suis usque eò adessent, opemque ferrent, dùm etiam ipsi in suis sedibus quiete fruerentur, quod alio loco exponemus pluribus.

Unum superest hoc loco non prætereundum, ut videtur, silentio, sed quadamtenùs explicandum, quid illis factum sit, qui cùm non essent circumcisi, neque defectionis scelere obstricti, è vitâ exierunt priusquàm in Chananæam pervenissent, circumcidique potuissent. Sunt enim explicatissima Dei verba, cùm ait : *Cujus masculi præputiati caro non fuerit præcisa, exscindetur ejus anima è populo suo.* Nihilne ergo ad horum salutem pertinuit profuitque quòd Abrahami sanguine nati essent? Sed tanquàm alieni à populo selecto, exclusi sunt à gratuitâ Dei beneficentiâ? Equidem sic existimo, non esse quidem continuò filios Dei, si qui ex Abrahami sanguine orti sunt, sed si *promissionis* simul *sint filii,* ut ait Paulus ad Rom. 9, 7. Cæterùm ad illos tales, cùm vel suâpte voluntate, si adultiores erant, vel parentum, si per ætatem ipsi non sapiebant, in circumcidendi proposito manerent, desideriumque sincero animo, simul cum eâ fide, in quâ totius cardo salutis vertebatur, et cujus ipsa circumcisio erat veluti sigillum, retinerent; neque negligentiâ, nedùm contemptu, sed continuæ profectionis necessitate rem differrent, ad eos, inquam, divini illius decreti rationem, quæ ei continuò subjuncta est, hanc dico : *Quia pactum meum irritum fecit,* accommodari non debere : neque enim pactum violâsse is rectè dicatur, qui cur minùs pactas leges præstitisset, paciscentis imperio fuerat impeditus. Quanquàm credibile videri potest, talium virorum neminem per desertum obiisse mortem; nisi si quis proprià culpâ exitium sibi peperit; cùm Moses memoret, adeò nullis incommodis esse affectos, per eos quadraginta annos, ut ne vestes quidem, aut calceamenta cujusquam obsoleverint; et David canat, valetudine tam firmâ fuisse omnes, cùm Ægypto relictâ iter ingrederentur, ut *in nullâ tribu quisquam omnium labasceret,* psal. 105, 37.

Vers. 9. — Dixitque Dominus ad Josuam : Hodie devolvi opprobrium, etc. Devolvere opprobrium ab aliquo, est, probro atque dedecore eum liberare, suamque ei dignitatem reddere, ut apud Davidem, cùm ait, psal. 119, 22 : *Devolve à me opprobrium et contemptum.* Sunt quidam qui ipsum præputium dici opprobrium hoc loco putent, ut quòd sic sit appellatum à filiis Jacob, cùm responderent capto Dinæ amore Sichem, Gen. 34, v. 14 : Non fas est, ut demus sororem nostram viro, qui habet præputium ; est enim illud apud nos opprobrium. Verùm ego hoc sic potiùs interpretandum reor : *Esset enim ea res nobis opprobrio.* Sed ut demus præputium non ineptè opprobrium vocari, quid tandem est, cur Ægypti opprobrium vocetur, cùm nulla gens, præter Hebræos, præputia circumcidere soleat? Neque enim R. Levi F. Gersonis, qui alioqui non malè existimat, libidinem refrenandam significari circumcisione, conjecturam affert satis bonam intemperantiæ singularis Ægyptiorum. Quia Deus in Numeris leges connubiorum instituturus præfatur : *Non esse Israelitis sic agendum, ut Ægyptus soleret agere.* Aliud est enim intemperantem esse, aliud sanguinis atque affinitatis rationem in connubiis non habere, id quod illic Chananæis similiter atque Ægyptiis à Deo in crimine ponitur, nimirùm quia Israelitæ, quibus leges ille dabat, nuper Ægyptum reliquerant, atque ad Chananæos ibant. Sed profert Levi alteram quoque sententiam : « Fieri potest, inquit, ut Ægyptii « conviciis consectati fuerint Israelitas, quasi « eductos à Deo ut malè perderentur, non ut « possessione Chananææ locupletarentur; qui- « bus conviciis cùm jam in dies magisque

« urgerentur, post tot frustra consumptos per « desertum annos, planè nunc eos liberabat « Deus, cùm certum faceret ipsis, per impe- « ratam circumcisionem, brevi omninò futu- « rum, ut in possessionem Chananææ mitte- « rentur, quam præputiatos usurpare nefas « erat. » Quin, ut est copiosus scilicet, addit et tertiam sententiam, quam ex commentariis vetustis, Exodo Rabba, ut vocant, eum compilâsse video. Ea est, probrum Ægypti, esse improbam Ægyptiorum religionem; à quâ jam Deus populi sui animos prorsùs avertit, cùm ad faciendum Pascha eos admittit, per circumcisionem. Hoc enim festum adversùs Ægypti superstitiones potissimùm inde ab initio esse institutum, idque hâc ratione: « Colebant, « inquit, Ægyptii inprimis, arietem, eumque « Deum igne armatum credebant, quo se à « contemptu vindicaret. Itaque Deus, ut palàm « faceret, quàm essent illa vana religionis lu- « dibria, jussit suis, selectissimos arietes pas- « sim mactare, eosque suis ipsorum armis, « hoc est, igne, percoquere, atque deinde « etiam devorare solidos. Insuper postes quo- « que sanguine oblinere. Id autem cùm feciss- « sent illi non solùm impunè, verùm etiam et « cum suo commodo, et cum cultorum talium « deorum maximo malo, nullus potuit nisi « prorsùs insanus, putare Ægyptiorum diis « cæteris aliquid inesse numinis, aut facultatis. Huic commento non admodùm dissimile « est, quod Nehmannus scriptum reliquit, « ideò jussos esse Israelitas arietem mactare, « et devorare hoc primo mense medio, quo « Ægyptum relinquebant, ut intelligerent, se « Dei providentiâ, non astrorum efficientiâ « esse liberatos, cùm id sidus summâ affecis- « sent ignominiâ, quod eo tempore in cœlo « obtinebat principatum. »

Hæc, vana quidem, at non prorsùs inscita commenta, eò lubentiùs adscripsi, quòd ad proximum versiculum erit explicanda Paschatis instituti ratio. Sanè Ægyptios coluisse oves pro diis, ostendit Moses, cùm diceret ad Pharaonem Exod. 8, 26: *Non possumus in Ægypto sacrificare, nam abominationem* (hoc est, deos) *Ægyptiorum debemus sacrificare Domino Deo nostro*, etc. Et pervagatum est illud Juvenalis de portentis, quæ demens Ægyptus colere solebat:

Lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa; nefas illic fœtum jugulare capellæ, etc.

Sed insulsissima est fabula quæ veteribus Hebræis attribuitur in eo commentario qui vocatur *Leviticus Rabba*, à R. Salomone autem Mosi concionatori, quem Hadarsan vocant. Putat enim ille hunc ejus commentarii esse scriptorem; exponam tamen, ut potero, paucissimis, quia Lirano placuisse videtur: « Ob- « nuntiaverat, inquiunt, Pharao, cùm esset « astronomus, abituris Israelitis cruentum fa- « tum et cladem, ex affectione sideris cujus- « dam, cui, רעה, hoc est, *Malo*, nomen fuit. « Eàque de causâ Moses, cùm peccâsset popu- « lus cultu vituli, his interpellabat Deum ver- « bis: *Cur dicent Ægyptii* ברעה, *hoc est, in « malo, eduxit ipsos, ut occideret in montibus?* « q. d.: Cur conferent Ægyptii in nos præ- « dictionem Pharaonis, ut ipso eventu com- « probatam? Deus ergo, misertus suorum, « illud impendens ex mali astri affectione fa- « tum cruentum in salutarem circumcisionis « cruorem vertit; eòque consumpsit atque « exhausit; hoc igitur est, inquiunt illi, quod « ait, se devolvisse ab ipsis Ægyptiorum op- « probrium. Quasi verò cæteroqui non plurimùm sanguinis Hebræi per solitudinem fusum « sit, ac non meritò posset astrologus ille in- « sultare ipsis, ut adverso cœlo profugis, si « astris, ac non potiùs ipsorum sceleratæ vo- « luntati, culpam assignare fas esset. Sed con- « cedamus Pharaoni astrologiam. Vidit ille qui- « dem cladem maximam, sed suo et popula- « rium suorum capiti imminere eam, id verò « videre non potuit. »

Sed omissis aliorum sententiis, hæc mihi, ut simplicissima est, ita verissima esse videtur; idcircò evolutos infamiâ et opprobrio Ægypti Israelitas dici, quia adhuc Ægyptii magis quàm Hebræi potuêre videri, cùm per annos plus quàm ducentos in Ægypto morati, eorumque hominum moribus prorsùs assueti, toto, procul dubio, vitæ cultu, Ægyptios referrent, et necdùm circumcisi nullâ ferè re ab illis secerni possent. Jam verò per circumcisionem, quod Hebræorum insigne erat, quasi ex Ægyptiis, gente profanâ et probrosâ, Hebræi de integro facti videntur. Spectant autem hùc ista Dei verba, ut meminerit populus Ægypti desiderium posthàc penitùs ex animo delere, ac vitiosis flagitiosisque illius populi moribus relictis, vitam suam ad præscriptam sibi à Mose normam dirigere et instituere. Sunt inter Hebræos, atque etiam nostros, qui putant, ablatum Ægypti opprobrium ab Israelitis per circumcisionem esse, quia illi hâc notâ vindicati à Deo in libertatem pristinam, nullo posthàc jure potuerunt ab Ægyptiis in servitutem asseri. Atqui ne ante quidem ullam unquàm

jure servitutem debuerant Ægyptiis. Meliùs sanè Theodoretus servitutis rationem, si omninò opprobrium illud ad servitutem pertinet, explicâsse videtur, cùm diceret, hodiè Israelitas liberatos esse opprobrio Ægypti, quia missi per circumcisionem in Chananææ possessionem, jam promissæ terræ domini sunt, qui nuper fuère Ægyptiorum servi. Neque enim Abrahami, Isaaci, Israelis denique legitimi filii, ac proinde promissæ ditionis hæredes censeri potuerunt, nisi cùm essent circumcisi.

Sequitur in ordine sacrorum verborum : *Et vocatum est nomen loci illius Galgala.* Verbum *Galal* devolvere et amovere significat : inde formatum est hoc loci nomen, *Galgal.* Solet enim in verbis, quorum posteriora duo elementa gemina sunt, sæpè primum repetitum interponi inter illa, et alioqui propria hominum locorumque nomina crebrò non planè referunt eam unde derivata sunt positionem. Exempla sunt נח à verbo, נחם, ubi una littera est abjecta. שמואל, à, שאל, ubi una est ascita. Sed non est opus pluribus. Sunt enim ubique obvia. Nescio quid Josepho in mentem venerit, ut Galgal libertatem significare diceret. Sed sunt ejusmodi apud eum virum, cæteroqui magnum et doctissimum, sexcenta, ex quibus intelligas, quanta fuerit illo seculo hebraicæ linguæ inscitia atque ignorantia. Pro ויקרא, hoc est, et vocavit, nomen dedit, dixi, *vocatum est.* Nam sic sæpè hoc verbum, absque personâ cui hæreat, positum est in sacris litteris. Quid porrò illud sibi velit, *usque ad hanc diem,* exposuimus alibi satis multis.

Vers. 10. — Igitur dum castra haberent Israelitæ in Galgalis, etc. Diximus nuper, circumcisionis cæremoniam distulisse Israelitas per desertum, cùm assiduò aut esset proficiscendum, aut proficiscendi necessitas exspectaretur. Ei hoc consequens erat, ut anniversariam Paschæ cæremoniam differrent quoque. Neque enim hanc fas fuit agere, nisi circumcisos, ut semel iterùmque ostendimus. Nam qui putant hanc legem in Exodo scriptam, ad alienigenas modò pertinere, eàque solutos fuisse Israelitas, audent iidem, cum Pelagianis, sacrum baptismum ei non esse necessarium dicere, qui ex christiano sanguine sit ortus; cùm ipso sit ortu sanctus, vel Paulo teste, qui ait 1 Cor. 7, v. 14 : *Alioqui filii vestri impuri essent, cùm nunc sint sancti.* Atqui idem Paulus eodem propè hiatu dicit, virum, cæteroqui non initiatum, fieri sanctum per uxorem, et uxorem per virum; num, obsecro, sic ut eis baptismus non sit opus? O inerudita, inepta, absurda atque aliena à Pauli sententiâ commenta. Sed religio est istis scilicet, Israelitas tantæ socordiæ atque negligentiæ, ne dicam impietatis, damnare, quasi sanctissimam, et, nuper adeò, tantùm non in omnium mentes incisam à Deo ipso legem, de Paschate quotannis observando, tam citò violare ausos. Atqui si Paschatis omissio in crimine aliquo ponenda illis fuisset, cur non in multò majore, circumcisionis, cùm hæc cæremonia ad sacrosanctam adoptionem et fœdus, illa ad memoriam duntaxat liberationis duræ servitutis pertineret? Sed id est cur tantoperè per desertum fecisse illos pascha contendat, quando de faciendo constituta atque inculcata lex, ad solam terram promissam spectare videtur. Est enim ea omnium Hebræorum sententia, ipsis etiam sacris verbis testata, ut apparet, quibus, illam suam legem Deus tanquàm præcisione quâdam, concludit inquiens Exod. 12, v. 25 : *Cùm perveneritis in terram, quam dabit Dominus vobis, sicut prædixit, observabitis cultum istum.* Nam quod etiam ad montem Sinam fecerunt, id singulariter jussi à Deo fecerunt, non lege, sed privilegio, ut honorem facerent Dei sacrario, quod tum recens compositum consecrabatur. Neque enim profectò novo jussu illiusmodi opus fuisset, si lege etiam illic fuissent astricti. Non enim mandat Deus simpliciter, ut Pascha faciant modò, sed accuratè, quasi de integro omnes illos præscribit ritus observandos, qui alioqui satis priore lege fuerant sanciti. At verò certum est, aiunt, Israelitas per desertum cæteris sacrificiis, quæ lex præscripserat, usos esse; non ergo, quamvis præputiati, ut immundi prohibebantur ab atrio Dei; quare neque à Paschate faciendo. Equidem certè, non prorsùs pro immundis fuisse habendos existimo, qui assiduæ profectionis necessitudine, non voluntate aut socordiâ differebant, non vilem habebant circumcisionem. Sed tamen nondùm fuisse tam mundos puto, ut adversùs Dei sanctionem, præputiati cùm essent, de agno Paschali gustare possent. Et verò quod usque adeò certum esse illi affirmant, nescio quibus freti Scripturis, nullas enim laudant, id negare prorsùs videtur divinus vates Amos, cùm ait cap. 5, v. 25 : *Numquid sacrificia, et oblationem obtulistis mihi in deserto per annos quadraginta, ò domus Israel?* Nam illi de stativis ad montem Sinam non loquuntur, cùm in illis Pascha esse factum aperta

res sit, sed non à præputiatis, ut ante diximus.

Igitur, ut ad propositum redeat oratio, sicut paulò ante circumcidendi ritum, ita nunc Paschatis cæremoniam instauratam esse memorant sacra verba, ut intelligamus sanctè et religiosè auspicatos esse Israelitas possessionem terræ promissæ, quò majore studio atque observantiâ nobis similiter esse faciendum statuamus, cùm nosmet comparamus, in mundi hujus stativis ad proficiscendum in possessionem illius cœlestis nostræ hæreditatis. Cæterùm locus et tempus nominatim expressa sunt, ut constet, eos nusquàm extulisse pedem è castris, usque eò dùm sacris istis fuissent operati. Tempus autem alioqui illud planè observatum est, quod à Mose, atque adeò ab ipso Deo passim fuerat lege præstitutum. Sed de Paschatis mysterio non est hujus loci prolixè disserere, et res est à plurimis pertractata accuratè, atque à divo etiam Paulo scitissimè explicata. Quare id solùm monebimus, duas esse res, quarum potissimùm repræsentandarum gratiâ Paschatis sacrificium est à Deo institutum, alteram, quòd sanguis agni, superliminaribus et postibus ædium illitus saluti fuit omnibus, qui se intra eas ædes continebant; alteram, quòd populus eâ re ab ægyptiacâ servitute in libertatem est vindicatus. Harum autem utramque ad sacrificium illud, universo mundo salutare, quo se Christus obtulit in arâ crucis, pertinere satis constat. Sed à priore nomen ei festo est impositum; vox enim פסח, id est, Pascha, ut à nostris molliùs redditum est, saltum significat, qualem Germani *hupf* dicunt, nimirùm, quia angelus ille exterminator, qui Ægyptiis ultimam cladem inferebat, domos sanguine agni notatas, veluti transiliens, servabat. Philo Judæus διάβασιν, interdùm etiam διαβατήρια, est interpretatus. Josephus ὑπέρβασιν. Symmachus plurium numero ὑπερβάσεις dicere maluit. Posterioris verò multò crebrior in sacris litteris est commemoratio, usque adeò, ut quinquagies Israelitarum animos ad summi illius beneficii memoriam esse revocatos, sit observatum. Etsi enim, sanguinem agni fuisse saluti Israelitis, adversùs grassatoris angeli plagas, augustius fuerit mysterium, atque adeò insecutæ libertatis, et transitionis in promissam terram causa, tamen quia occultius erat, ipsa verò illa libertas apertissima, ut quæ omnes gravissimæ et intolerabilis servitutis levatione suavissimâ affecerat, ideò hujus, potiùs quàm illius, crebrâ commemoratione excitare rudem illum populum, ut religiosâ pietate gratum se præberet, voluit Spiritus sanctus.

Porrò in hoc Paschatis sacrificio tantum inesse mysterium, ut eo primùm Deus suam divinitatem quadamtenùs cum hominibus communicaverit, Hebræorum etiam nonnulli rectè existimaverunt. Nam quidam R. Judas, scriptum reliquit in eo libro quem *de Disciplinâ* inscripsit, per Paschæ sacrificium tam arctè Deum consociàsse sibi homines, ut in eo, per ipsius divinum nomen, similiter atque lucernæ ellychnium in lumine, inhæreant; idque occultè illis etiam significatum esse verbis, quæ in Levitico cap. 11, v. 48, extant: *Ego sum* יהוה *Jehova, qui eduxi vos de terrâ Ægypti, ut essem vobis in Deum*, esse enim hoc ac si dicat: Ut meam vobis impertirer divinitatem. Et istam esse rationem cur tam magnificè toties jactet sacra historia liberationem Ægyptiacam. Atque his consentanea etiam videntur esse illa quæ Philo scripsit in eo libro, quem de Caini et Abelis sacrificiis composuit, cùm his uteretur verbis: Διάβασις γὰρ ἐπὶ Θεὸν τοῦ γεννητοῦ καὶ φθαρτοῦ τὸ πάσχα εἴρηται, hoc est: *Pascha transitio dicta est, quòd per se ortu atque interitu fluxum in Deum evadit.* Sed hæc quâ fiant ratione, à Christo ipso, ejusque discipulis in sacris Evangeliis, et inprimis luculenter apud Joannem, explicata sunt.

Sequitur in ordine textûs: *Die decimo quarto mensis, in vesperâ.* Est quidem hoc tempus sacrâ lege definitum, ut primo Paschati, quia sic se res ipsa tum dabat, ita et reliquis deinceps omnibus celebrandis quotannis. Verùm Christiani, propter Dominici diei, quo Christus noster resurrexit, et simul dierum lunæ observationem, ut divus Augustinus exposuit, non eodem perpetuò vertentis anni die, nostrum Pascha agere possumus. Nam Τεσσαρεσκαιδεκατιταὶ, quos *quartadecimanos* vocare licet, olim damnati profligatique sunt, quamvis divi Joannis præceptiones suis nugis conarentur opponere. Sed quanta et qualis fuerit olim inter Ecclesiæ principes de Paschatis die contentio, atque controversia, qui cognoscere volet, is legat Eusebii lib. 3 Hist. Eccles., et lib. 3 de Vitâ Constantini, atque, si placet, Lucidum Samosatheum, Paulum Mittelburgensem, aliosque similis argumenti scriptores.

Porrò illud, *in vesperâ*, hebraicè est, בערב, quod tamen in Exodo atque Levitico בין הערבים scriptum est, ac si dicas, *inter duas vesperas.* Sed idem tempus utroque notari certum est ex iis, quæ Exodi 16 et Deuteronomii 16 scripta

habentur. At enim cùm illud constet, vesperam apud Hebræos attributam esse diei insequenti, Israelitasque mactato agno, cùm jussi essent excedere Ægypto, adeò properâsse, urgentibus Ægyptiis, ut farinæ jam tum madefactæ quidem, sed nondùm fermentatæ, nedùm coctæ, massam secum asportare in mactris, ad primam usque mansionem in Soccoth, cogerentur, et tamen sacra historia memoret, die decimo quinto ipsos discessisse, eumque diem postridiè paschatis fuisse, absurdum illud esse videtur, eam vesperam ad diem decimum quartum referri. Neque enim credibile est, ab eâ vesperâ, quæ diem decimum quartum antecesserat, ad eumque pertinuerat, usque ad diem 15, eos moram, quando omni festinatione properabant, fecisse. Nam et maximâ abeundi cupiditate per se ipsi incitabantur, et insuper ab Ægyptiis vehementer ad festinandum urgebantur. Sic ergo statuendum est בערב et בין ערבים, hoc est, *vesperam*, illud dici tempus, quo nondùm quidem è nostro orbe finiente excessit sol, sed tamen inclinatissimus propè ab occasu abest, agnumque paschalem mactari solere, die quidem decimâ quartâ, sed ejus extremâ parte; cùm autem mactatus jam deinde esset assandus, cœnaque comparanda, noctem interea advertisse, quæ ad diem decimum quintum pertineret. Itaque in epulo accubuisse omnes eâ nocte, quæ lucem diei decimi quinti cùm præcederet, ejus diei esse pars censebatur. Hoc enim evangelicæ etiam historiæ consentaneum est, quæ memorat, Christum emisisse duos discipulos ante eam noctem, quæ diei passionis suæ imminebat, scilicet, ut agnum mactarent, cæteraque ad epulum appararent; ipsum autem, cum cæteris discipulis, tandem, ὀψίας γενομένης, hoc est, nisi fallor, cùm serum esset, solque dudùm occubuisset, advenisse et accubuisse. Nisi si quis malit opinari, in celebrandi Paschatis narratione, noctem insequentem esse attributam diei præcedenti; à quâ opinione videor videre R. Mosen F. Nehemanni non fuisse alienum. Sed Hebræorum sententias mox exponemus.

Sanè nostros Evangelistas sic esse locutos fateri cogimur, cùm eum diem, quo Christus jubebat suos abire paratum cœnam, vocarent azymorum diem. Decimum enim quintum diem fuisse azymis consecratum res est sacris litteris testata; edebantur enim azyma simul cum agno eâ nocte quæ ad diem decimum quintum pertinens, decimum quartum finiebat. Et quid mirum est sic esse locutos Evangelistas, cùm Deus ipse jusserit, azymis omnes vesci die decimâ quartâ vesperi, quæ vespera erat reverà diei decimi quinti initium? His enim utitur verbis in Exodo cap. 12, v. 18 : *Primo* (mense) *decimo quarto die mensis, in vesperâ, comedetis azyma, usque ad diem vicesimum primum mensis in vesperâ.*

Sed jam videamus quæ sint Judæorum sententiæ, qui non in magnâ varietate atque dissensione constituti videntur. Plerique enim omnes consentiunt, die 14 jugulandum esse agnum, nocte verò eâ quæ deinceps sequitur, hoc est, quæ diei decimi quinti lucem antecedit, edendum. Cæterùm quodnam fuerit mactatûs tempus, et cur illud בין ערבים, inter duas vesperas definitum sit sacris verbis, non est una omnium opinio. Pars major quidem statuit, fas fuisse mactandis agnis operam dare, ab horâ sextâ, hoc est, à meridie diei decimi quarti, usque ad duodecimam horam ejus diei, hoc est, usque ad solis occasum, post verò, nefas. Tum enim inchoato die decimo quinto, festum fuisse agitandum, ac vorandum, cum azymis, agnum. Hæc opinio autem prodita primùm videtur memoriæ et litteris in eo commentario vetusto, qui *Mechilta* inscriptus est. Etenim inter alia illic legimus : « Dixit R. Natham, quæ potest afferri causa, cur illud « בין הערבים inter duas vesperas, accipiendum « sit de eo tempore, quod à sextâ horâ ad « finem usque diei labitur? Ei responsum est, « non quidem posse afferri causam, sed ita « traditum esse à majoribus. » Hæc in Mechilta.

Huic consentaneum illud quoque est, quod R. Simeon F. Johai scriptum reliquit in libro *Zohar*, et ipse auctor cum primis antiquus; ערב, vesperam, dici universum illud temporis intervallum, quo sol à meridie in occidentem devexus fertur, similiter בקר id, quo ortu conscendit ad cœli fastigium usque. Diem enim totum dividi in בקר mane, et ערב vesperam. Cæterùm cur illud pomeridianum tempus universum vocetur בין הערבים, inter duas vesperas, hanc affert rationem R. Salomon, quia « id tempus, inquit, inter obscurationem diei, « horâ septimâ inchoatam, et noctis obscura- « tionem, quæ noctis est initium, labitur. » At Levi F. Gersonis, autumat, ערבים duas vesperas, sive duo crepuscula, significare, crepusculum matutinum, quod tamen שחר potiùs, ab obscuro lumine, appellari solet, et crepusculum vespertinum, quod propriè ערב à mixtis confusisque cum luce tenebris, dictum est. Inter illa autem duo crepuscula, inquit,

medium tempus est meridies; meridie ergo auspicari mactatum fas est; at ultra occasum extendere nefas, cùm dies decimus quartus, in quo agnus est mactandus, sole occumbente finiatur. Atque hanc habuisse opinionem chaldæus Onkelos videtur, qui illud בין ערבים interpretatur בון שמשיא, hoc est, inter soles, orientem scilicet et occidentem. Nehmannus verò suo assensu R. Salomonis sententiam approbat. At Aben Ezras eamdem refellens concludit, duarum vesperarum appellatione significari tempus illud quod à sole occumbente ad ipsum usque tenebrosæ noctis initium intercedit, hoc est, quamdiù solis ex nostro orbe finiente egressi lumen à nubibus repercussum, tenebras avertit, neque prorsùs noctem esse sinit, quod intervallum, inquit, est ferè horæ unius, et tertiæ partis horæ; una enim caligo efficitur cum sole occumbente; altera verò, condito prorsùs eo, quod dixi, lumine. Laudat deinde quemdam R. Sadaiam, ex inclytorum numero, quos גאונים vocant, quem alioqui libenter solet honoris causâ nominare; hunc, inquam, Sadaiam citat, qui scripserit, traditum quidem esse à majoribus, mactatum paschalis hostiæ fas esse auspicari ab eo temporis momento, quo certi sumus, solem superato medio cœlo ad occidentem vergere, propterea quòd ara illa in Salomonis æde, in quâ unâ paschales hostiæ jugulabantur, solos quinque cubitos longa, et totidem lata, cùm pauculos sacrificos admitteret, à sanguine pecudum expurgari non potuisset, si tantillo tempore horæ unius et tertiæ partis, simul omnes agni fuissent mactandi; cæteroqui verò solum illud tempus à sole occidente usque ad conditos ejus radios et fulgores, fuisse legitimum. Illam Aben Ezræ sententiam, quam sanè magnis rationibus ipse affirmavit, secutus partim esse videri potest Jacobus Faber Stapulensis, vir doctissimus atque acutissimus, cùm scribit, vesperas illas duas explicans, alteram esse quæ cœpta à solis occasu, durat quamdiù crepusculum, alteram quæ à crepusculi fine ad insequentis usque diei initium pertinet; in primâ mactandum fuisse agnum, in alterâ sanctè convivandum. Sed non persequar ejus sententiam longiùs; est enim ab ipso luculenter perscripta, et in vulgus pervulgata. Hoc modò monebo, cùm ut Aben Ezras, ita et Stapulensis, post solis occasum tandem, sed ante noctis tenebras, jugulent agnum, eam temporis partem ab ipsis diei decimo quarto attribui debere, quod sanè haud esse absurdum, argumento sunt illa, quæ supra exponebam Dei verba. Quare non facilè statuerim, istorum ne, qui post solis occasum mactandum esse agnum censent, an illorum qui ante, opinio sit ad veri similitudinem propensio.

Sed quod à R. Sadaia proditum est, ad aram in Salomonis templo mactari debuisse omnes agnos paschales, id verò non facilè illi concesserò. Nam quod de Josiæ Paschate affert, parùm firmum esse videtur argumentum, si ipsa narrationis sacræ verba inspiciantur, quæ in Paralipomenis scripta extant.

Igitur, ut rem in pauca conferamus, aut debebat mactari agnus Paschalis ante occumbentem solem diei decimi quarti, ut plerique Judæi putant; aut, si post occasum mactabatur, ut Aben Ezras et Faber autumant, erat hoc tempus, ratione cæteroqui inusitatâ, decimo quarto diei adscribendum. Nam in Numeris scriptum est, profectos esse Israelitas è Ramesse mense primo, die decimo quinto mensis, postridiè Paschatis, quod de mactatu, non de ipso festo, esse accipiendum aperta res est, cùm in eodem libro scriptum sit, ipso die decimo quinto festum Paschatis esse celebrandum, his verbis, cap. 28, v. 16 et 17 : *Mense primo, die decimo quarto mensis, pascha esto Domino. Decimo quinto die verò mensis istius, festum, diebus septem vescentur azymis.*

Sed enim illud quoque videndum superest, quî possit esse verum, profectos esse Israelitas è Ramesse die decimo quinto, qui erat postridiè Paschatis, et quidem, in oculis, ut habet historia, universæ Ægypti, quando in Deuteronomio scriptum est, sacrificandum esse Pascha, in eo loco quem suo nomini dedicâsset Deus, non autem in quâ quisque habitaret urbe; idque vesperi, hoc est, בערב, sive in caligine, occumbente sole, quo tempore egrediebaris ex Ægypto. Certum est, cùm, vel ante solis occasum, in extremo diei decimi quarti, vel condito quidem sole, nondùm tamen ablatâ luce, hoc est, inchoato die decimo quinto, mactatus fuisset agnus, atque multâ jam nocte epularentur Israelitæ, subitò tumultuatam esse universam Ægyptum, ob funera suorum liberorum primigenarum. Ibi, procul dubio, nullâ interpositâ morâ, non solùm rex Israelitis discedendi potestatem faciebat, sed pro se quisque, quantùm potuit, ipsos à se extrudebat atque exturbabat, pênès quos tanti mali causam esse intelligebant omnes. Eâ igitur nocte discessum instituere coacti sunt Israelitæ. Apparationem ergo hanc vocat historia egressum, ut etiam

in Deuteronomio, cap. 16, vers. 1, ubi sic loquitur Deus: *Quia mense maturescentium frugum eduxit te Dominus Deus tuus ex Ægypto, nocte.* Nam inepta sunt Judæorum quorumdam commenta, qui vocabulum *Mizraim*, non Ægyptum ipsam, sed urbem Ægypti primariam, quæ etiam nunc *Mezrem* vocatur, significare contendunt, quoties sacra narratio memorat, Hebræos nocte egressos esse ex Mizraim. Solos enim Mosen et Aaronem eâ nocte clam se subduxisse ex Mezrem, urbe regiâ, ne à furente tyranno, propter filii sui casum, occiderentur. Etenim illud Mosis edictum, quo isti ad hujusmodi ineptias comminiscendas inducuntur, ne quis illâ nocte pro foribus domûs suæ excederet, tantisper modò observandum fuit, dùm cædes illa per grassatorem angelum patraretur. Cæterùm cùm jam luceret, tum demùm denso agmine procedere visi sunt, atque hoc est, quòd memorantur die decimo quinto postridiè Paschatis, è Ramesse egressi esse, manu excelsâ, in oculis universæ Ægypti. Vocatur enim lux illa, postridiè Paschatis, quia ipse, ut dixi, Paschatis mactatus, vel extremo die decimo quarto factus erat, vel insequentis noctis pars decimo quarto diei fuit adscribenda. Sed jam longiùs ista prosequor quàm præsens locus postulare videtur. Quare hoc unum addam memorabile sanè, quod in Talmude scriptum reperi, ubi de anni principio disputatur, celebrem fuisse et veterem opinionem apud priscos Judæos, qui dies vertentis anni Israelitis fuisset libertatis ægyptiacæ initium, eumdem olim ipsis fore initium quoque libertatis, quam essent à Messiâ recepturi. Quàm id autem pulchrè cum nostræ religionis consentiat doctrinâ, nemo non videt. Adepti sunt enim illi in Ægypto libertatem mense primo medio, hoc est, cùm luna ex adverso opposita soli toto suo luceret orbe. Christus quoque eodem illo mense, lunâque similiter affectâ, nobis ex cruce, libertatem suâ morte dedit. Sed pergamus.

Vers. 11.—Edebantque de frumento terræ, postridiè Paschatis, etc. Non satis certum est, quis dies hoc loco vocetur, *postridiè Paschatis.* An decimus quintus, qui erat postridiè quàm mactatus fuisset agnus, ut jam dixi, an verò decimus sextus. Nam toto decimo quinto die festum Paschatis agebatur. Certè quod ad azyma attinet, dubitatio nulla esse potest, quin ea simul cum agno edenda fuerint die decimo quinto, et deinceps per dies septem. At tosta certè ex novis frugibus non potuère edi priusquàm consecratæ fuissent messis primitiæ, hoc est, manipulus, qui jubetur offerri, postridiè sabbati, id est, postridiè ejus diei, quantùm apparet, qui sacro Paschate festus erat. Fuisse autem decimum quintum festum, non decimum quartum, negari non potest. Sed adscribam legis verba ex Levitico: *Mense primo,* inquit, cap. 23, v. 5, *die decimo quarto mensis, inter duas vesperas*, sive duas caligines, *Pascha Domino, atque decimo quinto die mensis istius, festus dies azymorum Domino; septem diebus azyma comedetis.* Rursùs de manipulo, post pauca, v. 10: *Loquere* (inquit Deus ad Mosen) *cum filiis Israel, dicitoque ad eos: Cùm veneritis in terram quam ego do vobis, messuri messem ejus, afferte manipulum, primitias messis vestræ, ad sacerdotem: is agitabit manipulum coram Domino; pro vestrâ voluntate,* sive, quod vobis faustum sit, *postridiè sabbati agitabit illum sacerdos.* Et Talmud quidem Jerosolymitanum, de placentâ, quæ ex quâque massâ sacerdoti debebatur, disputans, quorumdam Rabbinorum opinionem profert, qui hoc loco, diem decimum quintum constituebant esse, postridiè Paschatis.

In eâdem etiam sententiâ est R. David Kimhi. Cùm autem nefas fuerit, ustulatis novis spicis vesci, ante eum diem, quo, ut dixi, consecrabatur manipulus (sunt enim explicatissima legis verba Levit. loc. cit.: *Et panem, et tostum et spicas tritas non comedetis usque ad eum ipsum diem, quo obtuleritis oblationem Deo vestro,* debent qui hanc habent opinionem, aut sabbatum superioris legis, accipere de nocte illâ quâ agnus edebatur, quæque lucem diei decimi quinti præcedebat, eamque superiori diei adscribere, ut decima quinta lux possit postridiè sabbati rectè vocari, aut cum Kimhi, ex istis verborum angustiis aliâ se ratione facilè expedire. Ait enim Kimhi tostum, cujus hìc est mentio, non esse ex hornâ fruge. Nam עבור, superioris anni modò frumentum significare; itaque ut manipulus nondùm oblatus sit hoc die 15, tamen tostis ex veteri fruge vesci licuisse. Et sanè קלוי, aut קלי hoc est, tostas sive ustulatas, aut frixas fruges, nullas apparari solere, nisi hornas, quod R. Salomon existimare videtur, equidem puto nullis sacræ Scripturæ dictis satis firmè confici posse. Quare si tosta ista, ut et azyma, ex superioris anni frumentis facta fuisse statuamus, non nefas erat eis vesci, ante oblatum manipulum, hoc est, die decimo quinto mensis nisan, qui sacro Paschate festus agebatur. Verùm Talmud Babylo-

nicum in Mesichta de anni principio, et R. Levi-F. Gersonis, cum plerisque aliis Judæis existimant de novis frugibus locum hunc accipiendum esse, quibus interdictum erat, usque dùm manipulus esset oblatus, postridiè festi Paschalis, qui dies erat decimus sextus mensis nisan, ut isti statuunt. Et in hâc sententiâ fuisse videntur septuaginta Interpretes. Nam quod nos, *tostum,* id ipsi converterunt τὰ νέα, hoc est, fruges novas. Etenim quod R. David Kimhi scribit, עבור præteriti anni frumenta significare, id parùm firmum est. Chaldaicâ enim linguâ, nullo discrimine fruges omnes quibus vescimur, vocantur עבורא, quod ex Josephi Historiâ in chaldaicam linguam conversâ luculentissimè apparet. Sed utra sententia verior sit, incertum mihi esse fateor. Et proinde rem in medio relinquo.

Porrò illa clausula verborum : *Eo ipso die,* videtur significare, populum avidissimè affectum de gustando fructu terræ promissæ, simul atque fas ei fuit, desiderium suum egregiè explevisse. Nam usurpare illius possessionem antequàm sacris paschalibus operati fuissent, religio erat. Si verò de hornis frugibus agitur, vesci eis lex ipsa vetabat, nisi consecratò postridiè festi Paschatis manipulo.

Vers. 12.— Et cessavit manna postridiè, dum ederent de frugibus terræ, etc. Quin de eodem die loquatur hic versiculus de quo præcedens, sive eum fuisse decimum quintum statuamus, sive decimum sextum mihi nulla est dubitatio. Multi tamen Judæorum existimant, eum jam dici diem, qui fuerit postridiè superioris illius diei. Neque enim potuit, inquiunt, cessare manna, quo die manipulus offerebatur. Nam etiam tum eo opus habebat populus, cùm frumenta adhuc nulla messuisset. Atqui in uberrimâ regione vetus frumentum deesse non potuit, quo vel ad paucas horas vescerentur, et fortassis ex campis Moabiticis secum asportârant, cùm jussi fuissent viaticum comparare. Cæterùm credibile est, pluisse quidem perpetuò adhuc manna, præterquàm diebus Sabbati, vulgòque id panis loco fuisse, tametsi ut erat fastidiosum genus hominum, atque ad æstimanda Dei dona parùm attentum justumque, alio interim pane quoque vescerentur, quibus obtingere alius usquàm potuit. Nam pretio cibum illos per viam comparâsse constat ex sacrâ historiâ. Verùm à frugibus Chananææ religiosè omnes abstinuisse, usque dùm circumcisi, Paschatis festum celebrâssent, ideòque adhuc manna opus fuisse. Nunc porrò pluere desiisse, cùm Deus, quem ob inopiam cibum fuerat benignè largitus, eum oblatâ alterius cibi copiâ subtraheret, ne cœleste donum fastidio esset ingratis hominibus, quod ne ipsâ quidem summâ necessitate satis grato animo habuerant.

Sed dices, Mosen attestari, pane non esse usos per desertum; ergo solo manna. — Atqui Moses hoc modo volebat, pane nullo alio eos eguisse per vastam solitudinem, nunquàm enim defuisse manna. Sed enim eò quoque pertinet, quòd subitò cessat manna, cùm alius cibus suppetit, ut intelligant omnes, non naturali quâpiam aeris temperie, ut grandinem, rorem, pluvias, nives, cæteraque quæ ex terræ halitu procreantur, illud quoque cibum concretum decidisse, sed ex merâ Dei liberalitate atque misericordiâ, veluti ex apertâ cœli penariâ cellâ expromptum in populi fuisse penuriam.

Nugantur autem, ut solent, Tamuldici in auctario Mesichtæ, atque etiam in commentario Mechilta, cùm dicunt, manna desiisse pluere cùm Moses exiret è vitâ, sed inde conservatum in vasis adhuc pro cibo Israelitis fuisse, jam verò tandem defecisse prorsùs. Neque enim hîc nunc memoratur defecisse, ut rectè à R. Levi F. Gersonis est notatum, quanquàm Latinus, secutus Septuag., ut solet, hoc reddiderit : *Sed cessavisse,* hoc est, pluere desiisse. Quòd verò illi commentum hoc suum magnoperè ad Mosis gloriam pertinere putant, ineptum est profectò. Neque enim ex Mosis, sed Dei benignitate sacram illam pendere cœlestis sibi pluviam oportebat omnibus esse persuasum.

Sequitur : *Neque habuerunt deinde filii Israel manna, ederuntque de proventu terræ Chananææ,* etc., hoc est, post illud tempus nunquàm deinde pluit manna, pro victu Israelitarum. Neque enim opus fuit, cùm traducti in terram lacte et melle affluentem, hoc est, fertilissimo solo uberrimam, eâque hæreditatis loco donati à Deo essent. Talmudici rursùs, eo quem nuper ostendebam loco, statuunt, istæ ad mannæ laudem spectare, quasi memorentur Israelitæ ideò chananaicas fruges edisse, quia mannâ caruerint. Similiter ac si dicam, me pane hordeaceo vesci, quia non habeam triticeum, quasi verò illi cœlestem cibum insolentiâ atque contumaciâ detestabili non pridem fastidierint. At enim facilè concedo Talmudicis, singulari quâdam suavitate præ cæteris cibis conditum manna fuisse. Eò enim detestabilior erat populi adversùs divinam beneficentiam animus ingratus, cùm citissimè, non tam fastidio et satie-

tate, quàm, ut dixi, insolentiâ ab illo alienarentur, atque Ægypti cucumeres, pepones, porrum, cepas, allium pani angelorum non verecundarentur præferre. Cæterùm Chananæam hic nominatim vocari terram, cujus deinde fructibus pro cibo usus sit populus, ideò arbitrantur multi, quòd superioribus duobus versiculis non de Chananææ modò frugibus accipienda fuerit narratio, sed magis de iis, quas secum ex Galaatide, et campis Moabiticis asportârant, cùm jussi fuissent, ante fluminis trajectum, comparare viaticum. Quod additur, *in illo anno*, haud ferè dissimile illi est, quod superiùs dicebatur : *Eo ipso die*. Nimirùm pertinet ad celebrandum æternâ memoriâ faustum illud auspicium, quo ventum est in possessionem terræ, ut diù desideratissimæ, ita et felicissimæ.

Vers. 13 et 14.— Accidit porro cum esset Josua in Jericho, ut sustolleret oculos, etc. Visum, quod hìc Josue objicitur, propè geminum esse ei, quod Mosi in rubo apparuerat, potest existimari. Par enim utriusque ratio, et inde in utroque Dei consilium esse videtur, ut utriusque imperatoris animus, in ipso rerum gerendarum initio, simul et certâ fiduciâ firmetur, et ab insolente arrogantiâ prohibeatur, cùm intelligant illi, imperia ardua et difficilia quæ suscipiunt, Dei consilio, nutu, potentiâ, non suis viribus, suâque prudentiâ esse gerenda; ut autem dissimiles ipsis offerrentur species, dissimilium rerum agendarum ratio postulabat. Josua enim, cui perpetuò inter medios hostes versandum foret, nudato gladio armatum virum fortissimum sibi opportunè adesse præstò vidit. At Moses, cui non tam cum armatis hostibus, quàm cùm sævo populi domino, atque etiam cum ipsis naturæ elementis, in Ægypto, in mari, in vastâ solitudine pugnandum luctandumque totâ vitâ esset, vidit rubum, populum videlicet, cujus ipse esset futurus imperator, è mediâ calamitatum atque ærumnarum flammâ incolumem superesse, sed præsente Deo, rubumque in ipso incendio conservante. Sic enim R. Simeon F. Johai, scriptor apud Judæos cum primis vetus, et arcanorum indagator subtilissimus, in libro Zohar; et eum, opinor, secutus R. Levi F. Gersonis illud Mosis visum sunt interpretati.

Sed enim memoratur Josua fuisse in Jericho, cùm esset non in urbe, quæ clausis portis, custodiisque ac vigiliis munita, admittebat neminem, sed in planitie in quâ illa erat posita. Nam eam quoque illi nomini esse subjectam diximus. Quanquàm hoc etiam dici rectè potest, præpositionem, *in*, vicinitatem significare aliquando apud Hebræos. Nam Josua alibi narratur hostes cecidisse in Gabaone, qui Gabaonem cinxerant obsidione, vel, quod R. Levi Gersonis placet, Josuam non reipsà, sed animi cogitationibus fuisse in Jerichunte, cùm de eâ capiendâ secum meditaretur : similiter atque Daniel scribit, se in Susis fuisse, cùm sibi illud arietis visum offerretur memorabile, qui tamen in regiâ Babylone fuisse tum videtur, si ejus narrationis extremum audias.

R. David Kimhi putat, jam è Galgalis eductum fuisse exercitum ad obsidendam Jerichuntem, atque castra ante urbem posita, ibique Deum confirmandi imperatoris gratiâ, et simul capiendæ urbis rationem edocendi, visum istud illi obtulisse. Atqui satis obsessa videri urbs poterat ex ipsis stativis, ut quæ decem, teste Josepho, stadia tantùm ab eâ abessent; fieri ergo potest, ut, cùm imperator oppugnandæ urbi locum opportunum ivisset speculatum, aut alioqui in agro suburbano in rerum agendarum meditatione versaretur, iste ei lætus nuntius, et belli inchoandi præmonstrator, atque adeò confector sit oblatus, ut fluctuantem rerum difficultate animum ipsius sedaret, confirmaretque. Nimis enim facilè hominum mentes, quantâvis magnâ fiduciâ præparatæ, præsentium discriminum metu permoventur : sicut rursùs, felicium rerum cursu efferuntur inani fiduciâ, Deique obliviscuntur.

Sequitur : *Ut sustolleret oculos*. Crebrò in sacrâ historiâ hoc scriptum est, cùm res nova atque improvisa se obtulit, ut de Abrahamo Gen. 18, v. 2 : *Et sustulit oculos suos, et vidit, et ecce tres viri stabant*, etc. De Jacobo Gen. 33, v. 1 : *Et levavit Jacob oculos suos, viditque venientem Esau*. De Esau ibid. v. 5 : *Et levavit oculos suos, et vidit mulieres*. De Daniele cap. 10, v. 4 : *Et sustuli oculos meos, et vidi, et ecce vir quidam indutus lineis*, etc. Sed est ejusmodi propè infinita ὑποτύπωσις, quâ ego nihil aliud, quàm repentinam, atque insperatam visionem significari existimo, veluti cùm quis aliis rebus intentus, fortè circumspiciens, rem ante non opinatam adesse cernit. Nam quod quidam putant, sublatos oculos ad cœlestium rerum considerationem contemplationemque spectare, non potest ea interpretatio ad omnes personas accommodari, quare extortam esse certum est. At enim illius modi visa

semper, congruente analogiâ, eas res quarum gratiâ apparent, repræsentare debent; alioqui enim absurda essent. Strictus ergo gladius in viri fortis manu, Dei potentiam repræsentat Josue, ut is agnoscat verum populi imperatorem, cujus virtute bellum quod instat universum facilè confectum ibitur. Cæterùm quòd ipse tam audacter contra virum, quem armatum videt, et procul dubio, augustâ specie insignem, pergit, iisque affatur verbis, quæ planè aut pugnam, aut amicitiam decernant, fortis quoque et fidentis animi est, quibus virtutibus egregiè pollebat imperator præstantissimus.

Chaldæus interrogationem illam : *Num noster tu, an adversariorum?* explicatiùs reddidit : *Num ut nobis opem ferres venisti, an ut hostibus nostris?* Sed cùm diversa duo interroget ille conjunctè, parùm aptum videri possit responsum simpliciter datum ab angelo, verùm hìc falsam ex animo illius opinionem eximere primùm volebat. Nihil enim adhuc in mentem Josuæ venerat, quàm hominem esse. Respondet ergo, hominem se non esse, neque Hebræum, neque Chananæum. Septuag. Interpretes pro לא, videntur legisse לו; reddunt enim pro negatione, pronomen αὐτῷ non sanè prorsùs absurdè; nam Judæorum Massoreth observavit, quindecies לא, pro לו in sacris libris esse scriptum.

Sequitur : *Sed sum princeps exercitûs Domini.* Sum, inquit, summus populi Dei imperator, cujus nutu et moderatione istæ, quas tu ducis, copiæ reguntur et gubernantur. Aut, ut alii explicant : *Ego cœlestis exercitûs imperator sum.* Sed ut ut est, eò pertinent magnifica ista verba, ut iis consiliis, aut mandatis veriùs, atque etiam promissis quæ de oppugandâ et capiendâ Jerichunte exponet angelus proximo capite, auctoritas et fides comparentur, et simul, quod nuper dicebam, ut Josuæ animus adversùs arrogantiam in futuro cursu rerum prosperrimo præmuniatur. Quo vitio vix aliud detestabilius invisiusque Deo concipere homines queant. Nam si pro maximo scelere habetur falsorum deorum cultus, ut est sanè maximum, non video cur pecces graviùs turpiùsque, si vano cuipiam simulacro accepta referas, quæ à Deo profecta sunt, quàm si tibimet ipsi. Chaldæus posteriorem sententiam approbavit. Reddidit enim sic : *Ego sum angelus missus à Domino.* Esse quosdam in cœlo principes angelos, consentaneum est Danielis verbis, cùm ait c. 10, v. 13 : *Et ecce Michael unus principum primorum, venit mihi subsidio.* Vocantur autem illi principes, primi, ut videtur divo Hieronymo, quos archangelos aliàs vocamus, aut fortassè, qui regnis nationibusque à Deo sunt præfecti, quales fuêre apud Danielem princeps Persarum, et princeps Græcorum. Judæi ergo hunc principem angelum statuunt Michaelem fuisse; cui alioqui Israelitarum cura fuit à Deo demandata, teste Daniele cap. 10, v. 21, et 1, 21. Atque eamdem habet Theodoretus quoque opinionem. Promiserat enim, inquit, Deus, missurum se suum angelum, qui populo præiret. Ego verò existimo, fuisse quidem hunc eum ipsum angelum de quo Deus ad Mosen Exod. 23, v. 20, verba illa faciebat : *Ecce ego mitto angelum ante faciem tuam, ut servet te per viam, et perducat te ad locum quem paravi. Caveto à vultu ejus, et obtemperato voci ipsius, ne rebelles ei. Neque ignoscet iniquitati vestræ. Est enim nomen meum in ipso.* Sed eum angelum esse puto, non Michaelem, verùm æternum Dei Filium, et perpetuum principem directoremque populi Dei. Quanquàm enim tum demùm propriè nuntius Patris ille factus est, κατ'οἰκονομίαν, cùm ex beatâ Virgine carnem indutus, planè ad nos accessit; et in terris visus, atque nobiscum versatus est, tamen inde à condito lapsoque Adamo, ejus perpetua curatio fuit, humanum genus Patri reconciliare, atque Ecclesiæ sanctæ religionem constituere, ut rectè, etiam antequàm homo esset factus, Dei angelus sit vocatus, cùm per eum Deus Pater de rebus omnibus semper cum mortalibus communicaverit, de quâ communicatione supra disputavimus prolixiùs.

Ad hæc prisci Patres, viri sanctissimi, legationem istam, quâ corporatus ad nos ille tandem accessit, quasi jam tum præsentem, et quæ reipsà gereretur, amplectebantur per fidem. Unde est, illud Joan. 8, 50 : *Abraham vidit diem meum, et gavisus est.* Non ergo mirabile est, quòd angelum vocarent etiam tum Dei filium. Et sanè quod dico, id ab ipsis etiam priscis Hebræis, sed occultè, dictum esse videtur. Nam in commentario vetusto *Tanhuma*, quem librum sæpè, ut laudem facit varia quam complexus est doctrina; in eo, inquam, commentario, dum locus ille de angelo præituro Israelitis, qui in Exodo scriptus est, tractatur, hæc legimus : « Dicebat Deus Mosi Exod. 23, « 20 : *Ecce ego mitto ante faciem tuam angelum.* « At Moses respondebat : *Ego angelum nolo,* « *sed teipsum volo.* Porrò Josua filius Nun, cùm « primùm videret angelum, dicebat : *Nostet-*

« *ne es, an adversariorum nostrorum?* Tum ad « eum angelus : *Ego,* inquiebat, *sum princeps « exercitûs Domini, jam veni* : ac si diceret : « Ego jam secundò adsum, ut Israelitas in pos- « sessionem suæ hæreditatis ducam. Veneram « enim etiam cùm imperator esset Moses ma- « gister tuus ; sed ille, cùm me videret, nole- « bat me secum ire, sed à se repulit. Hæc au- « tem simul atque audisset Josua, procumbe- « bat in faciem, adoransque dicebat : *Quid « Dominus meus loquitur ad servum suum?* » Hæc prisci Judæi, quo dixi libro, et his similia plu- ra, quæ mihi certè visa sunt alludere ad Ju- daici populi Ecclesiam, quæ de Mose magistro se jactabat ; et ad eam quæ nunc à Josuâ, hoc est, Jesu Christo regitur. Illa enim allegatum ad se angelum Christum, ut ipsi ad cœlestem hæreditatem patefaceret aditum, repudiavit at- que urbe etiam ejectum cruci affixit. Hæc verò simul atque cùm ex doctrinâ, tùm ex miracu- lis intellexisset, eum à se, non ab adversario Beelzebud stare, adoravit, ejusque jussa sub- missè et obedienter amplexata est.

Sed quando me ad Judæorum philosophiam deduxit præsens commentatio, adscribam etiam illa, quæ de hoc angelo apud R. Mosen Gerundensem Nehmanni filium reperi, virum profectò acutum, et qui in cabalistarum philo- sophiâ exercitatus, non uno loco nostræ red- emptionis mysteria, quasi per cancellos, anim- advertere mihi visus est, tametsi gentili per- tinaciâ ad ipsam usque veritatem penetrare, et eam amplecti, profiterique neglexerit. Scri- bit igitur ille de angelo, qui à Mose in rubo visus est, in hanc ferè sententiam : « Iste, in- « quit, angelus, si rem ipsam dicamus, est ange- « lus redemptor, de quo scriptum est Exod. « 23, v. 21 : *Quoniam nomen meum in ipso est.* « Ille, inquam, angelus qui ad Jacob dicebat « Gen. 31, 13 : *Ego Deus Bethel.* Ille de quo « dictum est Exod. 3, 4 : *Et vocabat Mosen « Deus de rubo.* Vocatur autem angelus, « quia mundum gubernat. Scriptum est enim « Deut. 6, 21 : *Eduxit nos Jehova* (hoc est, « Dominus Deus) *ex Ægypto.* Et alibi Num. « 20, 16 : *Misit angelum suum, et eduxit nos ex « Ægypto.* Præterea scriptum est Isa. 63, 9 : « *Et Angelus faciei ejus salvos fecit ipsos.* Nimi- « rùm ille angelus, qui est Dei facies, de quo « dictum est Exod. 33, 14 : *Facies mea præ- « ibit, et efficiam ut quiescas.* Denique ille ange- « lus est de quo Malach. 3, 1 : *Et subitò veniet « ad templum suum Dominus, quem vos quæritis, « et angelus fœderis quem cupitis.* »

Et rursùs alio loco, ubi illum versiculum ex- ponit : *Facies mea præibit, et efficiam ut quie- scas,* sic scriptum reliquit, ut in pauca confe- ram : « Animadverte, inquit, attentè quid ista « sibi velint. Moses enim, et Israelitæ semper « optaverunt angelum primum ; cæterùm quis « ille esset, verè intelligere non potuerunt. « Neque enim ab aliis percipiebant, neque « propheticâ notione satis assequebantur. At- « qui facies Dei, ipsum significat Deum, quod « apud omnes interpretes est in confesso. Ve- « rùm ne per somnium quidem ista intelligere « quisquam possit, nisi sit in mysteriis legis « eruditus. » Et post pauca : « *Facies mea præ- « cedet,* hoc est, angelus fœderis, quem vos « cupitis, in quo videbitur facies mea, de quo « dictum est : *Tempore accepto exaudiam te. « Nomen enim meum in eo est. Faciamque ut « quiescas,* sive, efficiam ut ipse tibi sit lenis et « benignus. Neque te ducat per jus rigidum, « sed placidè et clementer. » Hæc Gerundensis quæ quàm sint nostris mysteriis consentanea, nemo, opinor, non videt.

Nomen autem Dei, ipsa est Dei essentia ; hæc enim nomine *Jehova* quod, ut peculiariter suum, Deus ipse Mosi patefecit, significatur. Esse autem Dei essentiam in Christo, inter nostra mysteria vel primum habetur. Sed quòd angeli nomen ad mundi moderationem spec- tare existimat Nehmannus, haud absurdè id quidem dicit. Est enim æternus Dei filius re- ctor, moderatorque, atque adeò architectus mundi, vel Apostolo et Salomone testibus. Augustius tamen, mihi quidem certè, illud esse videtur, quod nos dicebamus, propterea quòd à Patre inde à condito orbe ad nos est destinatus allegatus, idcircò angelum vocari. Atque eâdem ratione etiam facies Dei dictus videri potest, cùm in eâ legatione, Patris sui faciem, post Adæ peccatum humano generi ignotam, in se ipse nobis repræsentaverit. Verè enim ab ipso dictum illud est Joan. 14, 9 : *Philippe, qui videt me videt et Patrem meum.* Sed dimittamus Judæos. Certum est, Dei fa- ciem præivisse Israelitis, cùm Moses dux esset populi. Eamque faciem fuisse Deum ipsum. Id enim et Moses, ut fieret, flagitabat, et Deus præstiturum se spondebat. Ad hoc Paulus, apud Corinthios, Christum esse comitatum illos, apertè testatur, qui cùm sit imago sub- stantiæ Patris expressissima, propriè profectò facies ejus dicitur. Præterea Deum ipsum fuisse non angelum quempiam ministrum, qui suam in rubo præsentiam declarabat, Moses quoque at-

testatus est, cùm habitatoris rubi favorem, hebraicè רצון, Josepho precaretur. Quis enim non existimet, Dei gratiâ, non angeli cujuspiam eum illi conciliare voluisse, cùm omne donum perfectum descendat à Patre luminum? Cur ergo non idem ille, qui Mosis principatu præibat populo, nunc quoque, obtinènte imperium Josuâ, ducem se præstare existimetur? præsertim cùm Moses testatus sit, frustra fore omnes populi conatus, frustra progressus in terrâ promissâ, nisi præeat Dei facies, *nisi*, inquiens Exod. 33, 15, *facies tua nobiscum eat, ne nos hinc subducas;* aut cur non, ut in rubo Mosi, ita se hic Josuæ Deum, non angelum patefacere credamus? Certè priscos illos Patres Dei angelique vocabulo juxta usos esse, insigne est exemplum in Jacobi divinis votis, quæ de nepotibus suis Josephi liberis faciebat, cùm diceret, Gen. 48, 15: *Deus qui pascit me, ex quo ortus sum, usque ad hunc diem; angelus qui redemit me ab omni malo, benedicat pueris,* etc. Æquè pari enim benedicendi facultate pollere eum statuit, quem angelum nominat, et quem Deum. Jam verò quis nescit, omnem benedictionem à solo Deo, ut fonte, petendam esse? Angelum igitur appellavit, æternum Dei filium, cujus in res humanas semper fuisse moderationem intelligebat divinus senex. Ille ergo idem hic quoque princeps exercitûs Domini vocatur, quippe qui est, non solùm moderator, et gubernator Ecclesiæ Dei, sed etiam universi cœlestis exercitûs princeps, et dominus, atque adeò conditor et effector.

Sed jam illud videndum est, quonam tandem modo Christus ante sumptam carnem, aut cœlestes illi spiritus angeli, patefecerint se, et ostenderint, vel Josuæ hoc loco, vel Mosi in rubo, vel Abraham in quercetum Mamre, vel Jacobo ad torrentem Jaboc, vel aliis denique viris sanctis. Verùm quando ejus rei subtilior, et contentiosior disputatio non solùm supervacanea, sed etiam lubrica ad peccandum est, expediam paucis quod mihi verisimillimum est visum. Et de iis quidem visis, quæ vel ipsa sibi intùs phantasia format, vel quibus externo aliquo pulsu informatur, cujusmodi sunt propheticæ visiones, et his similes aliæ, nihil est quod dicam: habent enim illa, qualia sint, cognitionem facilem, et à physicis satis explicatam. Sed de illis, quæ corporis sensus movent, veluti cùm angelorum pedes lavaret Abraham, cùm Loth ipsorum manibus eriperetur civibus Sodomæ, cùm Jacob luctaretur, cùm Moses rubum videret ardentem, et hujus generis aliis. Neque verò etiam subtiliter inquiram de angelorum naturâ, habeantne corpora, à quâ sententiâ haud alienus fuisse videtur divus Augustinus, atque etiam Plato, et ex recentioribus Michael Psellus Ephesinus. An verò spiritus corporum prorsùs expertes sint: quod vulgò theologis rectè probatur. Nam, ut habeant illi corpora, etsi est id quidem parùm probabile, tamen ut habere eos demus, certè Dei Filium non habuisse, antequàm κατ' οἰκονομίαν fieret filius Davidis, formamque servi acciperet Dominus, in confesso apud omnes est. Anthropomorphitæ enim jam olim explosi sunt. Ad hoc, nemo, opinor, omnium est, qui angelis ejusce generis aut modi corpora attribuenda putet, quæ in nostros sensus cadant. Quare nihil platonica illa opinio ad id quod modò agimus. Mihi igitur quod Tertulliano placuit, aut verum, aut certè vero simillimum esse semper visum est, cùm Dei Filium, antequàm homo factus esset, tum angelos, ita carnem reverà induisse, ad tempus, ut videri, et congredi cum hominibus possent, suasque per illa corpora proprietates, ut sic dicam, nobis adumbrarent, et quadamtenùs repræsentarent; neque ullis eâ in re præstigiis, sensus nostros fallerent. Cæterùm an ex nullâ materiâ ea corpora sumpserint, ut Tertullianus affirmare non dubitat, an verò ex aliquâ, ut est credibilius, et quânam illâ, aerene, an aliâ, hanc quoque ego disquisitionem in medio relinquam.

Neque verò ex iis quæ dixi, confici potest, homines illos fuisse, similiter atque fuit Christus homo verus, cùm carnem ex beatâ Virgine sumpsisset, factus Davidis nepos. Neque enim sola caro, quamvis in hominis figuram conformata, hominem facit, nisi ei consociata sit per ortum, anima humana, ut ex hisce duabus rebus fiat una, ut vocant ὑπόστασις, atque ut nos dicere solemus, *persona,* quo modo spiritus illi cum carne, quam ad tempus, ut dixi, sumpserant, minimè fuerunt colligati; neque enim cum eâ nascendo orti erant. Atque eam ob rem sacrarum rerum scriptores, cùm propriè loquuntur, non homines vocant eos spiritus, qui sic apparent, sed similitudines, aut imagines, vel species hominum. Et proinde cùm carnem illam rursùs relinquerent, mori haudquaquàm rectè dici potuerunt. Quid porrò factum illiuscemodi corporibus sit, postquàm, spiritus excessêre, nihil est quòd solliciti simus quando divinæ potentiæ tam fuit facile illa subitò dissolvere, sive in aerem, sive aliud elementum, quàm antea fuerat, conglutinare

atque conformare. Atqui ex iis quæ dicimus, forsan occurret illud, hominum oculos falsâ specie à spiritibus illis fuisse præstrictos, si homines non fuêre, cùm esse homines viderentur. Sed hoc non est ita. Ea enim species, quæ videndi sensum movebat, talis reipsà species erat, qualis esse videbatur; cæterùm opinatio de ipsâ rei substantiâ, ea ad mentem pertinebat, quæ suo judicio falli potuit. Sed in re admodùm obscurâ, et quæ cognitionem habet difficillimam, sic sententiam atque opinionem nostram affirmavimus, ut facilè passuri, neque molestè laturi simus, si quis nos bonis rationibus refellat, certioraque doceat.

Sequitur in contextu sacrorum verborum : *Modò veni,* sive, *jam,* vel *nunc veni.* Id quomodò exponant Talmudici et prisci Judæi, supra diximus. Illos sequi videtur, ut plerùmque assolet, R. Salomon. Sed omissis istis, si angelus idem ille est, qui imperante Mose, dux populi fuit, ipsa Dei patris facies videlicet, et expressa imago substantiæ ejus, quid est, cur se modò venisse dicat, qui adhuc in medio est versatus populo, quemque mox post Mosis excessum Deus promittebat non minùs Josuæ adjutorem fore, atque ante Mosis fuisset, præsertim, si Chaldæi interpretationem probamus, quæ illic est à nobis exposita; denique qui nuper in traducendo per siccum flumen populo, tam luculenter præsentiam potentiamque suam declaravit ? R. David Kimhi quidem autumat, emphasim habere adverbium עתה *nunc, modò, jam,* nempe ut subitaneo interventu significet se spiritum, non hominem esse, cùm humana, aliaque corpora non nisi sensim se sistere ullo in loco possint. Satis ille quidem acutè, at parùm, ut mihi videtur, firmè. Nam, ut ex aliquot Danielis dictis luculenter apparet, significant ista verba, eum qui sic loquitur, de re quâpiam singulari adesse, suamque præsentiam declarare, ut, in non dissimili huic nostræ, visione, cùm vir vestitus lineis sic loquitur ad Danielem cap. 10, v. 11 : *Daniel, vir gratiose, intellige verba, quæ ego loquor ad te, et consiste, quia nunc missus sum ad te.* Et post pauca ibid. v. 14 : *Ego veni, ut significarem tibi, quæ accident popularibus tuis in ultimis diebus,* etc. Et in aliâ visione, cap. 10, v. 22, narratâ, cùm Gabriel ad illum hæc facit verba : *Daniel, modò egressus sum, ut te erudirem informaremque intelligentiâ; in tuæ precationis initio res est decreta, et ego veni ut nuntiarem. Es enim gratiosus,* etc. Etsi igitur princeps iste cœlestis exercitûs, vel Ecclesiæ Dei, adhuc est Josuam et populum comitatus, tamen rectè se nunc advenisse ait, quia de re singulari jam Josuam adit, nimirùm expositurus omnem capiendæ urbis Jericho rationem; de quâ re credibile est tunc magnis precibus interpellatum fuisse à Josuâ Deum. Sicut Danieli quoque offerebantur visa illa quæ modò memoravi in precibus.

Sequitur : *Ceciditque Josua in faciem suam,* etc. Hoc Josuæ, cum aliis viris sanctissimis commune accidit. Nam Moses quoque, cùm primùm loquentis ex rubo audisset Dei verba Exod. 3, 6 : *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob,* occulebat faciem suam, nimirùm verebatur obtueri Deum. Et Daniel de se ipse memorat cap. 10, v. 9, simul atque audisset vocem verborum viri illius lineis induti, cujus modò mentio est facta, repentè, quasi sopore mens attonita fuisset, pronum se in terram cecidisse. Sed sunt in sacrâ historiâ hujuscemodi exempla plurima, ex quibus luculenter apparet, quantam habuerint divina apud priscos Patres oracula reverentiam; et quæ contra, apud nostri seculi homines, tantæ sit sceleratæ audaciæ ac impudentiæ causa, quâ multi in omnia vel abditissima mysteria penetrare conari non verentur, atque de iis, pro putidi sui corporis sensibus potiùs quàm pro ipsis Dei oraculis, existimare. Nimirùm isti non satis animadvertunt, et illum esse Deum, et se homines humi stratos, atque ideò tam impudenter in illius arcana omnia, tanquàm in res naturæ legibus subjectas, inquirunt. Sed Moses et Josua, usque eò dùm intelligunt, quis sit quocum ipsis res est, intrepidè accedunt, obtuentur, percontantur, respondent. Verùm è vestigio ubi divinum esse numen audiunt, ne attollere quidem oculos sustinent. Quippe quò se Deus viris verâ pietate præditis, patefacit propiùs, eò suam ipsi humillimam conditionem, contra verò, illius sublimem et divinam magnitudinem majestatemque magis agnoscunt et reverentur.

Discamus ergo nos quoque his exemplis moniti, ad Deum adire humiliter, castè, sobriè, pietatem adhibere religiosam, amovere arrogantiam, hoc est, dejicere omnem ingenii nostri celsitudinem, quæ sese effert contra cognitionem rerum divinarum, quæ sunt à superborum atque arrogantium hominum intelligentiâ longissimè disjunctæ, accommodatæ verò ad eorum, qui suî despicientes cùm sint, in eâ doctrinâ quæ à sacrosanctâ Ecclesiâ est

tradita acquiescunt, suas verò cogitationes ad auscultandum oraculis Christi, et Ecclesiæ auctoritati mancipant, castoque timore timent, neque magnificentiùs de se ipsi sentiunt quàm oporteat, sed sobriè, pro fidei modo, qui cuique à Deo datus est.

Illud : *Et incurvavit se,* hebraicè est, וישתחו, quod verbum honoris est, quo vel Deum, vel homines proni afficimus. Utriusque exempla plura sunt in sacrâ historiâ, quàm ut locos ostendere sit operæ pretium. Quare nihil attinet quærere, quem hic adoraverit Josua. Nam scrupulus ab Augustino motus, cui se prostraverit, non video qualis sit ; hoc enim fuit perculsi formidine subitâ animi, ut videtur. Et ut fuerit reverentiæ, libenter enim hoc fatemur tamen mos fuit semper illi genti, non solùm Deo, sed etiam angelis, sed etiam hominibus se prosternere, honoris causâ. Illud enim verbum hebraicum prorsùs respondet Græcorum προσκυνεῖν, quod apud Orientis populos semper fuit solemne et usitatum, ut ex Xenophonte constat. Quem morem homines illi adhuc observant, ut sæpè vidimus ; demittunt enim se pronos in terram, eamque ubi ore attigerunt, rursùs se erigunt, et semel iterùmque venerabundi salutantesque incurvant corpora.

Quæ sequuntur verba : *Quid Dominus meus loquitur ad servum suum ?* promptissimæ voluntatis significationem ad parendum divinis jussis continent, quæ voluntas nata est ex divinæ magnitudinis, et humanæ parvitatis contentione. Nam sive Deum ipsum in filii personâ, sive administrum Dei angelum esse arbitrabatur, eâ procul dubio notione illius animus erat divinitùs informatus, ut planè intelligeret, non inane spectrum, aut cacodæmonem, sed Dei legatum esse. Verùmenimverò ut hæc ad nosmetipsos accommodemus, docet nos hic locus, ut ad percipienda divini verbi sensa, et ipsius præstantiam dignitatemque, et nostram parvitatem atque inscitiam primùm agnoscamus, eòque sensus nostros atque intelligentiam nostri ingenii abjiciamus humi, neque impudenter in illud intendamus, quasi in humanam philosophiam. Deinde verò pio in Deum animo, ut ipse nos fide firmâ imbutos sublevet, suâque divinâ gratiâ fulciat ac sustentet, mentemque nostram illuminet deprecemur. Atque ita demùm, quid Dominus noster loquatur ad nos, interrogemus, idque ut sanctus ipsius Spiritus nobis explicet, qui solus veritatem cordibus hominum suggerit atque persuadet, cum docili voluntate petamus.

Vers. 15. — Detrahe calceamentum tuum de pede tuo, etc. Nondùm exponit princeps exercitûs Dei, quarum rerum gratiâ allegatus sit ; sed narrationi suæ auctoritatem priùs captat et fidem. Calceamentum enim exuere, nudisque pedibus insistere jubetur Josua, ut ipsius mens religione percellatur, permoveaturque etiam atque etiam præsentiæ majestatis divinæ opinione, ac proinde attentior sit ad visionem, tanquàm rem divinam, expendendam cogitatione, et secum diligenter pertractandam, tum verba, sicut Dei oracula penitùs percipienda, et ut verissima certissimaque amplectenda, quæ alioqui vanissimis somniis similia videri, et proinde neglecta excidere facilè potuissent. Quid enim minùs simile vero dici queat, quàm, circumeunte otiosis manibus milite, urbis munitissimæ muros sponte suâ esse collapsuros ? Præterea, ut intelligat, Dei gladio victoriam universam esse attribuendam, nihil arrogandum suis viribus, ut qui humi stratus ne suspicere quidem cœlestem illum principem audeat. Hanc cæremoniam, ut Moses Gerundensis prodidit, Judaici populi sacerdotes, Josuæ exemplo, deinceps perpetuò usurpârunt in templo ministrantes, aut sacris operantes. Et sanè etiam nunc apud plerasque Orientis nationes piaculum est, calceato pede templorum pavimenta calcâsse.

Sed enim, si Moses, si Josua, viri sanctissimi et divini, illiusmodi cæremoniis ad religionem permovendi fuêre, quâ, quæso, sui fiduciâ multi jam in cultu divino, summâ cum petulantiâ, imò verò contumeliâ, cæremonias omnes, quamvis antiquas, quamvis à sanctissimis Patribus inde à religionis nostræ cunabulis usurpatas et traditas rident, damnant, repudiant, profligant ? Nimirùm isti repentè hominem exuerunt ; nullis distringuntur humanarum rerum cogitationibus, sed animo libero solutoque cum cœlestibus spiritibus per cœlum volitant, Deumque coram intuentur. O dementiam, atque insaniam ! Nihil est, fateor, cur Deo nudi pedes, quàm calceis circumdati, cur retecta capita quàm operta, aut omninò alius habitus gestusve corporis alio magis placere debeat. Sed tamen nostrâ causâ utiliter ista instituuntur externæ pietatis, ut sic dicam, exercitia, ut dùm iis propalàm utimur, tanquàm et rebus divinis operam damus, animum nostrum rerum humanarum despicientiâ coerceamus reprimamusque, qui se alioqui perpetuò aliis atque aliis pravis cupiditatibus, quamdiù in his inclusus est compagibus corporis, insolenter

effert, atque ad pietatem et religionem convertamus, simulque etiam exemplo proximos ad laudandum prædicandumque Deum vocemus atque invitemus, secundùm illud Christi, Matth. 5, v. 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, etc.; dùm in genua, dùm in faciem procumbimus, dùm manus in cœlum tendimus, aut palmas, quasi vinctas, consociamus; oculos sustollimus, caput detegimus, nudis pedibus ambulamus, humi cubamus; cilicium induimus, ovinas, caprinas pelles, ut ait Apostolus, atque omninò tanquàm sordidatos nos sistimus ante Dei oculos; quid aliud agimus, quàm nostram parvitatem, et, ut sic dicam, indignitatem, cum divinæ majestatis magnitudine comparamus? eòque et nostram et eorum qui nos fortè intuentur mentem ad despiciendum res nostras; suspiciendum verò admirandumque, et expectandum cœlestes et divinas flectimus?

Quid crucis signum? quo ipsa etiam antiquitas, ut ait Tertullianus, ipse auctor inter nostros sanè cum primis antiquus, quâcumque illam conversatio ulla exercebat (utor ejus verbis) terebat frontem; quid, inquam, hoc signum aliud est, quàm ingenua crucis professio, atque adeò ut de gloriandâ prædicandâque re, sancta jactantia? Quare illud dùm ex animo in omnibus nostris actionibus usurpamus, atque in re per se probrosâ, salutis nostræ memoriam et imaginem nobis sæpè proponimus, et veluti hoc Christi trophæo, hostem, ne ea quæ aggredimur, impediat, deterremus, Christum ipsum, procul dubio, nostrâ tam liberali professione atque fiduciâ, in eâ quam ipse nostrâ causâ sustinuit ignominiâ, ut ea quæ agimus auspicatioria faciat, provocamus. Verùm abesse volo ab his omnibus fictam simulationem, in quâ, sicut nec reliquæ virtutes, ita neque pietas inesse potest; est enim illa in cæremoniis omnibus, cultuque externo maxima pestis. Debent enim hæc, ut proba sint, neque gloriæ et laudis cupiditate, neque etiam magicâ superstitione exerceri, sed cum animi pietate conjuncta esse, atque ab eâ veluti procreari. Sed neque salutis nostræ spem atque fiduciam in istis collocatam habere debemus, quæ Christi meritis planè est attribuenda; sed hæc hactenùs.

Solent plerique calceamentis significatas esse dicere, pravas corporis cupiditates, sive animalem hominis partem, quæ non percipit ea quæ spiritûs Dei sunt, ut ait Paulus 1 Cor. 2, 14, semper humi strata, terrenisque affixa rebus. Eæ enim perturbationes mentis, quoad ejus fieri potest, exuendæ sunt iis, qui divinas res contemplari, meditarique volunt. Hæc allegoria etiam à quibusdam est Hebræis prodita. Et fortassis eòdem spectat, quòd Christus suorum discipulorum pedes lavat, priusquàm eos sacrosancti sui corporis et sanguinis participes faciat. Quin illud quoque non inscitum est, ut mihi videtur, quod à Cypriano est proditum (si is est auctor librorum ad Quirinum inscriptorum), hoc ritu significari, unum Christum esse Ecclesiæ verum sponsum, cæteros verò omnes, quantùmvis sanctos Deoque probatos viros, amicos modò sponsi. Cùm ut in Deuteronomio et historiâ Ruth scriptum est, qui alteri propinquiori magisque necessario in ducendæ sponsæ jure cedebat, exuere calceum lege debuerit.

Quidam inter recentiores Judæorum scriptores celebris famæ, et sanè acutus et eruditus, Isaac Æramæus observavit, Mosi dictum esse: *Exue calceamenta tua è pedibus tuis*, numero plurium; at Josuæ : *Calceamentum tuum à pede tuo*, quia illi duplex cura incumbebat, quarum utramque ab se in Deum rejicere jubebatur, huic verò unica. Moses enim, quamdiù cum imperio apud populum fuit, non solùm imperatoris officia, sed etiam patris familias et nutritii facere debuit, cùm per vastam solitudinem illi alioqui cibo, potu, veste caruissent. At Josua in regione omnibus rebus, quæ ad humanos usus necessariæ sint, affluente, nullam nisi bellicarum rerum curationem habuit. Alius Judæus in cabalistarum philosophiâ eruditus et versatus, nomine Bahaiaus, ad uberiorem rerum divinarum intelligentiam, quâ Moses præ Josuâ informandus à Deo esset, atque ad altiorem gradum, quò esset propiùs in illius familiaritatem admittendus, spectare existimat numeri differentiam. Sed hæc argutiora sunt quàm firmiora.

Quod porrò sequitur : *Quia locus in quo insistis, res sacra*, sive, *sacer est* (sæpè enim substantivis pro adjectivis, ut grammatici loquuntur, utitur Hebræa lingua), causam continet exuendi calceamenti, atque dilucidiùs, quid sibi illa cæremonia voluerit, explicat, nempe, ut præsentiæ majestatis divinæ opinio, animum imperatoris magnâ religione perfunderet atque obligaret, quo is non solùm ad ea quæ mox est moniturus Deus, mentem acriùs intenderet, verùm etiam augustissimi illius ostenti memoriâ se ipse in posterum subinde confirmaret. Quò enim spectet loci sanctitas, si non ad divini numinis præsentiam? Nam quod

quidam existimant, ad universæ Chananææ dignitatem pertinere, vanum nimis est, et ex inconsiderantiâ profectum. Etenim locus ille quoque in quo Moses ardentem rubum videbat, similiter atque iste sacer esse dicebatur, quamvis procul à Chananæâ abesset. Tum si universæ Chananææ sanctitas istis verbis perhibetur, quid restat, nisi ut omnes simul Israelitæ, unà cum imperatore, calceos abjiciant, nudisque pedibus ambulent? Est igitur quod ait, hujusmodi: « Memineris te coram « Deo ipso stare, iisque quæ et vides, et « porrò audies consilium voluntatemque summi « numinis tibi declarari. » Etsi enim Deus ubique est, atque hic mundus omnis, templum domusque ipsius habetur, neque certis concludi locis ejus infinita majestas potest, tamen non perinde ubique præsentiam suam declarat, sed prout divina ejus rerum humanarum moderatio postulat. Ad hoc, quædam eum loca singulariter suo cultui consecrata dedicataque velle præ aliis, tam sæpè ipse est testatus, ut supervacanea sint, si qua proferam argumenta. Et sunt ejus rei exempla in primis insignia, sacra arca, et memorabile illud Salomonis templum, in quibus ut se singulariter coleremus, precaremur veneraremur, voluit. Affert enim ea res religionem utilem populis, civitatibus, cœtibus hominum aliis, quippe qui ejusdem loci precationibus et colendo Deo dicati, atque eorumdem rituum et sacrorum communione arctiùs inter se consociantur, mutuâque charitate obligantur. Neque enim est, opinor, ullus nostrûm, qui non sæpè in se ipse experiatur, pietatem atque religionem majorem incessere animum suum, cùm in templa, eaque loca ingreditur, quæ sanctitatis opinione habent venerationem, præsertim tum, quando in ipsis publicè hominum cœtus rebus divinis operam dat. Rectè igitur locus ille in quo stabat Josua, sacer à Deo vocabatur, illud et quia ipse suâ eum præsentiâ reverà consecrabat, et quia Josuæ erat utilis ea sanctitatis opinio, ob causas quas jam attulimus. Nam si res omnes consecrantur, ut ait divus Paulus, per verbum Dei, et sacras preces quæ ad illas adhibentur, quantò magis per Deum ipsum, quando se apud ipsas efficienter præsentem sistit! Nam ut ex novâ quoque lege exemplum unum afferam, an non singulari sanctitate affectam à Deo fuisse piscinam illam putabimus, quæ Jerosolymis *Bethhesda*, hoc est, misericordiæ aut benignitatis locus vocabatur, in cujus aquas ab angelo commotas atque agitatas qui primus descendisset, is à quovis morbo curabatur? Sanè in elementi naturâ tantam infuisse efficacitatem nemo sanus dixerit.

Sed concludam hunc locum divi Augustini verbis, qui in Epistolis sic scriptum reliquit: « Ubique quidem Deus est, inquit, et nullo « continetur aut includitur loco, qui condidit « omnia. Oportetque eum à veris adoratoribus « spiritu et veritate adorari, ut in occulto exau- « diens, in occulto etiam justificet et coronet. « Verùmtamen ad ista quæ hominibus visibi- « liter nota sunt, quis potest ejus consilium « perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula « fiant, in aliis non fiant? Multis enim notis- « sima est sanctitas loci, ubi beati Felicis No- « lani corpus conditum est. » Et quæ sequuntur plura in eam sententiam.

Postrema hujus capitis clausula: *Fecitque Josua sic*, nobis ante oculos ponit ad imitationem, promptam et alacrem in parendo verbis Dei obedientiam. Nam, ut nuper dicebamus, ejusmodi sancti spiritûs inflatu informata Josuæ mens intùs erat, ut planè intelligeret, divinam esse visionem, non præstigias aut fallacias cacodæmonis. Discamus igitur et nos quoque Dei verbis, quibus nobis per sacra Evangelia quotidiè loquitur, credere simpliciter, ut ipsa Ecclesiæ perpetua consensio ea explicavit. Et si quando humano judicio nostro illorum sensa non satis probata videntur, ne in animum inducamus calumniando velle pervertere doctrinæ à Patribus ad nos propagatæ pulcherrimum consensum concentumque, sed existimemus Deum illa nos intelligere noluisse, sed credere. Itaque credamus, neque ullis modis abducamur, ut putemus, sanctissimos illos viros, qui tam longâ serie, alii post alios, omnem, nostræ religionis disciplinam nobis, quasi per manus, tradiderunt, aut delirâsse, aut fallaciter verba sacra interpretatos esse, cùm iidem essent verbis quidem docendi, moribus autem, totiusque vitæ suæ exemplo, rectè faciendi vivendique magistri.

CHAPITRE VI.

1. Jericho autem clausa erat atque munita timore filiorum Israel, et nullus egredi audebat aut ingredi.

CHAPITRE VI.

1. Cependant Jéricho était fermée et bien munie, dans la crainte où l'on y était des enfants d'Israël, et nul n'osait y entrer ou en sortir.

2. Dixitque Dominus ad Josue : Ecce dedi in manu tuâ Jericho, et regem ejus, omnesque fortes viros.

3. Circuite urbem, cuncti bellatores, semel per diem. Sic facietis sex diebus.

4. Septimo autem die sacerdotes tollant septem buccinas quarum usus est in jubilæo, et præcedant arcam fœderis; septiesque circuibitis civitatem, et sacerdotes clangent buccinis.

5. Cùmque insonuerit vox tubæ longior atque concisior, et in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maximâ, et muri funditùs corruent civitatis, ingredienturque singuli per locum contra quem steterint.

6. Vocavit ergo Josue filius Nun sacerdotes, et dixit ad eos : Tollite arcam fœderis, et septem alii sacerdotes tollant septem jubilæorum buccinas, et incedant ante arcam Domini.

7. Ad populum quoque ait : Ite et circuite civitatem armati, præcedentes arcam Domini.

8. Cùmque Josue verba finîsset, et septem sacerdotes septem buccinis clangerent ante arcam fœderis Domini,

9. Omnisque præcederet armatus exercitus, reliquum vulgus arcam sequebatur, ac buccinis omnia concrepabant.

10. Præceperat autem Josue populo dicens : Non clamabitis, nec audietur vox vestra, neque ullus sermo ex ore vestro egredietur, donec veniat dies in quo dicam vobis : Clamate et vociferamini.

11. Circuivit ergo arca Domini civitatem semel per diem, et reversa in castra mansit ibi.

12. Igitur, Josue de nocte consurgente, tulerunt sacerdotes arcam Domini,

13. Et septem ex eis septem buccinas quarum in jubilæo usus est; præcedebantque arcam Domini ambulantes atque clangentes, et armatus populus ibat ante

2. Alors le Seigneur dit à Josué : Je vous ai livré entre les mains Jéricho et son roi, et tous les vaillants hommes *qui y sont. Voici de quelle manière vous devez vous conduire pour vous en rendre maîtres :*

3. Faites le tour de la ville, tous tant que vous êtes de gens de guerre, une fois par jour. *Vous marcherez devant les prêtres, dont les uns sonneront des trompettes et les autres porteront l'arche, qui sera suivie du reste du peuple*, et vous ferez la même chose pendant six jours.

4. Mais qu'au septième jour les prêtres prennent les sept trompettes dont on se sert dans l'année du jubilé, et qu'ils marchent devant l'arche de l'alliance, *comme ils auront fait les autres jours, avec cette différence que ce jour-là* vous ferez sept fois le tour de la ville; et les prêtres sonneront de la trompette *autant de fois.*

5. Et lorsque les trompettes sonneront d'un son plus long *et ensuite* plus coupé, et que ce bruit aura frappé vos oreilles, tout le peuple élevant sa voix tous ensemble jettera un grand cri; et alors les murailles de la ville tomberont jusqu'aux fondements, et chacun entrera par l'endroit qui se trouvera vis-à-vis de lui.

6. En même temps Josué, fils de Nun, appela les prêtres, et leur dit : Prenez l'arche de l'alliance, et que sept autres prêtres prennent les sept trompettes du jubilé, et qu'ils marchent devant l'arche du Seigneur.

7. Il dit aussi au peuple, *en s'adressant à ceux qui étaient en état de porter les armes :* Allez, et faites le tour de la ville, marchant les armes à la main devant l'arche du Seigneur.

8. Josué ayant fini ces paroles, les sept prêtres commencèrent à sonner des sept trompettes devant l'arche de l'alliance du Seigneur.

9. Toute l'armée marcha devant l'arche; le reste du peuple la suivit, et le bruit des trompettes retentit de toutes parts.

10. Or, Josué avait donné cet ordre au peuple : Vous ne jetterez aucun cri, on n'entendra aucune voix, et il ne sortira aucune parole de votre bouche, jusqu'à ce que le jour soit venu où je vous dirai : Criez et faites grand bruit.

11. Ainsi l'arche du Seigneur fit le *premier* jour une fois le tour de la ville, *étant précédée des gens de guerre et suivie du reste du peuple ;* et *ensuite* elle retourna au camp, et y demeura *jusqu'au lendemain.*

12. Et *le lendemain,* Josué s'étant levé avant

eos; vulgus autem reliquum sequebatur arcam et buccinis personabat.

14. Circuieruntque civitatem secundo die semel, et reversi sunt in castra. Sic fecerunt sex diebus.

15. Die autem septimo, diluculò consurgentes circuierunt urbem, sicut dispositum erat, septies.

16. Cùmque septimo circuitu clangerent buccinis sacerdotes, dixit Josue ad omnem Israel : Vociferamini; tradidit enim vobis Dominus civitatem.

17. Sitque civitas hæc anathema, et omnia quæ in eâ sunt, Domino; sola Rahab meretrix vivat cum universis qui cum eâ in domo sunt, abscondit enim nuntios quos direximus.

18. Vos autem cavete ne de his quæ præcepta sunt quidpiam contingatis, et sitis prævaricationis rei, et omnia castra Israel sub peccato sint atque turbentur.

19. Quidquid autem auri et argenti fuerit, et vasorum æneorum ac ferri, Domino consecretur, repositum in thesauris ejus.

20. Igitur omni populo vociferante, et clangentibus tubis, postquàm in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illicò corruerunt, et ascendit unusquisque per locum qui contra se erat; ceperuntque civitatem.

21. Et interfecerunt omnia quæ erant in eâ, à viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem. Boves quoque et oves et asinos in ore gladii percusserunt.

22. Duobus autem viris qui exploratores missi fuerant dixit Josue : Ingredimini domum mulieris meretricis, et producite eam et omnia quæ illius sunt, sicut illi juramento firmâstis.

23. Ingressique juvenes eduxerunt Rahab et parentes ejus, fratres quoque et cunctam supellectilem ac cognationem il-

le jour, les prêtres prirent *encore* l'arche du Seigneur.

13. Et sept d'entre eux prirent les sept trompettes dont on se sert en l'année du jubilé, et ils marchèrent devant l'arche, et sonnèrent de la trompette en allant. Toute l'armée marchait devant eux, et le reste du peuple suivait l'arche et sonnait du cor.

14. Et ayant fait une fois le tour de la ville au second jour, ils revinrent dans le camp. Ils firent la même chose pendant six jours.

15. Mais le septième, s'étant levés de grand matin, ils firent sept fois le tour de la ville, comme il leur avait été ordonné.

16. Et pendant que les prêtres sonnaient de la trompette au septième tour, Josué dit à tout Israël : Jetez un grand cri, car le Seigneur vous a livré Jéricho.

17. *Il leur avait dit aussi auparavant :* Que cette ville soit anathème, et que tout ce qui s'y trouvera soit consacré au Seigneur; que la seule Rahab, courtisane, ait la vie sauve avec tous ceux qui se trouveront dans sa maison, parce qu'elle a caché ceux que nous avions envoyés pour reconnaître le pays.

18. Mais pour vous, donnez-vous bien de garde de toucher à rien de cette ville, contre l'ordre qu'on vous donne, de peur de vous rendre coupables de prévarication, et d'attirer ainsi le trouble et le péché sur toute l'armée d'Israël.

19. Que tout ce qui se trouvera *dans la ville* d'or et d'argent, et de vases d'airain et de fer, soit consacré au Seigneur et mis en réserve dans ses trésors.

20. Tout le peuple ayant donc jeté un grand cri, et les trompettes sonnant, la voix et le son n'eurent pas plus tôt frappé les oreilles de la multitude, que les murailles tombèrent, et chacun monta par l'endroit qui était vis-à-vis de lui. Ils prirent ainsi la ville,

21. Et tuèrent tout ce qui s'y rencontra, depuis les hommes jusqu'aux femmes, et depuis les enfants jusqu'aux vieillards. Ils passèrent aussi au fil de l'épée les bœufs, les brebis et les ânes.

22. Alors Josué dit aux deux hommes qui avaient été envoyés pour reconnaître le pays : Entrez dans la maison de la courtisane, et faites-la sortir avec tout ce qui est à elle, comme vous le lui avez promis avec serment.

23. Les deux jeunes hommes, étant entrés dans la maison, en firent sortir Rahab, son

lius, et extra castra Israel manere fecerunt.

24. Urbem autem et omnia quæ erant in eâ succenderunt, absque auro et argento et vasis æneis ac ferro, quæ in ærarium Domini consecrârunt.

25. Rahab verò meretricem et domum patris ejus, et omnia quæ habebat, fecit Josue vivere; et habitaverunt in medio Israel usque in præsentem diem, eò quòd absconderit nuntios quos miserat ut explorarent Jericho. In tempore illo imprecatus est Josue dicens :

26. Maledictus vir coram Domino qui suscitaverit et ædificaverit civitatem Jericho! In primogenito suo fundamenta illius jaciat, et in novissimo liberorum ponat portas ejus.

27. Fuit ergo Dominus cum Josue, et nomen ejus vulgatum est in omni terrâ.

père et sa mère, ses frères et ses parents, et tout ce qui était à elle, et les firent demeurer hors du camp d'Israël, *en attendant qu'ils fussent purifiés et rendus dignes d'être associés au peuple du Seigneur.*

24. Après cela ils brûlèrent la ville et tout ce qui se trouva dedans, à la réserve de l'or et de l'argent, des vases d'airain et de fer qu'ils consacrèrent pour le trésor du Seigneur.

25. Mais Josué sauva Rahab, courtisane, et la maison de son père, avec tout ce qu'elle avait, et ils demeurèrent au milieu du peuple d'Israël, comme ils y sont encore aujourd'hui, parce qu'elle avait caché les deux hommes qu'il avait envoyés pour reconnaître Jéricho. Alors Josué fit cette imprécation :

26. Maudit soit devant le Seigneur l'homme qui relèvera et rebâtira la ville de Jericho! que son premier-né meure lorsqu'il en jettera les fondements, et qu'il perde le dernier de ses enfants lorsqu'il en mettra les portes.

27. Le Seigneur fut donc avec Josue, et son nom devint célèbre dans toute la terre.

TRANSLATIO EX HEBRÆO.

1. Jericho autem concludebat, et occlusa erat, propter præsentiam filiorum Israel. Nemo egrediebatur, aut intrabat. — 2. Porrò Dominus ait ad Josuam : Vide, tradidi in manum tuam ipsam Jericho, et regem ejus viros fortes. — 3. Nam circuibitis urbem omnes viri militares, cingendo urbem semel. Sic facietis diebus senis. — 4. Et septem sacerdotes ferent septem buccinas, ante arcam; at die septimo circuibitis urbem septenis vicibus, inflabuntque sacerdotes buccinas. — 5. Et quando productiore sono inflabunt cornu jubili, ubi audieritis vocem buccinæ, ululabit omnis populus ululatu magno, cadetque murus urbis subter se, et populus intrabunt, quisque ex adverso. — 6. Igitur Josue filius Nun inclamavit sacerdotes, et ait ad ipsos : Tollite arcam fœderis, et septem sacerdotes ferant septem buccinas jubili, ante arcam Domini. — 7. Dixit præterea ad populum : Pergite, et circuite urbem, et qui succinctus est procedat ante arcam Domini. — 8. Factumque est, cùm loqueretur Josua ad populum, ut procederent septem sacerdotes, ferentes septem buccinas jubilorum ante Dominum, et inflarent buccinas, arca autem fœderis Domini ibat, ponè illos. — 9. Et qui succinctus erat ibat ante sacerdotes inflantes buccinas. Qui verò agmen claudebat, ibat ponè arcam, procedendo inflandoque buccinas. — 10. Edixerat etiam Josua populo, inquiens : Ne ululetis, neque facite, ut vox vestra audiatur, neque prodeat ex ore vestro verbum, usque ad diem, quo dixero ad vos : Ululate, et ululabitis. — 11. Circuivit igitur arca Domini urbem, ambiendo vice unâ, et intrârunt in castra, pernoctaveruntque in castris. — 12. Et surrexit Josua manè, sustuleruntque sacerdotes arcam Domini. — 13. Et septem sacerdotes gestantes septem buccinas jubilorum ante arcam Domini eundo incedebant, atque buccinas inflabant. Qui verò armatus erat hos præcedebat, et qui claudebat agmen, ibat ponè arcam Domini, procedendo inflandoque buccinas. — 14. Circuiveruntque urbem die secundo semel, et reversi sunt in castra; sic fecerunt senis diebus. — 15. Cùmque esset dies septimus, surrexerunt oboriente crepusculo, et circuiverunt urbem ad istum modum septenis vicibus; eo duntaxat die circuiverunt urbem vicibus septenis. — 16. Factumque est septimâ vice, ut cùm sonarent sacerdotes buccinis, diceret Josua ad populum : Ululate, nam dedit Dominus vobis urbem. — 17. Sit autem urbs anathema, ipsa, et quidquid est in eâ, ipsi Domino. Duntaxat Rahab meretrix salva sit, ipsa, et quidquid cum eâ fuerit in domo, quia occultavit nuntios, quos miseramus. — 18. Et tantùm vos cavete ab anathemate, ne fortè anathematizetis, hoc est, accipiatis de anathemate, et exponatis castra Israel ana-

themati atque conturbetis ipsa. — 19. Atqui omne argentum, et aurum, vasaque ænea et ferrea, sanctitas est ipsi Domino, in thesaurum Domini veniet. — 20. Ululabat itaque populus, cùm canenerent buccinis. Nam simul atque audivit populus vocem buccinæ, ululavit populus clamore ingenti; et labebantur mœnia subter se, intravitque populus in urbem, quisque ex adverso, et ceperunt urbem. — 21. Et perdiderunt quidquid erat in urbe, à viro ad feminam, à puero ad senem, et usque ad bovem, ovemque ac asinum, in ore gladii. — 22. Dixerat autem Josua duobus illis viris, qui speculati fuerant terram : ingredimini domum mulieris meretricis, atque educite illinc ipsam mulierem, et quidquid habet, sicut ei jurâstis. — 23. Et intrârant pueri exploratores, eduxerantque ipsam Rahab, et ipsius patrem, et matrem ipsius, et fratres ipsius, ac quidquid habebat; insuper omnes cognationes ipsius eduxerant, atque collocârant eos extra castra Israelis. — 24. Porrò urbem comburebant igne, et quidquid erat in eâ; tantummodò argentum, et aurum, vasaque ænea, ac ferrea, contulerunt in thesaurum domûs Domini. — 25. Itaque Rahab meretricem, et domum patris ipsius, et quidquid illa habebat, conservavit Josua. Mansitque in Israele, ad hunc usque diem, eò quòd abscondisset nuntios, quos miserat Josua exploratum Jerichuntem. — 26. Detestabatur autem Josua eo tempore, dicens : Exsecrandus vir coram Domino, qui surget, et exædificabit urbem istam, ipsam Jerichuntem, in primogenitum suum jaciat ipsius fundamentum, et in minimum suum collocet ipsius valvas. — 27. Dominus porrò erat cum Josuâ, et fama ipsius erat per universam terram.

COMMENTARIUM.

Vers. 1. — Jericho autem concludebat et occlusa erat, etc. Sic interpretandum esse *occludendi* verbum hoc loco, ut ego sum interpretatus cùm ipsæ, quibus aliter atque aliter inflexum est, formæ postulant, tum illud quod subjicitur : *Nemo egrediebatur, aut ingrediebatur,* declarat. Est enim, ut ego autumo, hoc illius ἐξήγησις atque explicatio, ac si dicat, tam acribus vigiliis custodiisque septam munitamque fuisse urbem, ut et cives suos ita includeret, ut nemo omnium emitteretur, et hostes sic excluderet, ut ne quà se in ipsam insinuare possent. Concludebat ergo suos cives, præclusa autem erat Israelitis hostibus. Chaldæus utrique verbo patiendi notionem attribuisse videtur, atque etiam Græci, quos Latinus, ut libenter solet, est secutus. Nimirùm existimavêre isti, geminationem verbi acriores custodias, vigilias, munitionesque significare, quod Chaldæus etiam dilucidè explicavit. Reddidit enim totum locum παραφραστικῶς his pluribus verbis : *Erat autem Jericho occlusa foribus ferreis, et obserata vectibus aheneis, ante filios Israel. Non erat qui exiret ex eâ, neque qui intraret in eam. Non erat qui exiret ex eâ ad pugnandum, neque qui intraret ad paciscendum de pace.* Sic enim habet manuscriptum exemplar Complutense quod penes me est. Arbitratus est ille scilicet, suas cuique claudendi verbo claustrorum machinas et obices respondisse. Est autem iste versiculus opportunè admodùm interpositus ei narrationi, quæ de illo viso erat instituta : dilucidè enim ostendit, cur novâ istâ confirmatione eguerit imperatoris animus. Nimirùm recentibus illis Dei promissis : *Omnem locum quem calcabit planta pedis vestri, eum vobis dedi, et non consistet quisquam adversùs te;* istis, inquam, magnificis Dei promissis parùm videtur esse consentaneum, quòd hæc tam firmis prima urbs custodiis et munitionibus operibusque, clausa atque septa se fortiter tuetur. Etenim quàm facilè humanus animus, quantâvis certâ fiduciâ suffultus labascat despondeaturque, cùm res adversùs exspectationem ire incipit, quisque de se conjicere potest. Et fortassis complusculos jam dies obsessa urbs, atque oppugnationibus aliquot frustra fuerat tentata, ut esset tantò illustrius Dei subsidium, quod mox audiemus, utque planè intelligerent omnes, à Dei gratiâ atque potentiâ chananaici istius belli successum eventumque pendere. Nam Josuæ animum, quamvis fortissimus esset imperator, et procul dubio, egregiâ præditus audaciâ, parùm tamen constantem firmumque fuisse adversùs incommodos rerum successus, res ipsa declarabit apud Haienses infeliciter primùm acta; cùm tamen jam tum ex Jerichuntinâ admirabili victoriâ animos majores sumpsisse debuerat. Quanquàm illa ejus affectio, non timiditas et ignavia, sed sancta quædam sollicitudo fuit, ut suo loco explicabimus. Ad hæc, illustrant mirabiliter istæ tam acres et vigiles urbis custodiæ, atque amplificant miraculum, quo mox Dei solo nutu capietur, quippe quæ omnem proditionis suspicionem longè submovent, quando clandestina consilia inter se conferre nulla hostes oppidanique possunt. Porrò illud : *Propter præsentiam filiorum Israel,* argumentum esse videtur securitatis Jerichuntiorum, quâ ante Jordanis traje-

ctum, non nisi ingruentibus tenebris claudebant portas, ut in speculatorum historiâ audivimus. Aut significat circumsessum esse jam oppidum ab hoste, quanquàm quæ in Galgalis posita fuêre castra, illud obsidione satis arctâ premebant, ut ante diximus : erant enim in conspectu urbis.

Vers. 2. — Porrò Dominus ait ad Josuam : Vide, tradidi in manum tuam, etc. Qui sè paulò ante principem exercitûs Domini nominabat, nunc *Jehova*, quod divinæ essentiæ nomen est, vocatur. Nimirùm idem unus est Deus, qui et est omnia in omnibus, et omnia in omnibus efficit, verùm quà mediatoris personam tenet, hoc est, reconciliandi nos Deo Patri curationem habet, quodam modo administrum se Patris esse profitetur, eique sua omnia accepta refert. Atque ad hunc modum divinæ operationes non rarò in sacris litteris, per nominum Dei mutationem, occultè tectèque distinguuntur varietate personarum. Nam, ut alterum locum huic nostro parùm dissimilem, exempli causâ, ostendam, Deus in Exod. 3, v. 19, ad Mosen cùm dixisset primùm : *Sic dices filiis Israel,* אהיה, hoc est, is qui perpetuò existit, *misit me ad vos*, mox subjicit : *Sic dices filiis Israel,* יהוה, *Jehova, Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, misit me ad vos.* Prius enim illud אהיה ad divinam essentiam, quà ab omni æternitate in se beatus ille existit, spectat. Cùm verò deinde se Deum patrum Abrahami, Isaaci, Jacobi nominat, evolvit se illis suæ divinitatis integumentis, atque bonitatis et beneficentiæ suæ inexplicabiles illos thesauros ostendens, quibus gratuitò mortales complexus, salutari fœdere eos sibi consociavit, filii et mediatoris personam induit. Cæterùm si quis cum Judæis, imò etiam nostris opinari malit, fuisse è cœlitum beato choro angelum quempiam, non Dei Filium, qui hìc Josuæ occurrit aspectabili specie, potest is dicere, aut nomen legantis esse legato impositum, auctoritatis gratiâ, quâ opus erat sanè maximâ, ut absurdissimis specie consiliis jussisque fides adjungeretur, atque obsequium ; aut illum exercitûs cœlestis principem, ubi se Josuæ tanquàm præsentem propugnatorem exhibuisset animosque addidisset, evanuisse, ac tum è vestigio hæc affata non auribus Josuæ, sed menti inflatu divino esse illapsa, quo modo ante explicavimus, Deum cum viris piis colloqui sæpè solere. Porrò mandativum verbum, *vide,* excitantis est ut aliàs sæpè, *Ecce.* Et, nisi fallor, arguit labascentem jam sensim imperatoris spem atque fiduciam. Videtur enim dare significationem victoriæ, si non prorsùs desperatæ, at certè insperatæ, atque inopinatæ. Sic enim solet Deus opem atque auxilium suum plerùmque in ipso rerum summo discrimine, de improviso proferre, nempe ut nos adversùs extremam desperationem durare doceat. Et simul, ut divina ejus potentia cum nostrâ imbecillitate propiùs collata appareat luculentior; eòque pietate majore eam nos amplectamur. Mirè enim animus noster perpetuò est ad assumendum ea sibi, quæ Deo tribuenda sunt propensus; quod, quia gravissimum est flagitium et idolorum cultui simillimum, aut geminum potiùs, ut ante diximus, nusquàm non ab eo avertere nos multis modis conatur Spiritus sanctus, à quo sacra historia est dictata. Et hinc est, quòd hoc loco non ait Deus : En ego tibi opem feram ad expugnandam Jerichuntem, sed : *Ego tradidi eam in manum tuam;* solidam enim victoriam sibi ipse assumit, sic tamen ut communicare eam cum Josuâ se velle profiteatur, modò ut ille se ad ipsius nutum ductumque accommodet. Currendum quidem nobis est per præscriptum designatumque à Christo stadium, ut bravium ab ipsius benignâ manu accipiamus. Verùm illud bravium amplissimum, atque in quo æternæ gloriæ et beatitudinis fructus est positus, non nostrâ virtute, sed illius sanguine comparatum est; neque nostro cursui aliter, quàm ex gratuitâ ejus benignitate, quæ divinis ipsius promissis fixa fundataque est, debetur. Theologi, quod dico, totum paucis conficiunt verbis, cùm aiunt : Omnem salutis nostræ causam in Deo constare, ut effectore; sed interim à nobis requiri fidem, quæ per charitatem ea operetur, quæ sint illius voluntati consentanea, atque ad ductum cœlestis gratiæ accommodata ; quo illam ipsius efficientiam suscipere, et quodam modo per liberi nostri electionem arbitrii adjuvare possimus. Neque enim, ut ad Jerichuntinam victoriam redeamus, si Josua facere ea neglexisset, quæ prescribit Deus, quibusque actis ruitura mœnia promittit, cùm faciendi etiam facultatem ille accepisset, aut concidissent muri, aut oppido ipse potitus fuisset; tametsi illæ ejus actiones, reipsà murum non impulêre, neque ejus casum efficienter præcessêre. Clamant quidem nunc omnes, victoriam omnem à Deo esse. Sed utinam, ut hoc se sapere atque intelligere præ se ferunt verbis, ita et reipsà quoque ostenderent; profectò non tam funestis bellis concuteretur orbis terrarum, et esset major religio in vulgi animis, cùm à

Dei consiliis dependerent, et quæ ille mandaret, non quæ sua cuique dictaret libido, ea sequerentur! Sed hæc hactenùs. Jericho hic, non urbem, sed civitatem significat, cùm Jericho et ejus rex viri fortes dicuntur. Verùm Latinus videtur secùs existimare, quando copulam interponit, quæ tamen nulla est in Hebræo. Quam opinionem habet etiam R. Isaias, vir sanè eruditus. Cæterùm quòd Jerichuntii nominantur *viri fortes*, amplificat Dei victoriam, cujus consilio nulla fortitudo, nulla vis potest obsistere, cùm sit inevitabile. Neque verò istorum hominum fortitudo, quæ nunc prædicatur, fidem abrogat verbis Rahabæ, quæ abjectissimis omnes totâ regione animis esse dixerat, cùm hostis etiam tum citra flumen castra haberet. Erant enim Jerichuntii naturalis cujusdam audaciæ et fortitudinis viri, hominesque bellicosi, at jampridem pavore, quasi panico, perculsi divinitùs stupebant. Variis enim certè pugnis alioqui Israelitas exagitâssent, priusquàm obsideri se atque includi mœnibus passi fuissent.

Vers. 3 et 4. — Nam circuibitis urbem, omnes viri militares, cingendo urbem, etc. Cæremonia, quam præscribit Deus istis versibus proximis, tertio, quarto, quinto, hujusmodi est. Jubet ut diebus septem circumeant urbem Iraelistæ; senis quidem diebus, vicibus singulis, at die septimo septenis circuitionibus, fore promittens, ut tum muri concidant, aditumque in urbem patefaciant. Ad hoc, ut arcam circumferant, eamque septem sacerdotes præcedant, buccinis continuò canentes, reliqua turba taceat, usque dùm ululandi signum detur. Ista est oppugnandæ urbis universa à Deo commonstrata ratio, nimirùm talis, ut planè intelligere omnes debeant, et fateri cogantur, solius Dei virtute atque potentiâ vinci hostes, quando illæ actiones, si ex se ipsæ judicentur atque æstimentur, non autem ex Dei jussu et voluntate, ludiorum ludibria potiùs censeri debent, quàm bellatorum stratagemata. Et profectò si verum dispicere animi nostri possint, penè par ratio est in omnibus nostris operis, iis etiam quibus cœlestis regni præmium nos consecuturos promittit is, qui fallere non potest. Quæ enim, quæso, illa vis est quâ violenti rapiunt illud, si modò nulla Dei jussa cum promissis conjuncta esse fingas? Quo, obsecro, vel summa atque liberalissima nostra studia aut officii, aut beneficii genere obligare nobis Deum queant, qui αὐτάρκης, neque bonorum nostrorum eget, neque nostra ad illum beneficentia pertinere ullo modo potest? Sed ea est Dei erga miseros mortales gratuiti amoris benignitatisque immensitas, ut etsi planè nihil nobis sit, quo gratos ullâ ex parte nos præstare valeamus, nedùm ejus demereri nobis benevolentiam, quippe qui nihil habeamus à nobis ipsis, nisi vitiositatem et pravitatem, tamen ipse ultrò nobis commonstrare gratificandi sibi modos, et insuper iis utendi cùm voluntatem, tùm facultatem suppeditare dignetur. Quorum omnium una ratio posita in eo est, ut ipsius divinæ voluntati obsequamur. Quare stultissimum, ne dicam impium, mihi videtur, in ea sacra, cæremoniasque, et ritus colendi Dei, quos à majoribus nostris in Ecclesiâ sanctissimis, Deoque probatissimis viris traditos habemus, inquirere curiosiùs, quando nulla causa afferri potest, ob quam Deus ullam nostram operam alicujus pretii deputet, præter solam ipsius clementissimam voluntatem. Laudanda ergo est maximè, nobisque imitanda Josuæ et populi obedientia, qui tametsi ineptissima absurdissimaque oppugnandæ urbis munitissimæ ratio præscribi à Deo videretur, tamen nihil cunctantes, et summâ securitate in illius consilio recumbentes, rei, ut videbatur ludicræ, seriò et sedulò operam dant, certâque fide promissum eventum non frustra exspectant. Copulam, quæ est in tertii versiculi principio, reddidi per causalem, ut vocant particulam, *Nam*. Sæpè enim littera, ו, vau, non tam res ipsas conjungit, quàm orationi continuandæ servit. Debet autem illa ejus iteratio: *Et circuibitis urbem, et corruet murus*, sic resolvi: Simul atque circuiveritis urbem, corruet murus. Est enim illius modi hebraismus frequens in sacris litteris, ut per geminatam copulam alterum ex altero consequi significetur; sed hoc semel monuisse sat esto. Porrò quod hebraicè est פעם אחת, nosque convertimus, *semel*, id Aquilas reddidit μίᾳ ὁδῷ, unâ viâ; Symmachus μίᾳ περιόδῳ, unâ circuitione, quia positio פעם apud Hebræos gressum aut incessum significat. Hoc enim adverbium *semel*, cùm apud multas nationes simplici vocabulo careat, conjunctis vocibus ab aliis aliter repræsentatur. Hebræi igitur, pro *semel*, dicunt, uno progressu, similiter atque Italorum vulgus, *una volta*. Latinus interpres, nisi corruptus olim est hic locus, quarti versiculi prius membrum, quod cum superioris versiculi sensu implicitum, et cohærens est, disjunxit, sicque est interpretatus, quasi septimo solùm die sacerdotes debeant tubis canere. Quod longè secùs

esse, cùm ipsa verba sacra, tùm res acta clarè ostendit. Cæterùm buccinæ jubilorum vocantur hebraicè שופרות היובל, quod est ac si tubas jubelis dicas. Aquilas intrepretatur tubas remissionis. Et R. Abraham, Ezdræ filius, quoque opinatur יבל remissionem significare; quia eo anno, qui Jubilæus vocatur, remissio debitæ servitutis dari servis solebat. Sed Nehmannus, et post eum Bahaiaus, existimant, Jobel, aditum sive accessum dici à verbo יבל : annumque Jubilæum inde esse nominatum, quòd eo ad suam cuique hæreditatem, quam ante vendidisset, reditus pateret et accessus, ut servis quoque ad suam libertatem. At doctores hebræi cùm aliis in locis, tùm ubi de anni initio disceptant, tradiderunt, apud Arabas, arietem vocari *Jobel*. Id Judæi plerique, nullo suo adhibito judicio, ratum habent. Tanti est apud eos illorum hominum auctoritas scilicet, atque hinc est, quòd et Chaldæus, et Symmachus reddiderint, *buccinas arietinas*. Quin mysterium insuper illi in arietinâ buccinâ esse docent. Hoc enim cornuum genus læto et fausto illo anno quinquagesimo usurpari solere aiunt, ut et memoriam liberati Isaaci per suppositum arietem referret, et simul spe libertatis eo exemplo adumbratæ, quam libertatem olim Israeliticus populus per cornua arietina sit recepturus, animos omnium recrearet. Hoc enim in eo libro, qui *Bereschit rabba* inscriptus est, benè multis verbis prodita sunt, neque sanè abs re, si rectè intelligantur, ut rectè dicta, de eo ariete, qui coram tondente se nihil mutivit, et qui tollit peccata mundi. Sed ut meam ego opinionem non dissimulem, vox *Jobel* prisca mihi visa est, atque inde à primo musicorum instrumentorum deducta inventore Jubal, sicut etiam Latinorum vocabula jubilo, et jubilum. Ac voces quasque canoras illos quidem et grandes, sed rusticas, duras et agrestes, quasique ululantes significare puto, quales inchoata illa, sed non perfecta, primi artificis instrumenta edebant, hoc est, quales sunt tubarum et buccinarum rauci clangores, quanquàm non ignorem apud Varronem, jubilum esse rusticam quiritationem. Annum autem remisssionis, ideò Jubilæum esse vocatum autumo, quòd eum, ut festum et solemnem illius modi clangoribus longè latèque diffusis indicere sacra lex jusserit. Nam qui *Jobel*, aut remissionem, aut aditum sive accessum, interpretantur, nullo id exemplo nisi fallor, faciunt, et quod doctores Hebræi ab Arabibus suæ linguæ vocabulum repetunt, in eo admodùm incertâ nîti conjecturâ mihi videntur. Satis quidem apparet ex sacris verbis, buccinas istas cornua fuisse, non argenteas illas tubas, quas Moses, Deo jubente, dudùm conflari fecerat. Sed profectò non fuisse arietina cornua est verosimillimum, cùm hæc solida tota sint; buccinam verò cavam esse oporteat, ut inflari possit. Sed hìc Marcion inconstantiam in Deum ingerit ore impio, ut qui ante severissimè edixerit, Sabbatis esse quiescendum, nunc verò etiam Sabbato circuire urbem cum arcâ et cornibus imperet. Nam in septem dierum numero Sabbatum est. Verùm respondet Tertullianus contra Marc. l. 2, Sabbato die opera humana prohiberi, non divina; esse autem divina, quæ Dei jussu fiant.

Vers. 5. — Et quando productiore sono inflabunt cornu jubili, etc. Omnium ferè interpretum sententia est, verbum משך, quod ego converti, *productiore sono inflare*, id, inquam, verbum singularem quemdam tubæ clangorem significare, utpote tardiorem et longiùs productum : qui solâ septimâ vice die septimo, unicâ tubâ editus, signum dederit populo ululandi, atque ingentes excitandi ἀλαλαγμούς. Similiter atque nunc aliis numeris miles ad pugnam cietur, aliis à pugnâ revocatur ad receptum. Propriè enim משך trahere est. Cæterùm cùm Hebræi ex libro Numerorum, duplicem clangorem esse statuant, alterumque vocari תקיעה, alterum תרועה : quorum ille æquabilis sit vox, hic situs concisusque fragor; ille ad convocandos cœtus, hic ad accendendos militum pugnandi cupidine animos faciat: denique, quod à cabalistis philosophis est traditum, ille ad misericordiam et clementiam, hic ad rigidam justitiam spectet; videtur Latinus præsentem clangorem, quasi tertii, mixtique generis sonum, ex ambobus illis temperatum putare, dum vertit, *vox tubæ longior atque concisior*. Quod video à quibusdam Judæis quoque probatum esse. Sed ego, cum Septuag., autumo, verbum illud, משך, simpliciter usurpari, pro, תקע; neque singulari quopiam cantu signum ululandi populo datum esse, ut ad versiculum 16 explicabimus. Cæterùm, vocabulo תרועה, quod à verbo רוע formatum est, subjicitur, non solùm concitatus fractusque strepitus buccinarum, et aliarum rerum animâ carentium fragor, sed etiam populi clamor, præsertim quando illi lætam animi sui affectionem sublatâ voce tumultuariâ testantur, quem clamorem Græci ἀλαλαγμόν, etiam hoc loco, vocant, Cæsar verò *ululatum* dixit. Porrò

illud : *Cadetque murus urbis subter se,* sive, loco suo, Chaldæus sic explicavit : Cadetque murus urbis, et absorbebuntur mœnia ejus. Et hinc plerique Judæi ad eam veniunt opinionem, ut statuant, murum Jerichuntis non esse collapsum, sed desedisse, terrâ dehiscente. Hanc autem opinionem omnem esse à Doct. Heb. profectam suspicor. Isti enim, libro ברכות, hoc est, de Benedictionibus, capite nono, sub initium, his utuntur verbis : Quisquis viderit murum urbis Jericho absorptum, debet ille faustâ precatione uti. Atqui non absorptus, sed collapsus esse scribitur. Scribitur id quidem, sed quando latitudo et altitudo ipsius etiam tum sibi constitêre, conficitur, absorptum, non collapsum fuisse. Hæc illi. Sed quibus, quæso, argumentis aut conjecturis efficiant, latitudinem altitudinemque muri salvas mansisse sub terrâ ? Verùm nihil est istis hominibus vanius futiliusque. Septuag. pro, *subter se,* dixerunt αὐτόματα, hoc est, suâ sponte, nullâque impellente machinâ, aut impetu, cui interpretationi subscribit Aquilas. Sed quod ego reddidi, cum usitatâ verborum significatione magis congruere mihi visum est. Sed quid Rahab factum esse dicemus, quam aut gurgustio, quod ipsis urbis mœnibus esset immolitum atque inædificatum, aut in mœnium fornice habitare dicebamus ? Non enim potest ipsius habitatio simul cum urbis muro esse collapsa, cùm post à suis illis hospitibus speculatoribus illa inde educta esse memoretur. Fortassis hæc ratio Josephum movit ut illius domunculam non in muro, sed propè collocaret. Verùm ea res non habet, ut videtur, explicatum tam difficilem, ut sacra verba ejus causâ ad alienas interpretationes debeant detorqueri. Non enim universa per ambitum mœnia corruisse dicentur, et, ut hoc demus, tamen ædes, qui alienis muris hærent, non continuò cum illis corruere est necesse.

Vers. 6. — Igitur Josua filius Nun inclamavit sacerdotes, et ait, etc. Josua planè nihil dubitat, aut hæsitat, neque Dei oracula, quamvis ab urbis expugnatione, ut videbantur, absurda atque aliena, suis ratiocinationibus pertractat, aut de eis ita interpretatur, ut aliquâ ratione meliùs ad promissum eventum ipsa accommodare velit, quàm pro vi verborum accommodata esse videbantur. Sed quod apertè præ se ferebant, id credendum sibi, atque accuratè exsequendum esse statuit. Hanc ergo viri sanctissimi in adjungendâ fide divinis effatis religionem, nos quoque imitemur. Nihil nostris rationibus, nostroque judicio in illis metiamur, sed mente simplici acquiescamus in iis sensis, quæ nobis sanctorum Patrum auctoritas explicavit, Ecclesia approbavit, vetustas roboravit, Dei voluntate, consilio, potentiâ confidentes, eum quæcumque loquitur facilè etiam præstare posse, et omninò esse præstiturum, cùm sit ipsa veritas.

Vers. 7. — Dixit præterea ad populum : Pergite, et circuite, etc. Est in quibusdam libris scriptum : *Dixerunt ad populum,* quasi imperator unà cum sacerdotibus ad se vocatis verba ista ad populum faciat. Sed Chaldæus et Latinus numerum singularem expresserunt. Quid autem Septuag., non satis certum est. Est enim istorum translatio hoc loco nimis confusa. Non audivimus Deum cùm præciperet aliquid de succinctorum, et claudentis agmen discreto ordine in pompâ, quem ordinem modò ab imperatore institui videmus. Et tamen ista ad verba Dei additamenta, cùm eò spectent, ut illustrior augustiorque divinus hic evadat triumphus, et majore omnium animos religione afficiat, adeò non displicuisse Deo, ut etiam vehementer grata fuerint, ipse exitus docet. Quod propter non video, cur à multis tam petulanter rideri debeat omnis in templis Dei ritus atque apparatus, non disertè præscriptus à Deo, siquidem ad excitandam pietatem utilis sit. Incertum est, an populus universus circuire urbem debuerit, an verò soli milites. Mihi verosimilius esse videtur, debuisse quidem milites omnes ire circùm urbem, suo quique ordine. Nam id ut fieret jubebat Deus versiculo secundo, at in reliquâ plebe permissum cujusvis voluntati fuisse, ut aut arcam subsequeretur, aut in castris maneret. De verbo חלוצ dictum satis est capite primo ad vers. 14.

Vers. 8. — Et fuit cum loqueretur Josua ad populum, etc. Mirifica profectò et sacerdotum et populi obedientia nobis ante oculos hìc ponitur, qui simul atque imperator loqui incipit, se comparant ad parendum ; itaque avidi capessunt jussa, ut simul et audire ea, et facere videantur, et qualia tandem jussa ? certè quæ absurdissima videri poterant cordato cuique, præsertim ignoranti à quo auctore essent profecta, et quorsùm spectarent. Nam tum demùm videtur Josua illis Dei consilium patefecisse, cùm postrema instaret circuitio, ut dicemus ad versiculum 16. Sed recens fluminis miraculum reddebat homines, cæteroqui refractarios, obsequentiores. Et simul ipsa præsens rerum necessitas in belli faciendi ini-

tio, tentare omnia suadebat, ne si primam urbem frustra circumsiderent diù, pereundum esset fame atque inopiâ rerum omnium.

Vers. 9. — Et qui succinctus erat, ibat ante sacerdotes, etc. Opinantur quidam, succinctos dici Rubenitas, Gaditas, et tribum dimidiam Manassitarum, quos capite 4 memoravimus succinctos armis processisse. At מאסף, hoc est, eos qui agmen claudebant, arbitrantur fuisse Danitas. Sic enim ista tribus in Numeris appellata est, idque hoc loco expressit suâ interpretatione Chaldæus. Danitæ enim postrema, ut loquitur Virgilius, coercebant, et præcedentia signa veluti ante se cogebant, cùm essent postrema acies, atque eos qui necessitate quâpiam suos ordines reliquerant, excipiebant. Græci aptissimo vocabulo οὐραγοῦντας dixerunt, hoc est, agmen extremum, et veluti exercitûs caudam claudentes. Alii existimant, quotquot ex quâvis tribu armis instructi ornatique essent, eos ante arcam incessisse. Inermes verò, et qui è vulgo unà circuire volebant, eos arcam esse secutos. Et hanc opinionem habuit, ut videtur, Latinus, atque etiam fortassis Septuag. Nam et hi verbum מאסף, convertunt tandem, ὁ λοιπὸς ὄχλος, hoc est, *reliquum vulgus*. Neque ego eam damnaverim, cùm sit sacris verbis minimè dissentanea. Similius tamen vero mihi videtur, pulcherrimum illum à Deo institutum, atque per solitudinem observatum ordinem, hìc denuò quadamtenùs esse repræsentatum. Itaque succinctos dici modò Judæos, Issaccharianos et Zabulonitas : מאסף verò, hoc est, οὐραγοῦντας, sive postremam aciem claudentes, Danitas. Sed explicabo paucis ordinem illum universum, qualis fuerit. Igitur per desertum, tribus Juda cum Issacharianâ et Zabuloniâ, acies prima erant, exercitumque totum præcedebant. Deinceps sequebantur Levitæ, qui Gersonitæ et Merariræ vocabantur, cum tabernaculi apparatu omni. Secundum agmen constabat ex Rubenitis, Simeonitis et Gaditis, atque hos rursùs subsequebantur Levitæ alii, quos Cahatitas nominabant, cum ipsâ arcâ. Ponè arcam incedebat Ephraim cum Manasse et Benjamin. Denique ultimum agmen erat Danitarum cum Ascrianis et Nephthalitis. Quatuor enim omninò signis militaribus dispertiebatur universus exercitus, dirigebaturque quorum primum tribui Judaicæ, ut antesignanæ, datum, habebat effigiem leonis, pro insigni. Alterum, quod Rubenitæ in secundâ ferebant acie, hominis imaginem cum mandragoris, hoc est, eo fructûs genere, quod ad matrem attulisse memoratur Ruben in Genesi. Tertium, quod Ephraimitæ gestabant ponè arcam, bovis simulacro erat insignitum. Quartum denique, quod postremam dirigebat aciem, gestatum à Danitis, aquilæ figurâ agnoscebatur. Hæc ex Hebræorum adytis protuli, ut agnoscas adumbratam divinitatis arcam Christum, quam quatuor Evangelistarum signa per universum orbem terrarum deduxerunt. Sed istarum rerum accuratior tractatio non est hujus loci. Porrò illud : *Procedendo inflandoque buccinas*, id neque ad præcedentes armatos, neque ad postremos pertinet, sed ad solos septem sacerdotes. Est igitur, ac si sic dicatur : Atque inter procedendum canebatur buccinis : etenim sacerdotum modò erat, non aliorum hominum, buccinis canere, quæ Dei vocem populo repræsentabant, ut cum Judæis sentit Theodoretus ; et hanc sententiam planè expressit Chaldæus, cùm sic converteret eam verborum complexionem : Et sacerdotes procedebant inflando buccinas. Sed Latinus, Græcos, opinor, secutus, vulgò etiam cornua, ut videtur, permittit. Verùm id apertè refellit imperatum populo silentium. Sequitur enim :

Vers. 10. — Edixit etiam Josua populo, inquiens : Ne ululetis; neque facite ut, etc. Silere modis omnibus jubet populum : solius enim Dei vox audiri debebat. Nam ridiculum est, quod R. Levi F. Gersonis autumat, caveri oportuisse, ne oppidani ululatu populi excitati, in mœnia subirent, saxisque circumeuntes hostes peterent. Quasi verò tantæ copiæ circùm muros quotidiè ire, et quidem cùm septem buccinarum clangore perpetuo clam civibus potuerint. Atqui ille à sacerdotibus excitatus clangor, quid sibi voluerit, si rectè existimetur, non fuerit obscura silentii populi ratio. Igitur cùm ille, tanquàm præsentis, opemque ferentis Dei vocem repræsentaret, consentaneum erat, ut silentio audiretur, neque ei obstreperetur. Quòd autem ille clangor eam significationem dederit, sacris verbis sancita res est. Scriptum est enim in Numeris, 10, v. 9 : *Quando venturi estis in bellum, in terrâ vestrâ, adversùs hostes vestros, ubi clanxeritis tubis, erit memoria vestrî coram Domino, et liberabimini ab hostibus vestris*, etc. Ergo cùm Deus veluti loqueretur, se memorem populi sui præstò adesse, frustra profectò locutus ille fuisset, si non auscultâsset populus, hoc est, si non audiendis tubarum, quas sacerdotes inflabant, clangoribus, in memoriam rediisset

illorum Dei promissorum, eaque amplexatus certâ fide fuisset. Nam qui contra loquentem mutuum voces mittit, non potest ille loquentis sensa satis expendere, atque intelligere. *Beatus*, inquit divinus vates Psal. 89, v. 16, *populus qui novit clangorem: Domine, in lumine vultûs tui ambulabunt; in nomine tuo exsultabunt solidos dies, et de tuâ justitiâ sese jactabunt. Nam ornamentum fortitudinis ipsorum tu es: et benigno tuo favore eriges cornu nostrum*, etc., quasi dicat: Is populus beatus est, qui attentè vocem Dei apud suum animum pertractat; neque obloquitur, sed in illâ toto animo acquiescit; ad illius nutum et ductum se applicat, et promissis fidit, seque iis sustentat. Isto igitur imperato silentio, captatur populi attenta religio: ne, dùm ululatu se ipse exagitat, non possit animum ad sacras illius modi meditationes revocare, vel ne existimet etiam, non solùm Deum, arcanâ et cœlesti efficacitate muros perrumpere, sed se quoque suo strepitu et clamore aliquod ad victoriam conferre momentum. Et sanè, *silere*, in sacris litteris, modestam animi quietem, quæ in cœlestium rerum contemplatione posita est, significare, dùm mens videlicet rerum humanarum parvitatem cum divinâ majestate apud se comparans, in Dei gratiâ et bonitate acquiescit, certa afferri possunt testimonia, quale est illud Jeremiæ in næniis Thre. 3, v. 26: *Bonum est silentio exspectare eam salutem quam Dominus afferat*. Et illud Davidis Psalm. 4, v. 5: *Dicite in corde vestro, in lecto vestro, et silete*. Et rursùs illud Psal. 131, v. 2: *Faciebam ut sileret anima mea*. Sed non est opus plura adjungere.

Vers. 11. — Circuivit igitur arca Domini urbem, eam cingendo vice una, etc. Verbum יסב positum est eâ inflexione, quam grammatici Hiphil nominant, quæ solet actionem transferre in alteram personam. Id propter David Kimhi existimat, hanc esse verborum sententiam, quòd Josua curaverit à sacerdotibus circumferri arcam. Sed illa diversarum inflexionum alia atque alia vis à grammaticis observata in verbis, non est usquequàque certa. Ego igitur sequendos putavi reliquos interpretes, Græcos, Latinum, Chaldæum. Illud porrò: *Et intrârunt in castra, pernoctâruntque in castris*, Septuag. et Symmachus, atque istos imitatus Latinus, reddunt numeri singularis verbis, *intravit, pernoctavit*, quasi de arcâ, non de hominibus sit accipiendum. Sed nihil refert, cùm certum sit arcam ab hominibus non esse relictam. Cæterùm statuunt Hebræi, hanc primam circuitionem factam esse eo die quem nos Dominicum, quia eo Dominus et Servator noster revixit, illi primum Sabbati appellant, murosque urbis ipso demùm Sabbato corruisse. Neque enim nefas esse Sabbatum violare, quando ejus id jussu fit, cujus voluntate idem dies quieti est dicatus, cùm etiam sacerdotes in templo victimas immolent die Sabbato. Hæc David Kimhi, quæ ferè ad verbum ille compilavit ex primo capite libri Mesichtæ, quæ de Sabbato inscribitur in Talmude Jerosolymitano, planè consentanea iis quæ Christus noster respondebat Pharisæis, cùm ejus discipulos notarent, quòd spicas die Sabbato carpsissent, ut planè judicari possit, eum ad illas Judæorum deuteroses, sive traditiones allusisse: quod sanè sæpè etiam aliàs fecit.

Vers. 12, 13 et 14. — Et surrexit Josua mane. Sustuleruntque sacerdotes arcam, etc. De imperatoris vigilantiâ mirificâ diximus supra. Porrò secundi diei, et reliquorum deinceps, usque ad septimum, apparatus rursùs ab integro describitur. Nimirùm ut dilucidè planèque constet, nihil totis sex diebus actum aliud esse, quàm inani illi, ut videbatur, pompæ operam datam, quo urbis evertendæ ratio videlicet, soli potentiæ cœlesti, et occultæ Dei efficientiæ debeat adscribi, et posteritatis cogitationes ab aliis machinationibus quibusvis avertantur. De illâ porrò particulâ: *Procedendo inflandoque buccinas*, quid esset sentiendum, exposuimus supra.

Vers. 15. — Cumque esset dies septimus, surrexerunt, oboriente crepusculo, etc. R. David Kimhi sic hunc versiculum interpretatur, ut putet eum dicere, circuitionem illam, quæ septimo die cum primâ luce fiebat, fuisse septimam; cæterùm eo die non hanc modò esse factam, sed septies circumitum esse. Et sunt ista certè ab ipsâ re non dissentanea; sed quod ego reddidi, magis consentaneum sacris verbis mihi visum est. Porrò quando præsens cæremonia septenario potissimùm numero peragitur et celebratur, ut et multæ aliæ in sacrâ historiâ, sunt enim hic septem sacerdotes, septem buccinæ, septem dies, et in iis septem circumitiones, denique in uno die septimo, circumitiones septem, non fuerit fortassis alienum prorsùs ab instituto, si in ejus numeri mysterium paulisper inquiramus. Igitur hæc primùm quidem apud omnes confessa res est, Deum orbis effectorem hunc numerum in septimo die, quo ipse à condendis rebus se abstinuit, veluti consecrâsse, ut inde factum videri possit, quòd nusquàm non iste numerus pra

reliquis observetur in rebus plurimis. Sed roget quispiam : Cùm Deus minimè opus habuerit sex dierum spatio ad creandum hunc mundum, cur non uno die, aut nutu uno absolvit? Deinde, cur toties, tamque severè et capitis periculo homines feriari ab omni opere eo die jubet? Ad hæc : Majus aliquod mysterium ejus numeri sit oportet, qui apud profanos etiam scriptores magnam et singularem semper habuit venerationem, tanquàm reliquis numeris excellentior, adeò ut eum Cicero non dubitet rerum omnium nodum vocare; et vetustissimus poetarum Linus cecinerit, eum esse cunctarum rerum originem. Sed supervacaneum sit, in tantâ copiâ, plurium scriptorum prædicationes septenarii afferre. Posset quidem facilè, et, ut ego censeo, non ineptè, ad ista responderi, in Dei arcana non esse inquirendum : cujus æterna voluntas et consilium certissima rerum omnium ratio est. Ad profanos verò philosophos quod attinet, doctrinam divinarum rerum omnem ad eos ex Mosis monumentis esse derivatam, qui septimi diei consecrationem primus celebravit. Id enim cùm ab aliis, tùm egregiè à Theophilo, in iis libris quos ad Autolycum scripsit, est demonstratum et confectum. Nos tamen, quod cum bonâ eorum veniâ fiat, qui hæc nostra fortassis legent, si tamen legent aliqui, conabimur quadamtenùs tanti mysterii sacrum fontem persequi. Quod dùm facimus, si probabile aliquid à nobis in medium proferetur, æquum erit lectores nihil ultra à nobis requirere, in re quæ explicatus habet difficillimos, si modò ullos habet, atque existimare, et me, qui disseram, et se, qui judicent, homines esse. Igitur hoc est ante omnia statuendum : Solum Deum, quà Deus est, unum esse. Neque unitatis rationem ulli rerum omnium quæ ab illo sunt effectæ (est autem ab illo procreatum quidquid ipse non est), attribui rectè verèque posse : cùm illius solius essentia, una, simplex, immutabilis, atque in omni æternitate suî similis, eademque existat, at res cæteras omnes quæ usquàm sunt, sive illæ sub videndi sensum, sive sub solam intelligentiam cadant, quodam modo compositas colligatasque ex partibus esse; itaque ex numero constare, non ex simplici unitate. Igitur cùm hæc universitas rerum, atque pulcherrima, et modis omnibus absolutissima fabricatoris Dei machina, quam ab ornatu mundum nuncupamus, sex omninò diversi generis discreta partibus, et rursùs earumdem partium inter se admirabili, et planè divino consensu nexuque copulata constet; sic ut hùc nihil addi, nihilque rursùs adimi queat, quo illa perfectior evadat, quæ ab optimo parente est perfectissimè condita; consequens est, ut ipsa ista mundi integritas, quam habere ille debebat, ut esset Dei opus et absoluta perfectio, senarium efficiat. Sunt autem universitatis partes illæ sex quas dixi : Cœlestes spiritus, corporatæ materiæ expertes, quos Angelos, ab officio, vocamus. Deinde ipsa rerum corporatarum elementa; inter quæ cœlestes etiam orbes rectè numerantur. Post hæc, ut jam ab ultimis ad id quod medium est omnium veniamus, illud corporum genus censeatur, quod Judæi דומם nominant, compositum quidem ex illis quæ elementa dicuntur, sed animæ omnis, et vitæ, expers, qualia sunt, quæ metalla dicimus, lapides, gemmæ, alia infinita. Quarto loco numerentur ea quæ alente quidem animæ vi sunt prædita, sed eâ tamen animatione non sunt informata, à quâ possint animalia vocari, quippe cùm sensu motuque careant. In hoc genere sunt arbores, herbæ, cætera quæ varia gignit humus alitque, nullo se sensu moventia, et à Græcis φυτὰ, à nostris autem quibusdam non omninò malè, stirpes appellantur. Deinceps locentur ea, quæ animantia bruta vocamus. Denique in istarum rerum omnium quasi meditullio existat homo. Est enim homo illarum quas diximus partium omnium veluti nodus et vinculum. Quæ ratio est, cur post illas omnes conderetur. Nam in homine architectus ille rerum Deus, animam quam rationalem vocamus, cœlestis originis spiritum, et suâpte naturâ, nullâ corporatâ materie informatum, sed simplicitate angelis parem, cum elementorum, metallorum, plantarum, animantium denique naturis ita admirabili temperamento καὶ εὐκρασίᾳ, cùm conderet, colligavit, ut ipsa se rerum universitas in homine, concordi amicitiâ, et pulcherrimo consensu concentuque amplecteretur. Unde meritò ab illo ter maximo Mercurio, mundi miraculum, et mundus alter, homo est appellatus. Quæ enim alioqui simplicium rerum cum corporatis, cœlestium cum terrenis esse potuisset necessitudo, aut communicatio? Atque hanc ego veluti integritatem universi in homine, ut dixi, ab optimo parente simul et artifice Deo consociatam repræsentatamque, existimaverim occultè et tectè significatam esse iis verbis, quibus Moses facit utentem Deum, quando hominem creare parat, Gen. 1, v. 16 : *Faciamus hominem ad imaginem*

nostram. Nimirùm sic Timæus quoque Locrensis apud Platonem, hunc majorem, quem cernimus, mundum, Dei æterni esse simulacrum ait, nempe quia in illâ simplicissimâ unitate, quæ Deus est, modo non solùm admirabili, sed etiam nullius mentis acie comprehensibili, ipsa rerum universitas ab æterno fuit, atque ex illâ ideâ, ut vocant, κατὰ μέρος, et particulatim profluxit, effectaque est. Quare cùm in hominis naturâ, ut diximus, συνεκδοχικῶς, universæ naturæ integritas contemperata existat, meritò ad Dei imaginem ipse conditus dicitur. Quæ tamen imago rursùs, ubi per peccatum ille à Dei voluntate discessit, vitiata est: quòd illa εὐκρασία et summus rerum omnium in hominis naturâ concentus, per peccatum perturbatus labefactatusque sit. Atque hinc fortassis illud est, quod divus Paulus, ipsam rerum conditarum naturam, hoc est, τὴν κτίσιν, ait unà cum homine subjectam esse vanitati; ac proinde sollicitè et cum gemitu expectare; ut quando per hominis naturam, in quâ ipsa quodammodo universa erat, illud passa est, rursùs simul cum homine liberetur à servitute corruptionis, vindiceturque in libertatem gloriæ filiorum Dei, ad quam aditus nobis per Christum est patefactus.

Qui cùm esset ab omni æternitate splendor gloriæ, et expressa imago substantiæ Dei, et, ut sic dicam, primogenitus omnis creaturæ, voluit, modo admirabilitatis maximæ, cum homine consociari, qui ad Dei imaginem factus, universam in se rerum naturam complexus tenebat; quo hanc simul cum illo quodam modo perturbatam atque violatam, ipse, cùm esset imago Dei æterna, et rerum omnium naturæ effector, repararet, ut ad pristinum statum atque concentum per nostram resurrectionem rediret; cùm foret placidissima illa harmonia, quâ sese in homine ante peccatum complectebatur, non solùm instaurata denuò, sed infinitis partibus melior atque concinnior effecta. Etenim post resurrectionem, futurus est homo longè perfectior Dei imago, quàm tunc erat, cùm nondum peccâsset. Itaque universa rerum natura cum illo quadamtenùs beatam consequetur immortalitatem. Cùm igitur, ut propiùs ad rem accedamus, illa unitas simplicissima, Deus, in æternitatis suæ immensitate latens, tandem aliquando, pro suâ summâ probitate et gratiâ, sex illas dualitates, ut sic dicam, rerum procreâsset, quæ partibus omnibus absolutissimam istam mundi machinam constituerent, necessum erat, ut ea, quæ sic effecta fuerant, quò subsisterent, ac non eodem momento temporis in nihil redirent, ad suam ipsorum originem referrentur, ut à quâ continuò essent sustentanda. Itaque dum hunc dualitatum, hoc est, rerum procreatarum senarium numeramus, ut ab ipsâ primâ et simplicissimâ unitate Deo, tanquàm origine et fonte proficiscimur, sic rursus septimo loco ad eam ipsam revertimur, atque in eâ desinimus. Nam ut ab ejus sinu, quà prima est, res omnes ortum habent, ita in ejusdem sinu, quà septima est, ut conserventur, et veluti conquiescant, est necesse. Hoc igitur ipsum est septimæ unitatis mysterium, ut ego certè censeo: Sabbatum videlicet, et quies, quâ Deus à condendis quidem rebus abstinuit, et velut in suum illum æternitatis, ut sic dicam, abyssum rediit, quasi ad quietem; sed ita, ut res jam tum à se conditas, nexu necessario sibi devinctas, atque ab ipsius efficacitate continuò dependentes, secum ad quietem illam suam quodam modo abduceret, neque à se dimitteret, quippe quæ divinæ ejus virtutis sinu foveri continuò, sustentarique deberent. Id propter, efficacem hanc quietem ipse Dei Filius, operam vocat, cùm ait Joan. 5, v. 17: *Pater meus adhuc operatur, et ego operor*. Hanc ergo quietem, quâ rerum universitas semel condita, à conditoris efficientiâ continuò dependet, ne evanescat prorsus, qui non toto animo amplectitur, observat, colit, is ipsam divinam providentiam reipsà negat. Atque hoc est quod hebraici philosophi cabbalistæ tradunt, eum qui Sabbatum non colit, neque de conditi orbis ratione, neque de futurâ vitâ rectè sentire, hoc est, funditùs naturam ipsam, divinamque vim, et providentiam tollere, ut meritò talem Deus morte damnârit apud Mosen. Ex his ergo perspicuum utcumque esse puto, cur septenarius rerum omnium nodus sit à veteribus appellatus. Nisi enim eo nodo cuncta constricta retinerentur, in nihilum protinus abirent. Igitur ut concludamus rem omnem paucis, nihil aliud videtur velle Deus, dum septenarium nobis ubique ante oculos statuit, quàm perpetuò menti nostræ obversari debere suam ipsius bonitatem et gratiam, quâ, ut res omnes procreatæ sunt, ita ut subsistant, foventur, inque illam omnia nostra consilia, molitiones, operas, et in summâ, animi corporisque actiones esse referendas. Sed tempus est ut ad Jerichuntem revertamur. Nimis enim jam longè aberravimus.

Vers. 16. — Factumque est septima vice ut cum sonarent sacerdotes, etc. Hujus versiculi

sic explicanda sententia est : Cùm septimo die circuitio septima adornaretur, quæ omnium postrema erat futura, jamque sacerdotes buccinas inflare pararent, tunc imperatorem mandâsse populo, ut simul atque audirent buccinarum clangorem, sublatis simul omnes vocibus ulularent, victoriam enim in manu esse. Hunc enim sensum patefacit nobis versiculus 20. Non igitur singulari aliquo cantu litui, aut cornu cujuspiam datum populo signum est prorumpendi in ululatum, sed jussit imperator, ut cùm primum audirent in postremâ istâ circuitione consuetum clangorem, quem sacerdotes inflando buccinas excitabant, omnes pleno gutture, quantùm possent, canerent victoriam, quam adhuc silentio expectârant. Cæterùm ex illo verborum ambitu : *Nam dedit Dominus vobis urbem*, atque iis mandatis, quæ nunc primùm proximis versiculis exponuntur, bona conjectura capi posse videtur imperatorem adhuc spe quidem, sed incertâ, circumduxisse populum circùm urbem; neque ea quæ ipse à principe illo exercitûs Dei certissima acceperat, nisi nunc demùm, pervulgâsse. Quò ampliore prædicatione digna est omnium, ut dixi, obedientia, qui tam alacres illi morigerati sunt, cùm vana potiùs somnia sua, quàm quæ ad capiendam urbem utilia essent, videretur imperare. Sed de his satis multa supra.

Vers. 17. — Sit autem urbs anathema, ipsa, et quidquid est in ea, etc. Vox חרם, hoc loco significat rem Deo devotam, et proinde à nullo homine utendam; alibi verò ipsam rerum perniciem, aut res execrabiles detestabilesque et pernicie dignas, ut proximo versu. Sed eadem una est istarum diversarum notionum ratio, quòd quæ Deo dicata sunt, ea in nullius hominis bonis esse possint; planè ergo idem est *herem*, apud Hebræos, quod ἀνάθεμα apud Græcos. Plura de isto verbo diximus capite 10. Doctores Heb. tractatione Sabbati, scriptum reliquerunt, opinari quosdam, Josuam, suopte sensu hanc duram sententiam adversùs Jerichuntios pronuntiâsse, vel quia statueret, Sabbato, hoc est, sacro die captam urbem, Deo esse consecrandam, et veluti immolandam; vel quia existimaret, pari eam casu esse debere, cum iis urbibus, de quibus lata lex à Mose est Deuteronomii capite 13, vel denique quòd putaret, legem de primitiis sancitam in Numeris, etiam in capiendis urbibus, observandam esse. Hæc ferè à Kimhi quoque hoc loco proferuntur. Isque existimat, credibilius esse, nihil Josuam Dei injussu hâc in re fecisse. Quod mihi etiam probatur, cùm capite proximo Deus, hanc de urbis et civium anathemate legem, sibi apertè sumat, suumque eam fœdus vocet. Fuit quidem dudum ante instituta à Mose lex, et sancita, in captis Chananæorum urbibus, nulli prorsus esse parcendum : atverò de ipsâ etiam urbe perdendâ atque delendâ, quod mandat Josua, id singulare est, neque ad alias Chananæorum urbes exemplum pertinet. Sed enim crudeliora ista videntur, quàm pro divinâ lenitate. Atqui cujus benignitate plenus est orbis terrarum, is idem amat justitiam et judicium, ut canit sacer vates. Sola enim, et perpetua misericordia, disciplinam labefactaret, et ignavam pareret securitatem. Solius autem justitiæ rigor et severitas desperatione omnium animos afficeret. Jam supra quadringentos annos frustra distulerat Deus hæc Chananæorum supplicia, melioris vitæ expectatione; cùm illi interea majore in dies contumaciâ adversùs illius patientissimam lenitatem decertare pergerent. Est enim illud pervulgatum, quod ad Abrahamum dicebat, Gen. 15, v. 16 : *Quia adhuc non est perfecta iniquitas Amorrhæorum*. Sed erit de his disputandum sæpiùs. Neque verò ipsos Israelitas meritò quis insimulaverit immanitatis : quippe qui in istis cædibus atque incendiis patrandis Dei jussa exsequuntur, et, ut habet vulgare Hebr. proverbium, molitam farinam molunt; cæsos leones occidunt; ardentibus urbibus flammam subjiciunt, hoc est, judicatam, atque addictam exitio nationem, perditum ipsi, ut divinæ justitiæ administri, eunt. Ipsa igitur urbs Deo devovetur consecraturque, quia, ut conspurcatum detestabili cultu, et omnium flagitiorum genere domicilium, funditùs evertitur; et ut invisa illi, dum superstes manebat, victima adoletur. Cives verò itidem veluti mactantur Deo, ob sua ipsorum scelera, quibus jam omnem impietatis modum excesserant, longèque majoribus suis ipsi nequiores, progeniem daturi erant vitiosiorem. Denique etiam supellex omnis unà aboletur; ne in hoc belli initio, omnium rerum egestate avidus miles, immodicis factis manubiis, ut erat civitas opulentissima, se nimis oneret, atque ad otium deinde, luxumque, quàm ad bellum proclivior fiat.

Sed Levi Gersonis ait : Ne quibus olim Israelitæ potientur opibus in Chananæâ, earum causam hujus primæ urbis manubiis attribuere possint, tanquàm in iis occulta quædam felicitatis vis fuerit, eòque benè existiment de Jerichuntiorum religione, atque communi vitâ,

Sed ista mihi causa subtiliùs quæsita, quàm firmior esse videtur. Potest autem etiam illud dici : Ideò Deum universam sibi prædam addicere, ut eò evidentius sit, ac propiùs omnes, ipso damno amissæ prædæ admoniti, intelligant, illius solius potentiâ, victoriam istam esse partam, nihilque suis viribus, suæque laudi assumptum arbitrentur. Addunt quidam etiam illud, detestabiliorem videri eorum religionem, quorum res omnes, unà cum ipsis, perditum ire jubet Deus. Sed quid facias vasis argenteis, aureis, æneis, ferreis, quæ adeò non detestatur ille, ut in suum ea thesaurum inferri jubeat? Et quæ causa sit, cur non similiter aliarum civitatum opes perdantur, quarum superstitiones nihilò Jerichuntiorum ritibus meliores fuisse, est credibile? Hoc sanè vero non dissimile videri potest, hâc tantâ severitate primæ animadversionis terrorem incutere voluisse Deum reliquis hostibus, cùm superesset bellum difficillimum. Et simul vel metu impendentis exitii eos à vitâ turpissimâ flagitiosissimâque ad pœnitentiam et veri Dei cultum revocare. Neque enim etiam tum seram aut inutilem futuram pœnitentiam, quamvis completa esset omnium iniquitas, ut habet Scriptura. Satis magno argumento sunt exempla Rahabæ, et Gabaonitarum; sed de hoc suus erit disputandi locus.

Sequitur in textu : *Duntaxat Rahab meretrix salva sit,* etc. Verbum חיה, alii, vivere, ego salvam esse, interpretor lubentiùs, quòd illam verborum complexionem : *Et quidquid cum eâ est in domo,* non de solis hominibus, sed etiam de supellectile conservandâ accipiendam esse videantur efficere ea quæ versiculo 23 dicentur. Sed enim observandum est, Josuam non jusjurandum illud, quo Rahab obstrictos tenebat exploratores, sed beneficentiam, quâ ipsa adversùs populum Dei usa fuerat, causam ejus salutis afferre, nimirùm quam etiam divi Apostoli Paulus et Jacobus. Fides enim illam ea servabat, quâ justus vivit, ut ait divus Augustinus, hoc est, ea quæ per charitatem fructuosa est. Sed hoc satis tractavimus capite 2, ad versiculum 11. Cæterùm est ista Rahabæ et simul affinium atque cognatorum ejus omnium conservatio, exemplum maximè insigne mirificæ benignitatis et clementiæ Dei erga humanum genus, qui unius piæ mulierculæ gratiâ tam multis aliis parcit. Sic Paulo quoque donantur 276 vectores. Et pepercisset Dominus populosissimæ Sodomorum civitati, si decem in eâ justos invenisset homines. Sed est hujusmodi exemplis plena historia sacra. Nam quòd sæpè etiam boni cum malis involvi calamitatibus videntur, sic existimandum est, cum divo Cypriano, ex illius modi communibus cladibus, minimè confici, conditionis communitatem probis esse cum improbis. Nam dùm justi eo mortis genere vocantur ad refrigerationem, ut ait ille, injusti eodem abripiuntur ad supplicium. Sed hoc argumentum sæpiùs se offeret. Neque propriè ad hunc locum pertinet.

Vers. 18. — Et tantum vos cavete ab anathemate, ne fortè, etc. In hoc versiculo vocabulum *anathema,* non unam significationem habet. Primò enim, ut nuper, significat res Deo devotas ; mox in illis verbis : *Et exponatis castra Israel anathemati,* ipsam perniciem quæ dira vota consequi solet. Verbum autem תחרימו, anathematizetis, ut sic dicam, ex eâdem formatum positione, hìc significat, capere rem Deo dicatam, et sibi sumere, ut ea quæ subjicitur particula explicat. At versu 20, significat rem devotam abolere. Septuag. Interpretes autem, qui pro eo reddiderunt ἐνθυμήθεντες, videntur paragrammatismo decepti, pro תחרימו legisse תחמדו, trajectis litteris, et daleth pro resch posito. Nam ἐνθυμήθεντες, pro ἐπιθυμοῦντες, hoc est, *concupiscentes*, dixerunt, opinor. Sic enim converterunt verbum חמד capite proximo. Porrò in verbo *achar*, quod conturbare, reddidimus, est, κατὰ παρονομασίαν, veluti præludium ejus rei, quæ proximo capite narrabitur. Achar, enim ei viro nomen erit, qui hanc legem violabit, quamvis idem etiam Achan vocetur.

Vers. 19. — Atqui omne argentum, et aurum, vasaque ænea et ferrea, etc. Pro *vasa ænea*, dixerunt Septuag. omne æs; nimirùm illi τὸ כלי, legerunt absque iod, כל. Pro illo *in thesaurum Domini veniet,* reddidit Chaldæus: *In thesaurum domûs sacrarii Domini inferentur,* Etenim thesaurus Domini servabatur in tabernaculo sacrarii : quod domus sacrarii usque eò vocatum est, dùm ædes Deo à Salomone est exædificata. In Numeris 3 scriptum est, aurum quod tribuni, et centuriones, de manubiis victoriæ memorabilis à Madianitis reportatæ, offerebant Deo, Mosen et Aaronem similiter in tabernaculum illud intulisse, ut esset monimentum Israelitis in conspectu Domini, quòd eorum animos revocaret scilicet sæpè in memoriam præclarissimæ victoriæ, quâ cæsis tot hostium millibus, neminem suorum desideraverant. Quis ergo dubitet, quin hìc quoque eadem fuerit asservandi ista metalla, eodem

illo loco, causa? Judæi quidem plerique omnes atque etiam Josephus, et ex nostris, Theodoretus, Cyri episcopus, ad primitiarum cæremoniam pertinere rem universam existimant; et sanè ei sententiæ congruere videtur, quòd de spoliis urbis Hai nihil sibi sumit Deus, sed universa militi permittit, quasi istis suis contentus primitiis. Atqui non par ratio est in utrâque victoriâ. Solus enim Deus hic pugnat, at illic etiam milites. Sed ista explicabuntur capite 8, ad vers. 2. Porrò sanctitatem, sive rem sanctam, hic nominatam videmus, quam ante חרם, devotam. Res enim devotæ, quas Græci ἀναθήματα et ἀνακείμενα nominant, tam eæ sunt, quæ in locis sacris dicantur, quàm quæ adolentur atque abolentur. Hebræi ipsas posterioribus temporibus vocaverunt *corban*, et elisa durioris soni littera, *coban*, eâdem notatione scilicet, quâ Græci ἀναθήματα dicunt. Est enim, קרב, offerre. Unde exstat apud doctores hebræos hæc jurandi, aut vovendi potiùs solemnis formula : Anathema, et res devota esto, quidquid illud sit, quo ego tibi prosim, aut quam tu utilitatem ex me capias. Quo voto cùm quis apud aliquem usus est, quantâvis ei necessitudine obligatum, atque adeò erga suum ipsius parentem, nefas esse statuunt rabbini, illum ullo beneficii, aut officii genere hunc juvare, ne quod Deo devovit videlicet, id humanis commodis serviat. Atque hæc ipsa est illa traditio, quam citat damnatque Christus apud Matthæum, et Marcum, tanquàm Mosis legi adversantem ; à nostris interpretibus, formulæ illius ignaris, adhuc parùm benè, ut mihi videtur, explicata, sive Græcis, sive Latinis. Nam in syricis Evangeliis dilucidior apparet sententia.

Vers. 20. — Ululabat itaque populus, cum canerent buccinis, etc. Sensus est : In diei septimi septimâ circuitione, quæ omnium postrema fuit, cùm primùm sacerdotes buccinis canere inciperent, cœpit populus ululare, et simul urbis mœnia concidebant. Illud enim : *Nam simul atque audivit populus vocem buccinæ, ululavit populus clamore ingenti*, est per parenthesim legendum, tanquàm ἐξήγησις atque explicatio superiorum verborum. Septuag. non annumerârunt hic quidem verba hebræa, sed sanè sententiam luculenter expresserunt. Laudabamus nuper populi obedientiam, cùm imperio, ut videbatur, absurdo, et penè ridiculo, tam obtemperarent alacriter, ut vix ultima loquentis imperatoris verba expectarent, quin jussa facere inciperent. Hic autem ejusdem prædicanda fides est, quæ ipsa muros prosternit, teste Apostolo. Nisi enim firmâ fide apud animum suum ille statuisset, Deum quod promiserat planè effecturum, haudquaquàm profectò tam lætâ acclamatione, tanquàm non sperans, atque expectans, sed in manu victoriam habens, cecinisset triumphum, priusquàm labentem murum vidisset. Nam et David ululare quidem jubet universum orbem terrarum, sed ob res jam tum prosperè gestas adversùs Ecclesiæ Dei hostes. Cùm enim dixisset : *Ululate Deo, omnis terra, canite decus nominis ejus ;* mox subjicit : *Ite, considerate opera Dei, qui rem terribilem patravit contra filios Adæ ;* voluerat quidem Deus, tantisper dùm ipse veluti oppugnaret urbem sacris sacerdotum vocibus, populum tacitâ meditatione fidem cum sanctâ spe apud animos suos exercere, at nunc eidem permittit, ut illius suæ meditationis fructûs specimen edat ; et verò ipsa etiam natura talem ferè sensum animis nostris indidit, ut interea dùm rei magnæ cujuspiam eventum expectamus, silentium præstemus ; verùm simul atque illam evadere jam putamus, tum diutiùs ora continere non possimus, sed in clamores et gesticulationes effundamur. R. Levi F. Gersonis de isto ululatu populi, sic interpretatur : Visum est, inquit, Deo, ut miraculum hoc fieret cum ingente isto clamore, qui Israelitas è torporis sui somno excitaret, et ad inusitati operis Dei magnitudinem animo expendendam vocaret. Sed adjungit insuper id, quod ridiculum mihi certè videtur, vehementem istum ululatum aliquâ ex parte efficientem miraculi fuisse, atque adjuvâsse ad dejicienda mœnia. Magna enim vox, inquit, magno impetu aerem impellit ; cæterùm vi occultæ et divinæ, ut cujus præcipua fuerit efficientia, miraculum esse attribuendum. Nimirùm existimat ille, Deum ubique in patrandis rebus illius modi inusitatis, uti mediis quodammodo ad eas efficiendas appositis et commodis. Quod ut sæpè verum esse fatendum est, veluti cùm Elizæus jubet, ut Naaman leprosus se lavet in Jordane, cùm cæci oculos curat Christus sputo cum terrâ mixto illitos, ablutosque deinde aquis Siloe, et in multis aliis exemplis ; ita aliter illum miracula nulla facere usque adeò falsum est, ut mediis nonnunquàm, non solùm alienis, sed etiam repugnantibus naturæ rei efficiendæ utatur, ut Elias, cùm sacrificium faceret, victimam simul, et ligna quæ cupiebat à cœlesti igne vorari, largiter semel, iterùm tertiùm perfudita quâ ; et Elizæus aquas, quæ ste-

rilitate terram afficiebant, sale injecto emendavit. Sed hæc ex multis exempla sufficiunt.

VERS. 21. — ET PERDIDERUNT QUIDQUID ERAT IN URBE, A VIRO AD FEMINAS, etc. Dictum à nobis est, ad versiculum 17, quidquid ferè ad hunc locum pertinere videatur. Sed non est profectò hìc silentio prætermittenda, militum continentia singularis, qui cùm essent omnium rerum egeni, in tantâ opum copiâ, quantam credibile est fuisse in urbe omnium situ amœnissimâ, agrique bonitate uberrimâ, unico ab imperatore verbulo jussi cùm essent, non solùm manus ab omnibus rebus abstinere, verùm etiam alacriter omnia prorsùs perditum ire potuerint, adeò ut ne in posterum quidem, per aliam occasionem, ullius ex illis lucri faciendi spes relinqueretur. Quâ in re non solùm temperantis, sed fortis quoque animi specimen singulare ediderunt, addam etiam prudentis. Nam cùm sapienter cogitarent, si contra imperatoris sui, atque adeò Dei, jussa rem facerent, stabilem eam et diuturnam minimè esse posse; perdere quod ad manum erat sustinuerunt, ut id sibi compararent, unde solidæ illæ opes provenire solent, quæ et durent, et cum felicitate etiam ad posteros transmitti possint, hoc est, veram probitatem. Et quamvis innata omnibus mortalibus habendi cupiditas, temeraria animorum dominatrix, variis ipsos affectionibus, ut credibile est, et quisque de se conjecturam facere potest, oppugnaret, tamen passi non sunt, pecuniam, quæ ignavis quidem hominibus imperat, sed fortibus servit, obstaculo sibi, ad præstanda imperatori suo, quam debebant, obedientiam, esse, nimirùm statuentes illud Xenophontis esse verum, μηδὲν εἶναι κερδαλεώτερον τῆς ἀρετῆς, id est, nullum ipsâ virtute melius esse ad lucra compendium.

Verùm enimverò, quando non soli illi, qui hostiliter facere aliquid potuerunt, sed etiam puerorum, feminarum, senum imbellis turba, atque adeò infantes, qui per ætatem nondùm peccârant, nullo discrimine jugulantur, talisque ut videtur, crudelitas et immanitas, olim per Marcionitarum, et similis impietatis hominum ora, Dei probitatem et justitiam traduxit; atque utinam non etiam hoc nostro seculo per multorum impias cogitationes traducat, quando ora nunc magistratûs auctoritas pœnæ metu nonnihil coercet: non fuerit, opinor, alienum à proposito, ejus argumenti explicatione æternam Dei justitiam, pro virili, hoc loco tueri: præsertim cùm proximo etiam capite similis querelæ causam daturi sint filii Achan, cum patre, qui solus peccaverat, exusti. Deberent quidem Dei judicia, quæ nunquàm non sunt æquissima, modesto et submisso animo ab omnibus mortalibus suscipi, neque ad multiplici caligine et errore perplexas nostras ratiocinationes exigi. Nam, ut ipse apud Job, ait 39, v. 35: *Qui cum Omnipotente litigat, non eum erudiet; neque qui cum Deo argumentatur, ei respondere poterit.* Et proinde conditionis nostræ esset, cum Job agnoscere, atque fateri, omnem operum Dei rationem longè supra intelligentiæ nostræ vim et notionem esse positam. Id enim esset, vel ipso Deo teste, probè de Deo loqui, et benè de ipso existimare. Sed ea est ingrati animi nostri stultitia et vecordia, ut in arcana etiam illius consilia, quæ omnia ad generis humani salutem et commoda atque utilitates spectare certissimum est, nihil nos pudeat inquirere. Et, quod est maximè indignum, atque adeò prorsùs impium, ea etiam sæpè damnare, quando nostris rationibus non satis videntur servire. Igitur ut ad rem veniamus, equidem puto, apud omnes probæ opinionis homines in confesso esse, Deum à nemine pœnas immeritò sumere, nedùm injustè, sed quemcumque aut morte, aut ærumnis aliis plectit, penes eum noxiam esse aliquam tali pœnâ dignam; si modò unus Jesus Christus excipiatur, qui per mysterium humillimo animo venerandum, nequaquàm autem cum aliis rebus humanis contendendum, percussus est, propter nostra, non sua scelera. *Eum enim qui pœnas meritus non sit, condemnare,* ait Sapientia 12, v. 15, *alienum esse censes, ô Deus, à tuâ potentiâ. Justitiæ enim caput est tua potestas, et quòd dominaris omnibus, hoc ipsum facit ut parcas omnibus.* Quin hoc etiam non dubitans dixerim, Deum punire neminem, quin ea pœna, cùm semper ejus qui plectitur, tùm sæpè etiam simul aliorum multorum utilitatibus conducat. Nam sanè de morte ipsâ, si quod res est judicare velimus, mortalium nemo queri potest, sive maturâ, sive immaturâ, cùm quidquid oritur, eâ conditione ortum habeat, ut intercidat rursùs; et vita ipsa gratuitum planè Dei donum sit, ac proinde quantulacumque fuerit, magnæ pro eâ gratiæ illi debeantur, nedùm ut jure conqueri ullus possit, quocumque tempore, quâve occasione, is qui gratis dedit, rursùm repetat. Ad hoc, ego quidem certè eam semper habui, habeoque de immensâ Dei misericordiâ opinionem, ut putem ipsum, neminem donatâ semel vitâ orbare rursùs, nisi tum, cùm ei ut è vivis exce-

dat, expedit maximè. Qui enim omnia novit, id etiam novit, qui cujusque vitam exitus sint consecuturi.

Sed ne hoc longiùs persequar, de justis extat luculentum in Sapientiæ libro testimonium, unde argumentum de injustis, à contrario, firmum rectè sumatur. Restant cæteræ calamitates, quibus humanum genus variis exercetur, vexaturque. Spero autem tam iniquum esse in Deum neminem, ut flagitiosorum hominum querelis, si crucientur, aures æquas præbeat. Eorum autem qui hominum opinione probi sunt, quis, quæso, omnium tam vivit innocenter, ut in ipso nihil videat ejus opifex Deus, quod non severissimâ quâque animadversione castigationeque dignum sit? ut taceam quòd ea, quæ istis existimat vulgus mala accidere, plerùmque sunt salutaria adversùs vitia medicamenta, atque utilia exercitia, per quæ illi formantur comparanturque ad pietatis disciplinam. *Nam*, ut ait Sapientia 3, 4: *Cùm hominum opinione puniri videntur, spem habent immortalitatis plenam, et paulùm castigati, magna beneficia accepturi sunt.* Etenim quis non lucro deputet morbum, quo, ne navem conscenderet, mox naufragio perituram, sit prohibitus? Aut quis matrem familias culpet, quæ charum vasculum smegmate conspurcat, quo defrictum emaculatumque pulchrius niteat? Sed malè te habent puerorum in cunis, aut matrum ulnis vagientium miseriæ, quas sæpè perpetiuntur gravissimas, priùs quàm possint è vitâ exire. Verùm illi, si sacro lavacro non sunt ab originis humanæ communi vitio expurgati, expedita responsio est. Tam enim est fœda res peccatum quodlibet, ut nullo satis digno supplicio expiari, pro Dei justitiâ, queat. Sin autem per sacram ἀναγέννησιν mundati sunt, tum eò dolores non facere illis Deum, ut puniat, est existimandum, sed ut eâ ratione, pro æterno suo consilio et misericordiâ, ipsos gloriâ ampliore beet. Jam verò absurdissimum fuerit, cum laborem pœnæ, et non, cum divo Paulo, pulchri legitimique certaminis loco deputare, cui immensa illa Dei liberalitas immensa proposuit præmia. Sed instat urgetque Carpocratianus aliquis, aut Valentinianus, vel Marcionita, qui nimis libenter per exsecrabilem impietatem cum effectore et parente suo litigat, Deum de se ipsum prædicare, quòd visitet patrum peccata in filiis, ad nepotes usque, et pronepotes, sive in tertiam et quartam generationem, unde statim hoc effici videtur, id scelus quod parentes impunè patrârunt, puniri in filiis, aut nepotibus, hoc est, quas pœnas maleficiorum suorum quorumdam effugerunt morte parentes, eas pœnas expectari à nepotibus et posteris. Ad hoc respondet Theodoretus, acutus sanè sacrarum litterarum interpres et probatissimus, Deum pro suâ clementiâ et misericordiâ, quâ cupit omnes homines salvos evadere, graviora supplicia minari, quàm sumere solere. Itaque locutum esse, ut vel sic à flagitiis deterreret eos qui filiorum suorum sunt amantiores; nuda ergo hic spectare verba, esse irreligiosum, cùm Deus contrariâ lege statuerit Deut. 24, v. 16: *Non debere mori filios pro parentibus, neque parentes pro filiis: sed suum cuique peccatum exitii causam esse.* Et rursùs apud Ezechielem 18, v. 2, dixerit: *Quæ est vestra ista parabola, cùm dicitis: Patres nostri ederunt uvam immaturam*, etc. Paulò post verò, idem auctor aliâ ratione, et, ut ait, suo judicio, veriore, nodum expedit: Sed ego, inquit, potiùs opinor, eas minas, Dei erga homines amoris magnam significationem facere, cùm illam habeant adjunctam clausulam: *Qui me odio habent.* Est enim hoc perinde ac si dicat: Sustineo me à plectendo peccantes patres, atque à puniendo filios delinquentes. Si porrò tamen etiam nepotes, atque pronepotes pergant majorum suorum improbitatem imitari, sumo tandem supplicium. Et hanc, inquit, sententiam res ipsa comprobat. Quintâ enim generatione memorantur Israelitæ Ægyptum reliquisse. Jam verò horum majores, qui Ægyptiorum Deos coluerant, neque ipsi pœnas dederant, neque eorum patres, aut avi, sed isti tandem qui sunt quintâ generatione egressi, cùm majorum suorum vestigiis impietatis insisterent, luerunt supplicium, quippe qui post tanta quæ acceperant beneficia, post tot miracula quæ conspexerant, non se abstinuère ab avitâ improbitate. Porrò horum posteri, cùm servatorem Deum amarent, iis quæ majoribus suis promissa fuerant, ipsi sunt potiti. Hæc ferè Theodoretus, quibus etiam illa consentanea, quæ à plerisque Judæis, qui eum locum tractaverunt, scripta legi. Dicunt enim isti, differre Deum patris supplicium, si fortè resipiscat, aut probum filium gignat; at si posteritas majorum suorum vitia non declinaverit, tum demùm illum pœnas poscere, memorem eorum, quæ majores continuâ serie patrârunt maleficia. Unus tamen Nehmannus aliter sensit: arbitratur enim parentum idololatriam, quam vocamus, luere filios, si etiam ipsi colant idola. At

in cæteris peccatis vera esse, quæ sunt ab Ezechiele dicta, similiter atque civiles leges minutæ majestatis crimen, non autem alia maleficia, vindicant in filiis.

Ego verò, cùm animadverto illud, *visitare scelera patrum in filiis*, etc., inter alia magnæ Dei misericordiæ argumenta commemoratum esse in Exodo, non possum facere, ut non vehementer probem posteriorem Theodoreti sententiam. Sed cùm me non nihil offendat verbum, פקד, hoc est, vindicare, quippe quod non satis rectè videtur ad dilatam procrastinatamque ultionem posse extorqueri, ut existimant illi qui interpretantur, recordari (quis enim illud Isaiæ 27, v. 1 : *In die illâ visitabit Dominus gladio suo rigido, et magno, firmoque Leviathan serpentem sinuosum*, etc., non sic accipiat, ut putet, illo die daturum pœnas serpentem, non autem memorem modò illius futurum Deum?) cùm igitur illius verbi vis, quæ vindictæ, non autem memoriæ significationem facit, refellere videatur, quod à Theodoreto acutè, et præclarè dictum est, equidem putârim ejus sententiam sic explicari posse : Deum vindicare patrum maleficia in filiis, nepotibus, pronepotibus, quia magna sæpè flagitia in parentibus dissimulat, ad filios, nepotes, aut pronepotes usque, de quibus in hâc vitâ nullum poscit supplicium, nimirùm expectans clementer, ut resipiscant, atque se ipsi emendent. Verùm si iisdem sceleribus, et filii, et nepotes, cæterique posteri se quoque obstringere pergunt, tum demùm connivere, atque expectare diutiùs ille non potest; sed quæ in majoribus impunita mansêre in hoc mundo, ea filii, nepotesve, aut pronepotes non impunè habent. Nam ex perpetuâ impunitate atque licentiâ, opinio facilè in omnium animis nasceretur, nullâ Dei providentiâ regi mundum : quâ opinione nulla possit esse ad quietam hominum vitam pestilentior. Hinc ergo perspicuum, opinor, evadit, primò, ad divinam pertinere misericordiam, quòd majorum scelera patienter sæpè ferat, usque ad tertiam, aut quartam generationem. Quòd autem tunc tandem posteros plectit, id ad providentiæ ejus opinionem, planè in republicâ necessariam spectare. Deinde posteros, non ipsas parentibus debitas ob sua flagitia pœnas pendere : eas enim hi in alterâ vitâ justissimas daturi sunt, et eò graviores, quò tardiores; sed sua delicta luere, quæ parentum suorum delictis similia in se ipsi admisêre. Etenim ita ferè est hominum judicium, ut si quis, quod sui majores impunè fecerunt, id dùm ipse quoque facit, plectatur, illicò clamitet, in se non tam quod ipse, quàm quod illi commiserunt, vindicari. Summa est, pœnas tandem dare filios, aut alios posteros de majorum suorum sceleribus, non quidem iis ipsis sceleribus, quorum noxia penes majores erat; sed similibus, si similia patrent, et majorum vestigiis insistant. Et hâc ratione, nisi fallor, cùm Theodoreti sententia sustinetur, tùm sua verbo, פקד, vis atque significatio conservatur. Sed enim oganniunt etiamnum contentiosi homines, eum qui cæcitatis malo, apud Joannem laborabat, neque suorum parentum, neque sui peccati pœnas dedisse, sed illo corporis vitio fuisse affectum, ut operum Dei in ipso specimen ederetur. Non ergo dabat ille pœnas noxiâ quâpiam suâ dignas. Quod axioma ante à nobis positum est; sed facilis est responsio : Cæcitatem, præsertim si ab ipso ortu insit homini, non tam pœnam dici debere, quàm ad multa vitia declinanda utile umbraculum, et latebram. Cæcus enim, etsi alba nigraque discernere non potest, at bona, mala, æqua, iniqua, honesta, turpia potest; idque adeò verum est, ut sapientes homines putaverint, impediri etiam animi aciem, in quâ summæ felicitatis posita est ratio, cùm in Deum intenditur; eam, inquam, impediri oculorum aspectu; et Tiresiam cæcum Homerus solum sapere apud inferos finxerit, cùm cæteræ omnes animæ umbrarum modo vagarentur. Et verò quis puniri se à Deo possit jure queri, si non perfectissimi hominis partes, atque naturæ instrumenta omnia nascens accepit, quando quantulumcumque, id est, quod accepit, gratuitum planè hoc esse fateri debet? Sed ut rem propiùs attingamus, quæ est illa inscitia, existimare, Deum illis verbis, aut cæcum, aut ejus parentes omnis peccati expertes facere, et puros, cùm ait : *Neque hic peccavit, neque parentes ejus?* Volebat ille discipulorum suorum intempestivam curiositatem, quâ de aliorum hominum peccatis inquirebant convertere ad id quod agebatur, hoc est, ut ex re inauditâ omnibus seculis, atque inusitatâ intelligerent, tum ipsi, tum cæteri homines, æternum Dei Filium æquè pari cum Patre potentiâ pollentem venisse in mundum. Quamvis enim, ut dixi, nihil unquàm adversi patiantur homines, de quo queri meritò possint, tamen ipsis ærumnis plerùmque sic utitur Deus, ut non tam peccatorum pœna sint, quàm ut utilitatem cùm ei qui illas sustinet, tùm sæpè multis simul aliis, et interdùm etiam reipu-

blicæ afferant. Sed jam revertamur ad sacra verba, ne prolixiores quàm par sit fiamus.

Vers. 22. — Dixerat autem Josua duobus illis viris, qui speculati fuerant, etc. Utor præterito plusquàm perfecto, ut grammatici loquuntur. Non enim credibile est, Josuam, captâ jam urbe, grassanteque promiscuâ omnium cæde, sed maturè, cùm alia moneret, quæ versu 17 sunt exposita, simul ista edixisse. Et rectè quidem duobus illis speculatoribus, ut qui remotam, abditamque in extremo quopiam urbis angulo pauperculæ mulieris domunculam soli facilè invenire, atque vel ex rubro filo, quo effugium illud suum fenestram notatam meminerunt, internoscere possent. Sed nescio an non ipsi hanc sibi provinciam dari ultrò postulârint ab imperatore, cùm ad suam fidem pertinere scirent, ne sacramentum simul cum hospitii jure violarent. Certè imperator integerrimus ipsis jusjurandum suum in memoriam reducit. Etsi enim eo quod privatim dederant, imperatorem aut exercitum non obligâssent, tamen cùm ipsi saltem sacro nexu obstricti tenerentur, summa optimi imperatoris religio, etiam de duorum gregariorum militum suorum fide sollicita fuit. Quòd si nostri seculi ductores, atque exercituum imperatores, hujuscemodi exempla sibi imitanda esse statuerent, profectò minùs funesta bella gererentur, quæ nunc ad omnem omnium barbarorum immanitatis speciem nihil sibi, non solùm apud hostes, sed, quod est indignissimum, apud socios, atque amicos etiam, faciunt reliqui. Scribit quidem Josephus Antiq. l. 5, illud speculatorum jusjurandum post ab imperatore, atque pontifice, reliquoque senatu approbatum sancitumque fuisse: quàm verè, ipse viderit; mihi certè non fit verisimile, quando Josua ait: *Sicut illi jurâstis*. Non autem dicit, juravimus.

Vers 23. — Et ingressi fuerant pueri exploratores: eduxerantque ipsam, etc. R. Salomon autumat, exploratores נערים, pueros, aut, ut interpretatur Chaldæus, adolescentes aut juvenes, hoc loco, vocari, quia opus fuerit juvenili alacritate atque agilitate ad eripiendam præsente periculo mulierem in promiscuâ civitatis clade, et furore militari. At Kimhi ait, apud Hebræos omnem ministrum vocari נער, similiter videlicet atque Latini puerum dicunt: exploratoresque illos aut Josuæ, aut alius viri magni famulos fuisse. Ego in re incertissimâ, accedere malo Salomoni, cujus conjectura melior videtur. Stipula quidem fuerat. Rahab etiam sororibus suis salutem; et tamen earum nulla hìc est mentio. Existimandum igitur est eas fratrum nomine intelligi, aut eâ quæ subjungitur, universitatis clausulâ contineri, aut denique salutem voluptatibus suis posthabuisse. In vetustissimis Commentariis quæ in historiam Ruth scripta, inscribuntur מדרש רות proditum est, R. Simeonem F. Johai dixisse, cùm illam verborum complexionem tractaret, *omnes cognationes ipsius eduxerant*, Rahabam illâ suâ fide tantam esse consecutam apud Deum gratiam, ut etiamsi ducentos homines cognatione sibi conjunctos illa habuisset, atque illi cum ducentis alienis prosapiis affinitatem contractum ivissent, omnes illæ familiæ fuerint illius gratiâ futuræ salvæ. Et sanè fuisse non parùm multos ejus gentiles, qui se salutis causâ ad ipsam receperant, conjectura admodùm probabilis sumi potest ex plurali numero nominis, *cognationes*, sive prosapias. Itaque etiam hìc luculentissimè apparet typus imperii Josuæ illius nostri expressi, hoc est, Jesu Christi, cui cùm se Rahab, hoc est, Ecclesia, ut ante diximus, submisisset, mox catervatim ad eam confugerunt gentes undequàque salutis causâ: ante, ne duo quidem generi, hoc est, summâ necessitudine devincti homines, ut Loth socerum suum maximæ auctoritatis virum, sequerentur, induci potuerant, sed illum vera præmonentem, ludibrio habuerant. Et Abrahamum suus parens trans flumen ut comitaretur, persuasus non fuerat. Ad Rahabam autem mulierculam multis nominibus contemptam, ut videbatur, et sortis infimæ, atque despicatissimæ, cùm primùm salutis ipsa spem ostendit, omnes, qui quidem aliquâ affinitatis necessitate eam attingunt, se conferunt promptissimè. Porrò quòd Rahab extra castra cum suis collocatur, id ad religionem spectat, ut aiunt Hebræi. Et si enim illa jamdudum Israelitarum fidem animo colebat, ut supra audivimus, tamen solemni professione nomen adhuc non dederat; hoc porrò ubi factum erit, habitabit inter Israelitas. Hæc ferè Kimhi. Nemo certè Israelitarum nesciebat, alienigenas esse Rahab, cum suis cognationibus; an verò colere alienos Deos desiissent, et Mosis legem accepissent, id non erat pervulgatum. Ad hoc, opus erat non solâ fide, sed etiam sacris ritibus initiari, priusquàm in numerum populi Dei quis referretur. Nam etsi mulieres non circumcidebantur, tamen certum est, aliis eas cæremoniis Deo, veluti dicari solere, cùm nomina ipsis imponerentur.

Castra autem sancta existimari volebat Deus, tanquàm in quibus ipse mediis versaretur, cùm in arcâ, quasi quodam prætorio habitaret. Afferebat enim opinio præsentiæ illius religionem universo utilem populo, cùm putaret se quisque perpetuò in divinæ majestatis conspectu versari. Atque hujus opinionis gratiâ confirmandæ augendæque in populi animis, institutæ potissimùm sunt leges illæ de segregandis semovendisque à castris, quicumque essent certis morbis affecti, certisque polluti sordibus, quæ in Numeris scriptæ sunt. Id enim apertè ostendit quæ subjicitur ratio, quoniam ipse Dominus in castris habitaret. Eòdem etiam spectat illud, quòd à Madianitarum cæde revertens miles, quamvis ipsius Dei jussu patratâ, septem solidos dies manere extra castra debet, neque nisi interea bis expiatus, intrò admittitur. Non ergo mirum est, si jam homines recens ab impio deorum cultu venientes removentur à castris. Accedit autem hùc alia quoque ratio, cur isti aliquantisper à sacro cœtu prohibendi essent. Nimirùm eâ re sua probæ religioni dignitas conservabatur, et contra superstitionis indignitas, aut turpitudo veriùs declarabatur, cùm alieni ab Israeliticis ritibus sacrisque illi, tanquàm profani, à castris, quasi sacro cœtu arcerentur. Neque verò dubium est, quin id animos istorum non parùm usserit, majoreque desiderio suscipiendi cultum veri Dei, puramque religionem incenderit. Similiter atque veteris Ecclesiæ melior illa disciplina, lapsos, quos vocabant, admittebat quidem, verùm neque citò, neque temerè, ad suî communicationem; de quâ re plenæ sunt divi Cypriani doctissimæ Epistolæ. Sed dices, turbam illam Ægyptiorum, quæ Israelitas discedentes sequebatur, submotam à castris non esse, in quibus tamen etiam tum suam Deus præsentiam declarabat; die quidem per columnam nubis, nocte verò ignis. Verùm respondetur, post conditam demum, et consecratam arcam, atque designatam certam castrorum faciendorum rationem, voluisse Deum peculiariter in castris præsentem se existimari; ideòque priùs de castrorum sanctitate nihil fuisse constitutum. Neque verò dubium est, quin Ægyptii illi comites, apud montem Sinæum, partim Hebræis sacris per circumcisionem initiati sint, Deoque nomen dederint, alii deinceps à castrorum communione prorsùs exclusi, atque in Ægyptum rejecti fuerint. Sed enim ex his dilucidè quivis intelligere potest, quàm maximè à nostrorum exercituum castris abborrere Deum, à quibus non solùm profani non submoventur; manerent enim deserta et sola; sed probrosum etiam habetur, pietatem et religionem vel verbis, vel factis ullam præ se ferre, ac non se omnis generis sceleribus magno studio contaminare. Sed quales rerum exitus consequantur, nemo pius non videt summo cum animi dolore. Verùm de his nunc hactenus; plura alibi.

Vers. 25. — Itaque Rahab meretricem et domum patris ipsius, et quidquid, etc. Verbum חיה rursùs converti, *conservavit*. Sæpè enim non tam vivere, quàm sanum salvumque esse, cùm leniter inflectitur, significat. Sed Kimhi hoc loco interpretatur, suppeditare victum; putat enim ille id dici, quod etiam Josephus Antiq. lib. 5, est opinatus, Josuam donâsse mulieri possessiones, et opes, quibus se suosque aleret, atque eòdem accommodat etiam illud quod subjicitur: *Mansitque in Israel ad hunc usque diem*. Verùm id profectò vi verbi, חיה, confici non potest, ut multò etiam minùs illud, quod doctores hebræi somniâsse veriùs, quàm judicâsse videntur, Josuam duxisse Rahabam uxorem; ad seminis enim propagationem pertinere hoc verbum, cùm sit ab eo ductum nomen matris generis humani, חוה, Eva. Sed piget adscribere, quibus deinde excusent rationibus violatam legem, quâ interdictum fuit Israelitis Chananæorum affinitate. Porrò quòd Rahab memoratur *mansisse in Israele usque ad hanc diem*, sic est accipiendum, meo certè judicio, quòd Rahabæ posteritas inter Israelitas, etiam tum, communi jure, atque religione vivebat, quando ista historia, post aliquot ætates, ex quo tempore res gesta fuerat, conscribebatur, sive ab Esdrâ ex sacris annalibus, sive alio quopiam, ut in præfatione dicebamus. At divus Augustinus, suo more, explicat, quasi Rahab sic jure communicationis israelismi donata sit, ut cùm ipsa, tùm ejus posteritas eo in perpetuum uti possint; neque ea donantium liberalitas certò definita, circumscriptaque tempore fuerit. Theodoretus cum Origene ἀναγωγικῶς scitè exponunt, de illo Pauli oleastro, qui oleæ ramis est insitus. Quod porrò sequitur, *eò quòd abscondisset nuntios*, etc., ante etiam dictum est. Sed sæpiùs monere nos voluit Spiritus sanctus, eam fidem, quæ per charitatem operosa est, salutis æternæ efficientem esse. Non sanè tanti fuit, viros hospites non prodidisse; vulgare enim id officium, si per se æstimetur, videri potest, eorum salutem defendisse, quam ei crediderant. Verùm

illa, cùm apud animum suum statuisset, Israelitarum Deum in cœlo terrâque solum regnare, neque in majorum suorum diis quidquam esse præsidii, gratiæ, opis, ac proinde spem suam omnem in illo collocavisset, hoc sic affecto animo, pro viribus voluntatem consiliumque illius adjuvabat; eaque quæ potuit officia libenter faciebat, vel cum vitæ suæ præsentissimo periculo. Sed de his plura capite 2. Nunc hactenùs. Verùm enimverò, moveri magnâ ratione quæstio potest hoc loco : Quî licuerit Israelitis, mulierem hanc Chananæam, cum suis, conservare, adversùs apertissima, atque explicatissima Dei jussa, et quidem sæpè inculcata, quibus ille sanciverat legem, ne cum Chananæis aut fœdus inirent, aut vitæ eorum parcerent, sed internecione omnes delerent. Sed hanc quæstionem, quia in Gabaonitarum historiâ tractabimus, si vita suppetet, hoc solum nunc dicam, meo judicio, legem illam hâc æquitate moderandam, interpretandamque esse, ut ad eos qui pacem petant, suasque superstitiones cum purâ religione mutare parati sint, non pertineat. In hanc enim opinionem inducor, cùm ipsis sacræ historiæ exemplis, rebusque gestis, tùm illis etiam verbis, quæ capite 11 legemus : *Non erat urbs quæ pacem faceret cum filiis Israel, præter Hevæos*, cives Gabaonis, et insuper ipsâ legis ratione, quæ ab ipso Deo est allata; hanc dico, ne Chananæorum superstitionibus inficeretur populus Israeliticus. Neque enim contagio ab illis metuenda est, qui sani prorsùs facti sunt. Et hanc opinionem habent etiam Hebræi, quamvis rigidi Scripturæ interpretes, præsertim quando ipsorum gentiles aliis nationibus sunt præponendi. Inter alios enim Nehmannus, tractans illa in Exodo verba, 23, v. 32 : *Non feries cum eis fœdus, neque cum divis ipsorum;* hoc, inquit, est, tantisper dum adhuc colunt suos deos, non sancias fœdus cum ipsis. Verùm si conditionem acceperint, non colendi ampliùs falsos deos, jam non fuerit nefas fœdus cum ipsis inire. Sed plura capite 9, si volet Deus.

Vers. 26. — Imprecabatur autem Josua eo tempore dicens : Maledictus, etc. Quod est hebraicè, וישבע, interpretor, *imprecabatur;* animadverti enim hoc verbum, quod alioqui jurisjurandi habet notionem, usurpari interdùm pro imprecari cuipiam, sed adhibito Dei nomine, quare jurijurando affine est. Etenim jusjurandum nihil aliud est, quàm quædam precatio, quâ nobis ipsi mala precamur, si fallamus, aut bona, si fidem servemus. Sic in Numeris, Sacerdos precatur mulieri de adulterio accusatæ, ut ei innocenti innoxia sit præparata potio, at nocenti pestilens et exitialis. Neque enim jurijurando illic locus esse potest. Et sunt, qui illud Davidis, נשבעו מהוללי בי, interpretentur Psal. 102, v. 9 : *Qui laudabant me, illi dira mihi precabantur, et tanquàm Deo invisum detestabantur.* Porrò illud, *Surget,* Latinus, Theodotionem, opinor, secutus, convertit, *Suscitabit*, tanquàm, יקים, per tertiam vocalem in secundâ syllabâ legerit, cùm sit nunc in omnibus libris eo loco vocalis quinta. Est autem hebraismus ille frequens : *Qui surget*, pro, qui nascetur, aut qui olim futurus est. Pleonasmum autem illum : *Urbem istam, ipsam Jericho,* quem Septuag. et Latinus, ut supervacaneum, non expresserunt, doctores hebræi in Synedrio, cap. 11, sub extremum, ad hunc modum explicaverunt : *Neque hanc ipsam urbem instauret quispiam, alio ei imposito nomine; neque aliam urbem hoc nomine struat.* Atque hanc doctorum hebræorum sententiam Kimhi quoque laudat. Sed R. Moses Maymonius, apud Judæos scriptor insignis, putat Josuam hâc dirâ detestatione hoc potissimùm egisse, ut æternum exstaret monimentum divinæ potentiæ et vindictæ, quod in muris, qui subter se desederant in terram, luculentissimè conservabatur, tantisper, dum illi intacti manerent. Et sanè sive illi sic desederint, quod doctores hebræi somniâsse videntur, ut ante dixi, sive collapsi fuerint, quamdiu locus non eruderabatur, sed ruinæ indicia manebant, tamdiu manebat et miraculi divini memoria. Nam cæteroqui locum ipsum non fuisse per se execrandum et detestabilem, argumento satis magno est, quòd, etsi pessimè ei cessit, qui diras istas, quæ per Josuam nunc obnuntiantur, neglexit, ipsa tamen semel instaurata urbs, commodam deinceps habitationem hominibus præbuit, neque à sanctissimis viris et vatibus Eliâ, atque Elizæo evitata est. Imò Christus ipse virtutis suæ divinæ miraculis eam cohonestavit. Quare Maymonii sententia mihi magis probatur, quàm eorum, qui statuunt, dirâ hâc exsecratione notari insignem Jerichuntiorum, præ cæteris Chananæis, turpitudinem, et adversùs Deum impietatem, similiter videlicet atque Romani dirâ detestatione sanciebant, ne eversa Carthago in posterum ab ullo unquàm habitaretur, quæ suæ reipublicæ semper fuisset adversissima atque infestissima, ut memorat, post alios, Zonaras.

Quod sequitur : *In primogenitum suum*, etc., hanc habet sententiam : Quisquis olim aggressus fuerit urbem istam instaurare, id ei in liberorum suorum omnium cedat exitium ; sic ut operis auspicium ipsi sit mors filii natu maximi ; inter ædificandum verò intereant cæteri, neque extremam addat manum, nisi cum minimi natu filii pernicie. Nam ut fundamenta jaci prima solent ædificiorum, ita fores postremæ locari. Quàm dira autem tristisque res sit orbitas, quam imprecatur Josua instauraturo subversam à Deo urbem, rectè judicari potest, atque æstimari ex dulcissimâ illâ, ut sic dicam, benedictione, quâ Deus eos qui se ritè colunt, bonorum liberorum numero veluti beat, apud divinum vatem, et aliis locis. Quæ autem hoc loco Septuag. de suo adscripserunt, sunt ea ex tertio libro Regum petita cap. 16, v. 34, ubi sic scriptum est : *In diebus ejus* (de Rege Achab mentio est) *exstruxit Hiel civis Bethel Jerichuntem. In Abiram filium suum natu primum jecit fundamenta ejus, et in Segub filium suum minimum locavit fores ipsius, secundùm verbum Domini, quod locutus fuerat per Josuam filium Nun.* Dei ergo operta hìc proferebat Josua, non autem ex sui animi affectione quâpiam, aut perturbatione, malè precabatur urbi, quam vastabat, etsi id in sacrâ historiâ est silentio dissimulatum, ut sæpè alia, quæ suis locis notavimus. At enim quod in Regum historiâ nominetur Segub, quem Septuag. hoc in loco διασώθεντα vocant, ipsa nominis Segub notatio in causa est. Significat enim שגוב, Segub, τὸν διασώθεντα. Sed cur isti Osam vocent, qui in Hebræo Hiel dicitur, nondum mihi satis liquet. Verùm hoc constat, multos in sacrâ historiâ binomines memorari.

Vers. 27. — Dominus porrò erat cum Josua : et fama ipsius erat, etc. Hunc versiculum pluribus verbis explicavit Chaldæus in hanc ferè sententiam : Erat autem verbum Domini auxilio Josuæ. Et erat fama ipsius multa, sive (ut habet meum exemplar manuscriptum Complutense) : Et verbum ipsius multiplicabatur, augescebatque per universam terram. Est autem anceps omninò oratio, Dei ne fama, an Josuæ, per omnem regionem, et hominum ora celebris fuerit. Ego tamen de Josuæ famâ accipiendum puto, quod dicitur. Nam Chananæorum, de quorum terrâ mentio est, vix ulli, qui erat ipsorum stupor, aut cordis durities, ut vocatur, ex eo nata, quòd per diutina sua flagitia aditum efficaci gratiæ Dei in suos animos præclusissent ; eorum, inquam, vix paucissimi permovebantur ad agnoscendam Dei potentiam. Scions hoc loco prætereo, quæ Judæi veteres in Bereschith rabba, sive magnâ Genesi fabulantur, de divulgatâ Abrahæ, Josuæ, Davidis, Mardochæi denique famâ, per signatam illorum insignibus monetam. Sed quodnam fuerit illud Dei verbum, de quo Chaldæus, disputatum satis est à nobis supra.

Ut autem paucis, et tanquàm uno digito attingam hujus universi loci anagogen, arca, ut diximus, adumbrabat Jesum Christum, in quo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter. Is cùm ex Jordane ascendisset, in quo cum Joanne Baptistâ exstiterat, cœpit mox Satanæ munitionibus circumdatum mundum atque occlusum, cùm suâ ipsius, tùm suorum discipulorum circuitione, et sacerdotum tubis, quarum Isaias meminit, oppugnare, quod cùm per septem dierum spatium facere non desistit, hoc est, toto ipso *tempore accepto*, ut Paulus, cum Isaiâ vocat, et hisce diebus salutis, qui septenarii numeri vicissitudine vertuntur, muri illi corruunt. Et qui in domum Rahab confugerunt, ex quâ pendet salutare illud contortum plagis, et doloribus, ac sanguine, quasi cocco tinctum signum, hoc est, in catholicam Ecclesiam, quæ crucifixum Christum pro insigni habet, in eâque se continent, ii salvi sunt ; reliqui cum rebus suis omnibus malè perduntur. Si quid tamen in istorum bonis est, quod Dei thesaurum, legitimum Dei cultum puramque et probam religionem ornet, id sic conservari oportet, ut Dei tabernaculum inferatur, et Ecclesiæ utilitatibus serviat. At si quis, quod vel abolitum, ut piaculare et impurum, vel in Dei thesaurum repositum oportuit, id sibi privatim usurpaverit, eoque se præ aliis in populo Dei superbè jactaverit, is à sacro cœtu lapidibus est obruendus, ut Achan ; de quâ re multis egit divus Augustinus libro de Doctrinâ christianâ atque etiam alibi.

CAPUT VII.

1. Filii autem Israel prævaricati sunt mandatum, et usurpaverunt de anathemate ; nam Achan filius Charmi, filii Za-

CHAPITRE VII.

Or, *quelques-uns d'entre* les enfants d'Israël violèrent la défense qui leur avait été faite, et ils prirent pour eux de *ce qui avait été mis sous* l'anathème ; car Achan, fils de Charmi, fils de

bdi, filii Zare de tribu Juda, tulit aliquid de anathemate : iratusque est Dominus contra filios Israel.

2. Cùmque mitteret Josue de Jericho viros contra Hai, quæ est juxta Bethaven, ad orientalem plagam oppidi Bethel, dixit eis : Ascendite, et explorate terram. Qui præcepta complentes exploraverunt Hai.

3. Et reversi dixerunt ei : Non ascendat omnis populus, sed duo vel tria millia virorum pergant, et deleant civitatem : quare omnis populus frustra vexabitur contra hostes paucissimos?

4. Ascenderunt ergo tria millia pugnatorum. Qui, statim terga vertentes,

5. Percussi sunt à viris urbis Hai, et corruerunt ex eis triginta sex homines; persecutique sunt eos adversarii de portâ usque ad Sabarim, et ceciderunt per prona fugientes: pertimuitque cor populi, et instar aquæ liquefactum est.

6. Josue verò scidit vestimenta sua, et pronus cecidit in terram coram arcâ Domini usque ad vesperam, tam ipse quàm omnes senes Israel; miseruntque pulverem super capita sua,

7. Et dixit Josue : Heu! Domine Deus, quid voluisti traducere populum istum Jordanem fluvium, ut traderes nos in manus Amorrhæi et perderes? Utinam, ut cœpimus, mansissemus trans Jordanem!

8. Mi Domine Deus, quid dicam videns Israelem hostibus suis terga vertentem?

9. Audient Chananæi et omnes habitatores terræ, et pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen nostrum de terrâ, et quid facies magno nomini tuo?

10. Dixitque Dominus ad Josue : Surge, cur jaces pronus in terrâ?

11. Peccavit Israel, et prævaricatus est pactum meum; tuleruntque de anathemate, et furati sunt atque men-

Zabdi, fils de Zaré, de la tribu de Juda, déroba quelque chose de *ce qui avait été soumis à* l'anathème; et le Seigneur se mit en colère contre les enfants d'Israël, *pour cette désobéissance de l'un d'entre eux.*

2. *Or, voici comment cette colère du Seigneur éclata.* En *ce* même temps, Josué envoya de Jéricho des hommes contre Haï, qui est près de Béthaven, à l'orient de la ville de Béthel, et il leur dit : Allez, et reconnaissez le pays. Ils firent ce qui leur avait été commandé; ils reconnurent la ville de Haï.

3. Et étant revenus ils lui dirent : Qu'on ne fasse point marcher tout le peuple; mais qu'on envoie deux ou trois mille hommes pour détruire cette ville. Qu'est-il nécessaire de fatiguer inutilement tout le peuple, *en l'envoyant* contre un si petit nombre d'ennemis? *Ils parlaient ainsi parce qu'ils n'avaient pas bien reconnu les forces de la ville, ou qu'ils présumaient trop de leurs propres forces.*

4. Trois mille hommes marchèrent donc en armes contre Haï; mais ayant tourné le dos aussitôt *qu'ils virent paraître l'ennemi,*

5. Ils furent chargés par ceux de la ville de Haï, et il y en eut trente-six de tués; les ennemis les poursuivirent depuis leur porte jusqu'à Sabarim, et tuèrent ceux qui s'enfuyaient vers le bas de la colline. Alors le cœur du peuple, *qui ne s'était attendu à rien de semblable,* fut saisi de crainte, et devint comme de l'eau qui s'écoule, *Dieu les ayant livrés à leur propre faiblesse et à leur timidité naturelle.*

6. Mais Josué, *au lieu de s'abandonner à la crainte, eut recours à la pénitence; il* déchira ses vêtements, se jeta le visage contre terre devant l'arche du Seigneur, *et demeura ainsi prosterné* avec tous les anciens d'Israël jusqu'au soir; et ils se mirent de la poussière sur la tête, *pour fléchir la colère du Seigneur et attirer sur eux sa miséricorde.*

7. Et Josué dit : Hélas! Seigneur Dieu, avez-vous donc voulu faire passer à ce peuple le fleuve du Jourdain pour nous livrer entre les mains des Amorrhéens et nous perdre? Il eût été à souhaiter *pour votre gloire* que nous fussions demeurés au-delà du Jourdain, comme nous avions commencé *d'y demeurer.*

8. Que dirai-je, ô Dieu, mon Seigneur, en voyant Israël prendre la fuite devant ses ennemis?

9. Les Chananéens et tous les habitants du pays l'entendront dire; et s'unissant ensemble ils nous envelopperont, et extermineront no-

titi, et absconderunt inter vasa sua.

12. Nec poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate; non ero ultra vobiscum donec conteratis eum qui hujus sceleris reus est.

13. Surge, sanctifica populum, et dic eis : Sanctificamini in crastinum; hæc enim dicit Dominus Deus Israel : Anathema in medio tui est, Israel : non poteris stare coram hostibus tuis donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere.

14. Accedetisque manè singuli per tribus vestras; et quamcumque tribum sors invenerit, accedet per cognationes suas, et cognatio per domos, domusque per viros;

15. Et quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehensus comburetur igni cum omni substantiâ suâ, quoniam prævaricatus est pactum Domini, et fecit nefas in Israel.

16. Surgens itaque Josue manè applicuit Israel per tribus suas, et inventa est tribus Juda.

17. Quæ cùm juxta familias suas esset oblata, inventa est familia Zare. Illam quoque per domos offerens, reperit Zabdi;

18. Cujus domum in singulos dividens viros, invenit Achan filium Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda.

19. Et ait Josue ad Achan : Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere atque indica mihi quid feceris, ne abscondas.

20. Responditque Achan Josue, et dixit ei : Verè ego peccavi Domino Deo Israel, et sic et sic feci :

21. Vidi enim inter spolia pallium coccineum valdè bonum, et ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum; et concupiscens abstuli, et abscondi in terrâ contra medium

tre nom de dessus la terre; et alors que deviendra la gloire de votre nom?

10. Le Seigneur dit à Josué : Levez-vous; pourquoi vous tenez-vous couché par terre *durant tout le jour?*

11. Israël a péché, et il a violé l'accord que j'avais fait avec lui. Ils ont pris de l'anathème, en ont dérobé; ils ont menti, et ils ont caché leur vol parmi leur bagage.

12. Israël ne pourra plus tenir contre ses ennemis, et il fuira devant eux, parce qu'il s'est souillé *en retenant quelque chose* de l'anathème *de Jéricho : ainsi* je ne serai plus avec vous jusqu'à ce que vous ayez exterminé celui qui est coupable de ce crime.

13. Levez vous *donc;* sanctifiez le peuple, et dites-leur : Sanctifiez-vous, pour *paraître* demain *devant le Seigneur;* car voici ce que dit le Seigneur, le Dieu d'Israël : L'anathème est au milieu de vous; *ce qui m'avait été consacré a été retenu par l'un d'entre vous.* Israël, vous ne pourrez soutenir l'effort de vos ennemis jusqu'à ce que celui qui est souillé de ce crime soit exterminé du milieu de vous.

14. *C'est pourquoi* vous vous présenterez demain matin *devant le Seigneur,* chacun dans votre tribu; et le sort étant tombé sur l'une des tribus, on passera de cette tribu aux familles *qui la composent,* des familles aux maisons, et de la maison à chaque particulier;

15. Et quiconque sera trouvé coupable de ce crime sera brûlé avec tout ce qui lui appartient, parce qu'il a violé l'alliance du Seigneur et qu'il a fait une chose détestable dans Israël.

16. Josué se levant donc de grand matin fit assembler Israël par tribus, et le sort tomba sur la tribu de Juda.

17. Comme elle se fut présentée avec toutes ses familles, le sort tomba sur la famille de Zaré. Cette famille s'étant présentée par maisons, le sort tomba sur la maison de Zabdi,

18. Dont tous les particuliers s'étant présentés séparément, le sort tomba sur Achan, fils de Charmi, fils de Zabdi, fils de Zaré, de la tribu de Juda.

19. Et Josué dit à Achan : Mon fils, rendez gloire au Seigneur Dieu d'Israël; confessez *votre faute,* et déclarez-moi ce que vous avez fait sans en rien cacher; *car vous voyez que tout est découvert aux yeux du Seigneur.*

20. Et Achan répondit à Josué : Il est vrai que j'ai péché contre le Seigneur, le Dieu d'Israël; et voici ce que j'ai fait :

21. Ayant vu parmi les dépouilles un man-

tabernaculi mei, argentumque fossâ humo operui.

22. Misit ergo Josue ministros, qui currentes ad tabernaculum illius reperunt cuncta abscondita in eodem loco, et argentum simul.

23. Auferentesque de tentorio tulerunt ea ad Josue et ad omnes filios Israel, projeceruntque ante Dominum.

24. Tollens itaque Josue Achan filium Zare, argentumque et pallium et auream regulam, filios quoque et filias ejus, boves et asinos et oves, ipsumque tabernaculum et cunctam supellectilem, et omnis Israel cum eo duxerunt eos ad vallem Achor;

25. Ubi dixit Josue : Quia turbâsti nos, exturbet te Dominus in die hâc. Lapidavitque eum omnis Israel, et cuncta quæ illius erant igne consumpta sunt.

26. Congregaveruntque super eum acervum magnum lapidum, qui permanet usque in præsentem diem. Et aversus est furor Domini ab eis. Vocatumque est nomen loci illius Vallis Achor, usque hodie.

teau d'écarlate qui était fort bon, et deux cents sicles d'argent, avec une règle d'or de cinquante sicles, j'eus une grande passion de les avoir ; et les ayant pris, je les cachai en terre au milieu de ma tente, et je cachai aussi l'argent dans une fosse que j'y fis.

22. Josué envoya donc des gens qui coururent à la tente d'Achan, et trouvèrent tout ce qui y était caché, avec l'argent au même lieu qu'il l'avait dit.

23. Et ayant tiré toutes ces choses hors de sa tente ils les portèrent à Josué et à tous les enfants d'Israël, et les jetèrent devant le Seigneur.

24. Or, Josué et tout Israël, qui était avec lui, ayant pris Achan, fils de Zaré, et l'argent, le manteau et la règle d'or, avec ses fils et ses filles, ses bœufs, ses ânes et ses brebis, et sa tente même et tout ce qui était à lui, les menèrent en la vallée d'Achor,

25. Où Josué lui dit : Parce que vous nous avez troublé tous, que le Seigneur vous trouble et vous extermine en ce jour. Et tout Israël le lapida, et *son corps avec* tout ce qui avait été à lui fut consumé par le feu *comme le Seigneur l'avait ordonné.*

26. Et ils mirent sur lui un grand monceau de pierres, qui est demeuré jusqu'aujourd'hui. Ainsi la fureur du Seigneur se détourna de dessus eux; et ce lieu fut appelé et s'appelle encore aujourd'hui la Vallée d'Achor, *c'est-à-dire la Vallée du Trouble.*

TRANSLATIO EX HEBRÆO.

1. Commiserunt autem filii Israel peccatum contra anathema. Nam accepit Achan, filius Charmi, filii Zabdi, filii Zaræ, tribûs Judæ de anathemate; et excanduit ira Domini in filios Israelis.—2. Cæterùm Josua mittebat viros è Jericho ad Hai, quæ est apud Bethaven, ab oriente ipsi Bethel, et aiebat ad eos, dicens : Ascendite, atque explorate terram; viri verò ascendebant, et speculabantur ipsam Hai. — 3. Revertebanturque ad Josuam, et dicebant ad eum : Ne ascendat universus populus. Circiter bis mille viri, aut circiter tria millia virorum ascendant, et percutiant ipsam Hai. Ne fatiges illùc populum omnem. Sunt enim illi pauci. — 4. Ascenderunt igitur de populo illùc tria circiter virorum millia, et refugerunt ante viros ipsius Hai. — 5. Cædebantque viri Hai illorum circiter triginta sex viros, persequebanturque ipsos ab ante portam, usque ad Sabarim, et percutiebant illos in declivitate. Itaque liquefiebat cor populi, et evadebat in aquam.— 6. Igitur Josua scindebat indumenta sua, cadebatque pronus in terram, coram arcâ Domini, usque ad vesperam, ipse et seniores Israelis, et immitebant pulverem in caput suum. — 7. Dicebatque Josua : Eheu! Domine Jehova. Cur traducendo traduxisti populum hunc trans Jordanem, et traderes nos in manum Amorrhæi, ut curares nos perdendos? Atque utinam contenti fuissemus, mansissemusque cis Jordanem! — 8. Mi Domine, quid dicam postquàm Israel vertit cervicem coram hostibus suis?— 9. Nam audient Chananæus, et omnes incolæ terræ, atque in orbem convenient contra nos, exscindentque nomen tuum de terrâ. Et quid facies magno illi tuo nomini?—10. Dominus porrò dicebat ad Josuam : Surge; quid hoc tu prostratus jaces in faciem tuam? —11. Israel deliquit, atque etiam transgressi sunt statutum meum, quod ipsis mandàram, atque etiam acceperunt de anathemate : atque etiam furati sunt, atque etiam mentiti sunt, atque etiam reposuerunt inter sua supellectilia. — 12. Neque poterunt filii Israel consistere contra hostes suos; cervicem vertent ante

hostes suos : eò quòd facti sint rei anathematis. Non ero posthàc vobiscum, nisi aboleveritis anathema è vobis. — 13. Surge, expia populum, et dicito : Expiate vos in crastinum. Nam sic dixit Dominus Deus Israelis : Anathema est in medio tui, Israel. Non poteris consistere contra tuos hostes, donec amoveritis ipsum anathema è medio vestrî. — 14. Sistetis igitur vos manè, per tribus vestras, fietque ut ea tribus, quam apprehendet Dominus, accedat per prosapias; prosapia, quam apprehendet Dominus, ea accedat per familias ; familia verò quam apprehendet Dominus, ea accedat viritim. — 15. Et fiet, ut qui deprehensus fuerit anathematis reus, cremetur igne, ipse et omnia quæ ejus fuerint, quia transgressus est fœdus Domini, et quia patravit rem fœdam in Israele. — 16. Igitur Josua manè surrexit, produxitque Israelem per tribus suas, et deprehendebatur tribus Juda. — 17. Deinde produxit cognationem Judæ, et deprehendebat prosapiam Zaraitam. Mox produxit prosapiam Zaraitam viritim, et deprehendebatur Zabdi. — 18. Produxit denique hujus familiam viritim et deprehendebatur Achan, filius Charmi, filii Zabdi, filii Zaræ, è tribu Judæ. — 19. Et ait Josua ad Achan : Fili mi, constitue, quæso, gloriam Domino Deo Israelis, et ede confessionem ipsi, atque significa, obsecro, mihi quid feceris, neque me celes. — 20. Achan verò respondit Josuæ, et dixit : Verè ego peccavi in Dominum Deum Israelis ; et sic et sic feci. — 21. Vidi enim in spolio paludamentum Babylonicum unum, bonum ; et ducentos siclos argenteos, et linguam auream unam quæ pendebat quinquaginta siclis, et expetivi ea atque accepi ea, et en, ipsa sunt abdita in terrâ, intrà tentorium meum, et argentum sub illo. — 22. Mittebat ergo Josua nuntios, et cucurrerunt ad tentorium, et ecce abditum erat in tentorio illius, et argentum sub ipso. — 23. Et tollebant ea è tentorio, et adferebant ad Josuam, et ad omnes filios Israelis, et profundebant ipsa coram Domino. — 24. Josua porrò apprehendebat Achan filium Zaræ, et argentum, et paludamentum, linguam auream, et filios illius, et filias ipsius, insuper bovem ipsius, et asinum ipsius, et pecus ipsius ; denique tentorium ipsius, et quidquid erat ipsius (comitabatur autem illum omnis Israel) ; et subducebant autem illos in vallem Achor. — 25. Dicebatque Josua : Eheu ! conturbâsti nos, conturbabit te Dominus in hoc die. Et lapidabant illum omnis Israel lapide; atque comburebant illos igne, et lapidabant ipsos lapidibus. — 26. Exstruebantque super eum tumulum lapidum ingentem, usque ad hanc diem, et rediit Dominus ab indignatione iræ suæ, ideò appellatum est, nomen loci ejus : Vallis Achor, usque ad diem hanc.

COMMENTARIUM.

Superiore capite posuit nobis ante oculos sacra historia admirabile exemplum vindicationis, quâ Deus acerrimè in eos vindicat improbitatem, qui neque maximis ejus ostentis deterrentur à maleficiis, neque diutinâ ipsius lenitate et patientiâ revocantur ad pœnitentiam scelerum suorum. Simulque luculenter ostendit, qualia et quanta facinora, ille per immensam suam patret potentiam, in illorum gratiam, qui ejus divinis jussis alacri animo et firmâ fide obsequuntur, atque spe certâ in ipsius benignitate recumbunt. Denique et illud perspicuè vidimus, ne in summis quidem periculis deesse Deo rationes conservandi suos. Neque enim aliter Rahabam communi clade eximebat, atque Noam diluvio, Jonam maris altissimo gurgite, Danielem lacu fame icorum leonum, cæteros aliis atque aliis discriminibus præsentissimis. Jam verò hoc capite, non minùs memorabili exemplo animadversionis severæ, castigationisque, sed in recenti flagitio, nos rursùs monet, quàm sit Deo invisa res peccatum ; et quantâ curâ cùm publicè ab omnibus, tùm privatim ab unoquoque cavendum, ne illud admittatur. Sed ipsam aggrediamur narrationem.

Vers. 1. — Commiserunt autem filii Israel peccatum contra anathema, etc. Verbum מעל, Maal, reddidit hoc loco Symmachus καταγινώσκειν, hoc est, contemptim negligere, quomodò etiam usurpabitur capite 22, et aliis sacræ paginæ locis. Neque verò etiam hìc absurda est ea verbi significatio, quanquàm simplicior est sententia, si laxiùs interpretetur, pro maleficium admittere. Anathema autem, hoc est, חרם, de quo ante satis multa diximus, rectè accipiatur hoc loco, pro ipsâ lege de anathemate institutâ, vel pro ipso sacrilegii facinore. Cæterùm septuaginta Interpretes, ut esset sententia explicatior, addiderunt de suo verbum ἐνοσφίσαντο, id est autem, furtim detraxerunt, sibique usurpârunt. Eosque est imitatus, ut libenter solet, Latinus. Porrò Israelitæ hìc dicuntur peccâsse, κατὰ συνεκδοχήν, quo loquendi schemate sæpè utitur sacra narratio, præsertim quando de cœtu hominum, societate vitæ ita inter se conjunctorum, est mentio, ut tanquàm corpus unum ex membris diversis coagmentatum esse videatur. Tunc enim, ut

communis vitæ conditionis, ita et virtutum et vitiorum, hoc est, actionum omnium societas omnibus cum singulis esse censetur. Itaque Matthæus discipulos esse indignatos, ob profusum in caput Jesu unguentum, memorat, quamvis ejus culpæ unum Judam faciat reum Joannes. Sed nihil opus est pluribus exemplis adductis, quando etiam vulgò sic loquimur.

Quod porrò sequitur : *Et excanduit ira Domini in Israelitas,* id verò non etiam per synecdochen dictum esse videtur. Dicet enim Phinees cum cæteris allegatis, ad Rubenitas, Gaditas, et Manassenses, ut capite 22 audiemus : *Nonne Achan filius Zaræ commisit maleficium per sacrilegium, atque ad universum cœtum Israeliticum spectavit ira?* Atqui præter divinam justitiam esse dicas, cùm unus Achan peccârit, Deum irasci in commune omnibus. Exstat quidem de hoc loco sententia Adamantii, quæ est à Gratiano relata in decreta pontificia, ad dist. 45, can 17 ; ea est, unius culpâ provocari iram Dei adversùs cœtum, quando qui peccant, nimis indulgenter habentur à magistratu, nec coercentur justâ severitate. Nam et Apostolus hanc ob rem Corinthios acriter objurgavit. Hanc sententiam equidem veram esse fateor, de iis flagitiis quæ in populum pervulgata sunt. Nisi enim in illâ graviter magistratus vindicet, atque etiam conscius pro se quisque ea redarguat, omnes neglecti officii sunt rei, et sensim pernicies illa, in civium illapsa animos, corrumpit plurimos. Verùm cùm Achanis hoc peccatum, ut sacris est verbis testatum, clam omnibus patratum sit, non video, cur debeat Deus, vel magistratui, vel insciis sociis ob id succensere.

Quare, meo judicio, in hâc specie facti, et similibus, illa Dei sive ira, sive indignatio adversùs rempublicam, ut vocat sacra narratio, pro hominum existimatione loquens, si res ipsa judicetur, nihil nisi mera misericordia est, quâ ille vel per parciorem suam erga eam rempublicam liberalitatem, vel per privatorum hominum, pro suâ ipsorum aut salute, aut meritis, quæ illius divino consilio sunt perspecta, animadversiones castigationesque cum publicæ rei damno eatenùs conjunctas, quatenùs ii, qui mulctantur, ante fuère communi rei utiles, disciplinam in eo populi corpore, ut sic dicam, sancit atque acuit. Et omninò id efficere vult, ut non se solùm quisque curet, sed mutuum inter se omnes, tanquàm unius ejusdem corporis membra, sint cautione intentâ solliciti, intelligatque quàm sancto atque individuo inter se nexu et vinculo, sub uno capite Deo constricti teneantur : eoque pro virili quisque adlaboret, ne non solùm suâ, verùm neque socii sui culpâ sacrum illud caput offendatur, à quo soleat communis in omnia membra dolor derivari. Quæ profectò non tam morosi et imperiosi Domini ira, quàm clementissimi patris benignissima cura est existimanda ; ita enim hìc, dùm non solùm non vincunt, sed vincuntur, fuganturque etiam Israelitæ ab hostibus, et nonnulli interimuntur, non quidem ob alienum, hoc est, Achanis, peccatum, quamvis hanc vulgus opinionem habeat, sed arcano illo, quod dixi, judicio Dei, universi populi mentes magno metu percelluntur. Neque dubium est, quin illicò pro se quisque Deum precibus interpellaverit, ut ejus suæ iræ (ira enim esse existimabatur), causam proderet, omnibusque votis cupiverit admissam culpam, pro virili, vel in sese ipse vindicare, Deumque non tam sibi privatim, quàm toti exercitui placare atque expiare. Certè Josua imperator, senatusque reliquus ipsi se sordidant. Tanta profectò omnium animos religio haudquaquàm incessisset, si Deus eum unum qui peccaverat, Achanem, simpliciter mulctâsset. Jam verò cùm non solùm in reum culpæ inquiritur vindicaturque, sed exercitus universus iræ Dei opinionem concipit, fit ut propiùs intelligant omnes, quàm detestabilis apud Deum res sit, peccatum in hominum cœtu, cùm unius solius culpâ admisso maleficio, ille nuper non placidus modò, sed adversùs totum exercitum multò benignissimus et propugnator acerrimus, repentè sit tantoperè offensus, ut planè ad hostiles partes transivisse videatur.

Et verò quantùm etiam ista res sic acta sollicitudinis attulerit in commune omnibus, ne quem deinde paterentur privatim delinquere, apertè proloquuntur ipsi per suos allegatos, cap. 22. Porrò, si postquàm constabat, flagitium esse patratum ab Achane, magistratus deinde aut negligentior, aut indulgentior, connivisset, neque privati quoque homines culpæ conscii, in arguendo monendoque noxio officium fecissent, tum demùm ei sententiæ, quam Origenem dicere commemoravi, locus erat futurus. Quanquàm ne sic quidem, illi, qui sceleris nullo modo fuissent affines, ullam Dei adversùs se iram experturi erant, malèque perituri, etiamsi exercitus universus in hostium traditus fuisset potestatem. Novit enim Deus, ut frugi agricola, triturantium boum pedibus protrita, acerique ac paleis exurendis permixta

grana secernere, et areæ solo impressa everrere, inque sua inferre granaria. Cæterùm disciplinæ instaurandæ gratiâ, deterrendique universè ab improbitate populi, tam rigida Deum subinde exercere judicia, ut unus aliquis reus aut duriores quàm pro vulgato cognitoque ejus facinore pœnas dare, aut eos qui alieni, ut putantur, à crimine sunt, in suam secum perniciem rapere videatur, apertè, meâ quidem sententiâ, docuit Servator noster Christus Jesus, apud Lucam 13, 1, cùm diceret de Galilæis, quos immani crudelitate tractaverat Pilatus : *Putatis quòd hi Galilæi præ cunctis Galilæis peccaverint, quia talia sunt perpessi? Minimè dico vobis. Imò verò, nisi resipueritis, omnes similiter peribitis.* Et similia rursùs de 18 hominibus, quos turris Siloe ruina oppresserat. Enimverò, quis tam benè sentiat de nunquàm satis ad veram pietatem permoto populo Israelitico, ut putet, in numerosissimâ illâ hominum turbâ, non dicam plurimos, sed ne unum quidem fuisse, qui non multò graviorum flagitiorum reus coram Deo tunc erat, quàm censeri merebatur illud paucarum reculârum furtum, quod Achan fecerat? Et tamen hunc, quasi solum maleficum, ad tribunal raptum, reum peragi videmus, eique uni culpam aversi numinis imputari. Nimirùm, ut supra diximus, ne providentiæ divinæ existimatio amittatur ex hominum animis, atque opinione; et res mortalium omnes sursùm deorsùm misceantur; ostendit se subinde clementissimus Deus judicem actionum nostrarum omnium esse, exemplum statuens in uno quopiam, quo omnes intelligamus, nullum nos facinus adversùs ipsius mandata impunè commissuros, etiamsi in istâ vitâ non pendamus pœnas. Sed jam prolixiores, quàm oportuit, fuimus. Nomen, *Achan*, non dubium est, quin à verbo, *Achar*, quod conturbare significat, formatum sit, unius litteræ commutatione. Hoc enim etiam Paralipomena, in quibus Achar vocatur, sicut à Septuaginta hoc loco, dilucidè ostendunt his verbis, 1 Par. 2, 7 : *Filii Carmi, Achar, conturbans Israelem, qui deliquit per sacrilegium;* simul enim etiam nomen ipsum enodant. Cæterùm parentum illius, usque ad proavum, et inde ad ipsam tribum commemorata retrò series, spectat ad inquisitionis rationem, quæ post explicabitur, simulque sceleris infamiam auget, quasi ejus turpitudo non in ipso auctore solo hæreat, sed quodam modo ad majores quoque, atque adeò ad tribum ipsam universam pertineat. Cùm enim variis modis aliis prodere facinus potuerit Deus, tamen hunc præscribere voluit, quo ad universam retrò prosapiam dedecoris pars traheretur. Non quòd reipsâ majores alieno scelere obligati essent, nisi si fortassis indulgentiùs filium parentes, quàm oportuit, educavêre, sed ut ad communem infamiæ maculam evitandam, communis excitaretur omnium sollicitudo, neque sibi rectè conscius quisque, proximi flagitia supinus negligeret, nedùm solveret. Eadem est observata ratio in propagando turpissimi illius Zamri stupro, in Numeris. Sed alibi ad universæ stirpis gloriam spectat similis majorum commemoratio, veluti in celebrando artifice divino Bezeleele, Exod. 31 et 35, aliisque exemplis plurimis.

Vers. 2.—Cæterum Josua mittebat viros ab Jericho ad Hai, etc. Eodem consilio videtur Josua hosce exploratores præmisisse ad Hai, quo duos illos in Jerichuntem missos fuisse diximus, non quòd de promissis Dei diffideret, quid enim absurdius, post recentissimum illud eversæ Jerichuntis miraculum? sed quia intelligeret, Deum, etsi vel nobis dormientibus, facilè quæ pollicitus est, præstare possit, operam tamen simul nostram, et voluntatem ad suum nutum ductumque intentam, in plerisque rebus requirere. Sed hæc satis multis sunt à nobis exposita capite 2. Cæterùm hìc credibile est, divino insuper pulsu motum esse Josuam ad mittendos istos speculatores, ut ipsorum relatio levioris cladis accipiendæ causa esset : ex quâ deinde clade communis animorum consternatio, et ex hâc inquisitio, patefactioque commissi sacrilegii consequerentur. Ut enim ex divinæ providentiæ arbitrio res ipsæ eveniunt, ita et rerum causas certo ordine serieque ex eodem fonte profluere, aptasque esse, est existimandum.

Quantum autem fuerit loci spatium inter Jerichuntem et Hai, scriptum exstat in vetustis Commentariis in Exodum, quæ nominantur *Semoth-rabbah*. Illic enim, ad caput 23 hæc leguntur verba : « Regio Chanaan appellatur « terra desiderabilis, quia expetebatur ab om- « nibus regibus. Nam inter Hai et Jerichun- « tem, tria duntaxat sunt milliaria, et tamen « urbs utraque suum habebat regem, » etc. Ei consentanea sunt, quæ nostri homines, qui loca illa perlustrârunt, scripsêre : positam fuisse Hai tribus circiter leucis à fonte Elisæi, versùs septentrionem, in occiduâ parte montis quam Quarantanam nunc vulgus nominat, à Christi jejunio, quod eò loci dies quadraginta

pertulit nostrâ causâ. Fontem enim illum in agro Jerichuntio esse, certum est ex sacrâ historiâ. Et quod spatium à Gallis leuca vocatur, id ab Hebræis *mil* sumpto à Latinis vocabulo, ac si milliarium dicas, appellatum est, continens circiter bis mille et quingentos passus, hoc est, quantum itineris homo pedes horæ spatio conficiat usitato progressu; quanquàm est, ubi pro mille passibus positum hoc verbum ab Hebræis invenias. Porrò ab Hai ad Beth-el non longius ferè intervallum, quàm leucæ fuit unius. Ut autem ab oriente auspicium belli factum est, cùm superato Jordane prima occurrisset Jericho, quæ resisteret, ita adhuc progressum est versùs occidentem. Beth-el enim ab Hai vergit ad occidentem, sed ita ut parumper in septentrionem declinet. Jerusalem verò, quæ à Beth-el abest duodecim millibus passuum pro harum urbium situ, est ad meridiem posita, atque etiam nonnihil ad occidentem. Cæterùm Beth-aven fueritne oppidulum, vel vicus, qui deserto vicino dederit nomen; an verò desertum ipsum, cujus deserti mentio erit capite 18, incertum est. Appellata est quidem ipsa urbs Beth-el insequentibus temporibus tetro illo nomine, à sacris vatibus, sed per antithesin, propter vitulum aureum Jeroboami, qui in historiâ Regum memoratur, accommodatâ urbi appellatione vicini loci, postquàm execrabili idolo contaminata esset, quæ ante sacro Jacobi viso, et posita ab eo statua fuisset religiosa. Beth-el enim, Dei domum, at Beth-aven, iniquitatis domum significat. Cæteroqui reipsà alium fuisse locum Beth-el, alium Beth-aven, nemo jure potest dubitare, qui modò hujus versiculi, quem tractamus, verba sacra intelligat. Sed de Beth-el, quæ olim Luza, à frequente arborum genere vocabatur, erit alius dicendi locus. Igitur ut ad Hai revertar, ad historiæ fidem pertinet tam accurata loci descriptio. Sitam autem fuisse Beth-el ab Hai versùs occidentem, proditum quoque est in Genesi. Fuit et altera cognominis Hai apud Ammonitas, cujus apud Jeremiam mentio est. Sed hæc nostra plerùmque per excellentiam *Hahai*, præposito articulo appellatur, quod apud Nehemiam quoque observatum videre est. Nominat enim ille *Haia;* sed Chaldæo sermone utens. Chaldæi enim, ut ait Elias grammaticus, litterâ Aleph in fine collocatâ emphasin significant, planè ut Hebræi litterâ He positâ in principio.

Vers. 3. — Reverteban turque ad Josuam, et dicebant ad ipsum, etc. Observanda est hic singularis Dei erga suam Ecclesiam cura, et paterna benignitas, qui eâ opinione speculatorum animos informavit, ut dùm quieti suorum consulere cuperent (hoc enim illud, *ne fatiges,* patefacit) ea referrent, ex quibus id parvarum copiarum periculo consequeretur, quod pro sanciendâ militari disciplinâ, in maximo bello parato erat necessarium: hoc est, expiaretur memorabili exemplo sacrilegium adversùs Dei et imperatoris jussa admissum. Magnæ enim copiæ, sine omnium extremâ desperatione in discrimen illiusmodi non potuissent adduci. Nam quòd tria virorum millia ab unius urbis integro præsidio fugantur, si tantoperè omnium animos conturbat, quid futurum erat, si universus exercitus in expeditionem productus, terga hosti ostendisset? *Sed fidelis Deus,* ut ait Paulus, 1 Cor. 10, 13, *qui non sinit suos tentari, supra quàm ferre possint.* Percutere urbem, pro expugnare, frequens est loquendi modus in sacrâ historiâ. Rectè ergo Septuaginta reddiderunt ἐκπολιορκείτωσαν. Illud, *ne fatiges,* spectat, ut videtur, acclivitatem montis. Erat enim Hai in monte, Jericho in plano, ut dixi. Sed Septuaginta fatigationem quæ in Hebræo est non expresserunt. Latinus ad molestiam, quæ in pugnando est, accommodâsse videtur. Chaldæus ad tumultum, strepitumque, et fremitum retulit, qui excitari solet in maximarum copiarum expeditione; convertit enim Chaldæus: *Ne facias illùc tumultuari omnem populum.* Sed Aquilas et Symmachus à me stant.

Vers. 4. — Ascenderunt igitur de populo illuc tria circiter virorum millia, etc. Prudentissimus imperator, de duobus numeris propositis, majorem eligit, nimirùm hostem minimè contemnendum existimans, quæ res maxima sæpè in bellis dat damna. Fuisse autem singularis fortitudinis viros ad hanc expeditionem delectos, cùm vocabulum איש, argumento est, tùm Josephus prodidit Antiq. l. 9. Nam nisi fortes viri fuissent fugati, facilè culpa omnis in ipsorum ignaviam collata fuisset, neque animadversa Dei offensio, quod opus erat. Pro illo, *ante viros Hai,* haud absurdè posset id reddi, quod Septuaginta dixerunt à facie virorum Hai, quasi littera Lamed posita sit pro Mem, aut ut Mem suggeratur, tanquàm præteritum; לפני enim pro מלפני, etiam proximo versiculo dicetur. Nam verosimile est, ne conspectum quidem hostium urbe erumpentium sustinuisse Israelitas, nedùm congressum, quando non in pugnâ eorum quisquam, sed in fugâ aliquot cæsi sunt,

Vers. 5. — Cædebantque viri Hai illorum circiter triginta sex, etc. Ex situ utriusque urbis, quem exposuimus, conficitur declivem fuisse, et pronam viam ab Hai versùs Jerichuntem, quò refugiebant Israelitæ, eòque fuère etiam injuriæ opportuniores. Cæterùm Sebarim, sive Sabarim, locus inter Hai et Jerichuntem medius nomen accepisse videtur à fractis istis Israelitis. Nam *Sibber,* frangere atque atterere est. Chaldæus tamen et Septuaginta non ut proprium loci nomen, sed tanquàm appellativum sit, ita interpretati sunt, nisi fortassis legère illi עד השבירום. Hoc enim est id quod illi dixerunt, donec fregerunt sive contriverunt ipsos. Dixi proximo versiculo לפני, pro מלפני, usurpari interdùm. Rectè ergo, ab ante portam, diximus, cum Kimhi, hoc est, cùm ad portam usque oppugnandæ urbis causâ progressi fuissent Israelitæ, illicò ab erumpentibus oppidanis fugati sunt usque ad Sebarim. Neque enim longiùs ab oppido suo discedere isti, hostemque persequi sunt ausi, quamvis mirificam animis audaciam concepissent, contra verò fugientes Israelitæ pavorem. Sed vide, obsecro, ut iis quos Deus amat, omnia feliciter; quos odit, infeliciter eveniant. Pulchra hæc, ut videtur, victoria Haiensium et gestiens lætitia, brevi ipsis exitium creabit. Israelitis verò sua fuga dabit præclaram victoriam. Quapropter non est, quòd mali in prosperis rebus, aut boni in adversis, vel gaudio vehementiùs efferantur, vel dolore nimio concidant. Sed discant illi, suæ sibi adversùs Deum impietatis conscii, metu insecuturæ calamitatis præsentem lætitiam refrenare, quodque sibi fortè obvenit boni, id in occasionem pietatis vertere: hi verò in Dei, ut benigissimi patris salutari consilio acquiescere, atque cum D. Paulo existimare momentaneam, levemque hujus vitæ calamitatem æternâ olim gloriâ pensatum iri, atque etiam eas quæ vulgò existimantur tribulationes, sæpè ad magnam felicitatem, in hâc quoque vitâ conducere, sic moderante res humanas divino suo consilio numine. Neque enim bonus parens virgis filium cædit, ut cruciet dolore, sed ut repressis malis in eo cupiditatibus, meliore ac tranquilliore vitâ ipsum ornet et beet. Quæ de liquefacto, et in aquam mutato populi animo memorantur, per hyperbolam translata sunt, significantque vehementem animorum consternationem. Ut enim animus, dùm fiduciâ nititur, firmus et constans dicitur, ita de eâ dejectus, mollis, liquidus et veluti hùc illùc fluctuans videtur. Sed quæ tantæ, dices, fuit perturbationis justa causa? Neque enim mirum videri debebat, à numeroso firmissimoque urbis unius præsidio, quale est credibile contractum, comparatumque fuisse adversùs exsultantem vicini oppidi nuperâ eversione exercitum, non erat, inquam, mirum profligatos esse ter mille viros, atque etiam locis iniquis pauculos cæsos. Esset quidem trepidatio ista tanta maximæ ignaviæ certissimum argumentum, si in suis viribus spem victoriæ collocatam habuissent Israelitæ; verùm quando solius Dei potentiâ et ope niti debuerunt, mirandum non est, si tantùm non desperent, cùm ille ab hostibus jam stare videatur. Sed hæc in versiculis proximis dicentur explicatiùs.

Vers. 6. — Igitur Josua scindebat indumenta sua, etc. Senes, sive seniores, ipse est senatus, hoc est, ii quorum consilio plurimùm utebatur imperator in rebus omnibus, quique prudentiâ dignitateque antecedebant vulgus, potiùs quàm ætate. Cæterùm vestes dilacerare, cæremonia est vetus, quâ prisci homines animum suum dolore lacerari testificabantur, sive dolor ille ex luctu quopiam esset natus, ut Genesis 38 et 44, item Levitic. 21, Job. 2, alibi; sive ex rei alterius indignitate atque atrocitate; veluti si quis impiè et contumeliosè adversùs Deum vel loqui, vel facere esset visus, ut Numer. 14, Matthæi 28, Act. 14, etc. Igitur hoc loco dolor maximus notatur, quem concepêre animis illi potissimùm, qui rem, qualis quantaque accidisset, meliùs quàm cæteri existimare potuerunt; cùm intelligerent, in quas se angustias divini auxilii spe, atque promissorum fiduciâ contulissent; et quàm parùm illa quæ evenerant modò, his consentanea essent. Nam, ut omittamus oracula vetera, quæ plurima inter ipsos celebrabantur, quì potest non vanum videri illud? *Non consistet quisquam adversùs te.* Et rursùs illud: *Omnem locum quem calcabit planta pedis vestri, eum vobis dedi.* Tum illud: *Per hoc cognoscetis, quòd vivat Deus fortis in medio vestrî, et prorsùs expulsurus sit è conspectu vestro Chananæos*, etc. Verùm enimverò, quod ex ipsâ narratione apparet, haudquaquàm de Deo tam impiè illi quidem cogitabant, ut ludificaturum eum sua promissa putarent: sed cùm piè prudenterque ex re natâ colligerent, suis ipsorum peccatis offensum illum opem suam denegâsse, sine quâ nullos se esse sciebant; magnâ sanè ratione perturbatissimis et de rerum summâ sollicitissimis fuêre animis. Verùm illis tantis sollicitu-

dinum aculeis opponebant, quantùm potuêre, spem salutarem, quam in Dei placabilitate, atque clementiâ positam retinebant. Eò enim spectat, quòd coram sacrario Dei procumbunt, ubi præsentissimum ipsius numen, sæpè aliàs, in rebus dubiis et afflictis exoratum esse meminerunt : quòd se humi abjiciunt seriò, ad vesperam usque, hoc est, totum diem à cibo potuque abstinentes. Jejunium enim eâ verborum clausulâ significari, manifestum est ex simili ratione lugendi, quâ David Saüli et Jonathæ funus fecisse memoratur in Regum historiâ ; denique quòd pulvere capita sua sordidant. Sunt enim isti gestus hominum humiliter et demissè precantium Deum ; non ignavè atque effeminatè suam deplorantium calamitatem, ut vel ex Ninivitarum exemplo constat. In spississimâ igitur illâ perturbationis caligine, fidei lumen adhuc sublucebat, quo ducebantur illi ad Deum, cum animo fracto, atque contrito, qualem is non solet aversari, teste vate divino. Nimirùm clementissimus Deus perturbat quidem subinde variis tentationibus suorum mentes : sed ita ut dùm alterâ manu veluti oppugnat, simul alterâ ipsos tutetur atque sustentet : ne, etiamsi cadant, prorsùs animos despondeant. Est autem caput pulvere inspergere, gestus hominis humiliter de se sentientis; sicut sentiebat Abraham, cùm diceret ad Deum, Gen. 18, 28 : *Quia pulvis sum, et cinis.* Eòdem pertinet, humi procumbere. Utramque autem cæremoniam credibile est ex illis Dei ad Adamum verbis natam esse, Gen. 3, 19 : *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* E sacrâ porrò historiâ propagatam esse ad gentes, sicut plurimas hæ alias ab Hebræis acceperunt. Nam Achillem quoque virum fortissimum, auditâ morte Patrocli sui, memorat Homerus Iliad. et pulvere caput fœdavisse, et distentum in pulvere ipsum jacuisse, his verbis :

Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν,
Χεύατο κακκεφαλῆς· χάριεν δ' ἤσχυνε πρόσωπον.
Νεκταρέῳ δὲ χιτῶνι μέλαιν' ἀμφίζανε τέφρη.
Αὐτος δ' ἐν κονίῃσι μέγας μεγαλωστὶ τανυθείς
Κεῖτο, etc.

Vers. 7.— Dicebatque Josua : Eheu! Domine Jehova, cur traducendo, etc. Quod converti, *Eheu*, est Hebraicè, אהה, dolentis, et deprecantis interjectio. Aquilas volens repræsentare vocem Hebræam, reddidit, ἄ ἄ ἄ. Septuaginta ejus loco posuêre verbum, δέομαι, hoc est, obsecro. Chaldæus explicatiùs dixit : *Suscipe precem meam.* Compellat autem Josua Deum duplici nomine, dùm, ut imperator, pro omnibus verba facit. Alterum est, *Adonai ;* alterum, *Jehova :* illud ad dominationem pertinet hoc Dei essentiam, ut alibi dixi, intuetur. Solent autem duo ista nomina sæpiùs in vehementioribus precationibus isto modo conjungi à viris sanctis in sacrâ historiâ, quod eodem illi Spiritu afflati fecêre, ut ego certè existimo, quo sacrosancta Ecclesia Deum Patrem omnia orat per Filium. Nam cùm nomen, *Adonai*, ut dixi, dominationem intueatur, planè Filio congruit, eumque nobis repræsentat, per quem Deus Pater, ut fecit mundum, sic mundum moderatur. Idque assentiuntur nobis etiam, verbis saltem, diviniores Hebræorum philosophi, quos Cabbalistas vocant, cùm tradunt, illud nomen, Adonai, esse tanquàm clavem, quâ patefit aditus ad Deum Jehovam, hoc est, ad Deum in suâ essentiâ veluti latentem ; esse thesaurum, in quo ea, quæ ab Jehova nobis impartiuntur, omnia sunt recondita. Esse insuper œconomon illum magnum, qui res omnes dispensat, nutrit, vegetat, per Jehovam. Denique neminem ad Jehovam penetrare posse, nisi per Adonai. Neque enim ullam aut viam, aut rationem ad illum perveniendi aliam esse prorsùs, atque ideò Ecclesiam preces suas sacras sic auspicari : *Adonai*, hoc est, *Domine, labia mea aperias ; et os meum annuntiabit laudem tuam.* Hæc enim, et his similia alia, scripta exstant in eo libro, cui titulum illi fecêre, *Portam lucis :* et in libro quem vocant, שם המפורש, id est, *Nomen explicatum.* Sed hæc hactenùs. Porrò ista Josuæ oratio, apparet quidem, fronte primâ, jurgantis cum Deo hominis, neque dissimilis querelæ illi, quâ Israelitæ, cum suo maximo malo, Deum irritabant in Numeris, auditâ speculatorum relatione ; verùmtamen si propiùs penitiùsque omnia spectes, dissimillima est. Nam de fide promissorum, deque potentiâ Dei, atque adeò de misericordiâ ipsius minimè desperans Josua, cum suis, ad illius se tanquàm pedes abjicit, præsentium malorum consolationem aliquam exspectans : cùm illi non ad Deum supplices confugiant, sed Dei administros sacros, Mosen et Aaronem, protervè accusent, neque ab ipso Deo consilium exspectent, aut accipere parati sint, sed ipsi inter se consilium capiant, atque ineant, relicto Deo ad Ægyptios, hoc est, turpissimorum deorum cultores, et alioqui sibi infensos hostes, cæco furore refugiendi ; nimirùm existimantes vana esse Dei sui omnia promissa, cùm minimè posset ipsis subjugare tam potentes nationes.

Igitur quæ ait Josua : *Ut traderes nos in manus Amorrhæi? ut curares nos perdendos?* haudquaquàm existimandum est, ex illiusmodi mente profecta esse, cujusmodi Moses attribuit Ægyptiis, cùm veretur, ne Deo exprobrent, quòd suos mactâsset in deserto, cùm præstare nequivisset, quæ ipsis promiserat, aut tam impiam in sanctissimi viri pectus penetrare potuisse suspicionem, ut cogitârit, dolo malo traduxisse Deum suos per siccum Jordanem, quò perderet. Sed hanc habent illa verba sententiam : Scis, Domine, populum hunc abs te hùc perductum esse, ut, profligatis Amorrhæis, ipsum terræ universæ dominatu beares, non ut ipsum Amorrhæis proderes. Obliquè igitur per interrogationem à contrariis, ponit Deo ob oculos sua ipsius promissa. Hunc enim esse verum Josuæ sensum, mihi certè explicatum videtur iis, quæ proximè sequuntur, verbis, cùm ait : *Atque utinam contenti fuissemus, mansissemusque cis Jordanem.* His enim hoc dicit : Si tua illa promissa, quantùm ad nos attinent, propter nostrum peccatum, frustra forent, ut omninò erunt frustra, nisi te placari sinas, satius esset, nos cis Jordanem, cum Rubenitis, Gaditis, et Manassensibus consedisse, in Galaaditide, quàm tantâ cum gloriâ Jordanem traductos tibi hic talis vindictæ, per nostra flagitia, causam dedisse, qualis nobis vindicta impendet, nisi propitius ipse nobis affueris. Nostro enim nomine turpiter exstincto, tuum quoque nomen apud impias gentes malè audiet. Sed hoc mox explicatiùs dicetur. Quis enim de viro divinissimo Josuâ tam iniquè sentiat, ut credat eum his indignissimis cum Deo verbis jurgare : Si ideò nos hùc malitiosè et callidè transposuisti, ut perderes, consultius nobis erat, tibi morem non gerere, cùm diceres : *Surge, transi Jordanem*, etc. Quasi verò tam cæcâ æstuare potuerit caligine sanctissimi viri, et prudentissimi pectus, ut putaret, nullam cis Jordanem fuisse futuram Deo perdendi populi rationem? qui, quid nuper patribus omnibus per desertum accidisset, memoriâ tenebat recente, aut quasi ob levem cladem, quam sui accepêre, animum induxerit, respuere illas Dei promissiones de terrâ Chananæâ obtinendâ, tum patribus, tum sibi datas, in quibus promissionibus longè majus quiddam, et sublimius, quàm fluxas hujus vitæ opes positum esse, in magistri sui Mosis scholâ didicerat, per annos, ut minimum octò et triginta.

Memini equidem Talmudicos, libro de magni senatûs collegio, illi, סנהדרין, hoc est, συνέδριον, vocant, cap. 6, sic hunc locum esse interpretatos, ut fateantur Josuam, cum contrario eventu Dei promissa contendentem, facere expostulationem, atque adeò ad impium usque votum manendi extra terram sanctam prorumpere. Et hanc opinionem ex nostris etiam non paucos habere, non sum nescius. Libenter quoque ipse fateor, neminem carne circumdatum, quantûmvis ubere alioqui Spiritu Dei afflatus sit, non aliquando ex illius infirmitate, titubare, ambigere, vacillare in Dei promissis secum recolendis. Nam et Abraham ille divinus vir, promittenti Deo ex Sarâ uxore filium magnâ felicitate cumulandum, atque vix dùm verba finienti, per temerariam incogitantiam ingerit : *Utinam vivat Ismael coram te*, q. d.: tantùm abest, ut ista, quæ promittis, eventura sperem, ut etiam de Ismaelis vitâ sim sollicitus. Est enim mortalium fides omnis per se tam infirma, ut res divinas nunquàm satis complecti, nedùm in ipsis acquiescere satis firmè possit, nisi continuò Dei gratiâ confirmetur, corroboreturque. Sed ipsa verborum atrocitas, quæ fuerit immanis, si expostulationem esse dixeris, me movet, ut eam, quam modò explicavi, sententiam, probiorem esse censeam. Cæterùm Amorrhæorum appellatione hoc loco significari videntur omnes illæ septem gentes, quæ promissam Israelitis terram tenebant. Rectè tamen etiam eam solam nationem accipias, quæ loca trans Jordanem proxima incolebat, ut initio capitis 5 diximus. Verbum, הואלנו, est à, יאל, Latinus convertit, cœpimus. Nam cis Jordanem, vivo adhuc Mose, plusculum temporis triverant in campis Moabiticis, et quodam modo habitare cœperant, ut ex Deuteronomio constat. Septuaginta verò pro eo reddiderunt, κατεμείναμεν. Chaldæus utram harum duarum secutus sit interpretationem, est incertum. Nam verbum, שרא, quo ille utitur, tum incipere, tum manere significat. Judæi à latino stant plerique omnes. Mihi videtur verbum, יאל, in sacris litteris perpetuò significare, acquiescere in re quâpiam, eamque totâ voluntate amplecti; atque ideò dixi, *contenti fuissemus*. Nam jurandi significatio non à יאל, sed ab אלה, est.

Vers. 8 et 9. — Mi Domine, quid dicam? posteaquam Israel, etc. Insulsum est, et absurdum, quod quidam hoc loco existimant, Josuam sollicitum esse, quid his possit respondere, qui objiciant, fugam illam esse parùm consentaneam iis verbis, quibus antè ab eo

gratia atque favor Dei prædicabatur. Hunc enim sensum apertè refellit sequens oratio. Ergo, dicere, pro cogitare, positum est, ut sæpè. Nam reddit imperator rationem ejus perturbationis animi, quam et gestu habituque, et verbis superioribus præ se ferebat; eamque totam explicare nunc incipit dùm sic ferè loquitur : Mi Domine, quid cogitabo? quid consilii capiam, postquàm Israelitæ terga dedêre hostibus? Inde enim certus sum, te nobis offensum esse neque opem ferre. Hoc verò ubi Chananæi animadverterint, atque omnes istæ nationes ferocissimæ, quæ adhùc tuâ majestate, tuoque numine sunt repressæ, et partim etiam domitæ, cingent nos undequaque, et facilè, si tu non protegis, delebunt prorsùs. Et nos quidem nostris flagitiis dignas fortassis pœnas dabimus; verùm illud erit indignissimum, quòd gloriosum nomen tuum traducetur per ora profanarum gentium : quæ cùm non ignorent, quàm mirificè nos adhuc foveris, et per quanta miracula nos hùc introduxeris, dicturæ sunt, dolo malo abs te facta esse omnia, ut nos sibi proderes, semelque perderes, vel non eam fuisse tuam potentiam, ut nos posses adversùs suos deos defendere, et promissa præstare. Jam ergo obsecro, Domine, ostende nobis tui placandi rationem, etc. Est enim ista Josuæ oratio curta et imperfecta, atque propero Dei responso interpellata, qui priusquàm se orent mortales, novit quæ sint petituri, et promptè occurrit in ipsis precibus benignus. Neque enim dubium est, quin ad illius precationis exemplum, suam hanc instituerit imperator, quâ ipsius præceptor Moses feliciter fuerat usus in Numeris, cùm disertè pronuntiâsset Deus se gentem Israeliticam universam peste percussurum, exterminaturumque. Et in Exodo, post cultum à populo vitulum. Cæterùm illiuscemodi sancta sollicitudo vindicandi nominis Dei à gentium injuriis, tam crebrò attributa est Patribus, in sacrâ historiâ, ut nihil opus sit plura adjungere exempla. Istis autem Patrum piissimis animis quàm parùm æmulemur nos hodiè, res ipsa clamat; cùm impunè fæx hominum sacramenta quævis impiis vocibus profanat, polluit, deridet. Magistratus popularem gratiam sanctæ religioni anteponit. Sed extincta est in nobis vera pietas illud porrò; בי ארני, quod est ad verbum, *In me Domine*, blanda est appellatio, quâ dùm demulcet Josua Deum, satis, quod dixi, ostendit, se de illius placabilitate non desperare. De nomine, Adonai, dixi superiùs : Chananæum esse hoc loco appellatum eumdem populum, quem paulo ante Amorrhæum, apparet. Sed quarum gentium istæ sint propriæ appellationes, diximus in principio capitis 5. Quod convertimus, *In orbem conveniens contra nos*, est Hebraicè, נסבו עלינו. Sunt quidam qui סב, pro שב, dictum putent, hoc sensu : Convertentur contra nos, cùm paulo ante, præ metu, ad fugam se comparaverint, simul atque intelligent nos tuâ ope destitutos esse. Sed simplicius est illud, quod à me redditum est, pro ipsis verbis; nam de populo prorsùs delendo loquitur imperator. Id autem accidere iis solet, qui à potentioribus hostibus undequaque sunt circumdati.

Vers. 10.—Dominus porrò dicebat ad Josuam: Surge, etc. Hoc insigne exemplum est maximæ ad omnem benignitatem facilitatemque proclivitatis Dei, quoties ex animo fracto attritoque ejus opem imploramus. Occurrit enim ille nobis in nostris precibus, atque optatis, ultrò : et divinâ gratiæ suæ nos consolatione, quasi manu, sublevat. *Ego*, inquit Dominus apud Isaiam, *priusquàm clamabunt respondebo : dùm etiam tum loquuntur, ego exaudiam ;* illud enim : *Quid hoc tu prostratus jaces in faciem tuam?* non est objurgantis, aut precandi ritum illum reprehendentis ; quo ritu Christus ipse usus est : sed jamdudùm se paratum esse significantis ad opitulandum. Tanta enim est ejus erga nos misericordiæ abundantia, ut preces nostras, quamvis nunquàm satis vel prolixas, vel intentas, tamen veluti nimias, benignè amplectatur. Est enim ac si dicat : Noli tu te diutiùs cruciare, atque affligere ; jamdudùm scio quid velis ; jamque faxo scias, quid facto opus sit. Eodem sensu dicta sunt illa in Exodo 14, 15, ad precantem Mosen : *Quid clamas ad me?* Atverò ista tanta Dei bonitas, et facilitas, haudquaquàm debet nostram in ipso orando sedulitatem remittere, non magis quàm liberalissimi regis munificentiâ æquum est ex strenuo servo ignavum fieri; sed magis atque magis provocare et intendere, præsertim cùm à Christo ipso didicerimus, nihil esse Deo acceptius, quàm assiduas preces nostras, modò ut sanctè, et piè sint conceptæ. In hebræo est, *Surge tibi;* at tales dativi, ut alibi dixi, possunt sæpè omitti, quanquàm non prorsùs supervacanei sint, sed ferè incitandi vim habeant. Participium, נופל, reddidi per nomen adjectivum. Sic enim sæpè participia usurpantur. Neque enim tum se primùm abjiciebat humi Josua, sed totum diem affixus solo jacuerat.

Vers. 11. — Israel deliquit, atque etiam transgressi sunt, etc. Superiore versiculo Deus Josuam surgere jubebat, nimirùm ut malis remedium adhiberet, quale ipse esset præscripturus; verùm priusquàm hoc, quale sit, explicet, digreditur hic, et versu proximo, ad ipsa mala, quæ sint, ostendenda; atque ideò versu 13, dum redit eò, unde paulisper discesserat, denuò verbum illud, *surge*, repetit. Malis enim tum demùm rectè medemur, postquàm ipsa probè perspecta habemus. Porrò rursùs quod ab uno Achane est patratum sacrilegium, toti Israeliticæ gentis corpori attribuitur. Ipsa enim corporis soliditas atque integritas vitiatur, et quodam modo dissipatur, cùm pars una vitiata est. Neque coire rursùs, et consistere ea integritas potest, nisi vitiosa illâ parte aut curata, aut refecta. Unde est illa tam frequens in Lege monitio Dei: *Auferte malum è vobis*. Sed hæc prolixiùs tractabamus in hujus capitis initio. Talmudici, cap. 6, סנהדרין, Israelis nomine, unum Achanem hìc notari scribunt, eumque quamvis sacrilegum, tamen Israelis nomen obtinere, sicut proverbio dicitur, myrtum esse, vocarique myrtum ab omnibus, etiamsi inter urticas stet myrtus. Sed illi verbis solis à nobis differunt, re consentiunt. Cæterùm quia Deus isto sacrilegio violatum esse suum statutum pronuntiat, conficitur, imperatorem illam de anathemate legem non suopte arbitrio, sed Dei jussu tulisse. Porrò vocula, גם, *etiam*, quæ sæpiùs hoc loco iteratur, auxeses continuas significat, ut Hebræis quoque videtur. Hæc igitur thesis, *Israel deliquit*, sic, quasi per gradus, amplificatur: Graviter deliquit Israel. Nam quod nuper jusseram, ut urbem cum rebus omnibus perderent, præter Rahabam, cum suis familiaribus, præterque aurum, argentum, æs, ferrum, id non observârunt. Fecerunt enim nonnullas reliquas res, quas perdidisse oportuit. Et quod gravius est, non reliquas modò fecerunt, sed sibi etiam privatim usurpârunt, tum quod etiam majus est flagitium, furtivè usurpârunt, perinde ac si me clam patrari quidquam possit. Ad hæc, mendaciis insuper fallere conati sunt. Denique, quod malorum est extremum, obfirmârunt animum, rebus subtractis in suam supellectilem relatis. Sic enim ego interpretor illam particulam, וגם שמו בכליהם, *atque etiam reposuerunt inter sua supellectilia*, quamvis non nesciam, R. Davidem Kimhi de defossis in tentorio rebus furtivis accipere. Neque enim mihi videtur, כלי, tentorium significare; cæteroqui hoc ipsum vel apertiùs propositi pertinaciam arguat. Sed observandum est hoc loco, quàm graviter accuset Deus id peccatum, quod cum nullius mortalium injuriâ conjunctum, leve alioqui possit videri. Et proinde pensitandum, quæ nobis ad salutem spes reliqua esse queat, si in extremo judicio jure summo nobiscum agat Deus, eoque ardentiore pietate assiduò orandum, ut ille remittat nobis debita nostra, neque intret in judicium cum servis suis; quando ne ipsa quidem quæ videtur nostra justitia, satis apud illud tribunal justa est futura. Et ut ait divus Bernardus, omni humilitate ad illius misericordiam confugiendum, quâ solâ possunt servari animæ nostræ.

Vers. 12. — Neque poterunt filii Israel consistere contra hostes suos, etc. Particula, לפני, secundo loco posita, sic accipienda videtur, ut littera Mem initio suggerenda sit, hoc est, ut plenè scribatur, מלפני, quod sæpè fieri diximus alibi. Cæterùm iis quæ ad versiculum primum hujus capitis disputata à nobis sunt, satis esse explicatum arbitror, cur Deus ob hoc Achanis, gregarii, ut apparet, militis, peccatum, pronuntiet se populi sui curam abjecturum, nisi expietur; quamvis credibile sit, multò atrocioribus antehàc criminibus contaminatam fuisse tantam hominum multitudinem. Et cùm dicamus illos sex et triginta viros, qui desiderati sunt, non Achanis, sed suam culpam luisse, cur non perinde illos ante, ut nunc Achanem, accusaverit? Præterquàm enim, quòd certis, atque constitutis apud æternam suam sapientiam, temporibus, judicia exercet, non quidem ob singularia, quæ tunc commissa sint, maleficia, præ omnibus aliis digna talibus judiciis; nunquàm enim illiusmodi, in ullo hominum cœtu non committuntur, quæ nostra est vitiositas. Sed ut providentiæ suæ opinionem in mortalium animis conservet, solet illa sua judicia sic plerùmque instituere, ut ob ea potissimùm delicta exerceri videantur, quæ contagio facilè pervagentur ad omnes; et in quibus ad evertendam publicè illius rei constitutionem, atque ad legitimi ordinis et disciplinæ dissipationem momenta magna sint, qualia sunt regum, principum, pastorum, cæterorum, qui primi in republicâ habentur, vitia. Item contumaciæ seditiosorum hominum, desertorum, susurronum, et omninò ea flagitia, in quæ publicis legibus, ubi patefacta sunt, animadverti solet. Cùm igitur hoc Achanis sacrilegium adversùs recens latam, et certæ pœnæ denuntiatione san-

citam legem, esset admissum, facilè disciplinam omnem, in his maximi belli initiis, quatefacturum fuerit, suî impunitate, visum est æterno Dei consilio, exemplum edere in illum, quod omnibus utile foret, quanquàm dubium non sit, quin eodem illo tempore, multa vel similia, vel detestabiliora etiam vitia in populo fuerint, quæ propalam à Deo non castigabantur. Atverò cur magis in Achanem, quàm alium quemvis sacrilegum, aut maleficum, publicè tunc animadverteret, id in divino ipsius, curationis, dispensationisque rerum humanarum arbitrio positum erat. Et credibile est Achani grave illud supplicium, quod dabat, magis fuisse salutare, quàm multis aliis suam ipsorum impunitatem, si beatam æternamque vitam intueamur. Sed quando disertè pronuntiat Deus, se posthàc non affuturum Israelitis, nisi anathemate abolito, quo se contaminârant, magna et perdifficilis, ut videtur, quæstio oritur, quâ fronte catholica Ecclesia gloriari audeat, de perpetuâ apud se Spiritûs sancti præsentiâ: cujus afflatu ita dirigatur, ut in iis dogmatibus, quæ ad probæ nostræ religionis fidem pertinent, errare non possit, quando in eâ non apud unum aliquem Achanem semel pauculæ res per sacrilegium sublatæ, atque in tuguriolo in terram defossæ clam habentur : sed Pontificum, Episcoporum, Presbyterorum, aliorum sacerdotum, atque etiam principum virorum superbissima tecta, aulas, equos, ne dicam scorta, et vilissima mancipia, jam olim propalam exornent ingentia sacrilegia, et quidem non earum rerum sacrilegia, quas res alioqui abolitum ire oportebat (esset enim hoc tolerabilius), sed quibus Christi ipsius famem explere, nuditatem tegere, atque omninò urgentem egestatem sustentare jus erat. Sed difficilis illa, atque ut Ecclesiæ hostibus videtur, inexplicabilis quæstio solvitur facillimè, si modò expendamus, quæ sit Dei in illis verbis sententia, cùm dicit : *Non ero posthàc vobiscum.* Nam sanè id eum non sentire, abjecturum se posthàc omnem populi sui curam, luculenter ipse apud Isaiam testatur his verbis : *Et ait Zion, deseruit me Jehova, et Dominus oblitus est mei; an obliviscì queat mulier fœtûs sui, ut non misereatur filii uteri sui? Etiam ut illæ obliviscantur, ego certè tui non obliviscar.* Et verò quis sanæ mentis dicat Deum, etiam tum, quando malêficio recens commisso ipsa ejus indignatio videbatur esse maxima, non prorsùs maternâ sollicitudine Ecclesiam illam suam curâsse; cùm leviculâ clade affectam ad procurandum expiandumque ingens malum permovit? planè sicut mater optima, si peccet filius, virgis cæsum leviter corrigit atque emendat. Non igitur, quando ait : *Non ero posthàc vobiscum,* suam se illis divinam gratiam, sacrumque Spiritûs sui instinctum, quibus ipsorum corda illuminentur, ad agnoscendam sacrorum suorum veritatem effatorum, dicit substracturum; sed de suâ ope ad vincendos continuo successu hostes loquitur, quam dùm illis negat, eòque ad se implorandum revocat, non magis deseruisse ipsos videri debet, quàm mater fœtum suum, si dulci tæniarum et lumbricorum nutrimento subtracto, amaris eum cibis interdum vexet, aut si cùm indulgentiâ corrumpi ipsum animadvertit, flagris avertat ad obedientiam. Cætèrùm ponit nobis ob oculos hic locus, luculenter, causam calamitosissimorum bellorum, quibus multis jam annis perpetuò infelicissimè confligimus cum Turcis : et quid porrò nobis futurum sit prænuntiat, si Christo sua anathemata subtrahere, eaque in nostras voluptates avertere pergemus. Sed hoc hactenùs. Chaldæus, suo more, illud : *Non ero posthàc vobiscum,* explicat his verbis : Non faciam ut sit verbum meum posthàc vobis auxilio; de quo loquendi modo jam semel iterùmque diximus.

Vers. 13. — Surge, expia populum, et dicito, etc. Postquàm exposuit Deus ipsum facinus quale et quantum esset, superioribus duobus versiculis, jam revertitur ad id quod cœperat dicere versu 10, hoc est, ad exponendum quæ sit illi malo facienda medicina. Ideòque repetit mandativum illud, *Surge.* Verbum, קדש, non satis commodè possum uno vocabulo latino reddere; utuntur autem Hebræi planè ut Plato usus esse, mihi quidem videtur, verbo ex conjunctione facto ἀποδιοπομπεῖσθαι; cujus vis neque expiandi verbo, quod ego reddidi, neque lustrandi, quod alii, neque purgandi, quod item alii, satis exprimitur; neque verò omninò consecrare est, sed comparare ad sanctitatem, Deoque conjunctiorem efficere, qui solus verè sanctus, purusque est. Chaldæus suo more interpretatur, זמין, hoc est, ut forenses loquuntur, citare, quasi jubeat Deus, imperatorem tempus locumque populo præstituere, quibus parati adsint. Hunc Judæorum turba, ut solet lubenter, sequitur. Sed quando is Dei sensus est, ut velit populum postridiè, tanquàm ad suum tribunal, adesse, credibilius est, id eum juberi velle, ut corporis castimoniæ operam publicè et privatim, pro se quis-

que dent, sive quia manus habebant sanguine humano infectas, ex recente Jerichuntiorum cæde; sive quia tota castra illato anathemate polluta quodam modo censebantur; sive denique vel ob id solùm, quòd coram sacrario Dei comparere, judiciique divini aleam subire deberent postridiè; similiter atque in Exodo, 113, cùm essent Dei effata audituri. Nam de iisdem ritibus accipiendum esse hunc ἁγιασμόν, existimo, quos illic Moses præscripsit. Erant autem ii, ut vestes suas sordibus eluerent, et ut secubarent. Hæ enim cæremoniæ religionem animis populi magnam offerebant, cùm quisque facilè intelligeret, multò sibi servandum magis esse, ut castis animis sub Dei veluti aspectum prodirent, quàm corporibus; quando his illi modis præstantiores sunt. Non ergo damnanda sunt externa pietatis adminicula, quibus opus habemus, tantisper dùm homines sumus, humi strati. Sed hæc pluribus sunt à nobis dicta ad versiculum quintum capitis tertii. Sed enim quis hic Deum reipsà succensere Israelitis, aut ipsos deseruisse, dicat, cùm videat, quantâ cum benignitate omnem suî reconciliandi rationem, per divinum suum Spiritum ipsis commonstrat? Deberet autem hoc exemplum mirificè nos consolari, atque ad amandum Deum hortari. Neque enim ille minùs nobis, dùm sæpè multùmque delinquimus, congruos modos, quibus ad se revertamur, hoc est, redeamus in viam salutis, tum per sacra sua verba, tum per Spiritûs sui divinos afflatus quotidiè suggerit, et ante oculos animi nostri ponit.

Vers. 14. — Sistetis vos igitur mane per tribus vestras, etc. Verbum נקרבתם, est quidem in eâ formulâ positum, quam niphal vocant grammatici; sed voluit usus, ut in eâ non meræ sed reciprocæ passionis haberet notionem, qualem solent alioqui verba in hithpael habere. Sed quo sit ista inquisitio acta modo, non una est Hebræorum sententia. Veteres enim, in Capitulis, ut vocant, R. Eleazaris, scribunt, tribus omnes coram rationali, sive, pectorali judiciario, quod Moses vocat חֹשֶׁן הַמִּשְׁפָּט, Græci λόγιον κρίσεων, hoc est, coram illâ veste sacerdotali, in quâ erant gemmæ duodecim concinnatæ dispositæque certo ordine, et in singulis singula tribuum insculpta nomina, productas esse. Ibique eam gemmam, quæ sontis tribus habebat nomen, culpam prodidisse, splendoris sui obscuratione. Deinde verò in deprehensæ jam tribûs prosapias, familias, capita deinceps sorte ductâ, esse inquisitum. Idque illis assentiuntur etiam R. David Kimhi, et Liranus noster. Alibi verò somniant Rabbini, arcam ipsam sacram primùm eos qui noxiam tribum repræsentabant, deinceps qui prosapiam, mox qui familiam, denique furem ipsum, cùm se ante illam sisterent, veluti injectâ manu, retinuisse, ut ne pedem loco movere possent. Mihi verò credibilius apparet, apprehendendi sermonem non eam vim hoc loco habere; sed pro arguere, sive indicare positum esse, ut sunt Septuaginta interpretati. Porrò R. Levi F. Gersonis existimat, disquisitionem istam omnem sorte actam esse, sortitionem autem adscribi Deo; quia ejus nutu rectè cadit sors, quod Salomon testificatur, inquiens, Prov. 16: *In sinum projicitur sors; et à Domino est omne judicium, sive ratio ipsius.* Et quò hæc tanti momenti sortitio certiorem haberet fidem, opinatur idem Levi, Prophetæ manibus, coram arcâ sacrâ, tanquàm in Dei conspectu, mixtas atque extractas esse sortes. Josephus etiam, et interpres latinus sortitos esse censent. Idque mihi etiam probabilius videtur, quando et Saülem quoque et vectores apud Jonam constat esse sortitos, et quidem ad pœnam, ut hic. Nam sortem, si religiosè tractetur, numine divino regi, atque pro Dei arbitrio cadere, et esse, quod ait Salomon, *Dei judicium;* præter alia sacræ historiæ exempla, ille sortitus satis magno argumento nobis est, qui Matthiam in collegium sanctissimorum Apostolorum cooptavit. Rectè ergo Augustinus dixit, sortem esse rem, quæ in dubitatione humanâ, divinam patefacit voluntatem. Verùm enimverò hæc ad eas sortes minimè pertinent, quibus homines stultè, imò impiè curiosi, rerum futurarum exitus prænoscere laborant. Sunt enim illæ tales indignæ christiano homine sortes; vix enim ullâ re incautiùs simul et graviùs offenditur Deus, quàm vanissimis illiusce modi superstitionibus; quæ reipsà falsi cultus sunt, cum veri numinis neglectu conjuncti; ut neque illæ sortes sunt ferendæ, quibus malè religiosum vulgus ad suas nundinationes, et ad quæstum faciendum divina oracula sollicitat. Aliud est, cùm de compacto fortunæ alea expectatur. Eas enim solas sortes benigno suo nutu regere et temperare existimandus est Deus, quæ, pro re natâ, ad publicam aut privatam hominum salutem procurandam, aut Dei gloriam illustrandam, justâ cum reverentiâ et religione committuntur divino arbitrio, præsertim ab hominum cœtu piorum. Sed ut ut hoc est, quando de hominis vitâ atque famâ hic agebatur, haud potuisset judicium, solâ sorti-

tione factum tanti apud universum populum esse, ut omnem effugeret calumniam, nisi accessisset ipsa etiam sontis confessio. Quod et veteres Judæi existimaverunt, qui in libro Tanhuma non dubitârunt dicere, tribum Judaicam arma adversùs reliquas tribus de istâ re sumpsisse, neque deposuisse, nisi postquàm ipse suum facinus confessus esset Achan. Nam, inquiunt, si duo vel innocentissimi homines cogantur de capitali re sortiri inter se, damnabitur alteruter injustè tamen. Idem scribitur capite τοῦ συνεδρίου, ubi plurima de hoc loco inter Rabbinos disceptatio est. Atqui quod ad hujusmodi sortitionem attinet, qualem Talmudici objiciunt, ea periculum de re certâ, tanquàm incertâ, facere, nihil esset aliud, quàm Deo illudere.

Nos autem sortitionem nullam nisi cum religione conjunctam probabamus. Sed enim cur non uno sortitu tota absolvatur quæstio, verùm tanquàm gradatim à tribubus ad prosapias, à prosapiis ad familias, à familiis ad singula capita descendatur, equidem opinor vitandæ confusionis causâ id fieri. Nam in tantâ capitum multitudine vix ulla hydria singulorum nomina potuisset capere, et extrahendi finis nullus fuisset. Tum facilè potuisset quivis alienum nomen pro suo dare, vel prorsùs nullum dare, et nescio quid non facere, ne sors se proderet. At in præscriptâ à Deo formulâ fraus nulla fieri potest. Ipsæ enim tribus quot et quæ essent, aperta res erat, et nota omnibus. Jam verò quis non existimet, singulas tribus, suarum cognationum, cognationes suarum familiarum, familias suorum capitum numerum habuisse cognitum, et nomina calluisse? Fuêre enim omninò φύλαρχοι, sive tribuni duodecim, quorum suæ quisque tribûs, ut veluti dux et princeps erat, ita quot et quæ in eâ essent cognationes nominatim tenebat. Similiter singulæ cognationes, sive gentilitates, ut sic dicam, suos habebant δημάρχους, qui earum familiarum, quas sub se quisque habebat, nomina numerumque non nesciebant, ut neque singularum familiarum patres, quibus essent præfecti capitibus, poterant ignorare. Itaque in primâ sortitione sortes solæ duodecim conjectæ in urnam sunt, quæ singulas tribus referrent. In secundâ tot, quot habebat tribûs Judæ φύλαρχος sub se cognationes. In tertiâ, quot gentis Zaraitæ demarchus sub se habebat familias. Denique in quartâ, quot familia Zabdi continebat capita. Igitur parvo labore, nulloque errore res omnis acta est: quæ prorsùs inexplicabilis erat futura, si sexies centena, aut eo plura nominum millia simul in hydriam conjecta fuissent. Quin illud quoque probabile est, imperatorem, cùm populum per suas tribus, ut est in sacro contextu, produceret, non quidem universam produxisse multitudinem, sed eos solos quos dixi, duodecim tribunos, sive phylarchos. Cùmque Judæ tribus notata infamiæ esset, eos eum deinde solos citâsse, qui singularum hujus tribûs cognationum capita erant, hoc est, ipsos demarchos, ut nuper appellabam. Mox patefactâ cognatione eâ, in quâ erat sacrilegus, solos familiarum patres sorte experiri coactos esse, et coram arcâ prodire jussos. Denique proditâ familiâ, omnes tandem, et singulos in medium venire atque sortiri debuisse, qui in eâ familiâ erant. Nihil igitur in his actionibus inordinati, nihil confusi erat, sed discreta, explicataque omnia, ut facilis esset doli cautio. Atque hanc in aliis etiam cœtibus celebrandis citandi solos primores rationem esse observatam crediderim. Sed quod ad præsentem quæstionem attinet, si quis existimet, ideò gradatim universitatem ad pauciores contrahi voluisse Deum, et postremò deduci ad singulos, ut is, qui in noxâ se esse non ignorabat, cùm se continuò peti, primùm in tribu, deinde in gente, mox etiam in familiâ, neque judicium divinum usquàm aberrare videret, ultrò se ipse supplex proderet, priusquàm à sorte nominatim proderetur, veniamque oraret, cui etiam tum planè fuisset locus; illi ego non repugnavero, quippe qui nullâ re magis quàm misericordiâ Dei, per omnem occasionem, prædicandâ delecter, quâ ut mortales omnes, ita ego inprimis maximè opus habeo. Et profectò vehementem et duram fuisse hominis obstinationem necesse est, qui perinde ac si ejus quod quærebatur facinoris conscius sibi non esset, Dei judicium, quod jam tribus ante pronuntiatis sententiis certissimum esse intelligebat, de se nominatim fieri sustinuerit.

Sed prorsùs geminam, vel majorem etiam impudentiam proditoris Judæ nobis commemorant sacræ litteræ, qui cùm audisset Christum disertè dicentem: *Unus vestrùm me prodet*, atque insuper, quis ille esset, tanquàm digito ostendentem, his verbis: *Qui intinxit unà mecum manum in catino, is me tradet*, nihil erubuit etiam tum interrogare ore durissimo: *Egone ille sum, magister?* Sed non desunt Satanæ artes mille, quibus hominum mentes affirmet, ne ipsos scelerum, quæ vel jam pa-

trârunt, vel obstinatis animis conceperunt, possit pœnitere. Illum igitur credibile est Judæ persuasisse, nihil Christum mali passurum à Judæis, etiam si tradatur, ut qui sæpè esset è mediis hostibus furentibus facilè elapsus, atque interim se improbos illos Pharisæos et sacerdotes, argento eo, quod sibi fuerat depectus, mulctaturum, et facilè deinde cum placabilissimo clementissimoque hero rediturum in gratiam. Similiter Achanem nostrum in eam primùm opinionem induxisse, ut putaret, adversùs expressam aliis verbis voluntatem Dei, non esse novo isti imperatoris edicto de anathemate obtemperandum; Deum enim in Deuteronomio edixisse, cùm de expugnandis urbibus verba faceret : *Quidquid fuerit in urbe, prædam omnem, diripies tibi; comedesque spolium hostium tuorum.* Deinde verò cùm reipsà cerneret offensum Deum quæstionem jam exercere, et rectà in se collimare, tum sic existimaverit, complures præter se alios esse, qui se ejusmodi impiâ fraude obligâssent, furtumque in tam splendidis manubiis vel multò grandius fecissent, eos divinâ sorte peti ad pœnam, non se. Mirum enim quàm variis technis eludat veterator ille probas nostras cogitationes, quas Dei Spiritus mentibus nostris suggerere non cessat. Nam ut aliquando fucus ipsius omnis, quo maleficiorum turpitudinem mirificè dissimulare novit, per veritatis splendorem sit detersus, tamen vel solo pudore, atque pernicioso infamiæ metu, vel gloriosâ ostentatione, homines, ut improbum suum institutum teneant, neque inde ad id quod rectum probumque est decedant, urget, donec tandem sera atque inutilis fiat pœnitentia. Nos igitur ista et hujus generis alia exempla ante oculos habeamus, atque in tempore nosmet ad fontem misericordiæ recipiamus, priusquàm judicati, ducamur; neque à malo dæmone persuaderi nos sinamus, ut ullis tenebris, aut dissimulationum integumentis, qualia nobis ille varia fingit, speremus quidquam omnium, quæ agimus, à Dei conspectu posse occultari, etc.

Vers. 15. — Et fiet, ut qui deprehensus fuerit, etc. Quod convertimus, *rem fœdam,* est hebraicè נבלה, quæ positio propriè, marcescere significat, veluti cadavera quæ amissâ animâ, tanquàm sale, computrescunt; pertinet etiam ad folia, quæ ut naturali humore destituuntur, defluunt ex arboribus. Transfertur quoque ad ipsum animum, cùm ille divinis suis virtutibus orbatus desipit, quem ejus morbum Græci ἀφροσύνην, nos dementiam et vecordiam appellamus. Inde est ergo quod Theodotion hoc loco ἀφροσύνην dixit, id est dementiam. Sed Septuaginta ἀνόημα, converterunt, planè quo sensu Chaldæus interpretatus est improbum. Idque mihi placet, ut per translationem accipiamus improbitatem, ea enim per se fœda res est. Unde nostrâ linguâ, schelmeren dicimus. Sic enim etiam de stupro dictum est Genes. 34, et Judic. 20. Affert igitur Deus causas diversas duas, cur in sacrilegum istum tam grave statui exemplum velit. Prior est, quia legem ab Jehova, hoc est, à summo numine, institutam violavit. Fœdus enim pro lege, sive constitutione hic accipitur. Nam, ut ante dixi, quod imperator de anathemate edixerat, id Deus sibi sumit. Altera est, quia rem patravit, quæ exemplo quasi tetro odore, populum universum facilè inficeret, vel, ut simpliciùs dicam, quia furtum commisit, rem per se improbam et maximè in Israel, hoc est, in eo populo, quem præ cunctis totius orbis nationibus ad probitatem per plurimas leges, beneficia, miracula, ipse erudiverat atque conformaverat. Quantum enim sit flagitium, Jehovæ, hoc est, ejus Dei, ex cujus, ut sic dicam, essentiâ res omnes ortum habent, atque dependent, legem frangere, etiam si quod ille vetuit, per se neque malum neque bonum sit, argumento est acerbissimus ille casus, quem in universum genus humanum invexit primus parens. Quid enim referebat de arboribus aliis, an de eâ quæ in medio paradiso enata stabat, ederet Adamus, nisi hâc interdictum ei fuisset? Et, ut exemplum, ei de quo agimus, penè geminum, adjungam, jusserat Deus Saüli, ut de iis rebus, quæ Amalecitarum essent, nullam prorsùs faceret reliquam. Ille verò regem ad triumphum et optima quæque pecora ad sacrificia conservârat, eâque re divinis se jussis pulchrè satisfecisse rebatur, quantùm apparet. Verùm Deus pronuntiabat, eam rebellionem non minùs in vitio esse, atque cultum fictitiorum deorum, quod flagitium est omnium maximum. Simulque illum regni fortunâ privabat, quamvis cæteroqui nihil interesse videretur, in ipsâ pugnâ, an paulò post, in sacrificiorum pompâ caderent rex et pecudes.

Rursùs, quis omnium qui quidem mente non sit motus, non putet, furtum, stuprum, adulterium, alia ejus generis facinora, esse per se improba, ut nulla unquàm, quæ ea prohiberet lex scripta fuerit? Sed enim quando hic flammis addicit Deus eum qui in noxâ fuerit, unà cum rebus suis omnibus, meritò quæstionem

movet divus Augustinus, cur lapidatus sit Achan, ut versu 25 dicitur; atque in eâ quæstione expediendâ argutiùs, meo judicio, quàm ad explicanda historiæ sacræ verba appositiùs versatur, vir alioqui divinus. Hùc autem ferè recidit omnis ejus oratio : Josuam, ut vatem, divino afflatum Spiritu, quæ à Deo de igne dicta sunt, ea aut ad illam pœnam quæ Achanem post hanc vitam manebat, retulisse, aut ignis sermonem, de lapidatione accepisse, quia hoc supplicio, tanquàm igne, expurgaretur Achan omni culpâ. Eòdem enim etiam spectare vasorum expiationem, quam in Levitico et Numeris fieri per ignem jussit Deus. Sed R. Salomon longè aliud quærit effugium. Censet enim sic interpretandum esse hunc locum : Et fiet, ut quod deprehensum fuerit in anathemate, id cremetur igne; nimirùm, inquit, tentorium Achanis, in quo anathema defoderat, et cætera ejus supellex, ad quam anathema adjunxerat. Porrò ipsum, videlicet Achanem et omnia quæ habet, hoc est, ejus familiam et pecudes, obruetis lapidibus, inquit. Ut sit oratio imminuta, et in posteriore membro ἀποσιώπησις. Nam accentus, inquit Zakeph, positus supra nomen אש, id est, igne, insistendum illic, atque interspirandum esse ostendit. Et ut hæc, non sua, sed Talmudica commenta (leguntur enim in sexto etiam capite τοῦ συνεδρίου), ut, inquam, ista commenta exemplo affirmet, cæteroqui nimis profectò absurda, citat locum, ut ipse putat, huic prorsùs simillimum, ex Regum historiâ, ubi David sic loquitur 2 Sam. 5, 8 ; *Omnis qui percusserit Jebusæum, et attigerit ad canalem.* Nec addit, quo sit ille donandus præmio; hoc enim demùm in libris Paralipomenon explicatur, futurum scilicet, ut pro principe populi habeatur, qui primus ad canalem evaserit. Sed nos orationem tam mutilam minimè hic ferendam putamus, aliamque suo loco solutionem simpliciorem proferemus.

Vers. 16, 17 et 18. — Igitur Josua manè surrexit, produxitque Israelem, etc. Obsequium et diligentia imperatoris commendantur: quæ quanta hìc fuerint, de hesternâ consternatione conjectura fieri potest. Sed enim, credibile est, adfuisse jam quidem quos oportuit omnes apud arcam, tamen quò ritè atque ordine omnia agantur, produxit ipse imperator gradatim eos, qui quosque ordines repræsentabant atque sortiri jubet : primùm tribunos sive φυλάρχους duodecim, deinde δημάρχους, qui singulas tribus Judæ cognationes sive gentes referebant; post, patres familiarum cognationis Zareiticæ. Denique singula capita familiæ Zabdi. Cæterùm cujus manu fortes mixtæ ductæque sint, incertum est. Nam in sacrâ historiâ est, ubi ab iis contrectantur, in quos fit sortitio, ut Paralip. cap. 24. Est etiam ubi ab aliis et ut opinor, sacerdotibus. Nam, *jacite*, inquit Saül 2 Reg. 14, 42, *inter me, et inter filium meum Jonathan.* Aliquando ipse princeps sortitionis divinæ administer est, ut capite 17 videbimus. Nomen משפחת, versiculo 17 aut ut collectivum est accipiendum, aut ut sit numerus singularis pro plurali positus. In eodem versu, illud לגברים, hoc est, viritim, καταχρηστικῶς dictum est, pro לבתים, per familias. Qui hìc *Zabdi* vocatur, habet in Paralipomenis nomen *Zamri*, ubi istæ prosapiæ explicantur : fuit ergo binominis.

Vers. 19. — Et ait Josua ad Achanem : Fili mi, constitue, etc. Ut nihil in principe viro turpius, quàm effrenis ira et stomachans, præsertim adversùs eos, quorum habet potestatem, etiamsi graviter peccaverint : cur enim æstuet bile animus, quando in promptu est vindicta? ita nihil in illo laudabilius lenitate atque clementiâ. Quibus virtutibus quàm egregiè claruerit noster imperator Josua, præsens locus attestatur, dùm suavissimis verbis Achanem compellat, qui per suum scelus paulò ante populum universum tantùm non in extremam desperationem adduxerat. Nimirùm imitabatur ille magistri sui Mosis virtutes quasque præclarissimas, qui, teste Deo, fuit mortalium omnium mitissimus. Discant igitur qui potestate et dominatu aliorum hominum pollent, eâ modestiâ temperare animos suos, ut neque indulgentiâ collabi disciplinam sinant, neque rursùs iræ suasu, aut impulsu veriùs, pœnas justas crudeliùs persequantur, sed medicorum exemplo, medeantur morbis, non indignentur ægrotis. Nam præclarè illud profectò, ut multa, à Philone dictum est, in eo libro, quo de immutabili Deo disseruit, πηγὴν εἶναι τῶν ἁμαρτημάτων θυμὸν· λογισμὸν δὲ, τῶν κατορθωμάτων, hoc est, malarum actionum fontem esse præcipitem iram, bonarum deliberationem. Quod nostrorum poetarum quidam non minùs acutè breviterque sic dixit :

Diis proximus ille est,
Quem ratio, non ira regit.

Porrò illud : *Constitue, quæso, gloriam Deo Israelis*, existimant quidam, formulam esse obligandi hominem sacramento, quâ etiam usi sint Pharisæi apud cæcum, in D. Joannis Evangelio,

ut eum vel jurisjurandi religione deterrerent à prædicando illo admirabilitatis maximæ beneficio, quod à Christo recens acceperat. Sed ego, ut hoc funditùs repudiare, aut refellere nolo, ita non admodùm probare possum, cùm nihil appareat in illâ Joannis narratione, quod juramento dicere cæcum voluerint Pharisæi, qui potiùs accusatâ Christi humanitate, quâ offendebantur, studebant hominem avertere ab ejus divinâ virtute prædicandâ, atque ad transcribendum omne beneficium in solum Deum inducere. Cæterùm quis sit verus illorum verborum sensus, intelligi potest ex iis quæ ab Esdrâ dicuntur libro 3, capite 9. Illic enim rem difficillimam quidem, sed prorsùs necessariam ad tuendam religionem et verum cultum, suasurus populo, ait : Vos peccâstis ductis uxoribus externis, plus quàm ante peccârant Israelitæ. Jam verò edite hanc, quæso, confessionem, et constituite gloriam Domino Deo patrum nostrorum, ut morem gerentes ejus voluntati, discedatis à connubio barbararum mulierum. Nimirùm benignissimus Deus suæ laudi assumere dignatur, quòd homines ingenuè sua peccata confitentur atque ad illius se voluntatem accommodare student; volebat autem, quod ad præsentem narrationem attinet, Deus, quarum rerum esset factum furtum, planè resciri, cùm eas res abolitum iri oporteret. Dixerat enim : *Anathema est in medio tui, Israel : non poteris consistere contra tuos hostes, usque dùm amoveritis anathema.* Ad hoc, cùm divinâ sorte proditus esset Achan, tanquàm sacrilegus, utile erat ad faciendam militarem disciplinam in istis novi imperii auspiciis, re patefactâ testatissimam esse indicii divini veritatem. Eo enim intelligere potuerunt omnes, nihil tam occultè à quoquam committi posse, quod Dei oculos falleret. Talmudici in eo, quod jam sæpè cito, capite τοῦ συνεδρίου, scribunt ideò laborare tam sedulò imperatorem, ut certam hæc sortitio fidem in omnium opinione habeat, quia non ignorat se olim sortitò hæreditatem distributurum populo. Nam, ut in Talmude Jerosolymitano scriptum est, ubi de tentoriis disputatio est, ad hunc modum ratiocinabatur ille apud se : Si intelliget populus, certam esse sortem, cùm de hominis vitâ agitur, planè fidem ei adjunget in iis judiciis quæ de opibus et possessione bonorum exercebuntur.

Sed enim ad Dei gloriam conducere mortalium confessionem, sacer etiam vates cecinit, cùm diceret, Psal. 50, v. ultimo : *Qui sacrificat confessione, honorat me.* Neque verò aliud sincerius divinæ laudis sacrificium à nobis fieri potest, quàm ut nostrarum sordium ingenuâ confessione, Dei sublimem majestatem efferamus; vitia, culpasque nostras detestemur; illius divinam justitiam, et simul immensam misericordiam prædicemus, sive meritas pœnas à nobis exigat, sive remittat. Sic enim Daniel, post fidei atque innocentiæ suæ multiplicem gratiam, ut Cypriani verbis utar, jejuniis, sacco, cinere, confessione adhuc Deum demulcebat. Quippe cultus nullus absque illiusmodi confessione satis plenus pietatis esse videtur, ac sanctus. Quare apud Matthæum, qui à Joanne erant sacro baptismo initiandi, peccata sua primùm confitebantur, atque alibi, constitutâ jam tum Ecclesiâ, Apostolis sua confitentur flagitia, qui admirabilibus nominis Jesu miraculis territi, cultum religionemque Christi susceptum veniebant. Denique divus Cyprianus nihil dubitat dicere, ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, vim afferri corpori Dominico et sanguini, si quis audeat sumere, et plus in Christum manibus atque ore delinqui, quàm deliquerunt illi, qui ipsum abnegârunt Dominum. Et rursùs, confessionem esse custodem spei, fidei retinaculum, salutaris itineris ducem, fomitem nutrimentumque bonæ indolis, ac denique virtutum omnium magistram, quam sectari salutare sit; aversari verò, aut negligere, lethale. Hoc igitur sanctissimo sacrificio Achan Dei gloriam hic illustrat, dùm ejus judicium esse rectum, se verò pravum ac sontem confitetur, atque etiam, ut nostrorum plerique, post Talmudicos existimant, se per Dei misericordiam ab æterno supplicio vindicat, dùm suî ipse accusator, contrito demissoque animo sacra illa verba omnibus piis præit: *Verè ego peccavi in Jehovam Deum Israelis.* Nam ut contumax dissimulatio, inquit Tertullianus, cont. Marc., scelera exaggerat, sic simplex humilisque confessio relevat : qui auctor confessionis præstantiam ab ipsis humani generis repetens primordiis, Adamum primum, deinde ejus filium Caïn, ideò esse à Deo interrogatos ait, ut aut spontaneâ confessione leviora, aut inficiatione graviora facerent sua maleficia. Nam cùm alter, inquit, pudenter confitetur, alter pernegat impudenter, illi spem salutis reliquam facit Deus, hunc exitio æterno addicit. Sed jam longiùs evehor. Cæterùm qualis esse debeat vera confessio, ipse Achan

nobis versu proximo explicavit. Sed vox, תודה, inquiunt confessionis hostes et fictæ pietatis astuti simulatores, non confessionem, sed gratiarum actionem, laudisque prædicationem significat. Atqui ego pernego vel gratias, vel laudem aliam illâ voce significari, in sacrâ certè historiâ, quàm in quibus ita versamur, ut simul ei quem laudamus, aut cui gratias agimus, nosmet tanquàm sontes subjiciamus, et sicut ejus quædam benefacta, ita vicissim nostra maleficia commemoremus, hoc est, quæ laudes, quæque gratiæ cum confessione sint conjunctæ, aut potiùs ex confessione compositæ et coagmentatæ.

Vers. 20 et 21. — Achan verò respondit Josuæ, et dixit : Verè ego peccavi, etc. Quod ait, *verè*, est ingenuè et apertè confitentis crimen, contra atque hypocritæ solent, qui etiamsi manifestò flagitii teneantur, tamen quovis colore illud infucare, atque ut variis causis à se commissum excusare satagunt. Item Epicurei, qui pulchrè defunctos se confessione putant, si in sacerdotis cujuspiam aures, quem sibi vel vitæ improbitate parem nebulonem, vel beneficiis obstrictum assentatorem, vel alioqui in doctrinâ ecclesiasticâ rudem, ad id delegerunt, sua scelera turbidè et generatim, voceque obscurâ et confusâ, neque ullo cum vero gemitu, mussârunt; et simul atque impositam suo capiti manum illius sensêre, quasi omni reatu soluti sint, ita sibi blandiuntur ipsi. At Achan nihil dissimulat omnium, sed, *verè*, inquit, *ego peccavi*, q. d. : Non est quòd elevem quæ commisi. Sunt ea gravissima, et quovis supplicio digna. Sed neque est quòd in alium culpæ partem transferam; ego enim ipse deliqui; meum solius facinus est. Cùm porrò subjungit : *In Dominum Deum Israelis*, ipsum veræ confessionis fundamentum locat. Sic enim ait : Peccavi in verum Deum, illum rerum humanarum judicem atque inspectorem, à quo factus, et innumeris beneficiis affectus sum, quippe Israelita, ut meritò ingratissimus censeri debeam. Deinceps pergit explicatè atque distinctè et illuminatè rebus verbisque dicere peccata. Illud enim, *et sic et sic feci*, tacitam continet hypotyposin, omnisque rei actæ evidentem et illustrem explicationem, in quâ explicatione progreditur ordine, ab ipso videndi sensu, tanquàm malarum rerum face, ad inflammatum cupiditate animum; deinceps ab æstuante atque incitato nimiâ appetitione animo, ad opus : ab opere ad conscientiæ morsum; unde occultatio demùm est consecuta, qualem seriem connexionemque rerum in omnibus ferè peccatis esse animadvertimus. Certè in omnium primâ, quæ est à primis parentibus commissa culpa, talem nobis luculenter depinxit sacra historia. Sciens hoc loco prætereo, quæ Talmudici, ἐν τῷ συνεδρίῳ, alia sacrilegia Achanis colligunt, ineptè sanè, ex istis certè verbis, à Davide Kimhi et R. Salomone hìc laudata. Illud tamen non possum non damnare impietatis, quod ibidem prodere non verentur, imperatorem Josuam simulatè promissâ impunitate, hanc confessionem ab Achane elicuisse, quâ fidem sorti confirmaret, cùm hâc ipse esset aliquando suas cuique possessiones distributurus. Audivi equidem blanditiis et fictâ veniæ spe magistratus nostros solere multa conquirere, elicere, cognoscere ex sontibus. Verùm putare, divinum virum Josuam dandæ adversùs pronuntiatam à Deo sententiam veniæ simulationem induisse, id verò nefas esse statuo. Porrò quod sum interpretatus *paludamentum Babylonicum*, est Hebraicè אדרת שנער. Significat autem nomen *Addereth*, si ipsa notatio spectetur, vel tapetem, vel vestem magnificam, et quæ gloriam conciliat ei qui utitur. Paludamentum autem procerum fuisse, præsertim in expeditionem exeuntium, attestatur Juvenalis, cùm de parùm verecundâ feminâ sic loquitur :

> Cumque paludatis ducibus, præsente marito,
> Ipsa loqui, rectâ facie, etc.

Et apud Jonam, rex Ninives exuebat se *addereth*, ut saccum indueret. Septuaginta ψιλὸν converterunt, nimirùm quia paludamentum vestis genus leve et expeditum est, utpote militare. Nam ψιλοὺς vocant Græci levis armaturæ milites. Est tamen, ubi minimè splendidum cultum significet, sed philosophicum potiùs pallium, quale fuit illud celebratum Eliæ, quod Elisæo è sublimi demittebat, vel villosum tapetem. Sed tum sæpè, *addereth sear*, hoc est, pilosum et rude pallium, vel stragulum per antithesin, opinor, illius alterius *addereth synar*, babylonici pallii vel straguli vocatur; verbi ad litteram immutati similitudine graviter et præclarè ob oculos posito utroque cultu, et superborum hominum, et humilium demissorumque. Exempla extant Genes. 15, Zachariæ 13, et alibi. Nimirùm homines cœlestium rerum contemplatione solâ districti, villosâ veste corpus ab aeris injuriâ defendere atque insternere satis habebant, exquisitum cultum aulæ relinquebant. Cæterum *Synar* Babylonicam regionem vocari, in quâ famosam illam turrim moliebatur tum gloriæ avida, tum diluvii metuens Noæ poste-

ritas, testatum in Genesi est. Babylonicas autem vestes et peristromata, ob mirificum texturæ artificium, in pretio fuisse, antiquissimi quique scriptores prodiderunt. Et inter alios Plutarchus memorat, frugalem illum M. Catonem, cùm ei ex hæreditate ἐπίβλημα τῶν ποικίλων βαβυλώνιον obvenisset, mox divendidisse. Variis enim coloribus intertexta splendebant magnificè, ut etiam T. Lucretius scripsit. Et ob hanc causam puto Septuaginta pro שנער, reddidisse ποικίλην. At Aquilas cum Chaldæo vertit, στολὴν βαβυλωνικήν. Symmachus ἔνδυμα συνάρ. Josephus χλανίδα, hoc est, elegantiorem vestem militarem. Denique Latinus pro *synar*, hoc est, Babylonico, dixit, *coccineum*, Nam Persarum, finitimarumque gentium luxum eo colore se ostentare solere, vel inde constat, quòd captis ab Alexandro Susis, inventa illìc fuerint, ut refert Plutarchus, quinquaginta millia pondo, sive talenta purpuræ hermionicæ. Quin etiam veterum Hebræorum nonnulli, ut proditur in Genesi magnâ, illud, *addereth synar*, quod vult purpuram Babylonicam, nonnulli stolam rubram sunt interpretati. Nam cocci, et purpuræ liquores eumdem ferè colorem rubrum efficiunt; unde alterum pro altero usurpatum videmus apud Evangelistas, cùm vestem describunt, quâ Christo, tanquàm regi, convicia faciebant impii carnifices. Sed jam ista nimis fortassè prolixè persequor. Sequitur in sacro textu: *Et ducentos siclos argenteos.* Id dimidium est ejus pretii, quo Abraham redemit sibi suisque speluncam duplicem ab Ephrone Hetthæo. Definit autem sacra historia siclum sanctuarii, pretio obolorum viginti, quos obolos גבה vocat. Josephus verò libro 3 Antiq. cap. 10, scribit, siclum esse drachmas atticas quatuor, hoc est, staterem unum, sive semunciam; unde et Symmachus hoc loco pro siclis, dixit στατῆρας, ut solet plerùmque Aquilas quoque. Et hoc verum sicli argentei pondus esse, ostendunt vetustissimi sicli, justissimâ trutinâ appensi; quorum unum mihi amicitiæ gratiâ olim dono dedit vir, ob hebraicam typographiam, et ejus linguæ non solùm studium, sed egregiam scientiam, atque inprimis, ob singularem animi probitatem et candorem, æternâ memoriâ dignissimus, Daniel Bombergus.

Eorum lemma utrinque litteris priscis Hebraicis, sive, ut Talmudici appellant, Libanicis, vel, ut alii, Samaritanis scriptum, in eâ facie, quæ virgam Aaronis ostendit, tale est: *Jerusalem sancta;* in alterâ verò facie, quâ vasculum illud, quo manna servabatur in arcâ, spectatur, tale: *Siclus Israel.* Supra autem illum mannæ calicem duæ visuntur litteræ, ש schin; et, מ, mem, quarum ego enodationem esse reor, Salomon rex. Sed ut ad rem redeam, conficiunt ergo ducenti sicli daleros justos germanicos centum. Justos dico, non, quales nunc passim cuduntur, tam dilutæ temperaturæ, ut chrysurgica non possit citra consistere, sed quales superiore ætate divi Joachimi imagine signari solebant. Budæus vir doctissimus siclum æstimat solidis gallicis circiter quatuordecim. Sed eos quoque solidos oporteat melioris esse indicaturæ, quàm sunt ii qui nunc apud Gallos pervagati sunt. Cæterùm quia in sacrâ historiâ mentio est sicli sanctuarii, credibile est, alium fuisse vulgarem siclum, sive profanum; hunc ergo existimant quidam illius dimidium vàluisse, hoc est, drachmas duas, quâ æstimatione Septuaginta hìc siclum sunt interpretati. Sed, ut hoc quoque obiter explicem, est et aureorum siclorum mentio in Paralipomenis, qualibus David aream locandæ domui sacræ ab Ornan, sive Areuna, Jebusæo redemit. Hos ego pondere quidem æquales, et lemmate similes argenteis illis siclis fuisse, sed pretio, pro auri ad argentum ratione et analogiâ, præstitisse dixerim, atque inde esse, quòd in eâdem unâ illâ narratione, in Regum libris, et in Paralipomenis, tam diversa pretii arcæ summa sit prodita. Quinquaginta enim siclis rem esse transactam, memorat Regum historia; at sexcentis Paralipomena, quæ proportio comparatioque ea fuerit, quam habent duodecim cum uno, hoc est, ut aurum sit argenti duodecuplum, quod sanè ita esse attestatur etiam Hipparchus apud Platonem. Nam quod in Paralipomenis dici videtur, appensos fuisse, et numeratos aureos siclos sexcentos, id non est ita, si verba hebræa rectè interpretentur. Sic enim illa habent: Et dedit David ipsi Ornan pro loco, siclos aureos; atque hìc insistendum est, factâ interspiratione per accentum, quem *zakeph* vocant, inter reges non minimum. Deinde sequitur: Pondere sexcentos, sive, pondere sexcentorum, hoc est, qui valerent sexcentos siclos, argenteos videlicet. Hi enim vulgò sicli vocabantur, ut usitatiores. Quinquaginta autem aurei sexcentis argenteis siclis æquè pares erant pretio. Rursùs quod in Regibus dicitur, בכסף, non conficit, argenteos fuisse siclos illos quinquaginta, quos numerabat David: est enim בכסף, ac si dicas, pro pecuniâ, aut argenti pretio. Nimirùm ille quod fuerat pactus argentum, exsolvit auro, pro pretii ratione. Sequi-

tur in textu : *Et linguam auream unam*. Quid sibi velit linguæ vocabulum hoc loco, non satis certum est. R. David Kimhi existimat cum Latino, laminam, sive regulam ex auro in linguæ figuram conformatam fuisse. Et Josephus quoque tametsi aurum hoc cum argento confundat, videtur opinatus rudis auri fuisse frustum, massamque. Idque credibile est. Nam et scopuli, et flamma, vocantur linguæ nomine ab Hebræis. Judaicum autem somnium est, quod Talmudici fabulantur in Capitulis Eleazaris, Achanem ex statuæ cujuspiam ore vulsisse hanc auream linguam, ante cujus pedes offenderit etiam positum honoris causâ Babylonicum illud stragulum, et oblatos argenteos siclos, quos surripuit. Sed de re incertissimâ non est magnoperè laborandum. Vetustissimus poeta Nævius gladiolum etiam lingulam vocavit, ut testatur Gellius. Fuit igitur fortassis gladiolus aureus, quo Deum aliquem suum armârant Jerichuntii. Cæterùm vox שקל, cùm dicitur lingua pependisse siclis quinquaginta, de sicli pondere, hoc est, statere, accipi potest. Nam et nummum illum argenti signati, quem dixi, et ejus pondus atque etiam pretium significat. Etenim ista verborum complexio, *quæ pendebat quinquaginta siclis*, potest duplici sententiâ intelligi, vel quòd id linguæ aureæ pondus fuerit, ut valeret quinquaginta siclis argenteis, vel quòd quinquaginta stateras pependerit. Si illam sententiam sequimur, viginti quinque dalerorum; si hanc, trecentorum fuerit ejus pretium. Mihi posterior videtur esse credibilior. Porrò cùm dicitur : *Et argentum sub illo*, demonstrationis pronomen pertinet ad paludamentum, sive stragulum babylonicum. Non enim rectè reddiderunt Septuaginta, vel etiam Chaldæus (ut certè habet meum exemplar scriptum manu) numerum pluralem, sub illis. Argenti igitur verbo, hic, etiam aurum subjectum est. Quis enim non existimet vel in fundo ipso abditam fuisse auream linguam? Idem dicendum est etiam proximo versiculo de istâ verborum clausulâ.

Vers. 22. — Mittebat ergo Josua nuntios : et cucurrerunt, etc. Duabus magnis de causis mittendi erant nuntii, qui res abditas proferrent in medium; altera, ut comprobaretur sontis confessio. Nulla enim, quantùmvis multa, ac magno studio conquisita indicia pro supervacaneis haberi debent, cùm de hominis capite agitur. Vix enim ulla est respub. in quâ non sit reliqua tristissimorum suppliciorum, quæ de innoxiis hominibus, per falsas nominum delationes sumptâ sunt, acerbissima recordatio. Altera, ut res allatæ unà cum fure comburerentur, quod jusserat Deus. Sed quòd curriculo properârunt nuntii, id eos credibile est imperatoris jussu fecisse, ne quis ex necessariis, aut tribulibus Achanis anteverteret, rebusque amotis actionem totam incertam et dubiam faceret. Quanquàm est verisimile, per se ipsos magnâ alacritate ad cursum esse incitatos, ut quàm citissimè remp. maximo malo liberarent, cùm scirent dixisse Deum, nisi abolito anathemate, se non affuturum populo.

Vers. 23. — Itaque tollebant ea è tentorio, et adferebant ad Josuam, etc. Pro eo quod est hebraicè, *et ad omnes filios Israel*, reddiderunt Septuaginta : *Et ad omnes seniores Israel*. Neque enim credibile est, nuntios cum rebus inventis ad populum universum adivisse atque obivisse, sed rectà ad imperatorem, qui cum senioribus apud arcam stabat, ubi Deus per sortitionem judicium exercuerat, properâsse. Nam seniores, atque φύλαρχοι, δήμαρχοι, patresque familiarum, ut dixi, populum universum repræsentabant in comitiis. Porrò quod convertimus, *profundebant*, Chaldæum imitati, est hebraicè יציקום; significat autem verbum, יצק, fundere; usurpatur tamen etiam pro affinibus verbis, יצב, et יצג, quorum utrumque significat statuere, ponere, figere, sive locando constituere, et affirmare rem quampiam. Putat quidem R. David Kimhi nostri verbi thema esse צוק. Verùm ne id ei assentiar, obstant grammaticorum præcepta. Summa igitur sententiæ est, nuntios reculas illas explicatè ante oculos omnium collocâsse, ut cum iis consentiens Achanis confessio, Dei judicium fortè factum apertiùs comprobaret, eoque et justiorem illius indignationem omnes propiùs agnoscerent, et à similibus flagitiis accuratiùs cavendum sibi quisque intelligeret, quando nihil omnium divinos illius oculos posset latere. Latinus dixit, *projecerunt*, quasi illi indignabundi res furtivas in medium abjecerint; haudquaquàm ille quidem cum impiis Talmudicis sentiens, sed existimans, nuntios ipsos indignè tulisse Achanis sacrilegium. Talmudicos enim nihil pudet, in sexto illo capite τοῦ συνεδρίου, quod in hâc historiâ sæpè cito; nihil, inquam, eos illic pudet commemorare, quosdam suorum dixisse, Josuam, ut reculas illas furtivas conspexisset, stomachantem, et tantam Dei offensionem ob res tantillas ægrè ferentem, illas ante arcam in solum excussisse cum his verbis : Tune, mundi

Domine, ob ista occisurus eras magnam senatûs Israelitici partem? Nam verbum illud, *profundebant*, litteris quidem numerum singularem præ se fert, verùm legitur plurali. Sed illi homines turpissimi et à probâ religione Christi odio abalienati, de se conjiciunt, quâ sint alii mente in Deum.

Vers. 24. — Josua porrò apprehendebat Achanem filium Zare, etc. Omissis jam proximis parentibus, transilitur ad Zaram, prosapiæ totius auctorem, compendii gratiâ, cùm nascendi series universa nuper satis sit explicata. Sed durum videtur, et divinæ lenitati atque etiam scriptæ legi parùm consentaneum, quòd filii scelus patris luunt. Nam in Deut. semel pronuntiavit Deus, neque parentes pro liberis, neque liberos pro parentibus esse morituros. Sed illud de humano judicio constitutum est. Josua verò Dei jussa nunc exsequitur, quanquàm ne ipse quidem Deus alieni peccati pœnam à quoquam exigit, quod est ante satis prolixè à nobis disputatum. Quo igitur judicio Dei, inquit Augustinus, vel quâ ejus misericordiâ fuerit irrogata mors, aut filiis Achan, aut illis triginta sex viris, quos suo ille scelere, clam omnibus patrato, minimè obligaverat, latet apud eum, apud quem non est iniquitas. Id verò certum est, ut idem Augustinus hoc loco scriptum reliquit, filiorum Achanis necem fuisse utilem ad refrenandam similem reliqui populi audaciam, quod in periculosissimis novi imperii, et lautioris fortunæ primordiis planè erat opus. Quodnam enim potest cuiquam facinus videri gravius, magisque detestabile, et pestiferum, quàm quo non se solum, sed omnem suam secum posteritatem in exitium abrepturum se, præcipitaturumque intelligat? Dicunt quidem Talmudici, tum in Capitulis Eleazaris, tum ἐν τῷ συνεδρίῳ, liberos fuisse patri conscios sui sacrilegii, atque ideò suas meritò culpas ipsos pependisse; at nullam causam afferunt, quâ id affirment; pars etiam putant illos non fuisse abreptos cum parente ad supplicium, sed ad spectaculum, terroris causâ, idque istis assentiuntur RR. Isaias, et Levi F. Gersonis, quorum hic argumentum rationemque etiam affert, quod proximo versu scriptum est: *Et lapidabant illum omnis Israel;* non, *illos*. Atqui mox subjectum est: *Et lapidabant ipsos lapidibus;* fateor, inquit Levi, sed hìc numerus plurium ad animalia et supellectilem pertinet.

Quàm sint hæc parùm firma, quis non videt? Nos igitur cum divo Augustino existimare malumus, justissimo Dei judicio, nec sine divinâ misericordiâ, occisos cum patre esse liberos; neque tamen paterni maleficii pœnas illos solvisse. Et quando hoc argumentum prolixiùs tractavimus ad versiculum 21 capitis 6, id modò hìc monebimus denuò, hujuscemodi judicia Dei haudquaquàm nostro sensu, nostrisque legibus esse metienda, sed ut planè justissima, reverenter suspicienda atque amplectenda. *Quantò* enim *est cœlum terrâ altius, tantò sunt sublimiores viæ Dei nostris viis, et consilia Dei nostris consiliis*, ut est apud Isaiam 55, v. 9, scriptum. Quippe statuendum est, nisi impii simus, immensum esse Dei erga genus humanum amorem, et proinde neminem aut morte, aut calamitate aliâ mulctari, nisi quatenùs id divina justitia dictat, et simul misericordia, cùm illi qui mulctatur, reipsà, tum aliis exemplo utile esse cognoscit. Cui rei, cùm alia plurima, quæ sacris litteris prodita sunt, tùm illud cum primis argumento satis magno est, quòd apud Jonam ille ignoscentissimum se esse declarat: neque id solùm adversùs homines, præsertim eos qui non nôrunt discrimen inter dextram suam et sinistram, hoc est, qui per ætatem sunt innocentes, verùm etiam erga brutas pecudes, cùm sit omnium opifex et parens. Sed jam pergamus. Accurata illa rerum omnium enarratio, quas cum sonte abolitum eunt, commendat imperatoris diligentiam curamque, pro salute populi. Nihil enim de anathemate reliquum fieri debuit; anathema autem esse censebatur, quidquid ad eum qui in noxâ erat, pertineret, quasi pauculæ illæ res per sacrilegium subtractæ non ipsum sacrilegum modò, sed simul ejus liberos, opes, fortunasque omnes contaminavissent. Afferebat enim ista opinio metum utilem populo, cùm intelligerent, quantum esset peccati contagium. Quò etiam illud spectat, quòd furtivum hoc aurum argentumque inferri in suum thesaurum non vult Deus, sed unà flammis tradi. Similis aut majoris etiam, ut videtur, severitatis exemplum statuitur, Dei lege, in eas civitates, quas Judæi ערים נדחות vocant, quæ totæ cum rebus omnibus abolentur funditùs, cùm fœda religio pervagata in illis longiùs latiùsque est: ne sensim eadem pernicies in aliorum atque aliorum animos illapsa, repentè populum omnem evertat. Porrò illud: *Comitabatur autem illum omnis Israel*, interpositio est, quâ populi alacritas et studium ad expiandum facinus, Deumque placandum commendatur. Et fortassis obliquè

simul tribus Juda à contumaciæ suspicione vindicatur; quæ non torpet indignatione, ob acceptam propter suum tribulem ignominiam, sed pari cum aliis alacritate pompam supplicii prosequitur. Sed cur *subducebant illos in vallem Achor?* nimirùm nefas erat in castris ullâ de causâ interimere hominem. Ut enim ante est à nobis expositum, immanis per se res est humana cædes. Vocatur autem supplicii locus *vallis Achor*, κατὰ πρόληψιν. Achan enim etiam Achar appellatum esse ostendimus supra. Sed enim parùm congruere dicas *subducendi* verbum cum valle. R. David Kimhi ergo suspicatur, inter castra et eum locum fuisse collem aliquem superandum: sicut contra, in Judicum historiâ, descenditur ad rupem in quam Samson fugerat. Sed nulla est causa istarum angustiarum, cùm pro, *subducebant*, rectè possis dicere, *inducebant*. Verbum enim עלה, in levi formulâ, quam Kal nominant grammatici, sæpè significat, intrare; ergo etiam in Hiphil, inferre, et inducere. Chaldæus pro *valle*, dixit, *planitiem*. Equidem puto de illâ planitie, aut valle agi, quæ ab Jerichunte continuo tractu ad Sichem usque procurrit, fertilis cùm primis et pascua, ut ex Isaiæ verbis constat, qui sicut Sarona campum ab ovibus, ita vallem Achor commendat à pinguibus bobus. Nam etiam Oseas, quamvis tectè, in istâ valle primùm apparuisse Israelitis specimen fœcunditatis terræ promissæ, spemque ipsos concepisse animis fortunæ lautioris ex hujus ubertate vallis, mihi certè, videtur dicere, 2, v. 15, cùm Deum inducit his utentem ad suum populum verbis: *Et dabo ipsi inde vites suas, et vallem Achor, pro januâ spei.* Sed erit de valle Achor plura dicendi alius locus.

Vers. 25. — Dicebatque Josua: Eheu, conturbasti nos, etc. Verbum עכר *Achar*, quo ad Achanis, sive Acharis nomen alluditur, propriè significat conturbare, ut mecum Aquilas, Symmachus, Theodotion, Chaldæus, Latinus denique sunt interpretati. Attamen usurpatur aliquando, pro corrumpere, perdere, abolere, hoc est, ὀλοθρεύειν, ut Septuaginta converterunt. Nam quæ conturbantur, ea amittunt nativam gratiam ac decus. Vocula autem מה sæpè illa quidem interrogationis dat significationem, at hoc loco, ut mihi videtur, lamentationis et querelæ nota potiùs est, cum interrogatione conjunctæ, ac si dicas: O quantùm! Eheu! quibus modis! etc. Nam sic etiam ab Ezechiele usurpata semel atque iterùm est, sed per kametz scripta. Cæterùm futurum יעכרך conturbabit te, per finitum modum, lubentiùs, quàm optativum, aut imprecativum, ut sic dicam, reddidi, ne ista ab Josuâ per iram agi viderentur. Quis enim non existimet, mitissimum imperatorem summâ cum misericordiâ ad sumendam hanc ab Achane pœnam descendere? Et quod scitè Philo Judæus de ipso Deo scribit, cujus spiritu Josua regebatur; δικάσαντα ἐλεεῖν, καὶ ἐλεήσαντα δικάζειν, hoc est, ut paulùm explicem, judicii constituti severitatem non sine misericordiâ exsequi, et tamen per misericordiam, cur minùs justitiæ atque judicio suum reddat tenorem cursumque, minimè impediri. Turpis enim mollities est, et crudelis misericordia in principe viro, vel magistratu, præ nimiâ animi teneritate, justas de sceleratis pœnas non exigere, atque maleficiorum impunitate effrenatum alere hominum furorem, hoc est, malis parcendo perdere bonos. Sicut rursùs belluina immanitas, in hominem vinctum, inermem, pœnitentem, et planè miserum ac miserabilem, quantùmvis alioqui multis gravibusque coopertum culpis, adhibere sævitiam, eumque per iræ libidinem punire. Quis enim ita prorsùs omnem exuat humanitatem, ut in hominum carnificinis ipse sibi veluti delicias faciat? Sanè talem animi intemperiem opinor Anabaptistas, fanaticum genus hominum, attribuere magistratui, cùm eum adversùs christianam charitatem peccare ogganniunt, quando noxios vitâ mulctat. Sed ut eò revertar, unde paulùm egressus sum, non damno tamen Latinum, qui reddidit: *Turbet te Deus*, modò ut sit ea judicis oratio, sententiam pronuntiantis, non exitium imprecantis. Cæterùm cùm Jehovam vindicem culpæ facit Josua, ostendit, Dei opus esse supplicium, quod de nocentibus legitimè sumit magistratus, ut illius administer; idque Paulus quoque Romanis scripsit. Quòd si verò eam ad rem, suam etiam et privatam iram adhibet, jam se humanæ cædis reum facit, dùm non tam Dei, quàm suæ bilis administer est, atque ut hostis hominem percutit. Porrò ex eo quod sequitur: *In hoc die*, colligunt Talmudici ἐν τῷ συνεδρίῳ, Achanem in hâc vitâ, non item in alterâ pœnam dedisse Deo, atque in hanc sententiam Judæi omnes pedibus vadunt. Nobis verò credibile id quidem videtur, sed non ob ista verba, verùm potiùs, propter ingenuam illam confessionem. Nam istud: *In hoc die*, nihil significare aliud censemus, quàm illud crebrò usurpatum: Sicut hoc die, vel, sicut iste dies, quod Septuaginta hoc quoque loco expresse-

runt. Est autem id ferè affirmandæ rei nota, tanquàm per evidentiam quamdam, ac si dicas, planè, omninò, prorsùs, clarè, apertè et tam certò quàm præsentis diei lucem vides, quà frueris. Sequitur : *Et lapidabant eum omnis Israel, lapide.* Diximus ad versiculum 15 quid de hoc loco sentiret divus Augustinus, et quid R. Salomon, quorum neutrius sententiam probabamus. Sunt igitur alii, qui hanc particulam, ab illâ alterâ in versiculi extremo positâ non differre sensu putant. Hoc enim pronomen singularis numeri, *illum*, κατ' ἐναλλαγήν, ἢ κατὰ συνεκδοχήν, pro *illos*, positum esse : utramque verò hoc ipsum significare, quod insequenti versiculi initium, id est, obrutos esse, tum Achanis, tum rerum cæterarum cineres lapidibus à vulgo conjectis. Itaque narrari nunc ante exustionem, quod post fiet. Hanc ego sententiam non quidem prorsùs repudio, verùm neque planè approbo. Insolens enim videtur ista verbi, lapidare, significatio. Quare verius, simpliciusque existimo esse, Achanem cum rebus suis omnibus, atque liberis, exustum quidem esse, pro Dei jussis ; nam alioqui etiam solemne erat, igne sacrilegia expiare, neque anathema magis prorsùs, ut sic dicam, potuit aboleri, quàm si in flammam fumumque abiens dissiparetur atque evanesceret. Verùm interea dùm ille ducitur, dùm rogus struitur, incenditur, conscenditur, populum placandi numinis avidum à jaciendis lapidibus non continuisse manus, ut fit, dùm quisque pro se conatur maximè strenuus videri in publicâ pernicie propellendâ.

Sed neque illa fortassis absurda fuerit sententia, si exustionem à Deo mandatam ad cadavera spectare dicamus, cæteroqui viva corpora esse lapidibus enecata, et lapidum denique cumulo obrutos et contectos cineres. In libro Tanhuma, sive ילמדנו, scripta est veterum Hebræorum hæc sententia, solum Achanem fuisse lapidatum, priùs quàm exureretur, idque propter violatum sabbatum. Cùm enim, inquiunt illi, capta die sabbato esset Jericho, Achan suam rem, non Dei, agens, sive, ut Isaias loquitur, *suam voluntatem faciens,* diem sanctam profanavit, cui flagitio pœnam consultus Deus constituerat lapidationem in Numeris. Deinde verò cum rebus aliis in ignem esse conjectum, quippe qui simul impiâ sacrilegii fraude esset obligatus. Hi ergo pronomen pluralis numeri, *ipsos,* pro singulari accipiunt.

Quæ est igitur causa, dices, illarum angustiarum, in quibus versabatur divus Augustinus, vir alioqui acutissimus? Nimirùm ille septuag. Interpretum secutus fidem et auctoritatem, quæ apud ipsum erat summa, nullam hìc exustionis mentionem audiebat. Illi enim interpretes eam verborum complexionem, quæ in hebræo est, וישרפו אותם באש : *Et comburebant ipsos igne,* nullo verbo repræsentârunt, cùm putarent esse supervacaneam.

Vers. 26. — Extruebantque super eum tumulum lapidum, etc. Dixi nuper, R. Levi F. Gersonis existimare, liberos Achanis non esse affectos supplicio, quia uni soli tumulus struitur. Atqui numerorum ἐναλλαγή usitatissima est in sacris litteris. Ad hoc, unus Achan ut nocens, hoc supplicio interfectus est ; liberi verò ejus, resque aliæ, ceu accessio, adjunguntur ; non ergo mirum, si unius tumuli mentio fit. Sed enim ut Achanis hìc funeri, ita mox regis Hai, et alibi Absalonis, atque aliorum cadaveribus, lapidum acervi esse impositi memorantur. Id autem ego sic esse accipiendum existimo, ut, quæ fuit religiosa antiquitatis pietas, injecta primùm corporibus gleba fuerit, humusque, ne solis illa lapidibus, sed terrâ ritè tecta, verèque sepulta et humata jacerent. Neque enim lapidibus, quasi operimento, fuisse obducta ipsa, sed ex lapidibus statutum esse ipsis tumulum narratur. Est enim in sacro textu hìc verbum, חקים, alibi חציב, quæ verba erigere et statuere significant. Ejusmodi enim monimentis non minùs malorum consignari memoriam, quàm bonorum hominum utile erat, ut in utrisque proposita posteritati exempla essent, quæ mentes tùm ad virtutes incitarent, tùm à vitiis reflecterent. De clausulâ, *usque ad hanc diem,* satis multa ante.

Sequitur : *Et rediit Dominus ab indignatione iræ suæ.* Usitatum in sacrâ historiâ est, Deo personam hominis circumdare, multaque ad similitudinem imbecillitatis humanæ in ipsum traducere. Itaque ea nunc placidum, nunc iratum describit, tametsi ille suî semper similis, et planè ἄτρεπτος sit : ut enim noster captus est, non ut illius sensus, ita illa loquitur, et ad nostras perturbationes emendandas, Deum animo perturbato inducit. Igitur quod hoc loco memoratur, decedere ab indignatione, sic est accipiendum, meliore eum nunc spe animos populi confirmâsse : seque rursùs, ut ante, benignum rebus omnibus declarâsse. Hebraicè est חרון, id quod converti, *indignationem.* Nam furorem dicere, cum multis, religio mihi erat. Tantum enim animi morbum

Deo attribuere, vel verbo tenùs, impia consuetudo videtur. Neque verò furor etiam illi voci subjicitur, quæ excandescentiam propriè significat; et alioqui sæpè non pro bile commotâ, sed pro animi molestiâ tædioque usurpatur. Porrò verbum קרא reddidi passivè, ut sic dicam, quia crebrò in illiuscemodi orationibus sic video esse positum, aut certè absque personâ, cui hæreat. Si quis tamen imperatoris nomen, Josua, suggerendum esse malit existimare, non contendam contra. De valle Achor nuper dicebamus.

CAPUT VIII.

1. Dixit autem Dominus ad Josue : Ne timeas neque formides; tolle tecum omnem multitudinem pugnatorem, et consurgens ascende in oppidum Hai : ecce tradidi in manu tuâ regem ejus, et populum urbemque et terram.

2. Faciesque urbi Hai et regi ejus sicut fecisti Jericho et regi illius; prædam verò et omnia animantia diripietis vobis. Pone insidias urbi post eam.

3. Surrexitque Josue, et omnis exercitus bellatorum cum eo, ut ascenderent in Hai; et electa triginta millia virorum fortium misit nocte;

4. Præcepitque eis, dicens : Ponite insidias post civitatem, nec longiùs recedatis, et eritis omnes parati.

5. Ego autem et reliqua multitudo quæ mecum est, accedemus ex adverso contra urbem. Cùmque exierint contra nos, sicut ante fecimus, fugiemus et terga vertemus,

6. Donec persequentes ab urbe longiùs protrahantur; putabunt enim nos fugere sicut priùs.

7. Nobis ergo fugientibus et illis persequentibus, consurgetis de insidiis, et vastabitis civitatem; tradetque eam Dominus Deus vester in manus vestras.

8. Cùmque ceperitis succendite eam, et sic omnia facietis ut jussi.

9. Dimisitque eos, et perrexerunt ad locum insidiarum, sederuntque inter Bethel et Hai, ad occidentalem plagam urbis Hai; Josue autem nocte illâ in medio mansit populi.

10. Surgensque diluculò recensuit socios, et ascendit cum senioribus in fronte exercitûs, vallatus auxilio pugnatorum.

CHAPITRE VIII.

1. Le Seigneur dit alors à Josué : Ne craignez point, et ne vous effrayez point. Allez, conduisez toute l'armée, et marchez contre la ville de Haï; je vous en ai livré le roi et le peuple, la ville et tout le pays.

2. Et vous traiterez la ville de Haï et son roi comme vous avez traité Jéricho et son roi; mais vous prendrez pour vous tout le butin et tous les bestiaux. *Or, pour réussir dans cette entreprise sans fatiguer l'armée par un siége et sans l'exposer à un combat,* vous dresserez une embuscade derrière la ville; *ceux que vous choisirez pour cette embuscade exécuteront les ordres que vous leur donnerez.*

3. *Le lendemain matin* Josué se leva donc, et toute l'armée avec lui, pour marcher contre Haï; et *dès le commencement de* la nuit il envoya trente mille hommes choisis des plus vaillants d'*Israël.*

4. Auxquels il donna cet ordre : Dressez une embuscade derrière la ville; ne vous éloignez pas beaucoup; et tous tant que vous êtes, tenez-vous prêts.

5. Pour moi j'irai attaquer la ville d'un autre côté avec tout le reste du peuple qui est avec moi; et lorsqu'ils sortiront contre nous, nous tournerons le dos pour fuir, comme nous avons fait auparavant,

6. Jusqu'à ce que ceux qui nous poursuivront aient été attirés plus loin de la ville; car ils croiront que nous fuirons en effet, comme *nous avons fait* la première fois.

7. Lors donc que nous fuirons et qu'ils nous poursuivront, vous sortirez de votre embuscade, et vous détruirez la ville; car le Seigneur votre Dieu vous la livrera entre les mains.

8. Quand vous l'aurez prise, mettez-y le feu, *pour nous avertir que vous en êtes les maîtres;* et faites tout selon l'ordre que je vous donne.

9. Josué les ayant donc fait marcher, ils allèrent au lieu de l'embuscade, et se mirent entre Béthel et Haï, du côté qui regarde l'occident de la ville de Haï. Mais Josué demeura cette nuit-là au milieu du peuple;

10. Et le lendemain, s'étant levé avant le jour, il fit la revue de ses gens, et marcha avec

11. Cùmque venissent et ascendissent ex adverso civitatis, steterunt ad septentrionalem urbis plagam, inter quam et eos erat vallis media.

12. Quinque autem millia viros elegerat, et posuerat in insidiis inter Bethel et Hai, ex occidentali parte ejusdem civitatis.

13. Omnis verò reliquus exercitus ad aquilonem aciem dirigebat, ita ut novissimi illius multitudinis occidentalem plagam urbis attingerent. Abiit ergo Josue nocte illà, et stetit in vallis medio.

14. Quod cùm vidisset rex Hai, festinavit manè, et egressus est cum omni exercitu civitatis, direxitque aciem contra desertum, ignorans quòd post tergum laterent insidiæ.

15. Josue verò et omnis Israel cesserunt loco, simulantes metum et fugientes per solitudinis viam.

16. At illi vociferantes pariter et se mutuò cohortantes, persecuti sunt eos; cùmque recessissent à civitate,

17. Et ne unus quidem in urbe Hai et Bethel remansisset qui non persequeretur Israel (sicut eruperant aperta oppida relinquentes),

18. Dixit Dominus ad Josue : Leva clypeum qui in manu tuà est contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam.

19. Cùmque elevàsset clypeum ex adverso civitatis, insidiæ quæ latebant surrexerunt confestim; et pergentes ad civitatem ceperunt et succenderunt eam.

20. Viri autem civitatis qui persequebantur Josue, respicientes, et videntes fumum urbis ad cœlum usque conscendere, non potuerunt ultra hùc illùcque diffugere, præsertim cùm hi qui simulaverant fugam et tendebant ad solitudinem, contra persequentes fortissimè restitissent.

les anciens *du peuple et les principaux officiers* à la tête de l'armée, soutenu du gros de ses troupes.

11. Et lorsqu'ils furent arrivés *à la vue de Haï* et qu'ils eurent monté devant la ville, ils s'arrêtèrent du côté du septentrion de cette ville, entre laquelle et eux il y avait une vallée *qui semblait devoir être le champ de bataille.*

12. *Mais avant d'en venir aux mains*, Josué avait choisi cinq mille hommes *des trente mille* qu'il avait mis en embuscade entre Béthel et Haï, à l'occident de la même ville, *et avait ordonné à ces cinq mille hommes de se jeter dans Haï dès que les habitants en seraient sortis.*

13. *Or, ces hommes se tenaient dans leur embuscade,* et tout le reste de l'armée marchait en *ordre de* bataille du côté du septentrion, en *s'élargissant néanmoins de telle* sorte que les derniers rangs s'étendaient jusqu'à l'occident de la ville, Josué ayant donc marché *sur la fin* de cette nuit-là, s'arrêta au milieu de la vallée.

14. Ce que le roi de Haï ayant vu, il sortit en grande hâte dès le point du jour avec toute l'armée qui était dans la ville, et il conduisit ses troupes vers le désert, *c'est-à-dire, vers la plaine de Galgala, d'où les Israélites étaient partis,* ne sachant pas qu'il y avait des gens en embuscade derrière lui.

15. En même temps Josué et tout Israël lâchèrent pied, faisant semblant d'être épouvantés, et fuyant par le chemin qui mène au désert *de Galgala.*

16. Mais ceux de Haï, jetant tous ensemble un grand cri, et s'encourageant mutuellement, se mirent à leur poursuite; et étant tous sortis de la ville,

17. Sans qu'il en demeurât un seul dans Haï et dans Béthel, *de ceux qui pouvaient porter les armes,* qui ne poursuivît Israël, parce qu'ils étaient sortis tous en foule, ayant laissé leurs villes ouvertes,

18. Le Seigneur dit à Josué : Levez contre la ville de Haï le bouclier que vous tenez à la main, parce que je vous la livrerai,

19. Et ayant levé son bouclier contre la ville, ceux qui étaient cachés en embuscade, *ayant vu ce signal, dont on était convenu*, se levèrent aussitôt, et marchèrent vers la ville, la prirent, et y mirent le feu.

20. Or, les gens de la ville qui poursuivaient Josué, regardant *derrière eux*, et voyant la fumée de la ville qui s'élevait jusqu'au ciel, ne

21. Videnque Josue et omnis Israel quòd capta esset civitas, et fumus urbis ascenderet, reversus percussit viros Hai.

22. Siquidem et illi qui ceperant et succenderant civitatem, egressi ex urbe contra suos, medios hostium ferire cœperunt. Cùm ergo ex utrâque parte adversarii cæderentur, ita ut nullus de tantâ multitudine salvaretur,

23. Regem quoque urbis Hai apprehenderunt viventem, et obtulerunt Josue.

24. Igitur omnibus interfectis qui Israelem ad deserta tendentem fuerant persecuti, et in eodem loco gladio corruentibus, reversi filii Israel percusserunt civitatem.

25. Erant autem qui in eodem die conciderant, à viro usque ad mulierem, duodecim millia hominum, omnes urbis Hai.

26. Josue verò non contraxit manum quam in sublime porrexerat tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai.

27. Jumenta autem et prædam civitatis diviserunt sibi filii Israel, sicut præceperat Dominus Josue.

28. Qui succendit urbem et fecit eam tumulum sempiternum.

29. Regem quoque ejus suspendit in patibulo usque ad vesperam et solis occasum. Præcepitque Josue, et deposuerunt cadaver ejus de cruce, projeceruntque in ipso introitu civitatis, conjecto super eum magno acervo lapidum, qui permanet usque in præsentem diem.

30. Tunc ædificavit Josue altare Domino Deo Israel in monte Hebal,

31. Sicut præceperat Moyses famulus Domini filiis Israel, et scriptum est in volumine legis Moysi, altare verò de lapi-

purent plus fuir ni d'un côté ni de l'autre, surtout parce que ceux qui avaient fait semblant de fuir, et qui marchaient du côté du désert, tournèrent *tout à coup* visage contre eux, et attaquèrent vivement ceux qui les avaient poursuivis jusqu'alors.

21. En effet, Josué et tout Israël, voyant que la ville était prise, et que la fumée en montait en haut, se retournèrent contre ceux de Haï, et les taillèrent en pièces.

22. En même temps ceux qui avaient pris et brûlé la ville, en étant sortis pour venir au-devant des leurs, commencèrent de charger et d'envelopper les ennemis, qui se trouvèrent tellement battus devant et derrière, qu'il ne s'en sauva pas un seul d'un si grand nombre.

23. Ils prirent aussi vif le roi de la ville de Haï, et le présentèrent à Josué.

24. Tous ceux donc qui avaient poursuivi les Israélites lorsqu'ils fuyaient vers le désert ayant été tués, et un grand carnage s'en étant fait dans ce même lieu, les enfants d'Israël entrèrent dans la ville, et passèrent au fil de l'épée tout ce qui s'y trouva.

25. Ce jour-là il fut tué, depuis les hommes jusqu'aux femmes, douze mille personnes, qui étaient toutes de la ville de Haï; *car ceux de Béthel s'en étaient enfuis, et étaient rentrés dans leur ville.*

26. Et Josué, tenant son bouclier, ne baissa point la main, qu'il avait élevée en haut, jusqu'à ce que tous les habitants de Haï fussent tués, *imitant en cela ce que Moïse avait fait à l'égard des Amalécites dans le désert.*

27. Les enfants d'Israël se partagèrent les bestiaux et tout le butin de la ville, selon l'ordre que Josué en avait reçu du Seigneur.

28. Josué brûla ensuite *tout ce qui restait* de la ville, et en fit un tombeau éternel.

29. Il fit attacher aussi à une potence le roi de Haï, qui y demeura jusqu'au soir et jusqu'au soleil couché; et alors Josué ordonna qu'on descendît le corps de la croix, ce qui fut fait; et ils le jetèrent à l'entrée de la ville, et mirent sur lui un grand monceau de pierres, qui y est demeuré jusqu'aujourd'hui.

30. Alors Josué *s'avança dans le pays; et pour remercier Dieu de cette victoire, il éleva* un autel au Seigneur Dieu d'Israël sur le mont Hébal,

31. Selon que Moïse, serviteur du Seigneur, l'avait ordonné aux enfants d'Israël, et qu'il est écrit dans le livre de la loi de Moïse. Il fit

dibus impolitis, quos ferrum non tetigit, et obtulit super eo holocausta Domino immolavitque pacificas victimas.

32. Et scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat coram filiis Israel.

33. Omnis autem populus et majores natu ducesque ac judices stabant ex utrâque parte arcæ, in conspectu sacerdotum qui portabant arcam fœderis Domini, ut advena ita et indigena. Media pars eorum juxta montem Garizim, et media juxta montem Hebal, sicut præceperat Moyses famulus Domini. Et primùm quidem benedixit populo Israel.

34. Post hæc legit omnia verba benedictionis et maledictionis, et cuncta quæ scripta erant in legis volumine.

35. Nihil ex his quæ Moyses jusserat reliquit intactum, sed universa replicavit coram omni multitudine Israel, mulieribus ac parvulis, et advenis qui inter eos morabantur.

cet autel de pierres non polies, que le fer n'avait point touchées, et il offrit dessus des holocaustes au Seigneur, et immola des victimes pacifiques.

32. Il écrivit aussi *là* sur des pierres le Deutéronome de la loi de Moïse, que celui-ci avait exposé devant les enfants d'Israël.

33. Tout le peuple et les anciens, les officiers et les juges étaient debout des deux côtés de l'arche, devant les prêtres qui portaient l'arche de l'alliance du Seigneur, les étrangers y étant *selon leur rang,* comme ceux du peuple. La moitié était près du mont Garizim, et l'autre moitié près du mont Hébal, selon que Moïse, serviteur du Seigneur, l'avait ordonné. Josué bénit d'abord le peuple d'Israël ;

34. Après cela il lut toutes les paroles de bénédiction et de malédiction *que Moïse avait laissées*, et tout ce qui était écrit dans le livre de la loi.

35. Il n'omit rien de tout ce que Moïse avait commandé de dire ; mais il représenta de nouveau toutes choses devant tout le peuple d'Israël, devant les femmes, les petits enfants et les étrangers qui demeuraient parmi eux, *ainsi que Moïse le lui avait ordonné. Josué s'en retourna ensuite à Galgala, où fut pendant plusieurs années le camp de toute l'armée d'Israël.*

TRANSLATIO EX HEBRÆO.

1. Dixit porrò Dominus ad Josuam : Ne metuas, neque frangare ; assumito tecum omnem populum militarem ; et surge, conscende versùs Hai. Vide, dedi in manum tuam regem Hai, et populum ipsius, et urbem ipsius, et terram ipsius. — 2. Facies autem ipsi Hai, et ejus regi, sicut fecisti ipsi Jericho, et ejus regi ; duntaxat prædam illius, et pecudem illius diripietis vobis. Collocato tibi insidias urbi, post ipsam. — 3. Josua igitur surrexit, et universus populus militaris, ut ascenderent versùs Hai. Deligebat autem Josua triginta millia virorum, fortitudine præcellentium, eosque amandabat nocte. — 4. Et præcipiebat ipsis dicens : Videte, vos insidiamini urbi, post urbem. Ne absitis ab urbe longiùs, et estote omnes parati. — 5. Ego verò et universus populus qui mecum erit, accedemus ad urbem. Fietque ut prodeant adversùs nos, sicut primâ vice ; et fugiemus coram ipsis. — 6. Egredienturque post nos, donec extraxerimus ipsos extra urbem (dicent enim : Fugiunt coram nobis sicut ante ; nam fugiemus coram ipsis. — 7. Vos consurgetis de insidiis, et occupabitis urbem. Nam dabit eam Dominus Deus vester in manum vestram. — 8. Cùmque ceperitis urbem, incendetis urbem igne. Juxta verbum Domini agatis ; en jussi vobis. — 9. Dimisitque illos Josua, et profecti sunt ad insidias : consederuntque inter Beth-el et inter Hai, à mari ipsi Hai. Josua verò mansit eâ nocte in populo. — 10. Manè autem surrexit Josua, et recensuit populum. Et conscendit ipse, et seniores Israel ante populum, versùs Hai ; — 11. Universusque populus militaris qui cum eo erat, conscenderunt et accesserunt, perveneruntque contra urbem, et castra locârunt à septentrione ipsius Hai. Eratque vallis inter ipsum et inter Hai. — 12. Acceperat autem circiter quinquies mille viros, et collocaverat eos insidias, inter Bethel et inter Hai, à mari si urbem spectes. — 13. Jamque disposuerant populum, exercitum universum ; tum eos qui erant urbi à septentrione, tum ejus insidias, quæ erant urbi à mari, processitque Josua eâ nocte in vallem. — 14. Factumque est, ut vidisset rex Hai, properârunt, et manè surrexerunt, prodieruntque oppidani adversùs Israelem, ad pugnam, et ille et populus ejus omnis, ad constitutum locum, ante solitudinem. Nesciebat enim ille, esse, qui sibi insidiaretur post urbem. — 15. Fingebant autem se cædi Josua et omnis Israel ab illis ; et fugiebant, quà iter est ad desertum. — 16. Itaque exciti sunt populus omnis qui erat in

urbe ad illos persequendum. Insecutique sunt Josuam, atque extracti ab urbe. — 17. Neque reliquus fuit quisquam in Hai, et Bethel, qui non sint egressi post tergum Israelis; relictâque urbe apertâ, persecuti sunt Israelem. — 18. Ait porrò Dominus ad Josuam : Protende clypeum, qui est in manu tuâ, versùs Hai. Nam in tuam manum dedam illam. Protenditque Josua clypeum, qui erat in ipsius manu, versùs urbem. — 19. Et insidiæ surrexerunt properè de statione suâ, ac cucurrerunt, cùm protenderet manum suam, perveneruntque ad urbem, et ceperunt ipsam ; atque festinaverunt, incenderuntque urbem igne. — 20. Porrò viri Hai respexerunt post se; et viderunt, et ecce fumus urbis ascendebat, versùs cœlum, neque erat ipsis locus fugiendi hùc, aut illùc. Et populùs, qui versùs desertum fugerat, convertebat se contra insequentem. — 21. Josua enim, omnisque Israel, cùm vidissent insidias cepisse urbem, et fumum urbis sublatum, revertebantur, et cædebant Haienses. — 22. Illi verò prodibant ex urbe, his obviàm. Itaque fuerunt Israeli in medio. Alii enim hinc, alii illinc erant; percusseruntque ipsos, donec non fecissent reliquum aliquem superstitem et profugum. — 23. Regem autem Hai ceperunt vivum, adduxeruntque ipsum ad Josuam. — 24. Cùmque absolvissent Israelitæ occisionem omnium habitatorum Hai, in agro, in deserto, quò ipsos fuerant insecuti, cecidissentque illi omnes acie gladii, usque ad internecionem suam ipsorum, reversi sunt omnes Israelitæ in Hai, eamque percusserunt acie gladii. — 25. Fueruntque omnes qui ceciderunt eo die, viri, et feminæ, duodecies mille, omnes Haienses.—26. Porrò Josua non reducebat manum suam, quam protenderat cum hastâ, donec delevisset omnes habitatores Hai. — 27. Pecudem duntaxat, et prædam urbis istius diripuerunt sibi Israelitæ, secundùm verbum Domini, quod mandârat Josuæ. — 28. Ipsam verò Hai exussit Josua; effecitque eam cumulo perpetuo vastam, usque ad diem hunc. — 29. At regem Hai suspendit ex ligno, usque ad tempus vespertinum. Cùmque occumberet sol, jubente Josuâ deposuerunt cadaver illius de ligno: abjeceruntque illud ad ostium portæ urbis, et extruxerunt super ipsum ingentem cumulum lapidum, usque ad diem hunc. — 30. Tunc exstruebat Josua aram ipsi Domino Deo Israelis in monte Hebal, — 31. Sicut jusserat Moses servus Domini filiis Israel, sicut scriptum est in libro legis Mosis, aram lapidum integrorum, super quos non elevaverat ferrum, et offerebant super eam holocausta, ipsi Domino, et sacrificabant pacifica. — 32. Et describebat illic super lapides exemplum legis Mosis, quam ille scripserat coram filiis Israel.—33. Omnis autem Israel, et seniores ejus, monitoresque, et judices ejus stabant hinc et hinc, circùm aream, ex adverso sacerdotum levitarum, bajulorum arcæ fœderis Domini, tam advenæ, quàm indigenæ. Media pars ipsius è regione montis Garizim, et media pars ipsius è regione montis Hebal, sicut jusserat Moses servus Domini benedicere populo Israel primùm. — 34. Post hæc legit omnia verba legis, benedictionem et maledictionem, secundùm omne illud quod scriptum est in libro legis. — 35. Nulla erat res earum rerum omnium, quas præceperat Moses, quam non legerit Josua coram omni cœtu Israelis, et feminis et parvulis, et advenâ diversante inter illos.

COMMENTARIUM.

Superiore capite audivimus, post captam eversamque Jerichuntem, bellum fieri cœpisse civitati Hai, quæ proxima occurrebat, continuò versùs occidentem penetrantibus in Chananæam Israelitis. Sed eam expeditionem cùm mox accepta clades impedivisset, consumpta adhuc est omnis narratio in procuratione et expiatione divinæ iræ exponendâ. Jam igitur hoc capite ad Haiense illud bellum reditur, idque memorabili stratagemate conficitur, partâ nobili et incruentâ victoriâ.

Ponitur autem nobis ante oculos inprimis, summa Dei erga miseros mortales benignitas atque beneficentia, qui non solùm, cùm est nostris offensus vitiis, per sacrum suum verbum et divinum afflatum, nos ab errore revocat, reducit, restituit denique secum in gratiam, quod luculenter nos docuit superior narratio, verùm etiam placatus jam nobis vel benigniùs quàm ante facit, adeò ut reconciliata ejus gratia, quàm nunquàm imminuta major videri possit. Itaque nunc ritè expiatus Achanis supplicio, non patitur diutiùs suorum animos tristes afflictosque jacere, sed suavissimis maturè consolationibus succurrit, sublevat, fulcit, confirmat. Neque enim dubium est, quin Josuæ aliorumque prudentiorum mentes etiamnum cogitationes plurimæ sollicitas habuerint, quomvis essent Dei jussa sedulò exsecuti. Perspexerant enim satis popularium suorum vitiositatem, quam sæpissimè quidem punitam à Deo, nunquàm tamen satis domitam viderant; reputabant etiam secum, quo essent loco, et quàm inexplicabilibus undequàque difficultatibus circumdati, intelligebantque, nihil prorsùs, nisi Deo propitio, geri ullis viribus

rectè posse. Haud igitur mirandum in eo est, quòd novâ rursùs Dei confirmatione opus habet Josua, quamvis fortissimus atque cordatissimus imperator.

Sed enim, dicet aliquis, cur militem universum educere in expeditionem jubet Deus adversùs tam parvas hostium copias ? Neque enim plures duodecies mille, utriusque sexûs homines in Hai fuisse videntur, ut existimandum sit vix millia sex armatorum pugnatorumque defendisse urbem. — Atqui ego illud : *Assumito tecum omnem populum bello aptum*, sic esse accipiendum opinor, neminem qui militari virtute non polleat, educi in hanc expeditionem oportere. Nam universa multitudo magis impedimento, quàm usui futura erat, cùm esset simulanda fuga, ut audiemus. Quanquàm ad numerum Haiensium quod attinet, an tam exiguus ille fuerit, post videbimus. Sed hæc opinio mea si fortè alicui minùs videtur probabilis, existimet ille, produci omnes in rem præsentem debuisse, ut pulchræ victoriæ aspectu ad se redirent, discusso metu, qui propter adversam nuper pugnam in omnium mentibus penitùs insederat, atque ut ipso usu cresceret virtus. Ad hoc, ut par esset omnium conditio in prædâ, quæ prima trans Jordanem militi permittitur. Nam ad stratagema quod attinet, in quo confusa multitudo inutilis futura fuisse videtur, dici probabiliter potest, imperatorem nocte cum parte copiarum non magnâ in vallem processisse ad urbem, reliquum exercitum in castris ab aquilone factis mansisse. Sed hæc mox explanabuntur. Sanè ut ut ista sunt, illud constat, Deum aliàs adversùs maximas hostium copias paucos è suis mitti voluisse, qui rem gererent, cæteris in castris otiantibus, nimirùm, quò non in suis viribus consiliisque, sed in ipsius benignâ ope spem ponere homines discant. Adeò multis diversisque modis optimus parens, utilitatibus suorum providet. Verbum *surge*, hortantis est, ut sæpè alibi. Porrò, *conscende*, argumento est, Hai fuisse loco editiore, ut diximus ante. Denique, *vide*, et, *dedi*, insperatam quidem, sed quasi præsentem, et jam partam victoriam imperatori ponunt ante oculos. Quia autem se dedisse hostem in manus Josuæ Deus ait, admonet illum, ne suis viribus, suæque gloriæ assumat victoriam, qualem arrogantiam solent plerùmque infelicitates maximæ, atque infortunia consequi. Extrema clausula, *et regionem illius*, ea loca intuetur, quæ rex Hai extra urbem posita in potestate et ditione suâ tenebat.

Vers. 2. — Facies autem ipsi Hai, et ejus regi, sicut fecisti ipsi Jericho, etc. Urbium nominibus hoc loco subjiciuntur simul cives, quod ex clausulâ extremâ versiculi 24 constat. Quanquàm si hos regum appellatione significatos esse malis opinari, per hypallagen, non contendam contra. Sed non est existimandum de supplicii certo genere præcipere hìc Deum. Tantùm perdendos esse ait Haienses, ut perierunt Jerichuntii, unà cum urbe. Nam de Jerichuntiorum rege, quòd actus in crucem sit, nusquàm, quod sciam, est memoriæ proditum; at Haiensis ex patibulo suspendetur. Neque devotum esse urbis Hai instauratorem ab imperatore, si quis fortè olim existeret, legimus. Jerichuntem tamen qui aliquando esset refecturus, eum exsecrabatur ille, orbitatemque ei exoptabat. Pronomina quæ nominibus, prædæ et pecudis hærent, ea urbem ipsam demonstrant, cùm sint genere feminina. Diximus autem capite sexto, ad versiculum 17, cur de spoliis urbis Jerichuntis nihil militi permitteretur : hujus autem prædâ urbis vel ideò recreandum exercitum putabat Deus, ut ne frustra se perpetuò congressuram cum hoste putans, animum prorsùs desponderet gens, præsentibus opibus mirificè inhians. Ad hoc, nullam operam contulerant milites ad expugnandam Jerichuntem, at hìc aliquis est militaris virtutis usus, non quo Dei solius potentiâ res confici non possit, sed ut ipsi excitentur officio ab ignavo torpore, ad alacritatem. Sed enim observandum illud est : *Diripietis vobis*. Non enim vel soli imperatori, vel paucis tribunis, aut centurionibus conceditur, ut ipsi partes faciant, et quantùm velint priores sibi de manubiis sumant. Ubi enim pericula, ibi et commoda quoque esse communia æquum est. Et principes viros eniti decet, ut verâ virtute factisque præclaris cæteros antecellant magis quàm opibus. Neque ferè quidquam est, quod imperatorum atque ducum in exercitu existimationem magis minuat apud milites, quàm si illi horum fraudatis circumscriptisque laboribus, maximam prædæ partem domum suam avertant.

Porrò illis verbis : *Collocato tibi insidias adversùs urbem*, quid facto opus sit, breviter commonstrat Deus. Cætera prudentiæ imperatoris cogitanda relinquit, nisi quis malit existimare, istam verborum complexionem esse præcisè scriptam, atque deesse reliquam stratagematis à Deo commonstratam rationem, quæ versiculo quarto ab imperatore exponetur

apud milites. Sanè certum est, omnem Josuæ prudentiam in Spiritûs divini instinctu atque afflatu positam fuisse, à quo in actionibus omnibus dirigebatur, ut in hujus commentarii initio vidimus. Cæterùm illud, *post ipsam*, ostendit, collocari insidias urbi debere ab occidente. Hæc enim oracula prodebantur in ipsis castris apud Jerichuntem, aut, si mavis, Galgala, hoc est, ab oriente.

Divus Augustinus monet hoc loco de insidiis quæstionem, an virum probum justumque uti illis fas sit, cùm fraudi sint affines, et occultæ circumscriptioni. Respondetque, nihil referre, aperto Marte, an insidiis et stratagemate vincas, modò ut quod facis bellum, sit justum. Esse autem illud bellum justum, ait, quod vindicandæ injuriæ causâ susceptum est, aut à Deo ipso imperatum, qui et vacuus est ab omni iniquitate, et novit quid cuique fieri rectè debeat. Tale enim bellum qui faciunt, eos non tam esse ejus auctores, quàm Dei administros. Et rectè, meâ quidem sententiâ, Augustinus, nodum illum, quantùm certè ad præsentem pertinet locum, dissolvit. Jam olim enim delere bello Chananæam gentem jussi fuerant Israelitæ. Sed quæ de mendacio hìc prolixè ille disputat, non satis video, quî possint ad istam accommodari rerum narrationem. Quæ enim hìc est mendacii species? nisi verò sua hostem celare consilia, mentiri est. Neque enim falsis dictis, aut promissis, vel pactis adversariis circumscribuntur, quod ne in justissimo quidem bello probos viros decere dixerim, sed ut id teneatur tamen, ratumque ac fixum maneat, improbum nihil censeri posse, quod à Deo sit mandatum. Sed si quis plura de mendacio requirit, is ea relegat quæ ad versiculum 5 capitis secundi diximus. Sed enim miretur quispiam, neque abs re, cur hanc etiam urbem delere funditùs jusserit Deus, cujus consilium et voluntas tamen erat, ut Israelitæ non solùm Chananæos totâ regione exterminarent, verùm etiam loca eorum ipsi habitarent. Et exstat apud Xenophontem prudentissima deliberatio summi imperatoris Cyri, quâ ostenditur, ad bellum in alienâ ditione rectè gerendum, esse consultissimum, non solùm hostibus, quantùm fieri potest, plurima castella eripere, verùm sibi suisque plurima etiam comparare; quippe qui hoc non faciant, eos nihil differre ab illis qui per vastum pelagus navigant. Nam navigant illi quidem perpetuo cursu. Sed quam undarum partem navigatione semel percurrerunt, eam non magis tenent, quàm adhuc intactam. Verùm nolebat Deus Israelem suum humanis fidere rationibus, sed suâ unius ope et gratiâ niti, suos observare nutus, in se solo fiduciam omnem habere collocatam, suam unius benevolentiam, ut tutissimum receptaculum intueri. Volebat quidem, ut paulatim profligatis veteribus colonis, habitationes sibi in Chananæâ ipsi compararent, urbesque ab illis relictas colerent. Verùm nondùm usque eò repressus erat hostis, ut consultum esset, locos ullos munitos manere, qui illi possent rursùs esse receptui, præsertim cùm ipsi nondùm defuncti essent imperatâ cæremoniâ ad montem Hebal et Garizim, quò universa multitudo erat abducenda. Et alioqui præsidiis tenere castella atque oppida, priusquàm magna belli pars confecta esset, nihil fuisset aliud, quàm suî fiduciam augere, Dei minuere. Cæteroqui credibile est, ad conservandam hanc urbem, quàm ad vastandam fuisse propensiores milites, quando tam acriter jubet imperator, eam exurere, ut versu octavo audiemus.

Vers. 3 et seq. — Josua igitur surrexit, et universus populus, etc. Stratagema, quod his proximis aliquot versibus continetur, non satis dilucidè planèque descriptum esse, mihi certè, videtur. Quis enim existimet, triginta hominum millia, diem solidum, clam civibus Haiensibus, locum ad urbem proximum insidere potuisse, atque insuper alia quoque millia quinque, præsertim cùm à tergo proximè exstaret Haiensium socia urbs Bethel? Quare credibilius esse puto, non productum in hanc expeditionem fuisse populum universum militarem; sed solos tricies mille, delectos ex toto exercitu, et horum quinquies mille collocatos in insidiis. Nam hujuscemodi narrationes, etiam alibi, in sacrâ historiâ confusè, permixtè obscurèque sunt expositæ, qualis est vel in primis ea quæ in Judicum libro scripta habetur capite 20, huic nostræ quàm simillima. Quæ narrationum confusio inde, nisi fallor, nata est, quòd cùm illiusmodi res memorabiles à pluribus sanctissimis viris in sacra illa diaria atque annales, quorum ante facta à nobis mentio est, relatæ, alio atque alio ordine verbisque, ut fit, diversis legerentur; is verò qui sacram tandem historiam universam in eos quos jam habemus libros, divino consilio redegit, enixiùs laboraret, ne quid eorum, quæ à sanctâ antiquitate in illis diariis annalibusque prodita inveniebat, imprudens omitteret, ipse rem eamdem unam non unâ continente atque

æquabili oratione, sed ex diversis narrationibus confusa permixtaque conscripserit. Quanquàm non pugnavero, si quis hic religiosiùs ipsis sacris verbis insistens, occæcatos usque eò fuisse à Deo Haiensium et oculos et animos dixerit, ut ne tantum exercitum post urbem latentem, per tot horas, ullo sensu perciperent. Sed explicabo tamen historiam, ut mihi credibilior visa est.

Surrexit ergo *Josua, et universus populus militaris, ut ascenderent Hai,* hoc est, comparabat se Josua, ut delectum militum ageret, quos in Haiensem expeditionem esset ducturus; quotquot verò fuerunt in populo viri militares, promptè atque alacriter ad eam rem nomina sua offerebant. Ex omnibus igitur ille cùm triginta millia selegisset, qui singulari virtute cæteris præstare videbantur, *eos amandabat nocte,* non quidem omnes illos tricies mille viros delectos, sed, per synecdochen, eorum quosdam, nimirùm quot versu duodecimo dicentur, hoc est, quinquies mille, quos jussit in insidiis esse à tergo urbis, id est, ab occidente (nam ista aguntur, ut dixi, in castris, ab oriente) et quoad ejus fieri posset, locum oppido proximum capere, atque ad omnem nutum attentos esse.

Sequitur: *Ego verò et universus populus qui mecum erit,* etc., quibus verbis cur paratos illos atque intentos in insidiis esse voluerit, pergit explicare. Ego, inquit, et qui vestrûm apud me erunt, hoc est, ego cum cæteris 25 millibus vestrûm, nostro ad urbem aperto accessu prolectabimus oppidanos, cùm nos fugere existimabunt. Nam fugam simulabimus, tum porrò vestrûm, quinque millium scilicet, munus erit, nudatam præsidio urbem de insidiis invadere. Neque enim id frustra conabimini, quippe dedet eam vobis Deus. Sed expugnatam direptamque concrematote tandem, atque planè ita agite, ut imperatum nobis à Deo est, etc. Animadvertendum est autem ista jussa: *Cùmque ceperitis urbem, incendetis,* etc., non ad solos eos, qui in insidiis erant, sed ad delectos tricies mille spectare. Hi enim urbem erant eversuri incendio, sed captâ atque ablatâ priùs omni prædâ. Nam quod soli illi quinquies mille memorabuntur urbem incendisse, id de indicio, quòd sociis excitato fumo faciebant, est accipiendum, ut dicemus ad versiculum 19. Cæterùm, quod noctu mittit insidias, circumspecti imperatoris est, qui ut hostem non ignaviter formidat, ita neque temerè contemnit. Non dubitabat ille quidem de victoriâ cùm ejus esset ipso Dei oraculo factus certissimus, at ob Dei effata non debet hominum industria ad illa accommodata, pro supervacaneâ atque inutili haberi, non magis quàm ob ejusdem præscientiam, ut vocant, sive prænotionem. Ad hoc, Deus insidias urbi collocari jusserat. Jam verò nisi clàm urbe locum suum illi cepissent, non fuissent insidiæ. Jubet autem ipsos propè abesse ab urbe, ut præsidio nudatam illicò possint invadere.

Porrò cùm dicat: *Ego et universus populus qui mecum erit,* quis putet, eum loqui de universis Israelitarum copiis? Sanè quantâvis temeritate informatos oppidanorum animos ab nuperâ victoriolâ fuisse dicas, non est credibile prodituros ad pugnam fuisse, si innumerabilem illam adversariorum multitudinem conspexissent.

Illud verò: *Donec extraxerimus ipsos extra urbem,* monet, ne nimis citò se moveant insidiæ, sed expectent, dùm persequendi studio longiusculè evecti cives fuerint.

Denique illud, *en jussi vobis,* tectè videtur ad Achanis exemplum alludere, cui exitio fuit, non paruisse divinis jussis.

Vers. 9 et seq. — Dimisitque illos Josua, et profecti sunt, etc. Repetit, explicatque quod dicere cœperat tertii versûs extremo; addit enim profectos illos quinquies mille viros cepisse insidiis locum, inter Bethel et Hai, hoc est, ab occidente, si urbem Hai spectes. Nam Bethel ab Hai aberat circiter horæ unius itinere versùs occidentem; sic tamen, ut non nihil in septentrionem declinaret, ut supra diximus, et quia utraque urbs in montosis exstabat locis, fuêre sinuosi collium anfractus insidiis collocandis opportuni. Porrò cùm nocte illos à se dimisisset imperator, ut tenebris tecti urbem hostilem præterire, locumque ad fallendum aptum insidere possent, ipse proximæ diei lucem in castris exspectabat; quæ simul atque apparuisset, recensuit reliquos quos pridiè delegerat, et conscripserat milites; atque deinde comitatus tribunis militum, qui seniores, ob prudentiæ in re militari præstantiam, vocantur, ducem sese versùs Hai præbuit. Illi verò alacriter omnes imperatorem sunt secuti usque propè urbem, ubi castra fecerunt ab aquilone, inter quæ et oppidum media erat vallis. Possent autem sacra verba etiam in hanc sententiam interpretari, quòd imperator manè populum recensuerit; hoc est, ea constituerit, quæ in populo opus erat: ac deinde לפני, id est, coram et spectante populo,

conscenderit, comitatus senioribus, versùs Hai, illique sint eum subsecuti, quos ad eam expeditionem pridiè delegerat. Illa enim verborum complexio, *populus qui cum eo erat*, iis quinquies mille viris opposita est, quos nocte à se dimiserat ad insidias. Cæterùm existimandum hoc loco est, castra ista ab aquilone facta non tam propè urbem fuisse, ut oppidanis in conspectu essent, sed potiùs, vel post colles, vel in solitudine latuisse, quando certum est, postridiè demùm patefactam esse Haiensibus Israelitarum præsentiam, cùm Josua de nocte in vallem propiùs ad urbem, de industriâ, accessisset.

Vers. 12. — Acceperat autem circiter quinquies mille viros, etc. Absurdum profectò est existimare, novas hìc insidias instrui, et, ut somniant Judæi, propiùs aliquantò ab urbe, quàm priores insederant. Non enim video quâ id fieri potuisset ratione, clarâ luce, quando illi, qui minùs propè, ut isti volunt, aberant, non nisi per tenebras locum occupare clam civibus potuêre. Neque verò etiam nisi de unis insidiis in captæ urbis narratione mentio erit. Id ergo modò explicatur hoc versiculo, quod supra de insidiis fuerat dictum, expresso hominum numero. Affert autem obscuritatem orationi, quòd hebraica verba nullum præteriti plusquàm perfecti habeant discrimen.

Vers. 13. — Jamque disposuerant populum, exercitum universum, etc. Cùm imperator et seniores, sive tribuni militum disposuissent universum populum, quem in hanc dispositionem eduxerant, hoc est, cùm jam alios in insidiis à tergo urbis, id est, ab occidente, alios in castris ad aquilonem factis collocatos haberent, processit Josua nocte propiùs ad urbem in eam vallem, cujus paulò ante meminimus. Nimirùm ut hostibus suam præsentiam patefaceret, ipsosque urbe proliceret. Credibile est autem ipsum, non magnâ multitudine, sed quantùm contemnere Haienses possent, comitatum processisse : præsertim cùm constitutum haberet, non conserere manus, sed refugere versùs illa, quæ ad aquilonem habebat, castra. Cur autem de nocte, ac non clarâ potiùs luce, in vallem se contulerit Josua, cùm ab oppidanis conspici vellet, ego hanc eum habuisse causam existimo, ut cùm ipsa locorum ratio, castra ad aquilonem facere suasisset, quæ castra etiam tum latere Haienses volebat, ne ipsis terrori essent, ab Jerichunte verò, sive Galgalis aliud esset consuetum iter, quod Hai duceret, faciendum sibi putavisse callidum imperatorem, ut hostes nihil aliud quàm se rectà ab Jerichunte profectum adesse cum paucis illis quos secum duxerat, suspicarentur; unde nuper illi quoque venerant, quos devicerant. Verùm enimverò posset iste versiculus explicari quoque hâc sententiâ: Jamque populus perniciem moliebatur, urbi videlicet, tum per castra illa ad septentrionem posita, tum per insidias, quæ ad occidentem insederant. Nam verbum שם, talem habere vim significationis videtur etiam in Regum historiâ, ubi Benadad servos suos cohortatur ad excidendam Samariam. Sic enim illìc scriptum est ויאמר אל העיר ערדו־שיכם ושיכם על, quod ad hunc modum est interpretatus Chaldæus. *Et ait ad servos suos : Omni studio incumbite, ad capiendam urbem* scilicet : *Et incubuerunt in urbem*, etc. Et rursùs, ubi Deus memorat Amalecitas malum Israeli esse machinatos per viam, et ubi Jonabad Davidi aperit odium, quod Absalom adversùs Amnonem gerebat, ob constupratam sororem. Alias hujus loci sententias, quas commemorant Rabbini, Salomon, Kimhi, Levi F. Gersonis, alii, sciens præterco, ut nimis argutas, atque extortis verbis formatas. Cæterùm quod converti, *insidias* in hoc versiculo est hebraicè עקב, quæ positio decipere et fallere interdùm significat. Insidias autem ad fallendum hostem comparari nemo nescit. Latinus autem interpres pro extremâ castrorum parte accepit, quia calcaneus quoque illi voci subjicitur, quæ est pedis postrema pars. Nimirùm existimare videtur iste, sic ad septentrionem facta fuisse hæc castra, ut ad insidias usque pertinerent, quæ ad occidentem latebant, quam sententiam ut non lubet refellere, ita minimè probare possum. Verùm illud faciliùs concesserim, insidias illas calcaneum vocari, quia post urbem, hoc est, ad occidentem, erant. Nam pronomen, *ejus*, pertinet ad exercitum.

Vers. 14. — Factumque est, ut vidisset rex Hai, properarunt, etc. Credibile est, videre, hìc pro, percipere, positum esse, atque à vigilibus, qui excubias eâ nocte agebant, et strepitum fremitumque militum, cum imperatore in proximum urbi campum descendentium senserant, perlatum ad regem fuisse nuntium præsentiæ Israelitarum. Neque enim silentio suos continuerat Josua, cùm suum adventum oppidanis esse notum vellet. Rex igitur re cognitâ illicò cum suis deliberat de hoste cum primâ luce invadendo. Itaque alacri studio manè, unà cum rege, quotquot ad hanc pugnam delecti

ab eo nocte erant, urbem egressi versùs eum locum, quem in illâ nocturnâ deliberatione præstituerant, nempe qui erat pro deserto, et in quo adesse Israelitas senserant, hostem petière, cùm nescirent insidias sibi constructas latere post urbem. Sunt qui illud לְמוֹעֵד non de loco, sed de tempore præstituto, accipere malunt, putatque Levi F. Gersonis, Haiensis eam diei horam observare voluisse, quâ nuper pugnârant feliciter, superstitiosâ spe similis fortunæ. R. Salomon verò opinatur, illos artibus magicis horam sibi pugnæ certam designâsse, ut fortunatiorem. Mihi ad locum potiùs spectare visum est, quem ex vigilum relatione constituerant; idque quod subnectitur, *ante solitudinem*, ἐξήγησιν illius esse, atque explicationem. Et R. Isaias quoque locum notari existimat, eum quo superiore velitatione fuerant feliciter cum Israelitis congressi. Sed neque absurdè, opinor, accipiatur, pro tesserâ militari, sive signo portis erumpendi dato. Nam sic in Judicum etiam historiâ positum est hoc verbum, si eidem R. Isaiæ credendum est. Rursùs illud, לִפְנֵי הָעֲרָבָה quod converti, ante solitudinem, eam videlicet, cujus proximo versiculo erit mentio, alii planitiem interpretari malunt, atque de eo accipere loco, qui paulò ante est עֵמֶק vocatus; huic enim verbo, non solùm vallis, sed etiam campus subjicitur. Quam sententiam qui probant, iis τὸ לִפְנֵי est, non *ante*, sed, *ad*, vel *versùs*. Et sanè nomen עֲרָבָה non solùm significat, ut videtur, idem quod מִדְבָּר; solitudinem, sed etiam locum æquabilem, planum, campestrem; unde à Symmacho nunc πεδινή, nunc ἀοίκητος, redditur, ab Aquilâ verò plerùmque ὁμαλή. Sed ut ut ista sunt, dubium non est quin in eum illi locum contenderint, in quo hostem versari senserant. Porrò cùm sequitur : *Nesciebat enim ille*, etc., rex ipse ut socors, segnis, iners, imprudens tectè notatur. Nam qui vult imperio atque principatu, debet ille etiam consilio, et prudentiâ præstare aliis. Tam justè enim cives ab imperatore imperium salutare, quàm imperator à civibus promptam obsequentiam, requirunt. Fuit profectò regis Haiensis munus, in tantâ potentissimi hostis vicinitate, et recente sociæ urbis calamitate, nullum tempus curâ maximâ vacuum prætermittere, sed die cogitare quæ de nocte, et nocte quæ de die facto opus esset; habere apud hostes qui consilia eorum occultè perciperent, habere circùm urbem longè latèque dispositas excubias et speculatores; quibus loca omnia, præsertim montosa illa et confragosa, insidiisque apta, continuò explorata essent. Quæ omnia cùm ille neglexerit, videmus quantâ cum suâ et populi pernicie abusus sit principatu. Nimirùm superiore victoriolâ stulte inflatus, securè voluptatibus suis se dederat. Atque hìc observandum est, quàm sit stupidus mortalium animus, quàm incautus omnium malorum, quando Dei gratiâ destituitur, neque ejus instinctu, quasi manu, dirigitur.

Vers. 15. — Fingebant autem se cædi Josua et omnis Israel, etc. Sic sum interpretatus verbum inflexionis niphal, וַיִּנָּגְעוּ, quasi ad formulam hithpael pertineret. Sæpè enim istæ formulæ commutantur inter se. Mihi enim probabile videtur, incruentam prorsùs fuisse Israelitis istam victoriam, statque à me R. Salomon. Nam si vel paucissimi eorum fuissent cæsi, esset id damnum apertè commemoratum, ut in simillimâ huic narratione factum est, in Judicum libro. Verumtamen non pugnavero, si quis cum R. Davide Kimhi malit opinari non sic Israelitas fugam expeditè simulare potuisse, ut prorsùs nullius tergum plecteretur. Cæterùm desertum quod fugâ petebant, illud esse opinor, quod paulò ante *Araba* vocabatur, et inter hoc desertum, atque urbem Hai, mediam fuisse vallem eam, sive planitiem, in quam nocte Josua processerat è castris ad aquilonem factis. Fuit autem hoc desertum, quantùm sanè ex descriptis finibus Benjaminitarum, c. 18, videre videor, illud quod Bethaven vocabatur, urbique Bethel suum infame nomen posteris temporibus aliquando accommodavit, cùm ei esset ab aquilone vicinum; et, ut est credibile, propè ad Hai usque pertineret. Unde etiam conjecturam facio, atque suspicor, in hoc deserto posita fuisse castra ea, quæ nuper Josuam ad septentrionem facere dicebamus. Ideòque fugam illò nunc fieri ab Israelitis, ut qui in castris fuêre relicti, cùm imperator paucis, ut diximus, comitatus, se hosti ostensum ivisset; facilè se possent, cùm usus esset, cum suis fugam simulantibus conjungere, et in hostes ire, ad urbem ab insidiis incensam conversos.

Vers. 16 et 17. — Itaque exciti sunt populus omnis, qui erat in urbe, etc. Verbum רוּעַ, vociferari significat; sæpè tamen in vocandis aliquò per classicum militibus usurpatur. Ideòque videor non ineptè, *exciti sunt*, interpretari potuisse. Græcus, sive illi Theodotion, sive alius fuit (nam à Septuaginta hic locus est omissus) reddidit, ἐνίχυσε, hoc est, invaluit.

Nimirùm ejus menti obversabatur verbum, חזק, propter vocis similitudinem, nisi existimare malis, illum ad mutuas populi inter se cohortationes (ut fit in tam bonâ spe) respexisse; eis enim vires animique augescunt. Certè hoc ipsum sensisse Latinus videri potest. Dictum quidem ante est, regem et populum ejus omnem manè prodiisse urbe adversùs Israelem; at id de illis modò accipiendum erat, quos ad eum conflictum sibi rex delegerat. Neque enim illicò urbs omni præsidio temerè nudabatur: porrò nunc, cognitâ hostium fugâ omnes evocantur prorsùs milites, tanquàm nihil jam aliud opus sit, quàm hostem persequi et cædere. Sed imbellem turbam intra portas mansisse tamen, ex vicesimi quarti versûs clausulâ conjici potest. Nimirùm vecors atque amens rex, vanâ gloriolæ dementatus spe, cùm putaret, se non modò Haiensium suorum liberatorem, verùm universæ Chananææ vindicem fore, profligatis atque exterminatis Israelitis, classico evocari jussit, quotquot arma ferre possent, non solùm Haienses, sed etiam Bethelitas. Consentaneum tamen sacris verbis est Bethelitas, relicto suo oppido, dudùm in Hai fuisse, ut urbem munitiorem communibus viribus tutarentur, cùm alioqui in hujus regis ditione essent. Est enim in sacris verbis: *Populus omnis qui erat in urbe*, non autem in urbibus. Quin pro illo, *in urbe*, habent nonnulli codices, *in Hai*, ut ex chaldaicâ versione certum est, quam ego manuscriptam habeo emendatissimam; idque etiam ab auctoribus מסדת est proditum. Sed objicias, ex Judicum historiâ apparere, Bethel fuisse oppidum munitissimum, ut quod non nisi proditione potuit capi. Atqui credibile est, cum à Josuâ funditùs deletæ essent Jericho et Hai, Chananæos insequentibus temporibus vicini illius oppidi muros difficilibus atque arduis operibus molitos esse atque obvallâsse, ut eam sibi stabilem certamque sedem adversùs Israelitas illâ regione haberent.

Vers. 18. — Ait itaque Dominus ad Josuam: Protende clypeum, etc. Quod clypeum, interpretamur, est hebraicè כידון, quâ voce in Regum quoque historiâ clypeus significatus est, aut certè arma, quæ humeros tutantur. Josephus quoque, et Symmachus ἀσπίδα dixerunt, at Septuaginta γαῖσον, quod Gallici et Lybici teli ferrei genus esse scribunt auctores boni. Est tamen ubi Septuaginta clypeum γαῖσον vocârunt. Porrò Jesus Sirach, ῥομφαίαν fuisse censuit. His enim verbis allusit ad istum locum, ut in bonis libris scripta exstant: ὡς ἐδοξάθη ἐν τῷ ἐπᾶραι χεῖρας αὐτοῦ καὶ ἐν τῷ ἐκτεῖναι ῥομφαίαν ἐπὶ πόλεις, hoc est, quantam consecutus est gloriam, cùm sustolleret manus suas, et extenderet romphæam adversùs urbes. Romphæam autem teli genus Thracum esse, docet Gellius, lib. 10, c. 25. Et Chaldæus quoque lanceam, aut telum, est interpretatus; dixit enim ריכוחא; atque hunc universa Judæorum synagoga sequitur, quorum plerique audent etiam de suo addere, vexillum ex eâ hastâ, sive telo fuisse suspensum, quò faciliùs dari insidiis signum posset. Sed parùm referre puto, clypeumne an hastam fuisse dicas. Neque enim existimo eos, qui in insidiis fuêre, tam hoc Josuæ aspectabili nutu, quàm Dei pulsu, tempus surgendi, urbemque invadendi adesse intellexisse. Monuerat quidem illos imperator, ut simul atque pellecti fugæ specie extra mœnia oppidani longiùs forent, ipsi urbem ex alterâ parte invaderent. Et credibile est, eruptionem civium potuisse ab insidiis, aliquâ saltem ex parte videri, cùm fugientes Israelitas persequerentur versùs septentrionem; verumtamen ne ipse quidem Josua, qui sive clypeum sive hastam protendebat, scire satis potuit, quando vacuefacta omni præsidio, atque opportuna insidiis tandem urbs esset, nisi Deo submonente. Igitur quod jubet Deus, clypeum, sive hastam protendere, aut veluti innuere versùs oppidum, ego certè ad arcanam potiùs, et divinam quamdam efficacitatem referendum esse opinor; quâ ille suo populo omnis rei gerendæ opportunitates suggesserit, consilia in mentem miserit, animos addiderit: contra verò adversariis dementiam, pavorem, desperationem rerum omnium incusserit. Et in summâ, planè geminum esse hunc Josuæ gestum cum illo Mosis, quo Amalecitæ vincebantur, in Exodo. Nam et ille congressus cum hoste primus fuit, Mosis principatu, ut iste Josuæ. Jerichuntem enim absque ferro expugnaverat Deus suâ divinâ potentiâ, sicut Pharaonis copias aquis suffocârat. Neque Josua manum suam reducit cum clypeo aut hastâ nisi confectâ pugnâ. Neque Moses suas demittebat, quin simul de suorum alacritate plurimùm remitteretur, atque adeò victoria ipsa amitteretur.

Vidit hoc Augustinus quoque, ut mihi certè videtur, cùm scitè utramque narrationem inter se conferret, sed tectè, cujus analogiam, quâ utitur, ut potero, paucis explicabo. Moses qui pugnam cum Amalecitis inirent, non deligebat ipse, sed Josua, quem Jesu Christi personam sustinere diximus, id negotii dedit. Et

hoc quoque loco Josua ipse triginta illa virorum millia ad istam expeditionem è toto exercitu deputavit. Scilicet Jesus erat, qui dicebat: *Non vos me elegistis: sed ego elegi vos.* Moses manus suas sustollebat in cœlum, non protendebat, quippe ejus erat postulare è cœlo auxilium, cùm ipsius de suo afferre nullum posset; at Josua, sive Jesus, protendit versùs Hai manus efficaces, versùs istum, opinor, terrarum orbem, Satanæ tyrannide vastatum (Hai enim vastitatem significat), neque retrahit, cruci tanquàm hastæ affixus, donec consummata sint omnia. Sed hæc hactenùs. Sequitur in sacro textu: *Nam in tuam manum dedam illam.* Id est, ex istâ tuâ exporrectâ cum clypeo manu victoriam hanc pendere volo. Nam alioqui satis jamdudùm certus erat imperator superioribus Dei promissis, se victorem fore. Cur autem Deus fortissimum, atque animo invictissimum imperatorem à pugnâ cohibere, et veluti ad protensum clypeum alligatum insistere uno loco otiosum voluerit, magnæ causæ afferri facilè possunt. Cùm enim dux ipse nihil suâ virtute patrat, sed feriatus à pugnâ, et manum modò versùs urbem hostilem protendens, veluti digito præsentem Deum ostendit, cujus numine res feliciter geratur, nullus arrogantiæ locus militibus relinquitur, sed solida victoriæ gloria Deo reservatur, æquè atque Jerichuntis eversæ. Nihil enim aliud, quàm hostem non repugnantem, sed divino stratagemate conturbatum cædunt illi, atque adeò commissum profligatumque ab ipso Deo bellum, manu ipsi conficiunt. Cùm porrò sequitur: *Protenditque Josua clypeum*, prompta imperatoris obedientia ad omnem Dei nutum declaratur. Ut enim quisque animi magnitudine præcellit, atque inter alios optimus est, ita maximè cupiditate gloriæ ducitur, et ejus oblatæ occasionem ægerrimè de manibus amittit. Jam verò quid aliud esse videbatur, imperatorem in hâc tam præclarâ vindictâ, manum ab hoste feriendo abstinere, et ridiculo, ut certè videbatur, gestui interim vacare, quàm non dicam gloriam contemnere, verùm turpem etiam ignaviam profiteri? sed ille Dei jussis omnia posthabet, neque suam aliam atque Dei gloriam esse statuit.

Vers. 19. — Et insidiæ surrexerunt properè de statione sua, etc. Insidiæ collocatæ fuerant ab occidente, ut audivimus supra; qui verò hostem prolexerant, inter quos erat imperator, ii refugiebant versùs desertum, quod ad septentrionem esse diximus. Fieri igitur quidem potuit, ut ab insidiis conspiceretur protensa imperatoris manus; at id surgendi signum observare illæ nusquàm jussæ videntur. Et ut demus fuisse jussas, illud ratum fixumque manet, non ejus solius symboli causâ exporrectam fuisse illam imperatoris manum, cùm, ut videbimus, eum ille gestum continuò egerit ad profligatum usque prorsùs hostem, neque destiterit, simul atque per fumum intellexisset, functos esse suo sibi assignato munere insidiatores. Quare hos divino instinctu potiùs quàm manûs illius efficientiam esse dixi, surgendi tempus sensisse existimo. Porrò illud: *Pervenerunt ad urbem,* rectè etiam interpreteris, intrârunt in urbem, cum Chaldæo, et Septuaginta. Verbum enim, בא, utrumlibet significat. Quòd autem incendisse urbem memorantur, id quatenùs fumum modò unâ aliquâ in parte excitarent, accipiendum est. Hoc enim de compacto signum dabant sociis fugam simulantibus, ut se in hostem converterent, quod ex simili historiâ, quam in Judicum libro, 20, esse scriptam dixi, intelligitur. Neque enim oppido injectæ flammæ perdendi causâ sunt, nisi cæsis priùs omnibus, qui eruperant, direptâque oppidanorum universâ prædâ, ut ad versiculum 24 dicetur.

Vers. 20. — Porrò viri Hai respexerunt post se, etc. Quod dico, Haienses non habuisse locum fugiendi, potest etiam de viribus animi corporisve accipi. Nam יד, animi manus, non rarò, pro facultate agendi aliquid usurpatur, quasi pavore consternati cum animi robore, corporis quoque vires, ut fit, amisissent. Nam id etiam Benjaminitis, in pari casu accidit, ut est in illâ, quam sæpè cito, historiâ Judicum, 20, 40, perscriptum: *Respiciebat*, inquit, *Benjamin: et ecce fumus urbis sursùm ferebatur. Itaque Israelitæ, qui adhuc fugam simulaverant, convertebant se: Benjamin verò conturbatus est, sive obstupuit,* etc. Ego tamen, locum, interpretatus sum, quòd ea quæ sequuntur hanc videantur particulam explanare, causamque afferre, cur neque hùc, neque illùc fugiendi locus esset, nempe quia hostis hinc atque illinc ingruebat. Neque verò insolens est, verbum illud, ידים, pro spatio, dicere. Sed perinde est, utram sententiam sequare, cùm probabile sit, et quia ab hoste interclusi utrinque essent, et quia formidine genua labascebant, fugere illos nequivisse. Nimirùm exporrectæ illius manûs vim non minùs ipsi adversam sibi, quàm Israelitæ prosperam sentiebant.

Vers. 21. — Josua enim, omnisque Israel cum

VIDISSENT INSIDIAS CEPISSE, etc. Omnis Israel, dicuntur ii, qui cum Josuâ se oppidanis ostenderant, ipsosque, fugâ simulatâ, urbe extraxerant, aut si hoc mavis, isti Josuæ appellatione significantur; omnis autem Israel, cùm dicitur, illi etiam his adjunguntur, qui cùm in castris ad septentrionem factis mansissent, jam se sociis fugam simulantibus addunt, ubi captam esse urbem ex fumo intelligunt. Nam ipsum imperatorem, quamvis nominetur, pugnæ tamen non interfuisse certum est, sed seorsim usquàm fixum institisse, manum cum clypeo, aut hastâ protendentem ad urbem.

VERS. 22. — ILLI VERÒ PRODIBANT EX URBE HIS OBVIAM, etc. Pronomen, *illi* demonstrat eos qui in insidiis latuerant, jamque urbem occupaverant. *His*, verò, ipsos Haienses, qui et à conversis Israelitis repulsi, et viso patriæ fumo perturbati, se versùs urbem recipiebant. Porrò illa, שריד et פליטו, ego sic differre inter se arbitror, ut τὸ שריד, significet τὸν ζωγρήθεντα, hoc est, eum qui vivus ab hoste capitur; פליטו, verò, qui fugâ evadit. Et certè captis parcere, cùm vetera, tum nupera Dei mandata vetabant. Effugium verò patere nulli potuit, quòd undequàque ab hoste esset interclusum. Atque hìc palàm videmus verum esse, quod nuper monebamus, puniri à Deo pios ad salutem : impiis verò et sceleratis suam sibi, quæ apparet, felicitatem esse exitio. Fugerant ante paucos dies Israelitæ, cum magno, ut videbantur, malo; at ea res occasio ipsis fuit egregiæ adversùs Deum pietatis, pietas autem hujus victoriæ. Vicerant verò Haienses : sed eâ quamtùmvis modicè prosperâ fortunâ tam fuêre dementati, ut præ vecordiâ animi, neque suas exiguas vires, neque hostium maximas copias, et admirabilem aliàs felicitatem secum reputare possent. Itaque factum est, ut horum insolentem gestientemque lætitiam repentè luctus tristissimus occuparet : illorum verò brevissimus luctus maximo gaudio pensaretur. Nimirùm sunt omnes viæ Dei misericordia, veritas, et judicium. Quare æquo animo ipsi permittamus rerum nostrarum procurationem. Neque nostris rationibus metiamur, quæ piis adversa, impiis prospera videntur evenire; sed illius immensam misericordiam cum salutari justitiâ temperatam amplectamur, in eâque acquiescamus.

VERS. 23. — REGEM VERÒ HAI CEPERUNT VIVUM, etc. Sive jussi ante ita facere, sive sponte suâ, regem, ut majestate verendum, perducunt vivum ad imperatorem, existimandum est, cœlesti id instinctu fieri, ut præ cæteris eximio supplicii genere ille periret, ad terrorem aliorum regum. Nam à regum sensu populares pendent, ut in reliquo vitæ cultu, ita in religione vel maximè. Necdum enim misericordiæ januam occlusisse Deum Chananæis, si quos pœniteret impietatis, docebit nos proximi capitis historia. Deberent sanè reges, principesque rerumpublicarum sæpè eam cum animo suo reputare, quæ præclarè prudenterque, ut omnia, sunt à Cicerone dicta, de Leg. l. 3, quòd quæcumque ipsi vitia concipiunt, ea infundunt in civitates, plusque exemplo, quàm peccato nocent. Sunt enim plerique omnes illorum vitæ imitatores magis, quàm legum cultores. Ut nihil illi effecisse videri possint, quamtùmvis bonas leges parentibus præscripsêre, nisi bonis etiam moribus præiverint. Quare jure, ut est à Sapiente illo nostro benè dictum, qui dignitate præ cæteris amplificati sunt, judicio severiore damnabuntur. Et ut vulgus veniâ dignum videri possit, potentes certè potenter torquebuntur, si non in hâc, at in alterâ vitâ. Nam pereuntis populi animæ ab illorum manu exigentur.

VERS. 24 ET 25. — CUMQUE ABSOLVISSENT ISRAELITÆ OCCISIONEM, etc. Cùm Israelitæ, inquit, ad internecionem usque cecidissent barbaros, quotquot ipsos fuerant pro portis insecuti, invadebant simul omnes urbem, hoc est, et illi qui ante apud Josuam fuerant, et illi qui in insidiis delituerant, cùm captâ urbe, etiam ipsi obviàm Haiensibus processissent, atque turbam imbellem, quæ intra mœnia manserat, universam gladio perimebant, prædamque diripiebant, et pecudem abigebant, quod in Jerichunte delendâ fas non fuerat. Conficitur igitur, illos qui ex insidiis urbem primi ceperant, eam non delevisse incendio, ut dixi, cùm nunc tandem simul omnes ut integram invadant. Nominatur desertum, quia, ut supra audivimus, illò in fugam simulatè se contulerant Israelitæ. Septuaginta videntur legisse, *in descensu*, pro eo quod est hìc in hebræo, *in deserto;* dixerunt illi enim, ἐπὶτῆς καταβάσεως. Nimirùm, quia sic scriptum habetur versiculo 5 capitis superioris, de clade, quam Israelitæ ab Haiensibus primùm acceperunt. Porrò cùm duodecies mille numerantur, qui eo die perierunt, Haienses omnes, existimant quidam, eos solos qui in ip â urbe sunt interfecti, Haienses vocari. Quis enim existimet, inquiunt, in urbe regali, præsertim regionis populosissimæ, non plura fuisse civium capita? Ad hoc, certum est Beth-elitas quoque in hoc conflictu simi-

liter atque Haienses, cecidisse. Ego verò non solos Haienses, tum qui extra oppidum eruperant, tum qui se domi, ut imbelles continuerant, esse numeratos, sed simul etiam Bethelitas, eosque omnes non fuisse plures duodecies mille, credibilius esse dixerim, propter speculatorum, qui ante missi fuerant, relationem. Etenim fuerit eò Haiensium dementia major, qui vix sexies mille pugnatores cùm essent, tam temerè se magno populo, et felici rerum successu celebratissimo opposuêre : et Dei quoque consilium admirabilius, qui suos, quamvis numero infinitis partibus superiores, tamen stratagemate, non viribus, vincere voluit: ut ne contumax in ipsum suopte ingenio populus videlicet, sibi, non illi, victoriæ gloriam adscriberet.

Vers. 26 et 27. — Porrò Josua non reducebat manum suam, etc. Aliter, ut ego certè existimo, Josua delere hoc loco Haienses memoratur; aliter P. Cornelius Scipio Carthaginem à profanis scriptoribus. Neque enim ille suo ductu et imperio modò Haienses delet, sed extentâ manu, hoc est, non ingenii, nedum corporis viribus, suâque virtute, sed nutu divino : cujus efficientia, ut dixi, in illo imperatoris protenso brachio posita erat, sicut in sublatis Mosis manibus adversùs Amalecitas in Exodo. Cæterùm, quia non reducit manum, nisi re omni confectâ, satis certum est, non evocandi solùm ex insidiis militem signum dare illum voluisse. Sed de hoc supra. Quod porrò dicitur, *urbis ejus,* propter Jerichuntem dicitur, à cujus spoliis, ut Deo devotis, abstinere manus milites debuerant. Est autem hoc illi consentaneum Deut. 20, 14 : *Comedes spolia hostium tuorum.*

Vers. 28. — Ipsam verò Hai exussit Josua, etc. Ad versiculum 2 explanavimus Dei consilium in exscindendâ subvertendâque hâc urbe. Sed enim apparet, non in perpetuum vastatam mansisse. Nam in Nehemiæ historiâ memorantur Benjaminitæ eam habitavisse, post instauratam Jerusalem. Verùm responderi potest, verbum, עולם, sæpè non perpetuum, sed longum tempus significare, quod tamen insigni quâpiam rerum conversione tandem interrumpatur. Jam verò à Josuâ ad Nehemiæ ætatem mille, et circiter centum annorum fuit intervallum; ac quod ad Hebræos attinet, planè erat nova rerum omnium facies, alii mores, alia lingua. Et omninò novum quoddam ævum, post grave illud Babylonicum exilium auspicari ab integro videbantur, ad priscas sedes reducti. Quod autem de verbo, עולם, dico, id mihi assentiuntur etiam Talmudici, ubi disceptant de sacrificiis. Tria enim illic, עולמים, hoc est, secula definiunt, quorum primum à mundi exordio auspicati, adventu Messiæ determinant. Alterum universum Messiæ tempus complecti statuunt, idque ad resurrectionem corporum, ut vocamus, producunt. Tertium inde à resurrectione extendunt in perpetuum. Quin et hoc dici probabiliter potest, eam Hai quam Benjaminitæ habuerunt posteris temporibus, non in veteris urbis areâ atque vestigio, sed in propinquo solo fuisse exædificatam. Cæterùm cur Nehemiæ seculo, עיא, diceretur, quæ nunc העי est, explicavi supra. Illud autem observandum est, ipsam urbis incensionem, non grassanti militi, sed imperatori adscribi. Inde enim efficitur, quod iterùm atque iterùm dixi, haud temerè, primo impetu, ab insidiatoribus injectas esse flammas, sed consultò crematam esse, confecto tandem hoc bello, direptisque spoliis. Nam haud incitato, atque acri fervore, et præcipiti tumultu, sed sedatè acta esse omnia in hâc pugnâ atque expeditione ab Israelitis, vel inde quoque conjicias, quòd ipsa interfectorum cadavera non solùm numerari potuêre, sed etiam numerata sunt, ut nuper audiebamus. De illâ clausulâ verborum, *usque ad hanc diem,* satis multa diximus alibi. Sed objicias : Esdræ ætate habitabatur à Benjaminitis Hai : non ergo Esdras, aut ejus æqualis quispiam, istorum verborum scriptor est, quod in hujus commentarii initio opinabamur. Atqui quid vetat, urbem istam usque ad Esdræ reditum in terram sanctam fuisse non solùm vastam, sed ipsam vastitatem; tum verò demùm esse instauratam, habitatamque à Benjaminitis? Sed ista minimè obscura sunt, aut explicatu difficilia.

Vers. 29.—At regem Hai suspendit ex ligno usque ad vesperam, etc. Pro, ligno, dixerunt Septuaginta ξύλον δίδυμον, hoc est, lignum geminum, quibus verbis opinor ipsos illud patibuli genus significare voluisse, quo Christus Jesus est enectus; constabat enim illud gemino ligno. Nam quod ex nostris quidam, viri illi quidem pii, è tribus partibus compositam fuisse Christi crucem prodiderunt, est id quidem verum, si tabella, quæ suspensi pedibus, de more, suffixa erat, annumeretur. Chaldæus apertè, crucem, sive patibulum, reddidit; sed hoc fortassis dicere, fuit viris illis religio, quia hoc mortis genus esset turpissimum. Certè Judæi ad hanc usque ætatem, obscuriore

etiam περιφράσει, crucem significant potiùs quàm nominant, cùm dicunt : *Stamen et subtegmen.* Sed apud istos nebulones fortassis vocabulum *crucis*, propter Christi crucem, habet offensionem. Offendunt enim ad illam Judæi plerique, ut ait divus Paulus. Porrò quòd suspensi regis cadaver deponitur cùm advesperascit, atque etiam humatur : id lege fit quæ in Deuteronomio, 21, 22, his ferè verbis est instituta : *Si fuerit quispiam flagitii capitalis reus, isque morte afficiatur, suspenderisque eum ex ligno; non facies, ut cadaver ejus pernoctet in ligno: sed prorsùs sepelies eum, illo ipso die; quia maledictio, sive, contumelia Dei est, homo suspensus: ut ne polluas terram tuam, quam Dominus Deus tuus tibi dat hæreditatem.* Sed quando in hunc locum incidimus, obscurum profectò, et multis multorum verbis parùm adhuc illustratum atque patefactum, non fecerim, opinor, abs re, si paucis de istâ cæremoniâ disseruerò. Igitur Chaldæus paraphrastes opinatur, hominem suspensum ideò vocari contumeliam ; aut maledictionem Dei, quia id supplicium in eos modò constitutum sit, qui Deo aut verbis, aut improbo cultu probrum inferunt. Quippe ejus fœdissimæ noxæ memoria renovatur suspensi hominis aspectu. Hanc opinionem laudat levi F. Gersonis, et præter eum alii complures Judæi. At R. Isaac Æramæus, in eo opere, cui titulum fecit, *Isaaci vincula*, aut Isaac vinctus, arbitratur, suspensum vocari execrationem, non Dei, sed judicum. Nam et hi אלהים, hoc est, dii, vocantur aliquando in sacris litteris. Quia, inquit, ita comparati sunt hominum animi, ut cùm cruci affixum aliquem conspiciunt, detestentur magistratûs severitatem. Sed meo judicio, propensior est ad veritatem Mosis Gerundensis oratio, qui in illum locum hæc ferè scribit : Tametsi, inquit, sontis scelus dignum sit diuturniore suspendio, quàm diei unius est spatium, tamen deponendum est ex hominum conspectu cadaver, quia omnium hominum execrabilissimus, detestabilissimusque habetur, qui suspendio necatus est. Neque est ullum mortis genus eo turpius et probrosius. Sic ille. Et verò crucis mortem fœdissimam fuisse, vel una illa Pauli ἔμφασις satis magno argumento est, quâ apud Philippenses 2, 8, utitur, cùm dicit : *Mortem autem crucis.* Tum illud, quod ad Galatas, 3, 13, scribit, ad hunc spectans locum : *Christum pro nobis factum fuisse* κάταραν, hoc est, *maledictionem; ut nos à legis maledictione, et diris comminationibus vindicaret in libertatem sancti Spiritûs et fidei justitiam, quæ fuerat promissa Abrahamo.* Sed non satis explicat Gerundensis, cur suspendium sit quovis alio supplicii genere turpius, neque diù ferendum in hominum oculis. Deinde illud etiam absurdum videri possit, deponenda humandaque esse suspensorum cadavera, ne terra polluatur, cùm hanc sepulti, non pendentes contingant, ut si qua est in suspensis contagio, ea minùs inficiat terram, dum illi sublimè pendent, quàm dum humati in illius visceribus sunt. Dicam igitur, quod mihi de istâ re totâ cogitanti aliquando venit in mentem. In aliis suppliciorum speciebus, quæ apud Hebræos in usu fuêre, et à Talmudicis commemorantur in συνεδρίῳ, nullum cadavera hominum oculis proponebat diù, præter suspendium. Cùm igitur ex eo diutino spectaculo facilè deduci quis in extinctæ animæ opinionem posse videretur, atque ut minùs rectè de futurâ olim corporum resurrectione cogitaret, lege sancitum est, ut exanimus homo non diù in cruce penderet, sed humaretur. Semper enim non modò populus Dei Israelitæ, sed omnes gentes ideò sepulturam curæ habuisse videntur, eosque infelices et miseros judicâsse, qui hoc honore fraudarentur, quòd immortalitatis, atque etiam resurrectionis notio quædam in omnium animis fuerit impressa; quamvis de resurrectione nulli illam animi sui informationem explicare potuerint, præter eos, quos Dei Spiritus erudivit, propterea quòd illa omnem naturæ rationem longè excederet. Quò enim, quæso, poetarum spectat commentum, cùm fingunt, eos ad alteram vitam non transvehi à portitore illo sene, quorum corpora inhumata sint, nisi ut ostendant, sepultum corpus ad animi sui immortalitatem pertinere; neque animum in alterâ vitâ satis commodè atque perfectissimè consistere posse, nisi rursùs cum suo corpore consociatus fuerit? Quò illud, cùm eis qui ex hâc luce excessêre, sua membra omnia, tum apud superos, tum apud inferos attribuunt? Sed ista, si vita suppetet, dicentur pluribus capite ultimo hujus commentarii.

Igitur quia à sepulcro prohibere exanimum corpus, atque oculis hominum diù exponere, in rudiore præsertim illo divinarum rerum seculo, videbatur esse brutis propè animantibus æquare hominem, quorum animus simul cum corpore occidit, illumque perinde ac si neque ad immortalitatem natus, neque olim victurus iterùm esset, habere ; planè eâ re, magna Deo ignominia inferri putabatur, qui illum ad

suam imaginem condiderat, ut esset animus ipsius immortalis aliquando ad suum corpus reversurus. Atque hujus opinionis significationem Talmudici quoque dedisse videntur capite 6 τοῦ συνεδρίου, exemplo duorum fratrum proposito, corporis formâ atque lineamentis simillimorum : quorum alter cùm esset creatus rex, alter fortè captus ab hostibus, atque in crucem actus, qui hunc in cruce pendentem videbant, regem ipsum esse suspensum existimabant. Nam Bahajaus, scriptor sanè doctus, et qui interiores atque reconditas litteras libenter scrutatur, Talmudicum hoc exemplum explicavit ad hunc modum : Rex ille, inquit, Dei majestas est, ea quæ vocatur imago Dei; cùm igitur ejus imaginis imago suspensa est, Dei majestas probro afficitur, nisi suo tempore illa auferatur è medio, hoc est, eo die. Nox enim divino judicio dicata est. Sic ille. Jam verò, ut pergam quò cœpi, terra ipsa suspensi hominis spectaculo polluitur, quia homines terræ habitatores perniciosissimâ illâ, atque omnem prorsùs religionem subvertente mortalitatis animi opinione informantur, quando bestiarum loco humana corpora esse vident. Igitur, ut concludam, ego illam deponendorum humandorumque corporum cæremoniam, illaque quæ mortuis jura religiosa alia sacris legibus tribuuntur, ad immortalitatis et resurrectionis persuasionem pertinere putaverim. Quòd si verò aliquis existimare malit, illud sic olim à Deo institutum esse, propter Christi οἰκονομίαν, quem eo die sepeliri oportebat, quo pro nobis fuerat suspensus, ut tertiâ deinde luce, hoc est, sacro Paschate resurgeret, ei ego facilè assentiar. Nam ad terram non contaminandam quod attinet, quis non intelligit, tristissimum per se spectaculum esse, hominis cadaver sublimè pendens, et quo publicæ rei serenitas obnubilari atque turbari videatur? Id quod in terrâ illâ sanctâ parùm consentaneum videri debet ei felicitati, quâ victuros esse illic pios homines promiserat sæpè Deus. Et hæc hactenùs.

Sed enim, ex iis quæ dicimus, forsan occurrat illud : Davidem, cæteroqui divinarum legum observantissimum, graviter peccâsse, cùm septem filios Saülis suspensos, non ante ex patibulo deponi, terrâque condi permitteret, quàm cœlesti aquâ essent conspersa. Respondet quidem ad ista Nehmannus, Gabaonitas, qui illos suspenderant, lege istâ solutos fuisse, cùm non essent Israelitæ. Atqui Davidis jussu, et in terrâ sanctâ pendebant. Ad hoc, legum et jurium communio Gabaonitis cum Israelitis esse debebat profectò, cùm essent horum tanquàm adscriptitii cives, ut proximo capite dicemus. Probabiliùs ergo dici ad illa posse arbitror : Quia illorum septem filiorum Saülis supplicium, ad magnæ illius famis procurationem spectabat, et piaculum offensi Dei erat, non sine Dei oraculo consulto, usque eò in cruce relicta esse ipsorum corpora, dum pluvia cœlum stillans placatum esse Deum ostenderet. Jam enim triennium erat, cùm ille familiæ Saülis, propter occisos Gabaonitas, infensus, intolerabili et perpetuâ fame, per siccitatem, affligeret Israelitarum terrena. Cæterùm præsens locus apertè refellit multorum Judæorum vanam gloriationem, qui prædicant, illam de sepeliendis suspensis legem Israelitarum modò corporum honori consuli voluisse. Non enim rex Haiensis Israelita erat, ut neque Gog, aut hujus milites, quos tamen, ut terra mundetur, sepultum iri vaticinatus est Ezechiel. Sequitur in sacro textu : *Et exstruxerunt super ipsum lapidum cumulum.* Equidem opinor, ut ante quoque dixi, injectis lapidibus non jam sepeliri regis funus, sed glebâ priùs fuisse tectum, ac deinde monimenti causâ statutum esse tumulum. Hoc enim vis verbi, ויקימו, significare mihi videtur similiter aque in Absalonis sepulcro, ויציבו. Significant enim ista verba, non temerè conjicere lapides, sed statuere. Porrò septuaginta Interpretes, dum pro, ostio, reddunt, βόθρον, id est, fossam, aut trajectis litteris, פחת, pro פתח, legerunt, aut præsentem locum ad illam, quam modò dicebam, Absalonis sepulturam accommodare voluerunt. In eâ enim fossæ mentio est, in quam illius cadaver abjiciebatur. At rex Hai, non in fossam, sed ad urbis portam abjectus est : vel quia illic multa persæpè judicia improba exercuerat, vel quia deflagrante jam tum totâ urbe incendio, inferri intra mœnia non potuit.

Vers. 30 et 31. — Tunc exstruebat Josua aram, etc. Verbum, *exstruebat,* est in hebræo temporis futuri. Sed sic ferè solent usurpari verba, cùm appositam habent particulam, אז, nimirùm, quia hæc anceps est, et præteriti atque futuri temporis significationem continet, ut est in vetustis commentariis מכילתא proditum. Præscripta est autem hæc, quæ nunc agitur, cæremonia, à Mose duobus locis in Deuteronomio, capite 11 et capite 27, atque ita præscripta, ut uti eâ debuisse Israelitæ videri possint, simul atque Jordanem transmisissent. Et sanè

cùm ad solemne fœdus pertineat, quod ante inchoatum adversùs barbaros bellum, cum Deo inire æquum erat, jure in eo miretur aliquis, quòd post captas demùm, eversasque duas insignes hostium urbes, usurpata memoretur. Talmudici ergo in סוכה cap. 7, dum prolixè de isto ritu disceptant, non dubitantes dicunt, hæc omnia eo die peracta esse, quo Jordanis siccato alveo superatus est. Verùm id profectò fieri vix potest ut verum sit. Magnam enim dici partem transitione fluminis absumptam esse quis dubitet? præsertim cùm maxima fuerit hominum multitudo, et lapides bis duodeni alii excipiendi, alii statuendi in fluminis alveo. Jam verò in scribendâ lege, recitandâque, instruendâ arâ, in sacrificando, quis non intelligit quantum sit temporis consumptum? Fortassè igitur similius vero videatur, si quis dicat, hanc narrationem mox post circumcisionem et Pascha exponendam fuisse, quemadmodùm de statuâ Michæ, et stupro Benjaminitarum mentio est in fine libri Judicum; quæ, si rerum gestarum ordinem spectes, ad ipsum pertinent principium. Est enim frequens in sacrâ historiâ τὸ ὕστερον πρότερον. Putat quidem Josephus, Ant. 5, 2, acta demùm ista, quæ tractamus, esse, post quintum à transmisso Jordane annum. Et quidam R. Ismael, ut memini me in Talmud Jerosolymitano legere, multis se rationibus confecisse existimat, post decimum quartum tandem annum, ex quo in Chananæam penetrâssent, hoc est, divisâ jam tum atque occupatâ hæreditate, istis sacris operatos esse Israelitas. Nam ad Mosis jussa quod attinet, putat ille ea, de statuendis duodecim apud Galgala saxis modò esse accipienda. Verùm ego opinor istos falli ejus fœderis commemoratione, quod ultimo capite hujus commentarii dicetur, quo præsentis fœderis instaurationem esse ego certè censeo. Repudiatis ergo et Talmudicorum, et Josephi, et Ismaelis sententiis, cæterarum duarum utra sit ad verisimilitudinem propensior, in medio relinquo. Etenim si pro narrationis serie gesta esse ista lubet existimare, mox post eversam Hai, facile erit ad Mosis jussa respondere: iis non tam primum post trajectionem, diem, quàm occasionem primam, quæ commoda obventura esset, præstitutam fuisse. Nam absurdum profectò fuerit, his tam sacris rebus operam dare debuisse præputiatos, quod planè erat necesse, si simul atque trajecerunt, properandum ipsis fuisset ad hæc sacra peragenda. Sin autem credibilius videtur, mox ut circumcisi Pascha fecissent, fœdus cum Deo percussisse, pro felici auspicio maximi belli faciendi, novarumque sedium condendarum; non est quòd magnoperè etiam tum incursionem hostium metuere debuerint: ut quos audivimus, initio capitis 5, tanto fuisse perculsos per id tempus pavore, ut nusquàm auderent apparere. Videtur quidem sive ex Galgalis, sive Hai longius fuisse ad Hebal et Garizim usque spatii intervallum, quàm quod in terrâ hostili, cum universâ populi turbâ, nondum domitis, aut repressis hostibus, confici tutò posset, si montes istos, ut est probabile, et vulgò creditur, apud Sichem extitisse putemus. Atqui vel multò minùs tutum videri illud debebat, universum robur militum circumcisis præputiis sauciare, et veluti vinctum dolore maximo, atque impeditum hosti objicere, præsertim cùm exstaret veteris Sichimitarum cladis memoria, apud eam gentem ab Israelitis pari casu effectæ. Et tamen imperator illicò, jussus à Deo, intrepidè exercitum universum circumcidit. Præterea, etsi longiusculum erat illud iter, tamen per continuam vallem minimè impeditum facilè confici potuit.

Sed quando non una omnium sententia est de hâc re, primùm illud est inquirendum disserendumque, ubi locorum montes isti Hebal et Garizim exstiterint. Igitur vir in mathematicis artibus eruditus, atque in orbis regionibus describendis studiosè et multùm versatus, mihique multis nominibus charus, Gerhardus Mercator, seriò contendere apud me solet, utrumque montem propè ab Hai abfuisse, atque adeò Hai in jugo Garizim fuisse positam; Hebal verò intercurrente valle, paululùm ad occidentem, versùs Bethel, exstitisse, atque aram, cujus in hâc historiâ est mentio, planè veteris illius aræ vestigio fuisse substructam, quam vir sanctissimus Abram inter Hai et Bethel posuisse memoratur. Et hanc suam opinionem ille exquisitis etiam rationibus conabatur confirmare, quarum duplex ferè, quantùm memini, argumentum erat. Alterum ductum ex positu duodecim lapidum, qui è Jordanis alveo asportati sunt ad Galgala: alterum à tempore, quo, nondùm repressis hostibus, turba imbellis abduci longè à castris, quæ in Galgalis posita fuerant, non potuerit. Hùc addebat conjecturam quoque ex Mosis verbis, quæ in Deuteronomio, 11, 15, scripta leguntur, cùm ille, tanquàm ex castris apud Sittim conspectos, et ipsâ vicinitate notissimos istos montes, quasi digito ostendens, ait: *Nonne*

ipsi sunt trans Jordanem, retrò: quà iter est ad occasum solis, etc. Denique solet etiam ingeniosè, et scitè, nec minùs piè, multa congerere, quibus locum illum, inter Hai et Beth-el, admodùm religiosum, et huic nostræ cæremoniæ multis nominibus aptissimum congruentissimumque esse probet. Postremò etiam Hieronymi auctoritate pugnare: qui in libello de Locis hebraicis confidenter atque affirmatè pronuntiat, montes istos haud procul ab Jerichunte et Galgalis abesse; atque Samaritanos magni et manifesti erroris damnat, qui apud Neapolim, hoc est, Sichem, eos ostendant. Neque verò terret Mercatorem meum, quòd in Judicum historiâ, mons Garizim urbi Sichem dicitur imminere, quòdque illìc etiam Allon, aut quercus Moreh statuitur. Producit enim ipse montem Garizim longo et perpetuo jugo inde à Sichem ad Hai usque, atque ulteriùs etiam ad Jerichuntem, et propè ad Galgala. Atque ei subjectam vallem, Moreh, appellatam esse, statuit. Sic ferè sentit Mercator. Quæ si vera sunt, ut sunt sanè minimè absurda, erit expeditissima ratio, cur post eversam tandem Hai his sint operati sacris Israelitæ. Sed quando apud omnes jam olim pervagata opinio montes illos propè Sichem collocat, ut dixi, facere non possum, ut planè illi assentiar; neque ut nullis argumentis vulgi sententiam comprobem, Mercatoris infirmem. Primùm enim Moses illos describit his ferè verbis; cùm in campis Moabiticis castra habet: *Nonne sunt ultra Jordanem, retrò; quà iter est versùs occasum solis, in terrâ Chananæi habitantis in planitie* (aut solititudine), *è regione Galgalorum, apud Elon Moreh?* Jam verò ex Abræ historiâ constat, Elon Moreh aut ipsam esse urbem Sichem, aut ei proximum locum. Memoratur enim ille, jam tum recens ex Mesopotamiâ veniens, penetravisse per terram Chananæorum, usque ad Sichem, usque ad Elon Moreh. Et ipsam quidem Sichem esse Elon Moreh statuunt Talmudici in סוטה capite 7. Ego verò ei oppido propinquum potiùs fuisse locum dixerim, in quo Abram secessum quærens, primam omnium in Chananæâ aram ei Deo struxerit, à quo excitus patriâ illùc venerat, cùm Jacob quoque eodem illo itinere ex Mesopotamiâ in patriam revertens memoretur et ipse pro urbe Sichem substitisse, aramque struxisse, haud dubiè eodem solo, quo ante avus suus Abram. Nimirùm locus ipse eum avitæ pietatis admonebat, dulcique recordatione tanti viri, atque etiam religione retinebat. Movemur enim omnes, atque delectamur eorum locorum conspectu, in quibus hominum, quos admiramur, aut singulariter amamus, adsunt ulla vestigia. Et alioqui solemne semper fuit, ut quem locum majores religiosum fecissent, eum posteri, pietatis ergo, lubenter reviserent. Cur autem locus ille, Elon, et Elon Moreh, vocaretur, hanc ego verissimam afferri posse causam censeo: Quia fuerit illic, *Ela*, arbor; sive ea quercus sit, sive terebinthus, vel ἐλάτη, aut alius speciei quæpiam (nam varia est apud Hebræos opinio). Hoc enim certum est vel ex Jacobi historiâ, defodit enim ille ibidem sub Ela familiarium suorum deos, priusquàm ad Beth-el inde migraret. Et Josua noster, paulò antè quàm exiret ex hâc vitâ, cùm præsentis fœderis instaurationem celebraret, eodem loco, sub Ela, statuam posuit, ut dicemus in hujus commentarii extremo, si volet Deus, quamobrem deinceps appellatus est locus ipse, *Elon Muzab*, hoc est, quercus, sive terebinthus, aut abies statuæ. Nemo enim dubitare potest, quin Ela, et Elon, atque etiam Allon, eadem una positio sit. Sed ante ab Abramo Elon Moreh nominatus fuerat, quia cùm illùc ipse pervenisset, Deusque ei apparuisset, et simul terram, cujus ipsum esset possessione olim amplificaturus, ostendisset, inquiens, Gen. 12, 7: *Semini tuo dabo terram istam*, à tam fausto monstratore, hoc illi nomen posuit *Moreh*, quod *monstratorem* significat. Et de his hactenùs. Nam explicatiùs dicentur iterùm cap. ultimo, ad vers. 26, si vita suppetet.

Porrò quòd Mercator montis Garizim longum jugum à Sichem ad Hai, et ultra producit, id sanè illi facilè nemo concesserit, opinor, nisi certis rationibus probet. Certè Josephus non uno loco hanc quam explicamus cæremoniam, apud Sichem actam esse pronuntiat, ibique montes istos collocat. Cui profectò, ut in illis regionibus nato, atque educato, vix ausim eâ in re fidem negare. Ad hæc, Talmudici, ut minimum, diversis duobus in libris, eosdem hos montes circiter sexaginta millia passuum ab Jordane abesse scribunt, apud quos sunt hoc ritu, atque his sacris Israelitæ defuncti. Denique nostrorum hominum, qui loca illa peragrârunt, ad unum omnes, quos ego certè legi, exiguo intervallo illos à portâ australi novæ Sichem distare, prodiderunt. Sed inter alios Borchardus sanè diligens scriptor, qui decennium totum in illis regionibus studiosè est volutatus, ait, propè ab illâ urbis novæ portâ abesse fontem celeberrimum, quem Jacobi

nominant; et supra fontem exstare duobus verticibus assurgentem montem, quorum verticum alterum Garizim, alterum Hebal etiamnum accolæ putant fuisse olim. Sed dices, hanc accolarum, atque etiam Talmudicorum et Josephi opinionem inde à Samaritanis illis esse profectam, et mansisse in vulgo, quos à divo Hieronymo inscitiæ damnatos fuisse dicebat Mercator. Atqui ego Hieronymum libelli illius interpretem, non auctorem fuisse contendo. Est enim ab Eusebio græcè primùm scriptus, et deinde à Hieronymo traductus; quanquàm aliquot etiam locis hunc de suo non nihil addidisse fateor. Eusebius autem hebraicæ linguæ imperitus, malam illic græcorum librorum fidem religiosè secutus, quod in hebræo est, è regione Galgalorum, id credidit solùm esse quod habent libri græci, ἐχόμενον τοῦ Γαλγάλ, hoc est, apud Galgal; cùm illud, *è regione*, de locis etiam procul inter se dissitis usurpetur. Est enim hebraicè, *Mul*, idque in Deuteronomii initio, mare Rubrum cum eâ camporum Moabiticorum planitie committit, in quâ Moses, paululùm ante excessum suum, populo legem explanabat, quæ loca quàm longo inter se absint intervallo, quis nescit? Magis ergo accusandus inscientiæ Eusebius videri potest, quàm Samaritani.

Porrò ad cætera Mercatoris argumenta quod attinet, quis ei det quod ipse sumit, eosdem esse lapides, qui è Jordane asportati sunt, et in Galgalis statuti, atque quibus in Hebal calce oblitis inscriptum est Deuteronomium? Sanè illos viri singuli tollere, humerisque gestare potuerunt; hos prægrandes sumi debere præscripsit Moses, ut tam multis versibus excipiendis sufficerent scilicet. Conantur quidem Talmudici, quibus ipsis quoque ea opinio est, ut putent eadem esse saxa; conantur, inquam, illi, sed ridiculis commentis, excusare, quòd tantas moles viri singuli gestâsse memorantur. Sed profectò conatu maximo nihil aliud quàm nugas maximas proferunt. Ad hoc, illi in Galgalis lapides statuti sunt pro sempiterno monimento siccati vicini fluminis; quare absurdum fuerit, tam citò inde aliò translatos esse: ne dicam quòd Hieronymus ipsos à Paulâ suâ visos in Galgalis, suâ etiam ætate memorat. Denique lapides in Hebal statuendos esse monuerat pridem Moses. At de his ex Jordane sumendis subitum videtur esse Dei mandatum, atque improvisum. Et hæc de lapidibus.

Jam verò ad profectionis longiusculæ difficultatem, responsum à nobis supra est, majus periculum in circumcisione fuisse. Et verò etiam priusquàm ipsi Israelitæ hostiliter se gererent, neminem vidimus qui se hostem ipsis opponeret. Neque verò admodùm longum est ex Galgalis ad Sichem iter, et alioqui planissimum est, ut dixi. Nam sexaginta illa passuum millia, quibus Talmudicos definire id intervallum, quod à Jordane ad Hebal usque est, diximus, brevioribus spatiis mensa sint oportet, quàm vulgò passus solent. In populi enim romani itinerariis, ut vocamus, quæ Antonini nomine circumferuntur, scriptum est, cùm à Neapoli, hoc est, è Sichem, itur Ascalonem, tricies millesimo passu Æliam, id est, Jerusalem, occurrere. Certum est autem Æliam à Neapoli abesse longiùs, quàm Galgala. Quod porrò Mercator montes illos, ut ipso conspectu notissimos, Mosen tanquàm digito monstrâsse putat, quos si ad Sichem usque abfuissent, vix oculis è Sittim assequi potuisset, ego tam certam totius Chananææ cognitionem animadvertere videor in Mose, dùm moriturus suas cuique tribui assignat in eâ stationes, ut animo ipsum potiùs illorum locorum descriptione divinitùs informato, quàm videndi sensu perspexisse Chananæam existimem. Denique pia illa meditatio atque commentatio, quâ religiosissimum faciebat Mercator locum illum, qui erat inter Bethel et Hai, ac planè dignum, in quo sanctissimum hoc fœdus cum Deo ferirent Israelitæ; cùm ibi Abram ante, structâ arâ Deum coluisset; Jacob cœlestem scalam vidisset, atque etiam post ipse aram posuisset; ut alia, quæ ille accuratè commemorat religionis monimenta prætteream, ea, inquam, ejus commentatio plus pietatis quàm firmitatis habere, mihi certè, visa est Cur enim non, vel multò probabilùs illud videatur dici, Mosen divino Spiritu afflatum, eodem prorsùs soli vestigio substruendam aram mandâsse Josuæ, cùm primùm in Chananæam perduxisset populum, quò Abram, cùm ipse primùm Chananæam, relictâ patriâ, attigisset, aram olim posuerat? hoc est, ut ante ostendi, apud Sichem. Nam quid magis consentaneum, congruens, aptum dici queat, quàm possessionis Chananææ auspicia Israelitas eo loco facere, quo Abram ejusdem rei olim futuræ nuntium illum lætissimum acceperat primùm? Atque ubi ille hæreditatis promissæ fœdus cum Deo, positâ arâ, iniverat, priusquàm in eam terram progrederetur longiùs, ibi ejus posteros quoque, cùm jam illa promissa ad rem conferrentur, instauratâ priscâ prioris fœderis arâ, novo se fœdere

Deo obligare, priusquàm ipsam hæreditatem cernant? Illa enim inter Bethel et Hai structa ab Abramo ara, non prima, sed secunda fuit. Hùc illa quoque addi possunt, quæ modò dicebam, Jacobum et ipsum ex Mesopotamiâ reducem, eodem isto loco apud Sichem avi sui illam aram instauravisse, atqu simulacra, ut falsos deos, sub Elà arbore, ad quam verus Deus suam Abræ præsentiam primùm patefecerat, et hanc hæreditatem monstrârat, defodisse, et tanquàm sempiternæ oblivioni dedisse; Josuam denique, sub ultimum vitæ actum, ad hanc ipsam Elam erexisse statuam, quâ iterùm atque iterùm fœdus illud antiquum Abræ renovaret, et posteritatis memoriæ in perpetuum mandaret. Mihi certè ista vel multò augustiora, quàm illa Mercatoris esse videntur. Nolo tamen quisquam existimet, hæc me affirmatè, tanquàm certa et fixa dicere, illa verò Mercatoris præ his repudiare. Neque enim ultra in talibus progredi possumus, tam longâ vetustate obliteratis, quàm ut probabilia sequamur conjecturâ, atque verosimilia proferamus. Et de his hactenùs.

Cæterùm universam hanc cæremoniam cò spectare, ut mutuùm obligentur Deus et Israelitæ, Moses ipse patefecit verbis disertis, quibus eam jubebat, cùm diceret Deut. 26, 17: *Dominum professus es hodiè* (hoc est, profiteberis, sic enim interpretor verbum האמרת,) *tibi fore Deum, teque graditurum per vias ipsius, et observaturum præscripta, mandata, atque judicia ipsius: denique obtemperaturum ipsius voci. Dominus item professus est hodiè* (hoc est, profitebitur) *te sibi fore populum peculiarem, sicut tibi dixit: ut observes omnia præcepta ipsius: seque effecturum te sublimiorem cunctis gentibus à se conditis, laude, famâ, gloriâ. Atque te futurum populum sacrum Domino Deo tuo; sicut dixit.* Et rursùs post pauca, 27, 9: *Attende et audi, Israel: hoc die factus es populus Domini Dei tui,* etc. Nimirùm maxima pars eorum qui ad montem Sinæum præsentes pepigerant cum Deo, jam perierant in deserto, ut capite 5 diximus; quapropter de integro populus, nunquàm satis sæpè multùmque monitus, universè nomen Deo dare, novoque militiæ sacramento ei se addicere debuit, priusquàm ad sacrum bellum cum hoste gerendum, deinde ad hæreditatem, et omninò ad divinorum promissorum, quæ olim patribus promissa fuerant, dulcissimum et salutarem usum fructumque admitteretur. Summa autem totius officii, quod spondent, in eo posita est, ut solum Deum ament, ejusque mandata colant ex animo, neque proximos injuriis afficiant. Sed ut de ipsis ritibus aliquid dicam, qui ideò usurpantur, ut augustiore pompâ sancitum fœdus animos magis afficiat, atque in memoriâ omnium altiùs insideat, primùm eriguntur duodecim prægrandes statuæ. Duodecim enim positas esse, pro numero tribuum Israel, vel hinc conjicere licet, quòd Moses ipse, hujus cæremoniæ præmonstrator, totidem ad montis Sinai radicem, cùm esset populo legem scriptam recitaturus, statuerit. Porrò in iis statuis leges fœderis inscriptæ, oculis omnium subjiciuntur. Deinde struitur ara, in quâ publicè sacris operantur sacerdotes. Nempe ut pietas atque religio major in omnium animis versetur, cùm rebus divinis opera datur. Nam ex aliis lapidibus aram fuisse compositam, in aliis inscriptam legem, satis ex Mosis apparet verbis, atque etiam eo, quod jam commemoravi, exemplo. Quin aræ lapides asperi esse, at ii in quibus erat scribenda lex, tectorio levigari debuêre. Et est sanè aliud lapides statuere, aliud aram struere. Non sum equidem nescius, Josephum censere, in ipsâ arâ inscriptam fuisse legem. Verùm ille auctor sacrorum codicum fidem bonam, sæpè malâ fide secutus videtur, quanquàm nolim hanc meam sententiam anxiùs cuiquam persuadere voluisse videri. Denique quæ scriptione in lapidibus representata erat lex, eadem vivâ voce, per Levitam, tanquàm fecialem, pronuntiatur, et quidem cum stipulatione assensionis approbationisque omnium. Sacra autem, quibus operari sacerdotes dicebamus, est sacrificatio hostiarum, quas holocausta vocant, et quas pacifica, sive prospera, quarum illæ ad scelerum expiationem, hæ ad lætos rerum successus pertinebant, ut mox dicturi sumus explicatiùs. His enim duabus de causis illiusmodi præcidaneæ hostiæ mactari solebant ante solemnia fœdera. Sicque à Mose sacrificatum est, cùm esset legem apud montem Sinæum recitaturus, et cùm Amalecitas, sublatis in cœlum manibus, debellâsset.

Cæterùm cur lapides ex quibus ara construitur, levigari, aut poliri, et omninò attingi ferro vetentur, tantâ sunt in varietate constitutæ scriptorum sententiæ, ut eas annumerare molestum sit. Hebræorum nonnulli, et inter eos R. Abraham Ben-Esdræ, opinantur, stultè illi quidem, nefas fuisse eorum lapidum, qui ad rem tam sacram essent adhibendi, particulas scalpello abrasas in terram, aut sterqui-

linium decidere. R. Moses Maimonius, in eo libro, cui titulum fecit, Monstratori perplexorum, putat, verendum fuisse, ne ex frustis sacrorum lapidum simulacra formarent sibi idololatræ, ad superstitiosos cultus, aut magicas artes. Nehmannus, quem plenis approbationis velis sequitur Bahajaus, non dubitat dicere, poliri quidem nefas non fuisse, sed ferrum, rem ad perniciem comparatam, divino servire cultui non debuisse, à quo rerum salus dependeat : hùc enim spectare, quòd pro ferro, positum est חרב, perdendi vocabulum, ubi ista lex primùm instituitur à Deo in Exodo : quòdque in exædificando Salomonis templo nullus ferri fuit usus, sive pro materie, sive pro instrumento, ut ne clavi quidem ferrei sint adhibiti, sed ænei; cæteroqui ex ferro aptiores futuri. Nam cultri, inquit, quibus hostiæ jugulabantur à sacerdotibus, ad cultum non pertinebant, non magis quàm herbæ, quibus pecudes fuerant nutritæ. Denique quòd ipsi Esaü ferrum pro hæreditate assignatum Dei instinctu est, cùm ei parens diceret Gen. 27, 40 : *Per gladium tuum vives.* Hanc opinionem habuêre etiam vetustiores Hebræi, in commentario מכילתא. Sic enim illic scriptum reliquerunt : R. Simeon, F. Eleazaris, dicebat, aram comparari ad extendendam prorogandamque hominis ætatem : at hæc ferro amputatur : nulla ergo horum est inter ipsa societas. His gemina sunt, quæ in *Tanhuma* leguntur, atque etiam in Talmude. Quin Cicero ipse sic quoque sensisse videtur, quando suis legibus æs, ferrumque arcet à delubris, ut duelli instrumenta, non fani. Nostris hominibus ferè placet, ideò semel jussisse Deum, eas aras quæ interea fierent, dum ipse habitaret in tentoriis, hoc est, ante exædificatum à Salomone templum, loco in perpetuum electo, vel ex terrâ congestâ, vel rudibus modò lapidibus construi, ut vel citò dilaberentur, vel temerè accumulare moles potiùs quàm altaria olim viderentur, ne religionum confusio scilicet ex diversis aris, in quibus majores sacrificâssent, consequeretur apud posteritatem; cujusmodi malum metuebant Israelitæ, cùm audissent Rubenitas, Gaditas et Manassenses ingentem aram posuisse ad Jordanem; quod suo loco dicetur. Atqui R. Judas in Talmude, מסכת, סוטה, ipsum etiam Salomonis templum, totum ex rudibus constructum fuisse lapidibus censet, cùm neque malleus, neque securis, aut ullum prorsùs ferreum instrumentum sonare auditum sit in illo exædificando. Commemoratur quidem alibi, lapides grandes, magnique pretii dedolatos ad fundandam domum esse advectos. Et Salomonis Hiramique fabros giblimosque scalpsisse, atque aptavisse ligna, et lapides, ad struendam domum. Sed illiusmodi lapides, inquit R. Judas, non templi, sed palatii regalis materies fuêre, quod palatium domûs vocabulo illic est significatum.

Verumenimverò non est satis firmum hoc Talmudicum argumentum : probabiliter enim dici potest, non esse quidem auditum ullum ex ferro factum instrumentum in eo loco, in quo ædificabatur templum; sed apud ipsam lapicidinam, unde lapides, et in Libano, unde ligna dedolata, concinnataque advehebantur Jerusalem. Nam hoc quoque à veteribus Hebræis proditum in Mechilta est. Quin id etiam sacra illa narratio, si integra proferatur, sentire videtur; sic enim habet κατὰ λέξιν, 3 Reg. 6, 7 : *Et domus dum struebatur, ex lapide integro advecto struebatur : neque malleus, vel securis, aut ullum ex ferro instrumentum audiebatur in ipsâ domo, dum ædificabatur.* Lapides igitur, non planè dicit integros fuisse, sed ita integros, ut advecti fuerant, esse collocatos in opere. Nam verbum, מסע, quod illic habetur, sic interpretatus est etiam Nehmannus, et plerique Judæi. Sed cùm hoc loco disertè videatur edicere Deus, profanos esse lapides, atque ineptos struendæ aræ, ad quos fabrile scalprum est admotum, aliam sententiam commentus est R. Levi F. Gersonis, sanè non inscitam. Ab omnibus altaribus, etiam eo quod in Salomonis æde ponebatur, prohibenda fuisse scalpra, ut intelligerent, qui ad ea cœlestem sibi favorem et gratiam demereri, sacris faciendis, et conciliare satagerent, Deum suâpte naturâ perfectum bonumque esse; neque ad suî absolutionem perfectionemque externum aliquid accipere : sicut Dei ara nullo opere artificioque, sed suâpte materiâ perfecta est. Ab hâc sententiâ haud alienus videtur esse R. Isaac Æramæus, cùm scribit, ideò artificem manum prorsùs ab altarium lapidibus abesse debere, ne id boni, quod apud aras à Deo impetrant homines, humano operi ferre acceptum possint. Rectiùs sanè, nisi fallor, isti, quàm è nostris quidam, qui hoc significari, magno cum supercilio, censent, Deo nullum placere cultum, quem ipse suo verbo non præscripsit : aut opus, quod sibi humana prudentia ad colendum Deum instituit; vel, Deum manibus hominum coli nolle. Quasi verò ingrata sint Deo omnia, quæ homines sibi ad veram pietatem adminicula

ipsi, nullâ cum superstitione, sed ex animo pio et Dei amante formant, nisi clarè verbo Dei præscripta legantur. Sed quid dicturi sunt isti, vel Judæi, vel nostri, de Cherubinis, quæ supra arcam alas expandebant, aut omninò de elegantissimo arcæ totius opere? Jam verò ad Nehmanni sententiam quod attinet, et aliorum, qui cum eo ferrum, ut diram materiem, prohibebant à templis, scimus adeò non displicuisse hoc metallum Deo, ut in suum etiam thesaurum id inferri, de spoliis Jerichuntiorum, jusserit.

Sed ego in hâc tantâ doctissimorum virorum varietate sententiarum, quæ vera, aut falsa sit, dijudicare nolo. Neque enim ullam, sine omni dubitatione, aut defendere, aut refellere satis possum. Mihi verò visa est omnis antiquitas, hoc est, et illi patres, qui in veteri Testamento celebrantur, et qui in novo primordia nostræ religionis stabiliverunt, aras pro præcipuo totius divini cultûs fundamento habuisse. Hi, quòd super eas pretiosissimæ et gratissimæ hostiæ, quâ humanum genus est ab æterno cruciatu vindicatum, id est, corporis et sanguinis Jesu Christi, sacrificium fieri scirent. Illi, quòd fore aliquando tempus, cùm hoc fieret, præscirent. Et proinde quàm simplicissimas aras parari, neque in ipsis aliquid nos admirari voluisse, præter salutis nostræ pretium. Quò illud etiam spectare opinor, quòd majores nostri tantoperè detestabantur, si ullum simulacrum, aut imago in aris conspiceretur, ut est ab Optato pontifice Milevitano litteris proditum. Memorat enim ille, Donatistas, eâ re per fraudem procuratâ, catholicorum hominum religionis et sacrorum existimationem violare conatos esse. Et divus Augustinus, illius, opinor, æqualis, quosdam habere statuas pro Deo, inde conficit, quòd eas in aris collocent (1). Sed hæc hactenùs.

(1) In hunc et plures alios Masii locos sic animadvertit Joan. Molanus in admonitione quâdam datâ Lovanii die 11 decembr. ann. 1575: « Ibi scribit Andr. Masius Optati et « divi Augustini tempore aras fuisse simplicissimas, absque imaginibus, ne in ipsis « aliquid admiraremur præter salutis nostræ « pretium. Quod quidem mihi non probatur, « et infirmis argumentis ab eo ex dictorum « Patrum operibus colligi non dubito. Sed nævus hic parvi momenti est, neque alicui pernicioso dogmati fomentum præbet. Ut enim « denus vigente paganismo Ecclesiam non « habuisse in aris suis imagines, quarum tunc « rarior usus erat, inde non sequitur consuetudinem illam postmodùm in Ecclesiâ malè « receptam esse, cùm multa posterioribus seculis laudabiliter sint recepta, quæ antea aut « inusitata erant, aut parciùs usitata. Scio argumenta Masii ab hæreticis ulteriùs distorqueri posse, ut inferant imagines in aris « detestandas esse, et idolis connumerandas; « sed satis constat catholicum commentatorem ab eâ illatione alienissimum fuisse. Nititur enim non rei naturæ, sed consuetudini, « ut putat, illius temporis. Ideò assumit majores Optati tempore imaginem in aris detestatos esse, quia præsupponit tunc nec Christianos, nec paganos, aliquid in arâ constituisse, nisi quod pro numine colebant. Neque aliò spectat quod subdit, divum Augustinum quosdam habere statuas pro Deo, « inde conficere, quòd eas in aris collocent.

« Rerum naturas distinguit celebris illa contra Faustum Manichæum sententia: *Nulli « martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis « in memorias martyrum, constituimus altaria.* « Nos itaque solius Dei altare esse agnoscimus, « quamvis et sub illo, et supra illud, memorias sanctorum laudabiliter conservemus. « Quorum prius divi Augustini tempore fuit « usitatissimum, posterius postmodùm magis « increbruit in pace Ecclesiæ, quam nunc per « iconomachos turbari nobiscum sæpiùs in hoc « commentario auctor deplorat. »

Verbum חניף hoc est, *elevaverat*, sic redditur à Chaldæo, ut nulli certæ personæ hæreat. Est enim ille modus loquendi usitatus Hebræis, ut alibi de verbo, קרא me dicere memini. Nos ad imperatoris Josuæ personam retulimus, hoc sensu, quos lapides Josua non curaverat admoto ferro scalpendos aptandosque ad structuram, hoc est, rudes, nec nisi suâ naturali formâ inter se quadrantes. Sed jam duo illa sacrificiorum genera paulùm exponamus. עולות, quæ ὁλόκαυστα Græci interpretantur, et interdum ὁλοκαυτώματα, in cineres tota redigebantur, et veluti è terris ad Deum amandabantur, cum fumo in cœlum sublata. Itaque ab ascendendo, hebræum nomen, à concremando græcum est positum. Erat autem in Mosis institutis præcipuum hoc genus sacrificiorum omnium. Neque aliud majoris pietatis indicium esse credebatur, quippe quo mortales se totos Deo consecrare, et tanquàm corpore pessumdato, animum cum hostiæ suæ fumo in cœlum sustollere putabantur. Quia autem speciosissima ista religionis species, ut fit, hypocrisi maximâ rarò vacabat (simulare enim magis quàm præstare veram pietatem adversùs Deum plerique omnes solemus), ideò à sacris vatibus, tanquàm parùm Deo accepta, sæpissimè reprehensa et exagitata est. שלמים verò, quæ nos, *pacifica* diximus, Græci quoque aliquando εἰρηναῖα interdum verò σωτήρια, hoc est, salutaria vocant; genus erat victimæ, cujus solum adipem adolebant, carnem autem epulo absumebant, et quidem eodem, quo mactata erat, die, ut ne

in crastinum servari ullæ possent reliquiæ, nisi in unâ quâdam specie, de quâ in Levitico leges præscriptæ sunt pluribus in locis. Hinc Moses, dum in Deuteronomio, 27, 7, præsentem tractat locum, *Sacrificabis*, inquit, *pacifica, et comedes, lætaberisque coram Deo tuo.* Sunt autem hebraicè appellata ista sacrificia, שלמים, quia fiebant pro felicibus rerum successibus, quos pii aut flagitabant à Deo, aut ipsi acceptos referebant; unde et gratulatoria quoque dici possunt. Cæterùm qui hoc ritu sacrificabant, ii tanquàm publicè attestabantur, profitebanturque, Deum esse unum omnis felicitatis, et eorum commodorum, quæ mortalibus possunt obtingere, auctorem largitoremque, atque, ut sic dicam, promum et condum. Nam שלום, unde istius nomen sacrificii ductum est, omnem prosperitatem commoditatesque omnes vitæ complectitur. Sed enim præter ista duo sacrificiorum genera, fuêre et alia duo cruenta, חטאת, et אשם; sed hæc ad certa duntaxat peccata expianda fiebant.

Vers. 32. — Et inscribebat illic in lapidibus exemplum legis, etc. Quod nos *exemplum legis* latinè convertimus, id hebraicè est, si verbum reddas verbo, *iteratio legis.* Græci, et eos imitatus, ut libenter solet, Latinus, dixêre, *Deuteronomium*, quo nomine, si quintum Mosis librum significare illi voluerunt, non rectè sensisse, mihi quidem, videntur. Existimo enim, legis vocabulo hic notari formulam illam maledictionis atque benedictionis (nam benedictio qualis fuerit, ex propositâ maledictione dilucidè intelligitur), quam formulam Moses pridem præscripserat in istis lapidibus inscribendam, cùm perventum in Chananæam foret. Ipse enim illam Legis nomine appellavit, cùm eam traderet, his ferè verbis, Deut. 27, 8: *Scribes in lapidibus omnia verba legis istius, explicando eam benè.* Et rursùs, cùm eam concluderet: *Maledictus qui non observaverit verba legis istius, ut ea opere exsequatur.* Ad hoc, explicatè atque dilucidè mox dicetur, cujus legis verba ad populum pronuntiata sint: nimirùm, benedictionis et maledictionis (utor vocabulis quæ sacrorum philosophorum propria sunt). Non est autem probabile, neque etiam credibile, aliam legem in saxis inscriptam, aliam recitatam esse. Mera ergo somnia sunt otiosorum hominum, quæ doct. hebr. in סרטה fabulantur, de totis quinque Mosis libris, et quidem septuaginta diversis linguis, ut ab omnibus hominibus legi possent, in his saxis inscriptis. Et quæ his addit auctor libri, qui inscribitur, De apicibus, inde à libri creationis initio, usque ad extremum Deuteronomii versiculum, ne apiculum quidem unum, aut notulam omissam esse. Nam, ut rectè Nehmannus, deridens illorum futilitatem et stultitiam, ait, fieri illud, nonnisi in supra modum magnis saxis potuisset; neque sine occultâ quâdam, et divinâ potentiâ, pro ostento. Alii igitur Legis nomine vocari hic putant, decem præcepta, quæ cap. 5 Deuteronomii scripta exstant: quorum præceptorum illa, quam diximus, benedictionis maledictionisque formula, tanquàm explicatio quædam est, præsentis præmii spe, aut pœnæ metu singula animis auditorum intimè commendans. Multi etiam Judæorum arbitrantur, de omnium legum agi compendio, quale ex universis Mosis libris contractum, in suis synagogis legunt quotannis, dum festum Pentecostes celebrant. Sed nihil attinet omnium sententias commemorare, quando quod diximus est verissimum.

Illud verò obscurius mihi videtur: Duodenæne illæ benedictiones maledictionesque solæ in lapidibus scriptæ fuerint, an simul etiam expressa litteris omnia illa verba, quæ toto capite 28 Deuteronomii, prolixè tum pollicentur fausta piis, tum dira minantur impiis. Nam quin hæc ad populum pronuntiata sint, equidem nihil dubito. Hoc igitur in medio arbitrandum dijudicandumque relinquo. Quod enim non satis exploratè mihi percepisse videor, non faciam, ut in eo aut affirmando, aut refellendo, temeritatis meritò accuser. Jam verò etiam illud quæri potest, cùm nuper constitutum à nobis probabiliter sit, duodecim fuisse positas statuas, unicumne ejus, quam dicimus, formulæ exemplum, incisè, et membratim in omnibus saxis inscriptum sit, an verò singula exempla solida in singulis. Sed hic ego vix quemquam futurum existimo, qui membratim discerptam legem, diversisque lapidibus illitam per partes credere volet, potiùs quàm solidam singulis esse repræsentatam saxis. Cæteroqui neque hic, utrum prorsùs verum sit, sed utrum verosimilius modò, conjecturâ consequi possumus. Certè augustius videtur, et hoc tam solemni fœdere, quod ex æquo ad tribus singulas pertinebat, dignius, in suâ quamque tribum statuâ legem perscriptam legisse. Porrò quando sacra historia sæpè memorat, à priscis illis viris, pietate claris, positas esse lapideas statuas, adscribam Clementis Alexandrini viri undecumque doctissimi verba, quæ ille de eâ

re scripta reliquit, cùm de columnâ, quæ per inviam atque inexplicabilem solitudinem Israelitis præibat, dissereret. Sic igitur apud eum legimus, Stromat. l. 1 : Σημαίνει δὲ ὁ στύλος τὸ ἀνεικόνιστον τοῦ Θεοῦ· ὁδὲ πεφωτίσμενος στύλος πρὸς τῷ, τὸ ἀνεικόνιστον σημαίνειν, δηλοῖ τὸ ἑστὸς καὶ μόνιμον τοῦ Θεοῦ. καὶ τὸ ἄτρεπτον αὐτοῦ φῶς, καὶ ἀσχημάτιστον. πρὶν γοῦν ἀκριβωθῆναι τὰς τῶν ἀγαλμάτων σχέσεις, κίονας ἵσταντες οἱ παλαιοὶ ἔσεβον τούτους, ὡς ἀφιδρύματα τοῦ Θεοῦ. Hæc Clemens, quibus docet, rudibus illis et duris, quasi divini numinis simulacris, antiquitatem significare voluisse, Deum esse omnis figuræ atque formæ expertem, atque insuper stabilem firmumque, neque ullis mutationibus obnoxium. Sed pergamus.

Vers. 33. — Omnis autem Israel, et senatus ejus et monitores, etc. שטרים, quos *monitores* sumus interpretati, dixerunt Septuaginta suo more, scribas. Latinus, cum Chaldæo, duces. Sed nos satis multa de isto verbo diximus, capite primo, ad versiculum 10. Rursùs illud, *stabant*, reddiderunt illi, παρεπορεύοντο, quasi עברים, legerint. Et perperàm fecerunt interpunctionem, post τὸ ἀπέναντι ; dicendum enim erat : ἀπέναντι τῶν ἱερέων τῶν λευίτων τῶν αἰρόντων τὴν κιβωτόν, etc. Sed ista ex nostrâ tralatione perspicua sunt. Porrò illud, אל-מול, quod nos *è regione*, illi πλήσιον, converterunt ; idque imitatus est Latinus, neque nos refellimus : cùm ejus loco in Deuteronomio scriptum sit, על, quod, *juxta*, interpretantur Judæi. Sed una eademque manet orationis sententia, utrovis modo illud convertas, nempe, dimidiatam populi partem occupâsse eam regionem, quà erat mons Garizim ; dimidiatam quà mons Hebal ; sive utraque in ipsis montium acclivitatibus, quasi in theatro constiterit, sive montes ipsos neutra attigerit, sed in laxiore inter utrosque valle manserit. Cæterùm ora omnium fuisse obversa ad arcam, quæ medio loco à sacerdotibus Levitis sustinebatur, atque promiscuè stetisse advenas cum indigenis, hoc est, adscriptitios cum Israelitis, nullo discrimine; et hujus generis alia, sunt à Mose in Deuteronomio explicata : qui aliis tribubus locum benedictionis ad Garizim, aliis maledictionis ad Hebal assignavit. Nam, ut Nehmannus, probabili sanè conjecturâ, opinatur, fuit mons Garizim versùs meridiem positus ; quod dextrum mundi latus semper est existimatum. Ad orientem enim spectamus ; dextra autem auspicatiora atque feliciora habentur ; at Hebal versùs aquilonem, quam malè ominatam esse mundi plagam Jeremias sæpè solet clamare ; ut quæ magnam aliquando in genus humanum perniciem sit emissura. Postrema versiculi pars: *Sicut præceperat Moses servus Domini benedicere populum*, ostendit eos esse ritus observatos, qui fuerant à Mose præscripti. Neque enim ad errorem multitudinis fingi religionis simulacra debent ; sed ab iis accepta, et posteris tradita usurpari, quos certum est Domini servos atque interpretes Dei fuisse in Ecclesiâ. Positum est autem benedicendi verbum, quia sola benedictio agebatur. Maledictio verò, tanquàm πάρεργον, subserviebat benedictioni, cujus impedimenta avertebat.

Vers. 34. — Post hæc legit omnia verba legis, benedictionem et maledictionem, etc. Verbum *legit*, hærere personæ Josuæ, patefacit sequens versiculus. Imperatori enim adscribitur, quod ejus fit jussu. Nam alioqui certum est, non Josuam recitâsse populo legis verba, sed è Levitarum ordine aliquem. Hoc enim præscripserat Moses, cùm diceret, Deut. 27, 14 : *Et inclamabunt Levitæ, et dicent ad omnes Israelitas voce altâ : Maledictus*, etc. Cùm autem dicitur, *post hæc*, significatur, primùm structam aram, atque super eam sacrificatum fuisse ; deinde legem in lapidibus descriptam, mox populum in suas quosque classes, distributos. Et arcam in medium receptam, cum Levitis et sacerdotibus, ac tum demum à Levitâ, tanquàm feciali quopiam, voce recitatam eamdem legem esse. Nimirùm majore religione Dei verbum animi percipiunt, postquàm rebus divinis opera data est. Refellitur ergo apertissimè doctorum hebr. error, qui in סומה, quem locum totâ hâc narratione sæpè cito, à legis recitatione auspicatos fuisse hanc pompam prodiderunt.

Vers. 35. — Nulla erat res earum rerum omnium, quas jusserat Moses, etc. Advena qui diversatur inter Israelitas, is est, non qui negotiorum vel mercaturæ faciendæ, sed religionis gratiâ illos sectabatur, quales Græci, tanquàm voce propriâ, appellârunt προσηλύτους, quia ex Israele prognati illi quidem non essent, sed ad Israelitarum sacra cæremoniasque se contulissent, et circumcisi vero Deo nomen dedissent, quæ Israelitæ colebant. Ipso autem genere Israelitas iidem nominabant nuper, αὐτόχθονας, quanquàm huic verbo patria potiùs quàm parentum stirps sit subjecta. Nimirùm quia inter indigenas et advenas oppositio est. Monet autem nos hic locus, nullam ætatem, nullum sexum à verbo Dei audiendo arcendum esse, quippe in quo inest doctrina vitæ ; vita

autem ex æquo ad omnes spectat. Atque hic illud quoque animadvertendum est, non modò inani sono atque murmure, sed ita ab omnibus esse audiendum hoc sacrum verbum, ut per ipsas penetret aures, in mentemque descendat; hoc enim sibi vult illa particula, *coram*, quæ non temerè est à Septuaginta reddita, εἰς τὰ ὦτα, in aures. Nam sic Moses ipse est eam alio interpretatus loco Exod. 34, 7, et Deut. 31, 11, cùm diceret : *Recitabis legem istam coram omni Israele, in auribus ipsorum.* Quem enim consequatur fructum vel ex optimâ concione surdus? Et qui potest non surdus existimari in eo quisque sermone, quem vel non intelligit, vel non satis animo assequitur? Sed non eò hæc à me dicuntur, quòd mysteria omnia, quæ in sacris faciendis effantur sacerdotes, auribus vulgi ingerenda putem; nam hoc ab nascentis Ecclesiæ primordiis factum non esse veterum liturgiarum, ut vocantur, formulæ ostendunt, in quibus multa voce submissâ mussanda veriùs, quàm pronuntianda traduntur. Nam mysteria illa secretiora enuntiare, atque in vulgus pervulgare, quid aliud, quæso, esset, quàm profanare? et religiosâ veneratione, in quâ alioqui habentur, ut debent, prorsùs spoliatum ire? Plurimùm quid m refert, aut potiùs ad justam religionem necessarium est, scire atque opinari populum maxima esse in nostris sacris mysteria. At in quibus ea verbis ritibusque posita sint, id verò nescire vulgus rude, et imperitum, consultius est, ne non satis religiosè scienterque perspecta contemnat ea quæ per admirationem debebat piè venerari. Verùm jam à proposito nonnihil declinâsse mihi videor. Nam de legis scriptæ verbis cœperam agere. Eò igitur redeat sermo.

Dicet ergo aliquis : Si nullo discrimine quilibet Israelita atque advena ad audiendam Mosis legem admittebatur, quanta sit eorum vel impudentia, vel invidia, vel denique inscitia, qui christianis hominibus, non nisi perangusto cum delectu, Christi legis lectionem permittant, vulgusque universum semel prohibendum statuant?— Atqui longè aliud est, ex sacerdotis ore, qui Dei administer atque interpres est, legem audire, aliud de scripto eam cognoscere. Et ut lectio etiam, similiter atque auditio, concessa populo Israelitico fuerit (neque enim ego hoc negare audeam, quamvis negent plerique Judæi), alia est Mosaicæ legis ratio, alia Christi. Illa enim propè universa in civilibus sanctionibus versabatur, neque in ritibus sacris, supra actuosum, sive, ut vocant, externum cultum progrediebatur. Nam secretiorem ejus interpretationem tam haberi arcanè volebat Deus, (est enim Esdræ adhibenda fides), ut eam non aliis, quàm paucissimis spectatæ virtutis viris tradendam putaret, et quidem, ut Judæi dicunt, verbo tenùs modò, ne scripta videlicet, casu aliquo excideret in vulgus. Hæc verò penè tota in illius secretioris interpretationis explicatione distringitur. Equidem tamen, etsi hæc ita se habent, neminem christianum à legis Christi lectione arcuerim, qui modò imperare animo suo possit, ut quorum dictorum sententias aut non planè intelligat, aut catholicæ Ecclesiæ decretis parùm consentanea existimet, ea dicta non pro suo sensu interpretari velit (sumus enim plerique omnes nostrâpte vitiositate, nunc verò etiam vitioso more, ad prodenda Ecclesiæ dogmata, quæ planè certissima veri rectique norma sunt, proclivissimi), sed piâ humilique mente judicium suum sustineat, dùm ab iis, quos Deus suorum verborum interpretes et internuntios in Ecclesiâ esse voluit, divina sensa percipiat. Sed hæc hactenùs. Est enim ista hæc quæstio multorum adversariis libris pertractata disputataque.

Nunc pauca addam, quibus eam, quæ proximis versiculis descripta est, cæremoniam universam semel ante oculos ponam. Igitur cùm jam substructa ara esset, atque erecti incrustatique lapides, et in his accuratissimè picta lex, insuper ritè sacrificatum, quibus ante diximus sacrificiorum generibus, tùm demùm levitici generis aut perpetuò idem unus, aut vicissim plures viri (utitur enim Moses numero plurium) è medio loco, ubi arca sustinebatur à suis bajulis sacerdotibus, obvertebant se primùm ad montem Garizim, hoc est, ad dextrum latus, atque sublatâ, quantùm potuerunt, voce, tanquàm feciales et solemnes stipulatores, pronuntiabant duodenas illas benedictionis verborum complexiones, quæ ex maledictionis formulâ, eâ quæ à Mose erat præscripta, facilè concinnabantur, post singulas interposito silentio approbationem populi utrinque adstantis veluti stipulantes, quâ auditâ, pergebant deinceps singulatim ad reliquas. Verbi gratiâ, spectans Levita ad Garizim clamabat primùm : *Benedictus est à Deo, quisquis unum Jehovam* (s ve solum Dominum), *non etiam deos alienos coluerit, neque opus artificis factum manibus, quod abominatur Dominus, occultè sibi positum habuerit.* Et hic dùm ille silentio insisteret, universus utrinque populus, tam qui ad Hebal quàm qui

ad Garizim constiterant, succinebant, Amen. Deinde pergebat ille ad secundam benedictionem verbis hujusmodi : *Benedictus est à Deo, qui parentes suos honorat, non spernit, aut negligit.* Atque hic iterùm tacens, audiebat ex utrâque parte acclamantem populum, Amen. Itàque decurrebat deinceps Levita per duodenas benedictiones, cùm singulas universus populus singulatim approbaret. Deinde avertebat sè versùs montem Hebal, parique ritu duodenis illis exsecrationibus defungebatur, in singulis, ut dixi, insistens, concionisque universæ assensionem exspectans. Cùm porrò et benedictiones primùm, et deinde maledictiones sic percensuisset, et utrarumque approbationes audisset, subnectebat deinde illam Deuteronomii partem, quæ toto vicesimo octavo capite est perscripta, tanquam præcedentium pactorum explicationem, atque ita jusjurandum sancitum, fœdusque ritè cum Deo factum censebatur. Ex æquo igitur ad omnes tribus cùm benedictiones, tùm detestationes pertinebant. Quæ ratio, opinor, est, cur Moses duodenarium numerum, qui et tribuum est, observaret. Nam etsi alias spectarent Levitæ tribus, cùm benedictiones pronuntiarent, alias, cùm maledictiones, tamen simul ab omnibus approbationem tacitè stipulabantur, neque ullâ erat in re pars alterutra prærogativa, sed pari omninò fuêre conditione, qui ad Hebal, cum iis qui ad Garizim consistere jussi fuerant. Uno enim eodemque sacramento et fœdere se obligabant ex æquo omnes Deo, non aliter, quàm si militum legio, conceptâ verborum formulâ, quæ apparitorem aliquem pro imperatore stipulantem pronuntietur, in militari concione, atque communi confusâque multitudinis voce et acclamatione approbetur, imperatori det nomen; æqua enim omnibus incumbit militiæ necessitas, parique auctoramento obligati omnes habentur, quemcumque locum quisque, dùm confluunt, ceperit. Videntur quidem eæ tribus, quæ ex justis nuptiis sunt procreatæ, loco potiore, hoc est, ad dextrum montem Garizim, habuisse subsellia. Nam Rubenitica et Zabulonitica, quæ ipsæ quoque ex liberis matribus propagatæ cùm essent, tamen ad sinistrum Hebal cum ancillarum prole sunt collocatæ, ideò eam, ut videbatur, indignitatem sustinebant, ut arbitrantur Judæi, quia Ruben paternum lectum commaculâsset, Zabulon autem filiorum Liæ natu fuisset minimus. Parem enim utrinque numerum esse oportuit; verùm in participando fœdere sacramentoque certum est æquam fuisse omnium sortem.

Sed cur, inquies, promiscuè ipsos se circumfundere arcæ passus non est Moses? Neque enim alibi reperias in comitiis sic tributim discretos Israelitas. — Respondet Levi F. Gersonis, nec inscitè, ut mihi videtur, Deum, ut pressiùs ob oculos omnium poneret, quantum esset inter benedictionem maledictionemque dissidium, adversa populo subsellia assignari voluit, quasi nefas esset, eâdem utramque cœli regione pronuntiari. Itaque alteri ad dextram, benedictorum, alteri ad lævam, maledictorum quidem personam sustinuerunt, at non conditionem, ut apud Matthæum, cùm Filius hominis pro illo augustissimo tribunali judicium exercebit totius orbis terrarum, sed tanquàm in scenâ modò, pro rei specie exhibendâ.

CAPUT IX.

1. Quibus auditis, cuncti reges trans Jordanem, qui versabantur in montanis et campestribus, in maritimis ac littore magni maris, hi quoque qui habitabant juxta Libanum, Hethæus, et Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus, et Hevæus et Jebusæus,

2. Congregati sunt pariter ut pugnarent contra Josue et Israel uno animo eâdemque sententiâ.

3. At hi qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta quæ fecerat Josue Jericho et Hai,

4. Et callidè cogitantes, tulerunt sibi

CHAPITRE IX.

1. Toutes ces choses ayant été publiées, *et le bruit s'en étant répandu dans tout le pays,* les rois d'au-delà le Jourdain, ceux qui demeuraient dans les montagnes et dans les plaines, dans les lieux maritimes et sur le rivage de la grande mer, et ceux qui habitaient près du Liban, les Héthéens, les Amorrhéens, les Chananéens, les Phérézéens, les Hévéens et les Jébuséens,

2. S'unirent tous ensemble pour combattre contre Josué et contre Israël, d'un même cœur et d'un même esprit.

3. Mais les habitants de Gabaon, *qui n'étaient qu'à sept ou huit lieues de Galgala,* ayant appris tout ce que Josué avait fait à Jéricho et à la ville de Haï,

4. Et usant d'adresse *pour éviter un pareil trai-*

cibaria, saccos veteres asinis imponentes, et utres vinarios scissos atque consutos,

5. Calceamentaque perantiqua quæ ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant, induti veteribus vestimentis; panes quoque quos portabant ob viaticum duri erant, et in frusta comminuti.

6. Perrexeruntque ad Josue, qui tunc morabatur in castris Galgalæ, et dixerunt ei atque simul omni Israeli : De terrâ longinquâ venimus, pacem vobiscum facere cupientes. Responderuntque viri Israel ad eos, atque dixerunt :

7. Ne fortè in terrâ quæ nobis sorte debetur habitetis, et non possimus fœdus inire vobiscum.

8. At illi ad Josue : Servi, inquiunt, tui sumus. Quibus Josue ait : Quinam estis vos ? et unde venistis?

9. Responderunt : De terrâ longinquâ valdè venerunt servi tui in nomine Domini Dei tui. Audivimus enim famam potentiæ ejus, cuncta quæ fecit in Ægypto,

10. Et duobus regibus Amorrhæorum qui fuerunt trans Jordanem, Sehon, regi Hesebon, et Og, regi Basan, qui erat in Astaroth.

11. Dixeruntque nobis seniores et omnes habitatores terræ nostræ : Tollite in manibus cibaria ob longissimam viam, et occurrite eis, et dicite : Servi vestri sumus; fœdus inite nobiscum.

12. En panes, quando egressi sumus de domibus nostris ut veniremus ad vos, calidos sumpsimus ; nunc sicci facti sunt, et vetustate nimiâ comminuti ;

13. Utres vini novos implevimus, nunc rupti sunt et soluti ; vestes et calceamenta quibus induimur et quæ habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita sunt et penè consumpta.

14. Susceperunt igitur de cibariis eorum, et os Domini non interrogaverunt.

tement, prirent des vivres avec eux, et mirent de vieux sacs sur leurs ânes, des vaisseaux pour contenir le vin qui avaient été rompus et recousus,

5. De vieux souliers rapiécés pour les faire paraître encore plus vieux ; ils étaient couverts aussi de vieux habits, et les pains qu'ils portaient pour leur nourriture pendant la route étaient fort durs et rompus par morceaux.

6. Ils se présentèrent en cet état à Josué, qui était alors dans le camp de Galgala, et ils lui dirent ainsi qu'à tout Israël : Nous sommes venus d'un pays très-éloigné, dans le désir de faire la paix avec vous. Les enfants d'Israël leur répondirent :

7. Peut-être demeurez-vous dans ce pays qui nous a été réservé comme notre partage, *et en ce cas,* nous ne pourrions faire alliance avec vous *sans aller contre les ordres de notre Dieu.*

8. Mais ils dirent à Josué : Nous sommes ici pour vous servir. — Qui êtes-vous ? leur dit Josué, et d'où venez-vous ?

9. Ils lui répondirent : Vos serviteurs sont venus d'un pays très-éloigné, au nom du Seigneur votre Dieu ; car le bruit de sa puissance est venu jusqu'à nous ; nous avons été informés de toutes les choses qu'il a faites en Egypte,

10. Et de quelle manière il a traité les deux rois des Amorrhéens qui étaient au-delà du Jourdain, Séhon, roi d'Hésébon, et Og, roi de Basan, qui était à Astaroth.

11. Nos anciens et tous les habitants de notre pays nous ont dit : Prenez avec vous des vivres pour un si long voyage, et allez au-devant d'eux, et leur dites : Nous sommes vos serviteurs, faites alliance avec nous.

12. Voilà les pains que nous prîmes tout chauds quand nous partîmes de chez nous pour venir vous trouver, et maintenant ils sont tout secs, et se rompent en pièces, tant ils sont vieux.

13. Ces vaisseaux étaient tout neufs quand nous les avons remplis de vin, et maintenant ils sont tout rompus ; nos habits et les souliers que nous avons aux pieds se sont tout usés dans un si long voyage, et ils ne valent plus rien.

14. *Les principaux d'Israël* prirent donc de leurs vivres *pour voir s'ils étaient aussi vieux qu'ils le disaient,* et ils ne consultèrent point le Seigneur ; *mais ils s'en rapportèrent à ce témoignage trompeur.*

15. Fecitque Josue cum eis pacem, et inito fœdere pollicitus est quòd non occiderentur; principes quoque multitudinis juraverunt eis.

16. Post dies autem tres initi fœderis, audierunt quòd in vicino habitarent, et inter eos futuri essent.

17. Moveruntque castra filii Israel; et venerunt in civitates eorum die tertio; quarum hæc vocabula sunt, Gabaon, et Caphira, et Beroth, et Cariathiarim.

18. Et non percusserunt eos, eò quòd jurâssent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Israel. Murmuravit itaque omne vulgus contra principes.

19. Qui responderunt eis : Juravimus illis in nomine Domini Israel, et idcircò non possumus eos contingere.

20. Sed hoc faciemus eis : Reserventur quidem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur si pejeravimus,

21. Sed sic vivant ut in usus universæ multitudinis ligna cædant aquasque comportent. Quibus hæc loquentibus,

22. Vocavit Gabaonitas Josue et dixit eis : Cur nos decipere fraude voluistis, ut diceretis : Procul valdè habitamus à vobis, cùm in medio nostrî sitis?

23. Itaque sub maledictione eritis, et non deficiet de stirpe vestrâ ligna cædens aquasque comportans in domum Dei mei.

24. Qui responderunt : Nuntiatum est nobis servis tuis quòd promisisset Dominus Deus tuus Moysi servo suo ut traderet vobis omnem terram, et disperderet cunctos habitatores ejus : timuimus igitur valdè, et providimus animabus nostris, vestro terrore compulsi, et hoc consilium inivimus.

25. Nunc autem in manu tuâ sumus; quod tibi bonum et rectum videtur fac nobis.

26. Fecit ergo Josue ut dixerat, et liberavit eos de manu filiorum Israel ut non occiderentur;

15. Et *ainsi* Josué, ayant pour eux des pensées de paix, fit alliance avec eux, et leur promit qu'on leur sauverait la vie; ce que les princes du peuple leur jurèrent aussi, *ne les croyant pas du nombre de ceux que le Seigneur avait soumis à l'anathème.*

16. Mais trois jours après que l'alliance fut faite, ils apprirent que ces peuples habitaient dans le pays voisin, et qu'ils demeuraient ainsi au milieu d'eux.

17. Et les enfants d'Israël ayant décampé vinrent *en effet* trois jours après dans les villes des Gabaonites, dont voici les noms : Gabaon, Caphira, Béroth, et Cariathiarim.

18. Cependant ils ne les tuèrent point, parce que les princes du peuple avaient juré l'alliance avec eux au nom du Seigneur Dieu d'Israël; mais tout le peuple murmura contre les princes, *parce qu'ils les empêchaient de profiter des dépouilles des Gabaonites.*

19. Et les princes leur répondirent : Nous leur avons juré, au nom du Seigneur Dieu d'Israël, *qu'on leur sauverait la vie :* ainsi nous ne pouvons leur faire aucun mal.

20. Mais voici comment nous les traiterons : ils auront à la vérité la vie sauve, de peur que la colère du Seigneur ne s'élève contre nous si nous nous parjurons;

21. Mais ils vivront de telle sorte qu'ils seront employés à couper du bois et à porter de l'eau pour le service de tout le peuple. Lorsque ces princes parlaient ainsi,

22. Josué appela les Gabaonites, et leur dit : Pourquoi avez-vous voulu nous surprendre par un mensonge, en disant : Nous demeurons fort loin de vous, puisqu'au contraire vous êtes au milieu de nous?

23. C'est pour cela que vous serez sous la malédiction, et qu'il y aura toujours dans votre race des gens qui couperont le bois et qui porteront l'eau dans la maison de mon Dieu.

24. Ils lui répondirent : Le bruit était venu jusqu'à nous, *qui sommes* vos serviteurs, que le Seigneur votre Dieu avait promis à Moïse son serviteur de vous donner tout ce pays et d'en exterminer tous les habitants; ce qui nous jeta dans une grande crainte, et nous obligea, par la terreur dont nous nous trouvâmes frappés, à former ce dessein pour mettre nos vies en sûreté.

25. Mais maintenant nous sommes en votre pouvoir; faites de nous tout ce que vous jugerez bon et selon l'équité.

26. Josué fit donc ce qu'il avait dit; et il

27. Decrevitque in illo die eos esse in ministerio cuncti populi et altaris Domini, cædentes ligna et aquas comportantes usque in præsens tempus, in loco quem Dominus elegisset.

les délivra des mains des enfants d'Israël, en ne permettant point qu'on les tuât.

27. Et il arrêta dès ce jour-là qu'ils seraient employés au service de tout le peuple et de l'autel du Seigneur, coupant le bois et portant l'eau au lieu que le Seigneur aurait choisi, comme ils font encore jusqu'à présent.

TRANSLATIO EX HEBRÆO.

1. Cùmque audissent omnes reges, qui erant trans Jordanem, in monte, et in submissiore loco, atque in universo littore maris magni : è regione Libani, Hethæus, et Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus, Hevæus et Jebusæus.— 2. Congregaverunt se simul ad pugnandum cum Josuâ, et cum Israele, ore uno. — 3. Incolæ Gabaonis quoque audierant, quæ fecerat Josua ipsi Jerichunti, et ipsi Hai. — 4. Atque etiam ipsi egerunt callidè; et iverunt simulatum legationem, acceperuntque saccos veteres in asinos suos, et utres vini veteres, atque laceros, sarcitosque; — 5. Calceos quoque veteres, et quorum sola frustis suppacta erant, in pedibus ipsorum, vestes præterea veteres induebant. Et omnis panis viatici ipsorum aridus erat, mucore maculosus. — 6. Profectique sunt ad Josuam, in castra ad Galgala, et dixerunt ad ipsum, et ad quemque Israelitam : Ex terrâ longinquâ venimus; itaque ferite nobis fœdus. — 7. Et dicebant quisque Israelita ad Hevæum : Fortassè intra me tu habitas : quomodò ergo feriam tibi fœdus ?—8. Ad Josuam quoque dicebant : Nos servi tui sumus. Josua verò aiebat ad ipsos : Qui estis vos? et unde venitis?—9. Dicebantque ad ipsum : E terrâ valdè longinquâ venerunt servi tui, ad nomen Domini Dei tui; nam audiveramus famam ipsius, et omnia quæ gessit in Ægypto.—10. Tum omnia quæ fecit duobus regibus Amorrhæis, qui erant cis Jordanem, Sehoni regi Hesebonis, et Og regi Basan, qui erat in Astaroth. — 11. Dicebantque ad nos seniores nostri, et omnes habitatores terræ nostræ, dicendo : Sumite in manum vestram commeatum ad iter, et abite obviam illis, atque dicitote ad illos : Servi vestri sumus; nunc ergo ferite nobis fœdus. — 12. Istum panem nostrum calentem, sumpsimus ipsum pro viatico ex ædibus nostris, quo die exibamus, ut proficisceremur ad vos; jam verò, en aruit, factusque est mucore maculosus. — 13. Et hi sunt utres vini quos implevimus novos; et en, rupti sunt; hæ quoque vestes nostræ, et calcei nostri obsoluerunt, propter maximum iter. — 14. Sumpserunt igitur viri de illorum viatico, neque os Domini interrogaverunt. — 15. Fecitque Josua cum illis pacem, et percussit ipsis fœdus, conservandi ipsos salvos, et juraverunt ipsis principes cœtûs. — 16. Factum est porrò post finem trium dierum, ex quo illis percusserant fœdus, ut audirent, quòd vicini sibi essent, atque intra se illi habitarent.—17. Profectique sunt Israelitæ, et venerunt ad illorum urbes, die tertio: Erant autem illorum urbes Gabaon, et Caphira, ac Beeroth, et Cariathiarim. — 18. Et non percusserunt ipsos Israelitæ, eò quòd juravissent ipsis primates cœtûs per Jehovam, Deum Israelis. Cæterùm omnis cœtus murmurabant adversùs principes. — 19. Dicebant autem omnes principes ad universum cœtum : Nos juravimus illis Jehovam Deum Israelis; proinde non poterimus attingere ipsos. — 20. Hoc faciemus ipsis, et conservabimus ipsos salvos, ne recidat in nos ira, propter jusjurandum, quod ipsis juravimus. — 21. Dicebant, inquam, principes ad illos : Vivant, et sint cæsores lignorum, et haustores aquarum universo cœtui, sicut principes locuti inter se fuerant. — 22. Vocavit ergo illos Josua, et locutus est ad ipsos, dicens: Cur nos decepistis dicendo : Longissimè absumus à vobis, cùm inter nos habitetis ? — 23. Jam ergo detestabiles estis, neque deerit è vobis servus, tum cæsores lignorum, tum haustores aquarum, domui Dei mei. — 24. Et responderunt Josuæ, dixeruntque, quia famâ perlatum ad servos tuos fuerat, quòd præcepisset Dominus Deus tuus Mosi servo suo, ut vobis daret omnem terram, atque deleret omnes incolas terræ, è conspectu vestro; valdè metuimus vitæ nostræ à vobis, atque hanc rem egimus. — 25. Jam verò ecce nos in manu tuâ sumus; ut bonum æquumque visum fuerit tibi agere nobiscum, ita agito. — 26. Fecit ergo illis sic, liberavitque ipsos à manu Israelitarum, neque peremerunt ipsos. — 27. Constituitque ipsos Josua eo die cæsores lignorum, et haustores aquarum ipsi cœtui, et aræ Domini, usque ad præsentem diem, in eo loco quem esset electurus.

COMMENTARIUM.

Vers. 1, 2. — Cumque audissent omnes reges qui erant trans Jordanem, etc. Post captas deletasque cæde et incendio duas urbes, Jerichuntem et Hai; quæ, ut est credibile, tanquàm propugnacula totius Chananææ habebantur, sparsâ jam longè latèque famâ, reges

omnes, qui trans Jordanem, hoc est, in Chananæâ, regnabant, coiverunt in unam sententiam, atque se belli societate implicuerunt, adversùs Josuam, copiasque Israeliticas faciendi. Cæterùm ista commemorantur hoc loco, quasi παρασκευή ad eas res quæ proximis capitibus enarrabuntur. In illis enim audiemus regum multorum conspirationes, collatasque vires ad Israelitarum progressus reprimendos. Nam adhuc non delectus habere, nedùm copias cogere, sed de communi re deliberare modò, atque societatis fœdera jungere videntur, ut de mutuis subsidiis, si opus fuerit, certi sint. Quasi verò ne nunc quidem rei gerendæ tempus urgeat, sed illiuscemodi fœderibus faciendis mora satis tuta inertissimo possit otio parari. Sed hic est stupor ille cæcitasque, et planè perturbatio atque confusio mentis et intelligentiæ Chananæorum, quæ ex terrore illo nascebantur, quem se omnibus injecturum promiserat Deus, cùm diceret Gen. 35, 5 : *Et mittam terrorem meum ante faciem tuam, et terrebo omnem populum, ad quem accedes,* etc. Quali terrore similiter vicinorum omnium animos rationesque perturbârat, cùm pacis specie filii Jacob Sichimitas cecidissent. Nimirùm postquàm admirabilibus illis trajectionibus maris Rubri, vastæ et inexplicabilis solitudinis, Jordanis denique, insuper portentosâ illâ Jerichuntis versione, ut plurima alia prætereamus miracula, quorum fama etiam apud vulgus Chananæorum erat pervagata, quod ex Rahab didicimus, quando istis, inquam, et similibus mirandis Dei factis non avertebantur ad ejus majestatem agnoscendam, neque benignitate ipsius invitabantur ad meliorem mentem induendam, dedit ipsis mentem insipientem, ut ea facerent, quæ minimè ex usu erant, et quæ facto opus essent, ea non animadverterent; sed etiamnum securi, voluptatibus suis moras necterent. Quâ re simul id efficiebat Deus, ut suorum Israelitarum animos paulatim, ipso hostium locorumque regionis, alioqui incognitæ, aspectu usuque duraret atque confirmaret, cæteroqui magnâ potentiæ adversariorum opinione nimiùm præoccupatos, neque satis unquàm fidentes divinis promissis, adversùs tam validas, ut ipsi opinabantur, nationes. Quin ista tanta Chananæorum, et planè θεήλατος secordia atque ignavia rei benè gerendæ, non in istis modò belli principiis, quo de capite, et prorsùs fortunis illorum omnibus agebatur, sed ad ipsum usque finem perspicuè apparet. Neque enim ipsos usquàm, captatâ occasione, quales credibile est, magnas sæpè esse oblatas, ultrò invadere Israelitas, sed ubique ab his invadi videbimus. Nimirùm admirabilis et immensus semper fuit Dei adversùs Ecclesiam amor atque benignitas; et ad eam tuendam amplificandamque tanta procurationis sedulitas, quantam mortalium nemo grato unquàm animo satis poterit æstimare. Quò mihi magis desipere, ne dicam insanire, videntur ii, qui illi, per aliquot jam superiora secula, cum hâc amatissimâ sponsâ suâ dissidium fuisse audent dicere, tanquàm deformitate ejus nimis offenso. Fuit scilicet aliquando tempus, cùm plurimis illa vitiis non esset deformis, præsertim singillatim, non universè, toto corpore spectata. Sed qualis, rogo vos, qui Deum amoris erga Ecclesiam suam satietate unquàm teneri posse putatis, qualis, inquam, illa tunc toto corpore erat, cùm ipse ex abundantissimâ charitate sic eam consolaretur, ut diceret Isa. 49, 15, 16 : *Etiamsi mater ventris sui partum obliviscatur et negligat, tu ex mente meâ excides nunquàm,* sed tuos muros, quibus videlicet munita adversùs hæreticorum insultus es, semper in oculis habiturus sum, ne Satanæ astutiis labefactentur, aut universæ portis inferni emissæ furiæ te superare queant.

Sed aggrediamur sacra verba. Mare Magnum dici Mediterraneum, illud quod Syriæ latus occiduum alluit, Magnique cognomen, lacuum stagnorumque comparatione habere (hæc enim illi genti etiam maria sunt) notius est, quàm ut longiore explicatione opus sit. Pro littore autem, si quis portum dicere malit, non refellam. Est enim hebraicè, חוף, cui verbo, ab occultando dicto, locus omnis subjicitur, in quo naves à vento latere, stationemque tutam habere possint.

Porrò illud, *è regione Libani,* aut propè Libanum (nam sic quoque commodè interpretari potest), Chaldæus ad mare Magnum ostendendum spectare putat. Addidit enim ille pronomen relationis, inquiens : *Quod est è regione Libani.* At Latinus et Septuag. opinantur omissam esse nexûs particulam, eamque suggerendam, et ipsam significari Phœniciam, peculiarem regum sedem, in quâ Berythus, Sidon, Sarepta, Tyrus, alia oppida Libano Antilibanoque objecta ad mare jacent. Nam eos duos montes uno Libani nomine contineri, dictum à nobis alibi est. Equidem eò spectare ista verba crediderim, ut cùm ante dictum esset, *trans Jordanem,* altiùs etiam quàm Jordanis

tractus sursùm extenditur, famam illam secundùm maris littus volâsse intelligamus, aut quod universè de maris littore positum fuerat, id istis verbis definiri ad Libanum. Cæterùm de illis gentibus quæ hìc sex, alibi septem, interdùm pluribus, sæpè etiam paucioribus nominibus repræsentantur, sunt quædam à nobis scripta capite tertio, ad versiculum decimum. Septuaginta, quod nonnulla exemplaria testantur, Gergesæos, in hebræo, propter ejus gentis paucitatem, ut Judæi existimant, præteritos, de suo addiderunt. Quod autem nos, ut hebræum exprimeremus, *uno ore,* convertimus, id latinus his explicavit verbis : *Uno animo, eâdemque sententiâ*, chaldæus, *unâ societate,* est interpretatus. Sed quid dicatur satis perspicuum est.

Vers. 3, 4, 5. — Incolæ Gabaon quoque audierant, quæ fecerat Josua, etc. Postquàm paucis verbis indicatum est, hactenùs prospexisse rebus suis reges Chananæos adversùs Israelitas, ut fœdera inter se sanciverint de belli societate, transitur ad Gabaonitarum historiam, quæ sanè memorabilis est cùm primis, tùm propter Nathinæos, aquatores, lignatoresque sacræ ædis, quorum nobis originem aperit, tùm maximè, quòd testetur luculentissimè, divinam misericordiam paratissimam esse iis, quos scelerum suorum potest pœnitere, atque etiam quia, ad præsentem locum quod attinet, nobis apertè ante oculos ponit eam oppositionem, quæ inter Dei filios et impios homines est, dignissimam profectò accuratissimâ notatione animadversioneque. Nam audierant quidem reges chananæi opera Dei admirabilissima, quibus ille omnes clementer invitabat ad pœnitentiam, ut ex quibus æternam ipsius potentiam divinitatemque perspicere atque intelligere poterant. Sed adeò non permovebantur ad pietatem, ut consilia etiam conferrent, quibus possent modis divino ejus numini ampliùs resistere. Audierant et Gabaonitæ, atque iis auditionibus sic fuerunt illicò commoti, ut quâcumque tandem ratione in eorum amicitiam societatemque insinuare se oportere constituerent, quos viderent tam potenti, tamque in suos benigno Deo esse charos. Sunt etiam, qui ex istâ historiâ confici putant, optimatum politiam regno esse meliorem, quod ego longè secùs esse autumo, quando ipsa rerum natura omnibus suis operibus regnum nobis commendare videtur, quæ ubique summâ consensione ab uno dominatu constricta dependent. Nam ad Chananæos reges quod attinet, non fuêre illi reges, sed pessimi tyranni, quippe qui suâ libidine omnia metirentur. Sed id disputare, non est hujus loci.

Igitur ut ad sacra verba veniam : *Egerunt*, inquit, *etiam ipsi callidè;* variæ hìc sunt et discrepantes scriptorum sententiæ, quorsùm spectet comparatio illa, quæ vi voculæ, *etiam,* continetur. Neque enim nuper aliquorum hominum dolus atque astus est commemoratus, cum quo iste Gabaonitarum conferatur. Et Talmudici quidem, quorum opinionem nimis profectò longè repetitam, refert R. Salomon, putant hanc Gabaonitarum fraudem veluti talionem esse illius, quâ usi olim fuerant filii Jacob ad opprimendos Sichimitas, Gabaonitarum gentiles. Fuerunt enim Sichimitæ Hevæi, ut et Gabaonitæ. Nam dùm hi in Regum historiâ nominantur Amorrhæorum reliquiæ, nomen Amorrhæorum, pro quibusvis Chananæis positum est, sicut alibi quoque. David Kimhi, non satis certus, duas dicit diversas sententias. Earum altera est, Gabaonitas sic se fraude adversùs Israelitarum vim velle munire, ut Jerichuntii nuper muris, et Haienses viribus fuerant conati. Altera Gabaonitas putavisse, simulatâ pace ab Israelitis deceptos fuisse, victosque, tum Jerichuntios, tum Haienses, atque ideò eos constituisse simili arte uti adversùs impostores. Sic ferè Judæi. Sed enim demiror stupidis istis Judæis non venisse in mentem, fugam illam simulatam, quâ nuper admodùm Haienses sunt ab Israelitis prolecti in insidias. Eò enim profectò magis scitè fraudis comparatio illa referri potuisset. Verùm omissis istis, sententia, meo judicio, aperta et expedita est. Nam cùm superioribus versiculis expositæ essent regulorum per Chananæam consultationes, conspirationesque, quibus sibi consulere contra Israelitas illi cogitabant, subnectitur, neque Gabaonitas quoque sibi defuisse, non quidem pugnandi consiliis, ut illi, sed prudentiâ, sive astu. Verbum enim hebraicum, ערמה, æquè honestam prudentiam, atque versutum vaframentum malitiamque significare, notius est ex sacris Litteris, quàm ut necesse sit hoc exemplis probare. Quin chaldæus quoque hoc loco, prudenter, est interpretatus illud, בערמה. Porrò verbum, חצטירו, quod convertimus, *simulare legationem,* si pro litterâ resch scribatur, quæ forma est simillima, daleth, significabit cibum, aut viaticum comparare. Atque de hâc scripturâ expressum est, quod reddiderunt Chaldæus, Latinus, atque etiam Septuag. (nam apud hos lego, cum Syro, ἐπεσιτίσαντο, non autem ἐπεστήσαντο). Est illud

quidem, quod nunc in omnibus hebraicis libris habetur, haud alienum à præsente historiâ. Mittunt enim Gabaonitæ legatos ad Josuam. Sed quando paulò post utuntur ipsi Gabaonitæ verbo, הצטידנו, credibile videtur, παράγραμμα esse hoc loco, atque similiter, העטודו, scribi debere. Id autem est, cibum sumpserunt, sive viaticum. Cæterùm græcum verbum, quod in vulgatis libris est, ἐπεστήσαντο, an credi possit, non esse mendosum, atque accipi, pro repentè et de improviso adesse, remque constitutam aggredi, aliorum esto existimatio. Mihi certè dubium nullum est, quin per paragrammatismum errore librariorum sic scriptum sit, pro ἐπεσιτίσαντο. Hoc enim vetus admodùm interpres syrus expressit de græco libro, qui Eusebii manu fuerat emendatus ex Hexaplis Origenis.

Nomen, מטלא, significat id quod ex aliis atque aliis frustis, sive, ut vocant, pittaciis consutum compactumque est. Nam apud doct. hebr. טלאי, pro pittacio usurpatum me legere memini. Chaldæi, מרקע, Syri, קרמא, dicunt, Germani, *ampletz*. Sunt igitur, נעלות מטלאות, calcei diversis solorum frustis suppacti, quod Græci expresserunt, cùm dicerent, καταπεπελματώμενα, ducto verbo ἀπὸ τοῦ πέλματος, hoc est, à soleâ. Et alibi pecus vocatur, טלא, cujus vellus est majusculis notis varium, tanquàm ex diversis pittaciis consutum sit. Porrò, נקורים, quod à nobis conversum est, *mucore maculosus* (est enim mucidus panis multis coloribus, tanquàm punctis, varius), existimat R. Salomon, à יקד, quod adurere est, dici. Interpretatur enim, *nimis excoctum atque adustum panem.* Idque ei assentiuntur Aquilas, Symmachus, Chaldæus; convertit enim Chaldæus, כסנין, quam vocem interpretatur idem ille R. Salomon in Misnajoth scribens, spicas nondùm maturas quidem, sed in furno adustas, quales moris erat puerulis dare, cùm sponsa domo paternâ educeretur. Latinus, et R. Levi F. Gersonis existimant, frusta significare panis aridi, quique in micas friatur. Græci à me stant, dùm βεβρώμενοι, convertunt, hoc est, situ ipso et mucore olidi, atque virosi. R. David Kimhi nihil certi definit. Et sanè parùm refert quam hîc sequare sententiam : sunt enim omnia in pane vetustatis indicia.

Vers. 6. — Profectique sunt ad Josuam in castra ad Galgala, etc. Quæ verba faciunt Gabaonitæ hoc versiculo, ea non ad imperatorem, sed ad alios Israelitas facere videntur, cùm obvios quosque suppliciter prehensant, priusquàm ad imperatorem penetrârunt. Nam versu demùm octavo privatim cum Josuâ loquentur, quantùm certè apparet. Utuntur autem gravi ac firmo argumento, cùm pacem secum faciendam esse inde inficiunt, quia ex terrâ longinquâ veniant. Legem enim in Deuteronomio edixit verbis disertis Moses, quâ constitutum est, ut quæ civitates extra Chananæam positæ offerrent pacem, seque dederent, eæ solis tributi pendendi, et servitutis serviendæ conditionibus, reciperentur in fidem. Et hinc doctores hebræi acuti homines scilicet, in סוטה, colligunt, non solas benedictionis et maledictionis formulas in lapidibus ad Hebal fuisse inscriptas, sed omnes prorsùs Mosis constitutiones. Gabaonitas enim in illis lapidibus ipsos legisse, aut à Barbarorum scribis, qui descripserant, accepisse, quid de servandis exteris, perdendisque incolis mandatum à Deo esset per Mosen. Atqui Gabaonitæ versu 24 dicturi sunt, non ex scripto se ista cognovisse, sed nuntiata sibi esse. Quare credibilius est, illiusmodi pacis et belli leges, quas Deus præscripserat, ab ipsis Israelitis, quibuscumque fieri potuit modis divulgatas fuisse apud quosvis. Pertinebat enim ea res ad totius belli æquitatem, ut in hujus capitis extremo sumus dicturi. Et quis non existimet vel Rahabæ cognatos, qui jamdudùm inter Israelitas versabantur, de gentilium suorum salute sollicitos, ea, quantùm poterant, sparsisse in vulgus, quæ vel spe, vel metu quosque possent ad deditionem invitare ? Non ergo mirandum in eo est, quòd apud Barbaros pervagata sit Dei voluntas, quam per Mosen patefecerat, atque Israelitis de isto bello mandârat. De particulâ illâ, ועתה, quam interpretati sumus, *itaque*, disseruimus cap. primo, ad vers. secundum.

Vers. 7. — Et dicebant quisque Israelita ad Hevæum : Fortassè intra me, etc. Hevæi nomine intelliguntur Gabaonitæ. Erant enim hi, ut dicebam nuper, Hevæi. Rectè autem putabant Israelitæ, nefas sibi esse cum iis ferire fœdus, qui intra ipsos habitarent, hoc est, intra Chananææ fines, quos ipsis Deus pro sedibus donaverat. Nam illud disertis verbis à Deo vetitum fuerat, tum in Exod. tum Deuteron., cùm dixisset : *Non percuties cum ipsis et diis ipsorum fœdus; neque habitabunt in terrâ tuâ; ne fortè inducant te ad peccandum in me.* Et rursùs : *Non pacisceris cum ipsis, neque misereberis ipsorum.* At de exteris alia ratio erat, quippe cùm quibus nulla Israelitis vitæ neces-

situdo atque familiaritas esset intercessura, etiamsi fœderati forent. Sed de his rebus mox plura dicenda erunt. Est autem hoc loco observanda Israelitici populi modestia, quâ erga legatos, quamvis hostium, utuntur. Neque enim molestâ curiositate in illorum res inquirunt, nedùm ipsos conviciis exagitant, sed urbanè et comiter cùm respondissent ad ea quæ illi petebant, à se dimittunt, ad imperatorem videlicet rem omnem rejicientes.

Vers. 8 et seq. — Ad Josuam item dicebant : Nos servi tui sumus, etc. Adhuc dictum est, quid ad vulgus Israelitarum locuti sint legati, et quale ab illis responsum acceperint. Nunc verò colloquium, quod cum imperatore habuerunt, explicatur. In quo prolixiùs, ut debent, mandata sua omnia exponunt. Primùm enim benevolentiam captant apud eum, in cujus arbitrio exorandi momentum omne positum esse prudenter existimant. Deinde cùm exteros se, atque longinquos esse subjecissent (nullâ enim aliâ ratione fœdus se impetrare posse credebant, ut post dicturi sunt), conscii sibi sui mendacii illicò ea addunt, quibus mentem illius misericordiâ impediant, ne libero animo videlicet tum de eâ re, tum de cæteris quas mox sunt simulaturi, accuratiùs inquirere, atque severiùs existimare ille possit. Quæ enim oratio ad permovendum misericordiâ hominis animum queat esse vehementior, quàm quâ se quis alteri dedit in servitutem, ut de se ille pro suo statuat arbitrio? Deinceps à se ad Dei personam transeunt, ejusque magnifica et præclara facinora commemorant, iisque se motos deditionem istam instituisse dicunt, non autem metu aliquo perculsos. Ut enim metu hostis ad deditionem impelli, ignavorum est neque gratiam promeretur, ita illius virtutum admiratione ultrò duci, generosorum, et laude atque amicâ benevolentiâ dignum existimari debet. Magnâ igitur illud arte faciunt, ut et hoc summâ cum astutiâ, quod neque Jordanis siccati, neque Jerichuntis eversæ miracula commemorant, quasi longinquæ regionis incolæ nihil istarum rerum nuper gestarum vel per famam audierint. Quin ipsius quoque imperatoris laudes, cum Dei laudibus, sed tacitè, et citra adulationis vitium, miscent, cùm dicunt : *Ad nomen Domini Dei tui.* Quæ enim major Josuæ gloria esse possit, quàm potentissimi Dei imperatorem appellari?

Post hæc tandem, suæ legationis commentarium recitare incipiunt, his verbis : *Dicebantque ad nos seniores nostri,* et quæ sequuntur. Atque hìc quoque non minùs artificiosè orationem instituunt, dùm popularium suorum paratissimos ad deditionem animos prædicant, ut qui se ultrò ad id agendum obviàm Israelitis miserint, quod alii ad ultimam usque necessitatem solent differre, dùmque exquisitissimè rationes omnes colligunt, quibus se exteros atque longinquos esse persuadeant. Tale igitur ferè est totius orationis illorum artificium, quæ in genere deliberativo versatur. Porrò quod nos sumus interpretati, *ad nomen Domini Dei tui,* tanquàm ea quæ adjiciuntur, sint ἐξήγησις ejus, atque explicatio (fama enim, et nomen, ut apud Latinos, ita et Hebræos sæpè idem significat), id malunt alii ad religionem referre. Neque sanè id levi argumento facere videri possunt, quando Rahabam iisdem penè verbis fidem suam declarantem audivimus. Isti ergo reddunt : *In nomine Domini Dei tui.* Sicut Septuag. et Latinum fecisse videmus. Hocque explicat Liranus in hanc ferè sententiam : Maximis et admirandis Dei tui facinoribus, quæ fama ad nos pertulit, adducti sumus, ut eum velimus verum agnoscere Deum, atque ideò hùc profecti, fœdere vobiscum jungi cupimus, et vestram cum societate religionem amplecti. Quin et Nehmannus quoque, inter Judæos egregiè doctus scriptor, eamdem sententiam secutus, scribit, Gabaonitas animo ab idolorum cultu abalienato, ad dandum vero Israelitarum Deo nomen venisse. Mihi verò videtur quidem illud alterum, quod ego de hebræo expressi, simplicius, idque etiam Origeni placuisse intelligo. Verùmtamen nolim istud pertinaciùs refellere, cùm ab Augustino probetur. Quanquàm quod ad Rahab attinet, multò sanè illa fidem suam declarabat apertiùs, cùm illo pulcherrimo uteretur epiphonemate : *Dominus Deus vester, est Deus in cœlo supra, et subter in terris.* Cæterùm historia rerum in Ægypto gestarum, ex secundo Mosis libro petenda est, illa verò regum Sehonis et Og, ex quarto.

Vers. 14. — Sumpserunt igitur viri de illorum viatico, etc. Verbum ציד, interpretatur Chaldæus hoc loco, ipsa Gabaonitarum dicta quippe insidiosa. Sic enim explicat : *Assensi sunt,* inquit, *viri dictis illorum, et non consuluerunt oraculum Domini,* nimirùm, quia positio, צדה insidiari significat. Idque illi assentitur etiam R. Salomon. Atqui insolitus prorsùs est iste verbi ציד, usus, quod alibi perpetuò vel de venatione, vel de cibo et viatico dicitur.

Nam צדה alterius ordinis positio est, ut nôrunt grammatici. Tum hoc quoque absurdum est, hìc aliam ejus vocabuli notionem comminisci, quàm quâ est nuperrimè in hâc ipsâ narratione usurpatum. Quare magis ferenda videri possit quorumdam interpretum sententia, quam Kimhi profert, qui verbum, לקח, quod nos convertimus, *sumpserunt*, interpretantur, *didicerunt*, quasi ex viatico propiùs inspecto didicerint Israelitæ, Gabaonitas rem ipsam dicere. Sed omissis istis commentis, ut simplicissima, ita verissima sententia est, quam nos, post Septuag. et latinum, de hebræo expressimus. Eaque sola probatur etiam à Kimhi. Est enim veluti oppositio quædam inter illa, sumere panem Gabaonitarum in manus, suisque oculis satis fidere, et os, sive oraculum Domini interrogare; quod R. Isaias quoque, vir sanè doctus, ut inter Judæos, sensisse videtur, quanquàm obscurè. Liranus putat, ad amicitiæ conciliandæ cæremoniam pertinere, et fœderis sanciendi, quòd Israelitæ panem à peregrinis hominibus sumunt, atque, ut est credibile, de prægustato paululùm degustant. Nam ritu non dissimili fœdus firmâsse Jacobum et Labanem certum est. Et apud Sallustium, Curtium, aliosque historiæ profanæ scriptores, exempla exstant fœderum, in quibus sanciendis populares de eodem vel cibo, vel potu gustare solebant. Sed alii hanc Lirani sententiam, ut insulsam atque ineptam rident; ipsi interim ineptissimè atque stultissimè censent, ita enectos fuisse inediâ Israelitas, ut ne tantisper quidem sustinere se potuerint, dùm Deum consulerent; quin aridum illum, et exsuccum, mucidumque panem acceptum vorarent. Scilicet post eversas duas maximas urbes, cùm latè vicinis agris potiti essent, in regione omnium rerum feracissimâ, pauculis micis mucidi panis inhiabant, qui simul atque in Chananæam pervenissent, neque dùm manus cum hoste conseruissent, ita victu abundabant ex hostili agro parabili, ut cœlesti mannâ ampliùs non indigerent. Sed sunt ineptiora ista, quàm ut refelli mereantur.

Porrò *viri* ii sunt, ut est credibile, qui mox principes cœtûs vocabuntur, primates scilicet populi qui apud imperatorem cùm essent, legatos audierant, atque opinione persuasi ab eis fuerant. Rectè ergo à Septuaginta ἄρχοντες redditum est, quod in hebræo est אנשים : nam principum inconsiderantiam à plebe damnari audiemus. Et alibi me dicere memini, vocabulum, איש, Hebræis egregium præ cæteris, atque eximium virum significare. Cæterùm an imperator ipse quoque inter eos fuerit, qui se hìc tam credulos præbent, neque Deum, ut debebant, consulunt, non planè constituere possum; opinarer quidem certè libenter, alios, cùm faciliùs et priusquàm Josua fidem Gabaonitarum simulationi adjunxissent, huic quoque deinde fuisse assentiendi auctores. Secerni enim in hâc historiâ imperatorem nonnunquàm à principibus cœtûs videor animadvertere. Verùmtamen pugnare haud velim, si quis contra sentiat. Memini enim à Josuâ adversùs Haienses missa primùm fuisse tria virorum millia, non consulto Deo, cùm relationi suorum nuntiorum ille credidisset. Nimirùm, ut eventa ipsa ab æternâ Dei providentiâ pendent, ita ab eâdem eventorum causæ continuâ serie aliæ ex aliis aptæ fluunt.

Erat æterno Dei consilio constitutum, ut Gabaonitæ aquatores lignatoresque fierent olim in sacrâ æde. Hoc ergo servitutis genus, ut suis sibi fallaciis ipsi jam comparent, non consulto Dei oraculo, in fœdus ab Israelitis recipiuntur, semelque recepti, potiùs quàm violato jurejurando rursùs repudientur, ad molestam illam operam perpetuò damnantur. Neque tamen Dei providentia vel Gabaonitas simulationis fictæ, vel Israelitas temerariæ credulitatis necessitate constringebat. Erat enim in utrorumque positum liberâ voluntate, aut si mavis, arbitrio, illorum quidem, ut apertâ atque ingenuâ fidei professione Israelitis sociatum se irent, sicut Rahab, vel dolo uterentur, quod fecerunt. Horum verò, ut aut consulerent Deum, sicut jure debebant, aut non consulerent. Ipsa enim, quam dixi, divina providentia illiusmodi mortalium actiones fataliter potiùs præcedit, quàm efficienter. Sed enim divus Ambrosius libro de Officiis tertio, istam credulitatem Israelitis non ponendam in vitio putat, sed potiùs in laude integritatis. Scribit enim hæc ferè verba : « Adeò sancta erat illis « temporibus fides, ut fallere aliquos posse « non crederetur. Quis hoc reprehendat in « sanctis, qui cæteros de suo affectu æstimant? « Et quia ipsis amica est veritas, mentiri ne- « minem putant, fallere quid sit, ignorant. » Et mox : « Non vituperanda, inquit, facilitas, « sed laudanda est bonitas. » Et in hanc sententiam ille plura, quæ ex ipsius libro peti possunt, est enim in omnium manibus. Equidem, etsi probabile est, ne Deum ipsum quidem, si consultus esset, responsurum fuisse, Gabao-

nitas, cùm pacem peterent, non esse recipiendos, existimo tamen, illis verbis : *Neque os Domini interrogaverunt,* principes neglecti officii non leviter esse insimulatos.

Debemus igitur nos quoque, hoc exemplo admoniti, in iis actionibus, quas instituimus, præsertim si non sint de rebus levissimis, haudquaquàm inconsultè properare ac ruere, sed animo, quantùm possumus, dispicere, excutere, expendere res omnes, memoriâ repetere atque æstimare præteritas, intueri præsentes, futuras conjicere, atque ex his omnibus quid facere conveniat non solùm nobiscum ipsi deliberare, sed inprimis Deum suppliciter orare, ut quod faustum felixque sit, id nobis in mentem mittat, operasque nostras ad suam ipsius gloriam, nostram verò salutem dirigat. Non enim nos, sed Deus novit, quid nobis ex usu sit, ac piè religiosèque consultus, promptè atque benignè, quæ salutaria sint, nutu impulsuque divino suggerit, et, ut Aratus cecinit, ἥπιος ἀνθρώποισι δέξια σημαίνει. Cæteroqui si solius nostri animi ductum sequamur, nihilò agamus consideratiùs, quàm si, quid agendum nobis sit, sortiamur, ut est à Xenophonte, lib. 1 Pœd., prudenter dictum. Debet insuper hoc exemplum cautos facere principes et magistratus, hoc est, qui rebus publicis præfecti sunt, ut ne eos concionatores urbibus atque aulis suis temerè et inconsideratè sibi socient, quotquot splendidè ac magnificè de Deo concionantur, atque Dei miranda opera continuò in ore habent, quasi nuper ex cœlesti aliquo consessu adsint. Est enim multis istius generis hominibus id nunc propositum, ut cùm se in magistratûs gratiam insinuaverint, et partim magnæ pietatis adversùs Deum prætextu, partim, fictis accommodatisque ad opiniones imperitorum doctrinis, animos omnium sibi conciliaverint, antiquis bonisque constitutis aliis sublatis, aliis labefactatis, aut perversis, rempublicam sursùm deorsùm miscere, ut ipsi, quod vulgò dicitur, in aquâ turbidâ, quasi aliud agentes, piscari tacitè queant, atque aliorum hominum fortunas involare.

Vers. 15.— Fecitque Josua cum illis pacem, et percussit ipsis fœdus, etc. Pacem facere, ad hostilem voluntatem, atque offensionem deponendam pertinet. Fœdus verò percutere, ipsa pacis pacta, atque leges et conditiones intuetur, ut est alibi à Nehmanno scriptum. Conditiones autem, quibus cum exteris civitatibus, è quarum numero se Gabaonitæ simulant esse, depaciscendum erat, perscriptæ sunt in Deuteronomio, cap. 20, vers. 10 : *Cùm accesseris,* inquit, sive Deus, sive ejus interpres Moses, *ad urbem, ejus oppugnandæ causâ, atque pacem illi obtuleris si vicissim ipsa pacatis te verbis exceperit, portasque tibi aperuerit, omnis populus qui in eâ fuerit inventus, erunt tibi tributarii, et servient tibi.* Et hæc lex, ut volunt Hebræi plerique omnes uno ore, æquè pertinet ad Chananææ colonos, atque ad exteros et longinquos. Nam quod proximis deinceps versiculis discrimen inter indigenas et alienigenas positum est, id de iis civitatibus modò accipiendum esse aiunt, quæ pacem oblatam recusant. In his enim, si externæ sint, mares quidem militares occidendos esse, at parvulos et feminas cum prædâ universâ diripi servarique posse ; at si non longinquæ, sed intra Chananææ fines sint positæ, quos Deus Israelitis pro hæreditate assignavit, tum nullius prorsùs ætatis aut sexûs vitæ parcere fas esse. Quæ opinio Judæorum si vera est, quid est cur Gabaonitæ exteros se simulare debeant, cùm pacem etiam ultrò oblatum veniant, neque exspectent, ut rogentur?

Sed dicent Judæi, illos non satis fuisse legum Mosis peritos. — Atqui Israelitæ ipsi dicunt, se cum suarum sedium incolis, etiamsi pacem ambiant, pacisci de pace non posse. Sed fuerit sanè etiam Israelitarum vulgus ignarum illius instituti Mosaici, quid de imperatore Josuâ dicemus, qui queritur, impositum sibi à Gabaonitis esse, eò quòd se exteros, atque longinquos simulâssent; eâque ratione pacem à se impetrâssent? quando, si rectè Judæi sentiunt, etiam ut indigenæ illi fuissent, pax eis, quam ultrò petebant, jure non debuit denegari. Ego igitur verius esse existimo, recipi quidem etiam Chananæos, si pacem petant, in amicitiam posse, sed non continuò iis conditionibus, quibus admittuntur exteri. His enim, etiam salvis sibi suis superstitionibus, pacem pro mutuâ pace, et insuper tributo pendendo dare fas esse. Illis verò, ne sic quidem, nisi falsâ religione cum verâ commutatâ, et hoc propter contagii superstitionis periculum ex propinquâ familiaritate. Sed hæc mox persequemur latiùs. Hic tamen facere non possum, quin addam, nonnullos existimare, neque exteros, neque domesticos, hoc est, Chananæos, si pacem ultrò petant, quod Gabaonitas facere videmus, neque exspectent dùm pacem poscantur, ullâ servitutis specie, quale est tributum, mulctari debere, modò ut domestici qui sunt, et Chananæam incolunt, probum Dei cultum simul

cum pace amplectantur. Atque ad hanc suam opinionem firmandam, tum Rahabæ exemplum proponunt, tum præsens Gabaonitarum. Sed ista quoque fortassis post à nobis disputabuntur. Fecit ergo Josua cum Gabaonitis pacem, et sancivit fœdus, tanquàm cum exteris videlicet, salvâ ipsis suâ religione avitâ. Aut si hoc minùs probas, malisque assentiri illis, qui putant Gabaonitas ultrò veri Dei religionem fuisse amplexatos, dicemus, ut vectigales socios esse dimissos, cùm et fraus illa, et insuper patriæ conditio duriorem servitutem promererentur, aut ne vectigales quidem, quippe cùm se ultrò deditum venissent, idque Nehmanno placet.

Porrò quod additur, *conservandi ipsos salvos,* est hebraicè, לחיותם, hoc est, faciendi ut viverent, quo ego caveri modò puto, nullum ipsis vitæ periculum fore ab Israelitis, non etiam Israelitas debere ab illis omne periculum propulsare. Audiemus quidem proximo capite, Josuam promptissimè opem illis tulisse adversùs ipsorum hostes, cùm eam implorâssent, sed id ille Dei oraculo monitus fecisse videtur potiùs quàm de compacto. Quanquàm nihil moror, quominùs contra, si lubet, sentias. Illud tamen certissimum esse debet, mutuum subsidium sibi suisque non esse depectum imperatorem, à Gabaonitis. Nam in nefario crimine positum Israelitis est à sacris vatibus, quoties non in solo Deo, sed simul in re aliâ ullam haberent confidentiam. Exstant quidem in sacrâ historiâ aliquot exempla fœderum, quæ viri sancti cum profanis et barbaris iniverunt. Cujusmodi sunt, fœdus Abrahami cum Mamre, Eschol, et Aner, cum Abimelechoque, et Isaaci cum eodem rege, tum Jacobi cum socero suo Labane. Et, ut multa prætteream, Davidi et Salomoni cum Hiram rege Tyri quanta fuerit amicitia, testatissimum est. Neque enim nefas est homines, quamvis diversas religiones colant, inter se amicitiam gerere, quâ est ab ipsâ rerum naturâ universum genus humanum quodam modo consociatum, sed *usque ad aram,* ut est in proverbio. Nullius enim societate sic se implicare fas est, ut ejus causâ de viâ veræ virtutis sit declinandum, aut ullâ ex parte polluenda religionis jura. Id quod regi Achaz evenisse proditum sacris litteris est, qui cùm sibi regem Assyriorum adjunxisset belli socium, ejus gratiâ aram, et alia quæ in sacrâ æde divino consilio benè constituta fuerant, mutavit. Et regi Josaphat obnuntiavit vates Jehu iram Dei, quia impio Achab auxilium tulisset, eumque quem Deus oderat, amâsset. Rursùs cùm idem coivisset societatem cum Ochoziâ, impiissimo rege, vaticinabatur ei Eliezer Maresaus, ob eam rem infeliciter cessurum, quod instituisset. Idque ita evenit. Naves enim, quas ad Tharsen miserat, frangebantur, neque cursum tenere potuerunt. Sed non est opus plura malarum illiusmodi pactionum exempla adjungere, sunt enim plurima in sacrâ historiâ. At Abraham, Isaac, Jacob, suis illis fœderibus, nihil aliud quàm pacem dabant atque constituebant Barbaris petentibus, in quorum regione vivendum amicè ipsis erat, cùm nondùm essent jussi hostiliter se erga illos gerere. Non enim adhuc pervenerant ad summam improbitatem Amorrhæi. Nequaquàm autem pacem ab illis turpiter, aut flagitiosè redimebant, cùm vel suis ipsi rebus ab eis timerent, neque Deo suo satis confiderent, vel ullos hostes suos ulciscendi, vel aliorum denique fortunas invadendi subsidium quærerent. Itaque ad reipublicæ tranquillitatem conservandam, absque ullâ Dei offensâ, illorum fœdera spectabant. Jam verò Hirami amicitia, quâ tum Davidem, tum Salomonem esse usum diximus, quis nescit, quàm fuerit illis utilis ad ea comparanda, quæ ad cultum divinum pertinebant? Hæc eò à me monentur, ut vitandam nobis esse intelligamus, arctiorem, quæ lubrica sit, atque periculosa præsertim, conjunctionis necessitudinem, cum iis, quos à probâ religione alienos esse scimus, ne videlicet eodem cum eis devincti jugo, illùc simul abripiamur, quò ipsi, prava sua studia secuti, feruntur. Cæteroqui pacem atque tranquillitatem in republicâ, quantùm possumus, colamus et conservemus.

Sequitur in sacris verbis: *Et juraverunt ipsis principes cœtûs,* etc. Certum est, Hebræorum fœdera eo ritu fieri solere, quem Abrahamo olim Deus monstrârat, cùm ipse inter partes sectorum per medium animalium transivisset, eâque cæremoniâ promissa sua, quæ paulò ante illi vigili, tum verò rursùs secundùm quietem promittebat, confirmâsset. Nisi quòd Abraham quinque animalium genera capere jussus est, nimirùm quæ sola olim ad sacrificia forent utilia. Cætera autem fœdera uno animali secto ritè fiebant. Atque hæc est causa, cur Hebræi fœdus facere, dicant כרות הברית, hoc est, dividere, aut dissecare fœdus. Sicut Latini suum repræsentantes ritum, dicunt, *percutere fœdus,* de quo ritu vide Livium decad. primæ lib. prim. Ejus quod dico, optimus tes-

tis est Jeremias, cùm ait, cap. 34, v. 17, 18: *Dedam viros, qui fregerunt fœdus, quod diviserant* (hoc est, fecerant) *coram me, vitulum quem diviserant in duas partes, et transierant inter partes ejus*, etc., *eos*, inquam, *dedam in manus hostium ipsorum*, etc. Sed præter eum ritum, non dubium quin solemnes etiam precationes adhiberi consueverint, in quibus jusjurandum quoque continetur, sicut in sponsionibus dari sponsores, aut etiam obsides. Itaque hìc jurârunt, non solus imperator, verùm etiam senatus populi. Nam in republicâ benè constitutâ, in quâ non ex libidine unius hominis omnia geruntur, sed ex optimorum consilio, unus res moderatur, solent legitima fœdera firmari unius quidem auctoritate, sed qui ante sibi senatûs auctoritatem adjunxit. De populi jussu nihil dico, cujus ego judicium semper existimavi incertissimum esse. Cæterùm illius cæremoniæ mysterium, quâ inter dissecti animalis duas partes transibant, qui fœdere conjungebantur, non jam explicabo. Longum enim esset, et præter scopum. Ritum autem spargendi sanguinis victimæ, quo usus est Moses in Exodo, credibile est hìc non esse adhibitum. Est enim ille eorum, qui veluti initiantur sacris rebus. Sed de hoc post dicemus, idoneo loco. Memorantur etiam Jacob et Laban cùm fœdus facerent, lapidum cumulos congessisse. Verùm id non tam de more eos fecisse, ego certè opinor, quàm veluti terminos constituisse, quos neutri fas esset aliquando, nocendi alteri causâ, transire. Et de fœdere hactenùs.

Vers. 16. — Factum est porro post finem trium dierum, etc. Quo nuntio fraus sit patefacta, scire nihil refert. Est tamen credibile, Israelitas apud Galgala in stativis castris minimè otium trivisse, post eversas duas urbes Jerichuntem et Hai, sed assiduis excursionibus loca latè vicina explorâsse, cùm frumentandi, aliasque res ad victum necessarias quærendi, tùm regionis cognoscendæ causâ; vocantur autem Gabaonitæ rectè, vicini. Nam, quod proximo capite dicitur, ut plurimùm unius diei et noctis itinere ad eos usque exercitus è Galgalis traduci potuit. Scribit quidem auctor compendii historiæ Josephi, is qui Egesippi nomine se venditat, distare Gabaonem à Jerosolymis stadia non ampliùs quinquaginta, secutus, ut videtur, in eo etiam suum Josephum, qui lib. de Bello Judaico secundo litteris prodidit, Cestium à direptâ Lyddâ, cum exercitu Jerosolyma, per Bethoron petentem, castra fecisse in Gabao, stadiis quinquaginta ab Jerosolymis positâ. Sed incertum est, an Josephus Saülis Gabaam, an hanc nostram dicat. Verùm demus, nostram dicere, cùm abfuerint Jerosolyma à Galgalis plus minùs stadiis centum sexaginta, ut idem Josephus scriptum reliquit; conficietur, à Galgalis ad Gabaonem decem et ducentorum stadiorum fuisse intervallum, hoc est, vicies sexies mille passuum et stadiorum duorum. Exstabat autem Gabaon ista in parte montis ejus, quem Silo vocat sacra historia, qui mons ferè ad occidentem positus est, cùm Jerosolyma intuemur. Cæterùm quid sit illud, intra Israelitas habitare, nuper exposuimus.

Vers. 17. — Profectique sunt Israelitæ et venerunt ad illorum urbes, etc. Non fuisse tridui iter ex Galgalis ad Gabaonem, satis certum est ex iis quæ proximo narrabuntur capite. Pervenerunt ergo illùc die tertio, ex quo rescitum fuerat, illos esse indigenas Chananæos, et quidem, ut est probabile, cum exercitu, quo, positis opportuno loco castris, terrorem maximum simul omnibus illorum urbibus attulerunt. Erant enim inter se vicinæ, unde et simul recensentur tres illæ Caphira, Beeroth et Kariathjaarim apud Esdram, et Cephira quidem, atque Beeroth sorte obtigerunt Benjaminitis, ut suo loco dicetur, in terræ partitione, Kariathjaarim verò Judæis. De Cephirâ est alibi mentio. Beeroth Remmonem patrem Rechab dedit, ut proditum est in Regum historiâ. Habet hæc nomen à puteis, sicut alia quædam ei cognominis in Deuteron. At Kariathjaarim multis est historiis celebris. Eusebius in libello de Locis hebr. hanc collocat mille duntaxat passibus ab Jerosolymis, quà Lyddam iter est, nisi mendum est in numero. Certè Burchardus circiter quatuor horarum et dimidiæ itinere ab urbe sanctâ abesse scribit, hoc est, ferè decem millibus passuum. Sed erit, opinor, alius locus de his disserendi paulùm accuratiùs. Nomen ipsum significat, urbem Sylvarum, quod ei datum est à vicino, atque adeò adjacente monte, qui יערים, Jaarim vocatur, utpote sylvosus, et multâ materie obsitus, opinor. In eo monte exstabat illa, quam modò dicebamus, Cephira. Abfuisse autem Kariathjaarim propè admodùm ab urbe Bethsemes, de historiâ sacræ arcæ à Palæstinis remissæ discimus. Vocata est etiam Cariathbaal, et nonnunquàm Baala. Sed erit sæpiùs de istâ urbe dicendum. Jeremias vatem Uriam in eâ natum fuisse prodidit, cap. 26, v. 20.

Vers. 18. — Et non percusserunt ipsos Israelitæ, eo quòd, etc. Cùm jam ad Gabaonitarum ditionem armatâ manu perventum esset, locusque, ut dixi, opportunus castris captus, unde invadi illorum urbes facilè possent, vulgus quidem militum, vel prædæ, vel vindictæ, vel utriusque rei avidum, suæque libidini, ut solet, non rationi, obsequens, fremebat desiderio gentis invadendæ. At tribuni, aliique duces et præfecti, consilio priusquàm armis de totâ re decernendum esse, prudenter existimabant. Itaque hi deliberatione habitâ constituerunt, nefas esse, eos hostiliter aggredi, quos interposito, per Dei Israelis sanctissimum nomen, jurejurando, jussissent vitæ suæ securos esse. Quare populi tumultuantis impetum oratione reprimendum putaverunt, quæ oratio proximis duobus versiculis exponetur. Rursùs hoc loco incerti sumus, an isti deliberationi præsens interfuerit cum cæteris ducibus imperator Josua, an verò illorum decreta ipse in Galgalis approbaverit, cùm ad se de re totâ relatum esset, atque illùc etiam Gabaonitas evocârit, sententiam audituros. Equidem utrùm verum sit, non satis video constitui posse. Quanquàm verisimile esse videatur, ipsam militum concionem adversùs præsentem imperatorem suum non tam insolenter fuisse murmuraturam. Neque enim id alibi ab eis esse factum apparet. Verumenimverò, quando non esse ideò percussos ab Israelitis Gabaonitas, scriptum est, quia principes cœtûs ipsis jurâssent, illud videndum primò est, si isti non jurâssent, num fas fuisset homines ultrò pacem petentes, seseque dedentes, armis invadere atque opprimere. Et sanè, si per dolum pacem illicitam impetravissent, hoc est, ut salvis sibi suis superstitionibus, tanquàm exteri viverè domi possent, dubium non est, quin datam contra legem Dei pacem eripere illis Israelitæ rursùs debuissent. Sunt enim ista legis verba : *Non ferias cum ipsis, et diis eorum, fœdus.* Sin autem non se solùm dedidissent, sed etiam vero Deo dedissent nomen (nam hanc quosdam habere de istâ deditione opinionem dixi) atque his conditionibus data ipsis pax fuisset, scelus fecissent, meo certè judicio, Israelitæ, si, etiam injurati, manus illis intulissent. Nam ad militum murmur quod attinet, ignorabant illi, homines imperiti, æquiorem duræ illius legis interpretationem, de occisione occidendis exterminandisque Chananæis toties à Mose decantatæ. Non enim debebat ea ad illos pertinere, qui Israelitarum sacra amplecterentur, adscriptitiique Israelitæ fierent, ut mox dicemus. Deinde et illud quæritur, an si jusjurandum non conservâssent Israelitæ, quod Gabaonitis domesticis dederant, cùm exteros esse crederent, perjurii scelere se obligâssent. Hìc ego planè statuendum puto absque ullâ dubitatione, si summo agatur jure ipsaque stipulantium verba spectentur, non magis obligatos fuisse Israelitas Gabaonitis, qui se alienigenas simulabant, indigenæ cùm essent, quam si quis rei venditæ pretium, ei se numeraturum, per errorem, promittat, qui sibi nihil vendidit. Sed prisci illi homines, non solùm qui veræ religionis, sed qui falsarum etiam superstitionum cultores fuêre, ut parcè atque religiosè admodùm, ad jurandum descendebant, ita sua promissa, quorum semel Deum suum sponsorem nuncupâssent, quovis modo servare se debere putaverunt. Atque ea est ratio videlicet, cur et Gabaonitæ magnum sibi operæ pretium fore statuerent, si vel dolo jusjurandum ab hoste accepissent, et Israelitæ, quam temerè dedissent fidem, eam haud temerè mutare se debere existimarent. Cæteroqui neutros ignorâsse, vitiosum esse illud sacramentum, quod per fraudem datum acceptumque fuerat, vel ex illo intelligas, quòd alteri castigant dolum, alteri pœnam, metûs excusatione, sic deprecantur, ut interim quâvis se dignos esse fateantur. Et mihi quidem certè videtur, tale quiddam hìc accidisse principibus cœtûs, quale sanctissimo viro Isaaco, cùm à filio Jacobo benedictione circumduceretur. Nam cùm Dei consilium esset, ut major Esaü, minori Jacobo cederet, facilè pater in agnoscendo filio deceptus est, quamvis tum vox ipsa, tum præproperus atque immaturus reditus erroris illum satis admonerent. Et licet benè precantis animus totâ cogitatione in majorem natu filium intentus fuisset, ut cujus et nomine, et personâ stipulatio benedictionis fiebat, tamen neque stipulatoris fraus, neque benedicentis error obstiterunt, cur minùs cùm à Deo, tùm à parente fausta illa precatio rata haberetur, efficaxque esset.

Sed objicis mihi, planè jusjurandum, quod cum Dei verbo pugnabat, firmum ac fixum esse minimè debuisse. Deus enim mandârat, ad internecionem cædere Chananæos omnes, nullo discrimine, idque repetitâ sæpiùs lege, ut dixi. — Atqui ea lex, quamvis universè edicta esset, propter eorum paucitatem, qui vitæ anteactæ pœnitentiâ essent meritas pœnas effugituri, tamen, quod in plerisque omni-

bus legibus usuvenit, æquitate quâdam erat interpretanda, ut cum æternâ Dei clementiâ congrueret, conveniretque. Neminem enim ille quidem, unquàm patitur serò ad se confugere, qui modò ex animo id faciat. Sed ea est rursùs divinæ justitiæ ratio, ut qui nimis diù illius lenitate ad peccandi licentiam abutuntur, et divitias patientiæ ejus contemnunt, ii ferè nunquàm in animum inducant, seriò gratiam ab illo suorum delictorum petere. Nam, ut demus, ne ipsos quidem jurantes principes Israelitas, tùm, quando jurabant, de æquiore illâ interpretatione legis cogitâsse, tamen ita moderatus est ipsorum animos suo instinctu Spiritus ille cœlestis, ut vel imprudentes consilium Dei sequerentur. Etenim, ut ad Isaaci exemplum revertar, dubitatio nulla esse potest, quin lex illa, de prærogativo filii, qui patri suo primus esset natus, jam tum in Isaaci animo sic divinitùs inscripta fuerit, ut post est à Mose in Deuteronomio mandata litteris, cùm ille Jacobum pro Esaü, deceptus, benedictionis prærogativo amplificaret, et, si æternæ legis verba intueare, contra jus fasque, eum qui suarum erat virium principium (ut est in sacris verbis) natuque major, illi, qui minor erat, posthaberet. Et tamen, cùm mox errorem, in quem filii astu delatus fuerat, intellexisset, adeò factum non mutavit, ut extemplò comprobaret etiam, cùm diceret: *Benedixi ei, eritque benedictus*. Nimirùm viri sanctissimi animus similiter occulto quodam divinæ approbationis sensu ducebatur.

Sed rogas, quo argumento conficiam, illud principum jusjurandum Deo fuisse probatum. Nam quin Isaacus rectè Jacobo pro Esaü benedixerit, quamvis contra æternam legem id fecisse videretur, non audebis, opinor, negare. Sanè illi approbationi satis multa magno sunt argumento, et inprimis illud quod in Regum historiâ, consultus de fame Deus, respondet, ejus mali culpam in Saülem et hujus progeniem esse conferendam, propterea quòd occidisset Gabaonitas, quibus Israelitæ jusjurandum dedissent, cùm ille tamen his, quâdam æmulatione, studuisset.

Sed jam me acriùs urges Saülem immeritò juris pejerati pœnas luisse sanguine suæ posteritatis, cùm dixerim, illud Israelitarum jusjurandum non fuisse legitimum. Verùm est expedita responsio, ut primâ actione illud ratum non fuerit, cùm dolus intervenisset tamen eâ, quæ deinde secuta est, pactione ipsos se Israelitas obligavisse firmè Gabaonitis, et quod ante juraverant, ut id ratum haberi deberet, effecisse. Porrò, quia diximus, approbâsse Deum fœdus, quod per fraudem Gabaonitæ ab Israelitis impetrâssent, usque adeò, ut à Saüle violatum graviter vindicaverit, ne quis isto exemplo licere sibi putet, quemquam mortalium fallaciis sibi obligare, monendum hoc loco putavi, Deum quidem, qui in ipso rerum omnium ortu ex tenebris lucem procreavit, pro immensâ suâ bonitate, et erga homines benevolentiâ, interdùm ea quæ improbè à nobis fiunt, sic moderari, ut bono et saluti nobis sint, præsertim si non ut actio ipsa, sic et animi nostri propositum fuit improbum. Sed cùm eò id ille faciat, ut intelligamus, non nostras actiones et operas, quà nostræ sunt, mereri prosperos rerum eventus, sed causam omnis boni ad ipsum vertere discamus, tanquàm ad patrem luminum, ut inquit Jacobus, à quo omne bonum donum, et perfectum munus nobis obtingit, et simul ut nos in thesauri bonitatis suæ admirationem rapiat, atque ad se amandum colendumque convertat, quanta fuerit nostra perversitas, si tantam illius erga nos clementiam, quâ pro meritis pœnis tribuit præmia, nos in peccandi adversùs ipsum licentiam convertamus? ac non potiùs immensam ejus bonitatem amplectamur, jussique eò alacriùs obsequendum nobis esse statuamus? qui cùm sit ipsa simplicissima veritas, ipsaque virtus perfectissima, non potest non ei displicere, quidquid fraudi, vitiove est affine. Sed de istâ re plura diximus ad versiculum quintum capitis secundi. Illud quidem in Gabaonitis placere Deo potuit, quòd non obstinatis animis, cæcoque furore, ejus æterno decreto obsistere, cum aliis Chananæis, in animum inducerent, sed potiùs cum eo populo, quem ille amaret, fœdere consociari cuperent. Verùm fraus ipsa, quâ hoc consequi studebant, placere quidem nullâ ratione ei potuit, quà fraus erat. Sed facilè ignovit, gratiamque erroris fecit hominibus, de suâ ipsorum salute, nisi ita agerent, prorsùs desperantibus, et alioqui à veræ virtutis perfectâ sapientiâ longissimè adhuc remotis. Et hæc modò hactenùs, mox enim pluribus erunt explicanda. Igitur, *murmurabant omnis cœtus adversùs principes.*

Vers. 19. — Dicebant autem omnes principes ad universum cœtum, etc. Objurgabat, inquit, universum vulgus suos duces, atque tribunos, quòd in expeditionem non educeretur castris, quippe nuperâ victoriâ Haiensi benè animatum, et prædæ dulcedine inescatum, atque, ut est

credibile, ejus causæ, quæ illos à pugnâ retinebat, prorsùs ignarum. Nam in omni hominum cœtu plerùmque fieri assolet, ut quò quisque à magistratûs dignitate consiliisque abest longiùs, eò sit ad huic obtrectandum propensior, nimirùm cùm ejus ordinis homines ferè non ratione, non judicio, quo non pollent, sed solis suis affectionibus ducantur, atque ad præsentem se fortunam semper accommodare cupiant, non possunt non ferre molestè ea quæ hisce suis cupiditatibus adversantur imperia. Ad hoc, quantò sunt rerum omnium imperitiores, tantò plus sapere se arbitrantur, minùsque magistratus suæ prudentiæ concedunt confiduntque. Denique eò est etiam confidentius vulgus, quò minùs potest adversorum casuum momenta expendere atque prævidere. Multitudo autem confidens semper est superbiâ intolerabilis, sicut contra, pavens stupore indocilis atque intractabilis. Postremò inde quoque populi temeritas nasci videtur, quòd quæ adversa eveniunt, ea inglorios atque obscuros homines parùm tangant. Omnis enim rei malè gestæ culpa et ignominia in principes solet rejici. Quamvis autem favendum est, in eo quoque ordine viros multos esse, aut indole ipsâ, aut educatione probos, tamen isti aliorum clamoribus, tanquàm flabellis, facilè ad temeritatem inflammantur. Hoc autem ideò dico, quia in sacris verbis, universè scriptum est, omnem cœtum murmurâsse, sicut rursùs, omnes principes adversùs importunitatem cœtûs respondisse.

Atque hìc sanè observanda est sancta principum omnium inter ipsos concordia. Eâ enim factum est, ut suam in populum auctoritatem facilè tenerent. Nihil enim est, quò magis levetur, imminuatur, abjiciatur denique magistratuum auctoritas atque imperium, quàm si ex eo ordine nonnulli, ut sæpè fit, nimis populares, à suorum collegarum rectis, salutaribusque sententiis, ad civium perversa studia voluntatesque se adjungant. Quod sanè probus nemo unquàm fecerit. Tanti enim viro bono debet esse recti atque honesti species, ut ab ejus scopo nullius multitudinis vel metu, vel gratiâ, patiatur aliquando voluntatis suæ oculos dimoveri. Nimirùm hoc est, quod Deus per Mosen in Exodo edixit cap. 23, v. 2: *Ne sequeris multitudinem in malis.* Est quidem, quod dici solet, vulgus bellua multorum capitum, quæ suo fremitu atque tumultu sæpè terribilis admodùm videri potest. Verùm debet magistratus existimare, veritatis, hoc est, ipsius Dei præsidio satis se tutum esse, ac proinde constanti gravitate in suâ auctoritate tuendâ pergere, atque etiamsi planè frustra se in præsenti urgere propositum intelligat, et obtinere se posse desperet, tamen minimè cedere, vel rectam sententiam ullâ simulatione deserere. Ita enim omninò fiet, ut evincat tandem insanum populi furorem, sibique multò etiam quam habuerat ante, auctoritatem conciliet majorem. Planè ut cùm aut maris aut fluminum inundantes magno æstu aquæ oppositos aggeres tuos jamjam perrupturæ videntur, si non majoribus objectis molibus illarum impetum repuleris, aut saltem veteres aggeres continuò sarciendo interpolandoque sustinueris, sed cedendo, novosque loco remotiore moliendo laxamentum inundationi illarum dederis, nihil profectò aliud quàm ipsas, ut in dies majore violentiâ in tuas novas machinas incurrant, easque oppugnent, provocaveris. Quare scitè, ut omnia, illud à Platone dictum est de Leg. lib. 1: «Egregiâ victo-« riâ ipsas se vincere civitates, quoties qui in « iis prudentiâ antecellunt, multitudinem vin-« cunt.» Igitur israelitici populi duces atque tribuni, uno animo simul omnes, pravæ militum cupidini, quamvis universi fremant, nihil concedendum statuunt, et quod illi flagitant facree se non posse apertè pronuntiant. Verumtamen, ne solo imperio, quod per se omnibus hominibus grave videtur, illorum animi exacerbentur magis, perturbenturque, quàm sedentur, justam cur à Gabaonitis abstinere manus debeant, causam præmittunt, hanc scilicet, *quia jurârint ipsis per Dominum Deum Israelis*, ideò nefas esse tangere, ubi illud, *Deum Israelis*, magnam habet emphasim, perstringit enim populi animos religione, cùm eum Deum sponsorem impunitatis esse datum audit, quem ipse colit. Cæterùm verbum נגע non solùm simpliciter tangere, sed etiam vulnus infligere, sauciare, percutere, atque etiam alio afficere incommodo significat. Idque perspicuè apparet ex nomine נגע, cui vulnus, ulcus, morbus, damnum, aliaque hujusmodi mala subjiciuntur. Quare Chaldæus non inscitè, pro, *tangere*, reddidit, *nocere*, sive damnum dare.

Vers. 20. — Hoc faciemus ipsis, et conservabimus eos salvos, etc. Verbum infiniti modi, ex formulâ hiphil, להחיה positum est, pro futuro tempore modi finiti. Quare cum Chaldæo convertimus: *Conservabimus ipsos salvos*, sicut etiam Septuag. fecerunt, si syro interpreti credendum est. In pronomine *hoc* existimo

tectè contineri ea quæ proximo versiculo explicabuntur, conditiones videlicet, quas ferre Gabaonitis constituebant principes. Habet itaque ea orationis pars duo argumenta, ad sedandos militum animos pugnæ cupidine æstuantes accommodatissima, quorum alterum est à compensatione pœnæ, quam illi de Gabaonitis sumere desiderabant : debet enim servitus homini ingenuo et liberali morte ipsâ videri gravior; alterum ab utilitate : sunt enim in lignatorum aquatorumque officiis publicæ rei commoditates maximæ. Sed duobus istis argumentis benè magnis, addunt etiam tertium, quod vel maximum atque gravissimum videri potest, ductum à contrario malo, et religione, cùm dicunt: *Ne recidat in nos ira*, etc. Etsi enim summo jure, ut diximus, illud jusjurandum, quod mendaciis circumducti dederant, ratum non erat atque firmum, tamen homines simplices et antiquæ probitatis, cùm illiusmodi juris acumen argutiis minimè expenderent, sed secum ea reputarent, quæ Deus suis ipse digitis inscripsisset in tabulis fœderis, nempe quòd non esset daturus impunitatem ei qui suum nomen frustra usurparet, non abs re iram illius vindicem metuebant.

Et profectò non potest divina majestas non læsa videri, quoties sacrosanctum illud nomen, quo Deus, pro immenso suo erga nos amore, quadamtenùs se patefacere nobis dignatur, vel ad promissorum nostrorum sponsiones temerè adhibuimus, vel alioqui leviter in rebus nihili et absque justâ veneratione usurpavimus. Quare nos quoque, cum principibus cœtùs animum inducamus, quidquid tanto sponsore promisimus, etiamsi circumventos esse nos intelligamus, illud tamen præstare atque ratum facere. Et si quod inde nobis damnum evenerit, hoc aliis potiùs honestis rationibus sarcire, quàm fallendæ fidei causam ullam quærere. De illis promissis loquor, quæ cum lege Dei non pugnent, eoque inoffenso præstari possint. Non lubet hìc in nostri seculi mores multis verbis invehi, quo mortalium cupidines, ex carne indomitâ et effrenatâ ortæ, afflatu Satanæ excitatæ atque inflammatæ voluptatum denique usu irritatæ, pro causis justissimis habentur, fidem conceptis verbis, et mente sanâ Deo ipsi datam, facillimè frangendi. Sumus enim nunc ita moderati ut ferè cùm corporis adversùs animum causa disceptatur, non rationem utriusque dominam feramus judicem, sed quam ipsa caro pronuntiat sententiam, eam obviis amplectamur ulnis, probemus, sequamur, atque ad eam firmandam, Dei etiam sacra verba mirandis interpretationibus extorqueamus. Quid enim, proh! Deum immortalem, auditum est unquàm Sardanapali acumine scilicet magis dignum, quàm sic argumentari, sic colligere, sic statuere: Lex jubet neminem interficere, et Christus dixit, satis esse cuique diei suam ærumnam; non sunt ergo observanda jejunia, quæ etiam votis nuncupatis, ipsi nobis constituimus. Rursùs Paulus : semel pronuntiavit, satius esse connubio jungi quàm uri libidine : apage ergo vitam istam cœlibem, quam Deo vovisti, postquàm saturum te, ne dicam ebrium etiam, tua caro titillat voluptate. Sed pudet profectò levissimæ vanitatis, ad quam viri alioqui docti sunt delapsi, dùm undique flagitiorum suorum patrocinia quærunt.

Vers. 21. — Dicebant, inquam, principes ad illos: Vivant, et sint cæsores, etc. Versiculus iste in alias atque alias sententias potest interpretari, propterea quòd ipsa verborum structura non satis est explicata. Nos quæ simplicissima nobis visa est, eam expressimus. Neque enim ullis verbis, tanquàm præteritis, quod scriptum est, supplevimus. Litteræ *vau* duntaxat, quæ est in verbo, ויחו, quamvis vocalem *patah* habeat, non eam vim attribuimus, ut futurum tempus in præteritum mutaret. Sed hoc minimè insolenter fecisse videmur. Nam etiam alibi, sic usurpatur, et assentitur hoc nobis tùm Latinus, tùm Chaldæus in præsenti loco. At R. David Kimhi, qui litteram *vau* ex futuro fecisse præteritum putat, curtam esse orationem ait, suggeritque post verbum *vivant*, hæc omnia verba : *Et sint lignatores et aquatores totius cœtûs*, atque deinceps sequi illud existimat : *Et fuerunt cæsores lignorum et haustores aquarum*, etc.; atque hunc sensum expresserunt etiam septuag. Interpretes, ut certè à Syro lecti sunt. Habent enim illi ad hunc modum : *Vivent, et erunt lignatores et aquatores universo cœtui. Et facti sunt lignatores et aquatores universo cœtui, sicut dixerant ipsis principes.* Atqui intempestivum erat hìc dicere: Fuerunt, sive facti sunt lignatores et aquatores, etc. Tùm enim demùm fient, cùm imperator sententiam pronuntiaverit, ut audiemus. Quare causam non video, cur nobis desistendum sententiâ illâ nostrâ sit. Nam illam verborum complexionem quæ in extremo versu posita est, באשר דברו להם השיאים nisi ad eam, consultationem referas, quà principes inter se deliberaverant, quî possent suum jusjurandum tueri, ut est à nobis interpretata, prorsùs su-

pervacanea certè videbitur. Et pronomen illud, לחם pro, inter se, aut apud se ipsos, vel secum, hoc est, αὐτοπαθῶς, atque, quod grammatici dicunt, *reciprocè*, positum alibi quoque esse certum est, ut apud Ecclesiasten, cùm is ait cap. 3, v. 18, quòd *ipsi sint bestiæ sibi ipsi.* Neque opus est pluribus exemplis in re apertâ. Nam si, ipsos, accipias de Gabaonitis, necesse est, ut dicas, principes cum Gabaonitis seorsim de durâ illâ servitute egisse, priusquàm eâ ad ipsos uteretur imperator objurgatione, quæ proximo versu dicetur, quod non est quidem absurdum planè, sed profectò incertum. Quapropter Latinus hanc clausulam ad proximum versiculum transtulit. Et hìc dictionem illam, באשר, non similitudinem, sed tempus significare, atque pronomen, non Gabaonitas, sed Israelitarum milites demonstrare censuit, commodo ille quidem sensu, sed interpunctationi, quæ nunc est in Hebræorum libris, non satis congruente. Sunt etiam qui sic interpretentur, ut assensionis et approbationis militum, qui ante fremuerant, det significationem. Sed certè nimis trunca atque imminuta fuerit illa oratio. Et divinare hoc est potiùs quàm interpretari.

Vers. 22, 23. — Vocavit ergo illos Josua, et locutus est ad ipsos, etc. Probabile est, quæ adhuc dicta sunt, ea ad Israelitarum inter ipsos pertinere deliberationem, neque quidquam cum Gabaonitis actum adhuc esse. Sed quæ de communi principum consilio, atque etiam populi assensione sunt constituta, nunc demùm ab imperatore coram istis reis evocatis edici. Cæterùm an illi deliberationi Josua interfuerit, et in castris apud Gabaonitas factis ista edixerit, an verò quæ à tribunis cæterisque præfectis apud milites acta deliberataque fuerant, ea sint deinde ad ipsum relata, et evocati Gabaonitæ ad Galgala non usquequàque certum esse diximus supra. Quanquàm simul adfuisse apud Gabaonitas imperatorem, et cupidos pugnandi milites eum cohibuisse, dici videatur versiculo 26. Verùm hoc mox quale sit exponetur. Sed enim cum interrogatione aggreditur Gabaonitas, inquiens: *Cur nos decepistis?* mirificè accusationem, per se alioqui gravissimam, auget. Maxima enim vis est in illiusmodi interrogationibus, atque acerbitas. Quanquàm autem doli et falsi eos apertè convincat, ob quæ peccata, rescindi factum fœdus, atque irritum fieri jure posset, tamen, quam dixi priscorum illorum fuisse hominum religionem, præstare datam fidem, quibus fas est rationibus. Pergit, inquiens: *Jam ergo maledicti estis*, etc. Diximus ante, et iterùm dicturi sumus, nullâ prorsùs conditione Chananæos tolerari ab Israelitis debuisse, nisi religionem puram, cultumque sacrum susciperent, cui ea regio peculiariter à Deo dicata fuit, quippe in quâ desideratissimum ab omnibus seculis mysterium olim esset perficiendum celebrandumque, quo cœlum ipsum mortalibus recluderet Dei Filius æternus, ab æterno Patre in mundum missus. Igitur imperator Josua cum reliquo senatu, rationes ineunt, quibus et suum jusjurandum conservent, neque tamen sacram legem violent, atque à majorum suorum superstitionibus ut posthàc illi desistant, verumque Deum colant, inprimis statuunt. Deinde haud ignari veteris etiam Noæ vaticinii, quo ille Chananæos fratribus ipsorum mancipaverat in servitutem, ipsis servitutem quoque imponunt. Non fit quidem in sacris verbis apertè religionis mentio, idque ideò, ut arbitrantur nonnulli, quia Gabaonitæ ultrò suas superstitiones cum Israelitarum religione commutâssent; verùm, ut id secus esse putemus, quis non intelligit, eos à fœdo dæmoniorum cultu debuisse alienissimos esse, qui in æde Dei optimi maximi officio atque muneri alicui præessent? Satis ergo de religione depectus videri potest Josua, cùm Dei sui ædem nominat, in quâ illi perpetuam debeant servitutem servire.

Doctores hebræi, tractationis de Mulieribus capite octavo, statuunt, istam Josuæ maledictionem, quâ utitur adversùs Gabaonitas, excludere ipsos prorsùs in perpetuum ab Israelitarum affinitate atque connubiis. Id an verum sit, ipsi viderint, nullo certè satis firmo argumento conficiunt. Cæterùm calonum et lixarum, sive lignatorum et aquatorum deterrimam fuisse conditionem, et locum ultimum in populo, cùm ex ipsâ regionis naturâ, in quâ et lignorum, et aquarum magna erat penuria, tùm ex Mosis verbis, quibus in Deuteronomio c. 29, v. 11, usus est, satis certum est. Israelitas enim alloquens: *Vos*, inquit, *statis hodiè omnes coram Domino Deo vestro, principes vestri, tribuni vestri, seniores vestri, atque apparitores vestri, omnis denique Israelita, parvuli vestri, uxores vestræ, et advena vester, qui in castris tuis est, ab lignatore vestro, usque ad aquatorem vestrum, ut transeas in fœdus Domini, atque in sacramentum ipsius, quod Dominus Deus tuus ferit tecum hodiè*, etc. Ordine enim decurrit ille à summis ad infimos, atque hos facit lignatores et aqua-

tores, ubi illud insuper est animadvertendum, etiam istos cum cæteris ordinibus fœderatos Deo esse debuisse, id quod nos de Gabaonitis quoque dicimus.

At enim mirabitur fortassis in eo aliquis, quòd hìc Josua Gabaonitas facit calones et lixas ædis sacræ, cùm hujus ante nulla fuerit in deliberatione mentio, sed universi cœtûs. — Verùm credibile est, inprimis sacræ domûs rationem habuisse principes, viros sanctissimos, cùm de istâ re inter se consultarent. Neque enim cœtui illos servire potuisse videtur, postquàm sorte divisâ terrâ, distractus ad suas quisque possessiones esset populus universus, sed solis tum Levitis, hoc est, sacrorum in templo administris addictos mansisse, quod ab Esdrâ quoque litteris proditum est. Sed cùm istam orationem illi adhiberent ad tranquillandos tumultuantis populi animos, ut diximus, prudenter eam servitutem ostentabant verbis, quæ ipsi esset populo futura utilis et commoda. Erat enim hoc magis populare, quàm si officium in sacrâ æde faciendum prædicâssent. Et existimat Nehmannus, etiam tum illos, cuivis è vulgo Israelitæ, aquatores lignatoresque esse debuisse, cùm distributæ fuissent possessiones, qui modò ipsos de eo officio interpellâsset, quanquàm non planè gratis, ut ipse censet, sed exiguâ mercede conductos, quâ victum sibi possent parare. Nam qui sacræ serviebant aræ, ii cum Levitis alebantur : sed enim ego probabilius esse dixerim, nunquàm Gabaonitas singulis Israelitis servitutem servire debuisse, sed universo duntaxat cœtui, hoc est, rei communi, propriumque illorum munus fuisse, aquam et ligna Levitis, in templo atque in sacrificiis et epulis publicis, subministrare. Hoc enim profectò erat operam dare universo cœtui. Quanquàm nolim hoc defendere pertinaciùs, si quis contra pugnet.

Vers. 24, 25. — Et responderunt Josuæ, dixeruntque : Quia fama perlatum, etc. Ex isto Gabaonitarum responso confici videtur, fidem ipsos adjunxisse iis quæ et de mirandis factis, et de promissis Dei communi famâ sermoneque audierant; porrò ex hâc qualicumque fide procreatum esse in ipsorum animis timorem, non illum quidem planè pium, obsequiosum, et cum justâ reverentiâ conjunctum fortassè, qualis est bonorum filiorum adversùs suos parentes, et qualem in Rahab perspicuè videre erat, sed servilem potiùs, et tamen qui ipsis viam ad salutem aperuerit, ac veluti manu, à majorum superstitionibus ad fidem sanctam et puram religionem averterit. Solet enim ille talis timor mentes hominum iis informare cogitationibus, quibus paulatim in spem veniæ ducantur, quâ spe deinde erecti fultique rationem vitæ melioris ineundam meditari, ac demùm charitatem ipsam exercere, neque jam servili metu Deum timere, sed ut clementissimum patrem piè revereri incipiant. Itaque fit ut servilis ille timor se tandem ipse pellat, quod divus Augustinus scientissimè, per collationes, his ferè verbis, ostendit, cùm in Joannis primam Epistolam scriberet : « Si nullus, « inquit, est timor, non est quà charitas intret. « Sicut videmus per setam introduci filum, « dùm suitur aliquid, seta quidem intrat prior, « sed nisi rursùm exeat, non succedit linum, « sic timor occupat mentem prior, verùm non « ibi manet, quia ideò intravit ut introduceret « charitatem. » Et post pauca, alterâ utitur non minùs scitâ similitudine à chirurgo ulcus secante, scalpelloque abradente. Sed hæc hactenùs.

Est autem ipsum responsum universum ad gratiam misericordiamque mirâ arte compositum; mirifica enim vis in singulis penè verbis inest, dùm se servos vocant, dùm Jehovam, hoc est, verum Deum, prædicant, eumque peculiariter Josuæ Deum appellant, denique Mosis auctoritatem laudant, et hunc quoque à Dei familiaritate commendant, ac tandem cùm ad ipsum crimen ventum est, nullo id nomine proferunt, tanquàm ejus recordationem detestentur, sed, *hanc,* inquiunt, *rem egimus;* postremò, cùm se totos in arbitratum imperatori dedunt. Cæterùm verbi הגד geminatio, ad ostendendam nuntiorum frequentiam, famæque certitudinem spectat. Eâque re ut Gabaonitæ metu se justiore perculsos, tantoque magis ad dolum adhibendum incitatos esse ostendunt, ita luculentissimè arguitur aliorum Chananæorum stupor, quo divinitùs ipsos fuisse occæcatos diximus. Refellitur etiam hoc verbo doctorum hebræorum jactatio, qui, ut dixi, gloriosè ostentant legis scriptionem in lapidibus apud Hebal, quam Septuaginta linguis factam ferunt, ut ne qua gens posset ignorationem excusare, et ex eâ Gabaonitas quoque ista Dei jussa didicisse absque omni dubitatione dicunt. Porrò terræ vocabulum, hìc de solâ Chananæâ est accipiendum. Neque enim de universo terrarum orbe agitur. Itaque septuag. Interpretes ejus rei patefaciendæ gratiâ, addiderunt de suo, demonstrationis pronomen, ταύτην, *terram istam,* omiseruntque notam universitatis, *om-*

nem. Postremò illud est hoc loco observandum, Gabaonitas ipso jurejurando, quod ab Israelitis per dolum acceperant, minimè niti ad salutem conservandam. Neque enim tam erant rerum imperiti, ut vitium non agnoscerent. Interim tamen boni æquique admonere imperatorem videntur, fiduciâ quâdam priscæ illius, quam dicebamus, probitatis, atque erga jusjurandum religionis, quasi dicant : « Fatemur quidem « peccatum à nobis esse, sed præ magno metu. « Verùm quando Deum salutis nostræ sponso- « rem fecistis, bonam spem habemus, vos pec- « cati quidem nostri pœnas æquas petituros, « quas etiam libenter solvemus, cæterùm fœ- « dus sic sancitum conservaturos. »

Vers. 26, 27. — Fecit ergo illis sic, liberavitque ipsos a manu, etc. Sic, uti dixerat videlicet, verbis superioribus : *Neque deerit è vobis servus,* etc. Idque insequente versu explicatum est, cùm dicitur : *Constituitque ipsos Josua eo die cæsores lignorum,* etc. Commodè tamen particula כן accipiatur tanquàm nomen, significans, id quod rectum, honestum, et ipsâ æquitate firmum est. Nam, ut diximus, scelus admisissent Israelitæ, si Gabaonitas interemissent, cùm salvâ religione possent suum jusjurandum, quod illis dederant, commodis rationibus tueri. Porrò lignatores aquatoresque isti sunt posteris temporibus, tanquàm peculiari appellatione dicti נתינים Nathinæi, à verbo נתן, quasi deditilios dicas, et cœtui atque aræ Dei mancipatos.

At enim objicias, Nathinæos à Davide primùm esse institutos. Id enim apud Esdram esse scriptum. Non ergo Gabaonitas fuisse Nathinæos, quippe quos Josua hìc muneri illi præponit, et in eam servitutem dedit. — Respondet ad hoc R. Salomon, Davidem fuisse quidem novæ illius appellationis auctorem, ut pro Gabaonitis dicerentur, Nathinæi, at non officii, aut servitutis. Mihi verò videtur esse verisimile, Esdram ideò Davidis, tanquàm auctoris, mentionem facere, quia hic plerasque omnium servitiorum et munerum rationes filio suo Salomoni, sub extremum vitæ actum, certo ordine modoque præscripserat, quæ observari atque effici in sacrâ æde, postquàm ea foret exædificata, voluisset, ut est in Paralipomenis scriptum, quamvis non solùm noster hìc Josua de Gabaonitis, quo deberent ipsi munere fungi, constituisset, verùm etiam ipse Moses nonnullas leges de aliis quoque officiis condidisset.

Porrò illæ verborum circumscriptiones, *usque ad præsentem diem,* et : *In eo loco quem esset electurus,* non definiunt certum tempus, certumque locum præstitutum servituti Gabaonitarum. Sed prior significat, etiam tùm, quando ista historia conscribebatur, durâsse illorum hanc muneris functionem; posterior verò, non de ultimâ, atque perpetuâ, ut vocatur in sacris litteris, electione modò loquitur, quâ tandem electus est locus in Jerusalem, sed æquè de aliis electionibus, quibus diversas stationes suo sacrario aliis atque aliis temporibus ante constructum Salomonis templum, Deus delegit. Quamvis enim, ut divi Augustini verbis utar, ubique sit Deus, et nullo contineatur loco, qui condidit omnia, quique cœlum implet et terram, eumque à veris adoratoribus oporteat adorari spiritu et veritate, tamen dedicata sibi esse voluisse semper certa quædam loca, in quibus, quasi uno ore, à piis hominibus coleretur, nemo qui sacræ historiæ monimenta aliquando inspexit, negare potest. Quâ in re existimandum est illum imbecillibus sensis nostris benignè consulere voluisse. Adfert enim religionem pietatemque majorem animis nostris ea opinio, dùm Deum nobis veluti præsentem et ante oculos positum, hoc, illo loco ejus cultui dicato adoramus, ibique rebus divinis et ipsi operam damus, et dantes simul alios intuemur, quàm si mens nostra per istam rerum universitatem, quasi quæ tota illius templum atque ædes sit, ut sanè est, vagetur cogitatione. Hujusmodi enim cogitatione vix unquàm se satis colligere, atque ad illius admirationem et amorem intendere totam illa potest. Sed est ista res multis verbis à divo Augustino tractata Epistolâ 137, quare de eâ nunc hactenùs.

Jam verò explicatis à nobis utcumque sacris verbis, superest ut quæ passim hoc capite et aliis insuper locis, de Chananææ gentis excidio atque servitute scripta exstant, semel, quoad ejus fieri à nobis potest paucis, ob oculos ponamus. Nemo, opinor, ignorat universi generis humani parentem alterum Noe, sive dirâ devotione, ut videtur, sive vaticinatione ex arcanis Dei consiliis profectâ, ut ego existimo, detestatum esse filii sui Cham progeniem eam, quæ ex Chanaan esset nascitura. Ea autem fuit, quæ loca ista trans Jordanem Israelitis à Deo hæreditatis loco assignata occupavit, quam gentem sacra historia sæpè Chananæos, interdùm Amorrhæos, nonnunquàm diversis septem nominibus, aliquando pluribus, aliquando paucioribus vocat. Cùm ergo Israelitæ prognati ex

Sem essent, cujus olim nepotibus illos esse servituros Noe prædixerat, consentaneum profectò fuit, ut ne prorsùs omnes Chananæi ab his internecione exscinderentur. Nam si armatos in bello, inermes, supplicesque in pace occidissent, quibus tandem potuissent pro servis uti? Conficitur ergo leges illas, quæ aliis atque aliis locis scripta, et animis Israelitarum veluti inculcatæ, jubent illam nationem internecino bello funditùs delere, neque ulli aut ætati, aut sexui parcere, planè aliquâ esse æquitate temperandas, quæ æquitas qualis sit, ipsa nos ratio divinæ illius constitutionis optimè doceat. Est enim ratio, ut jurisperiti aiunt, legis anima. Erat autem in sanguinariâ illâ lege instituendâ hoc Dei propositum, quod ipse patefecit, ne sacer populus, cui loca ista pro habitatione fuerant data, à purâ religione abduceretur ad istarum gentium superstitiones, si simul habitarent. Quis ergo non intelligat, ubi nullum esset à tali contagio periculum, ibi neque illi sanctioni locum esse? Ego verò jam de consilio et voluntate Dei loquor illius legis sanciendæ; cæteroqui certissimum est, fuisse Deo justissimas jamdudùm causas, etiamsi nusquàm gentium vixissent Israelitæ, perdendi prorsùs omnem illam Chanaanis progeniem, cujus nefaria scelera per aliquot jam secula patienter tulerat. Quæ autem potuit esse metuenda contagio ab illis Chananæis, qui majorum suorum fœdam cum purâ Israelitarum religione commutaverant, et sacrorum cæterorumque jurium communione se Israelitis junxerant, ac planè adscriptitii Israelitæ facti fuerant? Non jam hoc contendo, Chananæos, si Israelitarum ritus amplecti fuissent parati, continuò cæterorum advenarum jure admitti debuisse. Firmum enim ac fixum esse oportuit illud Dei opertum, quod Noe, ut dixi, olim protulerat, cùm ipsos servos servorum futuros esse fratribus suis diceret, quibus verbis vilis omninò servitus significata esse videtur, quanquàm fortassis non omnium vilissima, qualis erat lignatorum et aquatorum, quam suo etiam dolo promeruêre Gabaonitæ. Nam si illi, qui longinqua incolebant loca, ut pax ipsis dari posset, et vectigales, et servi fieri debebant, quis putet meliore conditione devotos istos fuisse? Sic enim in Deuteronomio 20, 11, scriptum est: *Si pacificis verbis tibi responderit, aperueritque tibi, civitas videlicet, omnis populus qui in eâ fuerit repertus, erunt tibi vectigales, et servient tibi.* Scio equidem sic sentire plerosque Judæos, ut existiment tributum hic ad exteros pertinere, at servitutem ad solos Chananæos. Nam, quod supra quoque dixi, nisi fallor, omnes ista verba accipiunt, tanquàm promiscuè et communiter de Chananæis et de longinquis dicta. Sed id jam non laboro, modò ut confectum satis à me putes, indigenas, hoc est, Chananæos, nisi in servitutem mancipatos, conservari non potuisse.

Sed ex hâc meâ disputatione forsan occurrat illud: Si Chananæis, nisi servis, non potuerunt parcere Israelitæ, Rahabam quoque servam fuisse, quod nusquàm memoriæ proditum est. Atqui non sunt omnia litteris consignata, quæ in priscâ illâ gente acciderunt. Scio equidem Judæos illam è Chananæorum numero eximere, et alienigenam fuisse dicere, in quo oscitantium Talmudicorum dictata reddunt modò, non etiam eorum quæ dicunt causas ullas afferunt. Verumtamen si Rahabam libertatem tenuisse mavis omninò existimare, quid vetat, cur minùs dicamus, privilegium fuisse, quod illam servitio omni exemit, quæ animo apertissimo, atque ultrò, atque priusquàm in Chananæam Israelitæ trajecissent, atque cum propriæ etiam vitæ præsentissimo periculo fidem suam et Deo, et ejus populo probaverat? Aut tum demùm eâ lege Israelitas agere debuisse, cùm in Chananæam trajecissent, quod capite septimo Deuteronomii videtur esse scriptum, Rahabam autem sibi vitam fuisse depectam ante, ut secundo capite hujus commentarii vidimus. Sed hoc hactenùs.

Cæterùm interpretandam explicandamque esse illam de Chananæorum exitio legem eâ, quam modò diximus, æquitate, illud insuper argumento est, quod post dicetur, ideò omnes Chananæorum urbes esse excisas, præter Gabaonitarum, quia nullæ aliæ pacem cum Israelitis fecissent. Item illud, quod Regum memorat historia, Salomonem sat habuisse, reliquias Chananæorum redegisse in servitutem, cæteroqui non occidisse. Quis enim illum talem, tamque potentem regem, et quidem quo tempore ob egregiam pietatem Deo erat familiarissimus, atque duobus regibus, Tyrio fraternâ amicitiâ, Ægyptio etiam affinitatis arctissimo vinculo conjunctus, ut quas cum reliquis finitimis gentibus, Syris, Idumæis, Ammonitis, Moabitis, habebat necessitudines, præteream, quis, inquam, opinetur eum regem, et pietate et opibus tum suis, tum amicorum florentem maximè, reliquias gentis Chananææ aut debellare non potuisse, quas tamen sibi vectigales et servos efficiebat, aut noluisse, si severam il-

lam Dei legem id jubere intelligebat? Denique audiemus à Josuâ nihil non esse factum eorum, quæ eum facere Deus jusserat per Mosen. Non ergo adversùs Dei jussa vel Rahabæ, vel Gabaonitis pepercit. Sed hoc jam satis multis egisse videmur. Ad illud verò, cur exteros se simulârint Gabaonitæ, si indigenis licebat esse tutis, qui servitutem servire et puram religionem amplecti vellent, tum cur Israelitæ negaverint se pacem dare posse domesticis, ac deinde patefactâ fraude, vix ab armis abstinuerint, ad illa, inquam, ante est à nobis responsum, ut spero, satis; tamen ut paucis repetam, mirum non est, Gabaonitis, hominibus barbaris, et misericordiæ veri Dei insciis, illam æquiorem legis interpretationem in mentem non venisse. Nam quæ fuerit illorum de consilio Dei opinatio, ipsi apud Josuam declarant. Neque verò etiam satis firmum illud est, quòd vero Deo nomen dare parati venerint illi, quamvis ita Augustinus, Liranus, Nehmannus, sentiant. Et servorum nomen, quod suæ fraudi opponunt, per submissæ potiùs appellationis causam, ut fit, atque ad gratiam, quàm quòd se illicò in servitutem conceptis verbis dederent, usurpâsse videri possunt. Porrò quod Israelitæ sibi fas esse negant cum indigenis pacisci, id est de iis conditionibus accipiendum, quibus exteri, quales se illi esse simulabant, potuêre admitti. Ad hoc, non nefas est existimare, ne Israelitis quidem illicò venisse in mentem illam, quam dixi æquiorem legis interpretationem, sed tum demùm ubi de tuendo suo jurejurando disceptare inter se occepissent. Magna enim de causâ principes, ut suum jusjurandum tueri possent, fuêre solliciti, ne videlicet dùm alienam perfidiam ipsi punitum venissent, sua ipsorum fides apud omnes fieret dubia, et quasi præ crudelitate sacra omnia susque deque habentes suspecti omnibus essent, qui justitiam veramque pietatem supra omnes mortales colere, solique verum Deum scire volebant videri.

Equidem non sum nescius, divum Augustinum eam habere opinionem, ut censeat, Israelitas prævaricatos esse adversùs illam, quam nunc tracto, legem, de Chananæis perdendis universè latam, potiùs quàm ut jusjurandum datum fallere in animum suum inducerent. Sed ille rigidior duræ istius legis est interpres, quàm pro meo sensu. Scio equidem universè dictum esse nulli animæ illarum septem nationum esse parcendum. Sed ideò esse factum interpretor, quòd paucissimi essent futuri, quos consuetorum scelerum pœniteret, ut supra dixi; tamen si qui pro occulto Dei judicio resipiscerent, eos unà cum cæteris pari exitio involvendos fuisse; neque ullis pacis conditionibus vel invitari, vel admitti potuisse mihi certè religio est existimare, qui sic de æternâ Dei misericordiâ sentio, ut putem eum nullos mortales ita perpetuò addicere exitio, ut si pœnitere possint, veniam tamen consequi non possint. Quam opinionem videor etiam ipsius Augustini, viri profectò divini, auctoritate posse tueri cùm is dicat: « Qui prædestinatus non est (sic enim Theologi loquuntur) videat ut prædestinetur. » Et plenus divinis oraculis liber, quem Sapientiæ vocant, prodidit, ideò tractum esse longiùs bellum Chananaicum, Dei consilio, ut paulatim puniendo locus daretur pœnitentiæ.

Sed hìc illud fortassis occurrat, perdi planè voluisse Deum gentem illam, etiamsi quos pœniteret, in hâc vitâ, cæterùm ejus misericordiæ locum fuisse in alterâ. Ille enim, ut alibi à nobis est expositum, quemvis mortalium jure mulctare potest præsente vitâ. Verùm id non esse ita, quid attinet contendere? cùm Deo non invito servatos esse Gabaonitas in hâc vitâ, dilucidè testetur severa illa ejus vindicatio, quâ Saülis stirpem eum esse persecutum, supra diximus. Ut taceam suppetias, quas proximâ narratione ferri illis jubebit. Sed jam fortassis lectori molestus sum hisce tam multis verbis. Ego tamen facere non potui, ut non prolixiùs pugnarem adversùs eam sententiam, quam intelligebam à plurimis, non tam defendi, quàm teneri. Hoc igitur modò addam, multa exstare apud veteres Judæos, cùm in prioribus libris *Misnajoth*, tum in vetustis commentariis, quæ vocantur, *Deuteronomium magnum*, atque etiam in *Tanhuma*, prodita de litteris publicis, quibus Josua, simul atque in terram promissam pervenisset, omnes ubique urbes, priusquàm bello eas invaderet, ad pacem deditione redimendam, quibus æquum erat conditionibus, sit cohortatus. Jam verò Gabaonitas propterea indignos veniâ Israelitis visos esse, cùm rescitum esset, eos esse Chananæos, quia litteris illiusmodi invitati non venissent ad depaciscendum, nisi demùm ubi Haiensium exitio territi etiam fuissent. Ego verò ut non planè possum ei rei de publicis litteris fidem adjungere, ita non omninò nihil esse illud, quod prisci illi, de offerendâ pace, scriptum reliquerunt, facilè crediderim. Nam sanè ipsa æquitas dictat, bellum nullum nisi

denuntiatum, videri justum, estque hoc ita apud omnes gentes semper existimatum. Quin Moses ipse, Dei interpres, jubet Deut. 20, 10 : *Cùm ad urbem accesseris, non priùs oppugnare, eam, quàm pacem ipsi obtuleris.* Idque Nehmannus, Levi F. Gersonis, Kimhi, atque adeò universa ferè Judæorum turba, non solùm de peregrinis urbibus, verùm etiam de Chananaicis accipiendum esse censent. Neque ullam gentem, præter Moabitas et Ammonitas, non esse ad pacem invitandam putant. De his enim duabus nationibus singularia exstant Dei jussa, in hanc sententiam Deut. 23, 6 : *Non petes ab illis pacem, neque id quod ipsis commodum sit.* Cur autem erga istos homines inclementior videatur esse Deus (non est autem ille adversùs ullum unquàm inclemens) quàm erga alios, præsertim Idumæos, qui similiter atque illi fuêre ei rebelles, id verò in æterno ipsius arbitrio positum nos latet, neque hujus loci est, inquirere curiosiùs.

Sed dices : Quid attinebat Chananæos ad pacem cohortari et provocare, quibus semel omnibus afferre necem Deus jusserat ? — Ego verò te vicissim interrogando, clavum, quod dicitur, clavo pellam. Cur Moses, homo planè divinus, cùm ei Sehonem regem dedidisset in manum Deus, et simul urbes ejus omnes non aliter atque Chananæas occupare, verbis disertis jussisset, tamen pace priùs experiri ausus est oblatâ regi, quàm armis eum invaderet, imò eas pacis conditiones proponere, quæ si acceptæ ab illo fuissent, Dei promissa rata esse non posse videbantur ? Et tamen minimè tulisse Deum ægrè eam importunam, ut videbatur, Mosis humanitatem, ipse eventus rei docuit. Quanquàm ad Josuam et Chananæos quod attinet, ut bellum ab illo his denuntiatum non fuerit, excusari tamen potuisse videtur, quia bellum ipse non inferret, sed Deus, cui per aliquot jam secula hi nefariis suis sceleribus primi bellum fecissent, neque adhuc longâ ejus patientiâ ad meliorem mentem revocari potuissent. Sed jam in his pertractandis nimium me esse sentio.

INDEX RERUM.

SEQUITUR IN NUMEROS COMMENTARIUM. 9—10

Caput XXVI. *Ibid.*
Caput XXVII. 20
Caput XXVIII. 31
Caput XXIX. 42
Caput XXX. 47
Caput XXXI. 53
Caput XXXII. 66
Caput XXXIII. 76
Caput XXXIV. 89
Caput XXXV. 95
Caput XXXVI. 113

Doxologia Dei ductoris et dominatoris, ex gestis et epitome Numerorum. 119—120

IN DEUTERONOMIUM COMMENTARIUM. 121—122

Argumentum. *Ibid.*
Caput primum. 124
Caput II. 136
Caput III. 145
Caput IV. 152
Caput V. 167
Caput VI. 197
Caput VII. 215
Caput VIII. 221
Caput IX. 230
Caput X. 237
Caput XI. 244
Caput XII. 251
Caput XIII. 260
Caput XIV. 264
Caput XV. 271
Caput XVI. 280
Caput XVII. 286
Caput XVIII. 302
Caput XIX. 309
Caput XX. 317
Caput XXI. 324
Caput XXII. 334
Caput XXIII. 343
Caput XXIV. 353
Caput XXV. 362
Caput XXVI. 369
Caput XXVII. 381
Caput XXVIII. 388
Caput XXIX. 403
Caput XXX. 412
Caput XXXI. 418
Caput XXXII. 427
Caput XXXIII. 455
Caput XXXIV. 478

Doxologia Dei legislatoris ejusque concio ex Deuteronomio. 489—490
Oratio et Conclusio. 494
IN NUMEROS DISSERTATIO. 496
Animadversiones in versiculos 15-16 cap. 21 Numerorum. 499
DISSERTATIO de Balaami prophetiis. 505—506
— De Beelphegor, Chamos cæterisque Moabitarum diis. 539—540
— De XLII Mansionibus aut stationibus Israelitarum. 551—552
— De Suppliciis quorum in sacrâ Scripturâ mentio. 633—634
— De Connubiis Hebræorum. 673—674
— De Muliere hebræâ et de Connubiis apud Judæos recentiores. 686—690
— De Divortiis. 697—698
— An veteres legislatores et philosophi è Scripturâ leges suas et moralem scientiam hauserint. 747—748
— De Gigantibus. 763—764
— In prophetiam Moysis de prophetâ à Deo promisso. 791—792
— De Moysis Obitu et sepulturâ. 801—802
INSTRUCTIONES ET MYSTERIA quæ in singulis Pentateuchi libris continentur. 811—812
Divus Hieronymus in universum Pentateuchum. Masii vita. 841—842
In Josuam Masii præfatio. 851—852
IN JOSUAM COMMENTARIUM, 861—862
Caput PRIMUM (Vulgata cum gallicâ versione). *Ibid.*
Translatio ex hebræo. 865—866
Commentarium. 866
Caput II (Vulgata cum gallicâ versione). 921—922
Translatio ex hebræo. 927—928
Commentarium. 929—930
Caput III (Vulgata cum gallicâ versione). 967—968
Translatio ex hebræo. 971—972
Commentarium. *Ibid.*
Caput IV (Vulgata cum gallicâ versione). 1003—1004
Translatio ex hebræo. 1007—1008
Commentarium. *Ibid.*
Caput V (Vulgata cum gallicâ versione). 1025—1026
Translatio ex hebræo. 1029—1030
Commentarium. 1031—1032
Caput VI (Vulgata cum gallicâ versione). 1077—1078
Translatio ex hebræo. 1083—1084
Commentarium. 1085—1086
Caput VII (Vulgata cum gallicâ versione). 1121—1122
Translatio ex hebræo. 1127—1128
Commentarium. 1129—1130
Caput VIII (Vulgata cum gallicâ versione). 1171—1172
Translatio ex hebræo. 1177—1178
Commentarium. 1179—1180
Caput IX (Vulgata cum gallicâ versione). 1221—1222
Translatio ex hebræo. 1227—1228
Commentarium. *Ibid.*

FINIS TOMI SEPTIMI.

UNIVERSITAS

La Bibliothèque
Université d'Ottawa
Echéance

The Library
University of Ottawa
Date Due

a39003 00179620

BS 610 .L3M5 1837 V7
MIGNE, JACQUES-PAUL.
SCRIPTURAE SACRAE CURS

CE BS 0610
.L3M5 1837 V007
COO MIGNE, JACQU SCRIPTURAE S
ACC# 1043547

U D' / OF OTTAWA
COLL ROW MODULE SHELF BOX POS C
333 10 04 01 15 03 6